UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

urn:nbn:de:hbz:466:1-95236

Visual Library

J. IX. 4. Th. 937a
6.

~~J. VII~~
~~A 8~~

R.P. RICHARDI

LYNCEI,

SOCIETATIS IESV,

HIBERNO-GALVIENSIS, S. THEOLOGIÆ DOCT.

& Magistri Salmanticensis, & in Salmantina Academia pro Regali Collegio Eiusdem Societ. Vespertinæ Cathedræ Moderatoris, quondámque Sacrarum Litterarum Interpretis,

VNIVERSA

PHILOSOPHIA SCHOLASTICA.

TOMVS SECVNDVS,

Complectens Physicam, sive Scientiam de Corpore naturali.

NVNC PRIMVM PRODIT.

LVGDVNI,

Sumpt. PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, & CLAVDII RIGAVD.

M. DC. LIV.

CVM PERMISSV SVPERIORVM.

INDEX

Librorum, Tractatuum & Capitum, quæ in tota Physica continentur.

LIBER PROOEMIALIS

Ad Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali. pag. 1

LIBER II.

De compositione essentiali corporis naturalis. 3

TRACTATVS I.

De quidditate & numero principiorum concurrentium ad compositionem essentialem corporis naturalis. ibid.

CAP. I. REiectis aliis sententiis nostra & verior proponitur. ibid.
II. Dissoluuntur argumenta contraria. 4
III. Solutio cæterorum argumentorum, quę in contrarium fieri possunt. 5

TRACTATVS II.

De materia essentialiter componente corpus naturale. 7

CAP. I. AN materia prima in rebus existat? ibid.
II. Materiam primam in rebus existere vlterius probatur. 8
III. An materia prima per existentiam formæ existat? 9
IV. Argumenta contraria soluuntur, Vbi an materia, & quo pacto sit pura potentia? Anve suarum proprietatum actiue? 12
V. Prosecutio argumentorum, & cur materia potius quàm forma subiectum sit. 14

TRACTATVS III.

De dependentia materiæ primæ à formis substantialibus in compositione essentiali corporis naturalis. 17

CAP. I. AN materia prima dependeat à priori à forma substantiali: ibid.
II. An materia saltem à posteriori à forma substantiali dependeat? ibid.
III. Dissoluuntur argumenta contra dependentiam à posteriori materiæ à forma substantiali superius statutam
IV. An dependentia materiæ a forma, alteriusque cum altera connexio superius statuta sit summa? 21

TRACTATVS IV.

De appetitu innato materiæ ad componendum essentialiter cum formis substantialibus corpus naturale. 22

CAP. I. AN detur in rebus appetitus innatus? & quid ac quotuplex sit? ibid.
II. Materia prima appetit innate formas substantiales, idque tum indetermi-

nate & conditionate, tum etiam absolute & determinate. 24
III. Materia prima appetit formas substantiales appetitu innato desiderij, gaudij & amoris stricti. 26
IV. An materia appetat innate formas substantiales corruptas? 28
V. Soluuntur argumenta aliqua contra doctrinam capitis præcedentis. 30

TRACTATVS V.

De imperfectione materiæ componentis essentialiter corpus naturale. 31

CAP. I. AAn materia prima de facto existens sit imperfectior omni alia materia& substantia possibili?ib.
II. An materia prima sit imperfectior omni forma substantiali? 32
III. An materia prima de facto existens sit imperfectior omni ente non solum substantiali sed etiam accidentali existenti & possibili. 34

TRACTATVS VI.

De vnitate specifica materiæ componentis essentialiter corpus naturale. 35

CAP.I. MAteriam omnem sublunarem esse vnius speciei, posse tamen esse specifice diuersam verius est, ibid.
II. Materiam sublunarem esse vnius speciei cum materia cælesti probabile est. 36
III. Materiam sublunarem esse diuersæ speciei à cælesti probabile quoque est. 37

TRACTATVS VII.

De forma componente essentialiter corpus naturale. 39

CAP.I. AN &quid sit forma substãtialis ib.
II. AIn eadem materia prima plures formæ substantiales naturaliter cõponi nequeunt: at possunt naturaliter. 40
III. Quædam argumenta aduersus doctrinam superiorem dissoluuntur. 41

TRACTATVS. VIII.

De vnione partium componentium essentialiter corpus naturale. 43

CAP.I. QVid sit vnio physica in communi? ibid.
II. De nonnullis attributis vnionis physicæ: de que aliis eius definiendæ modis. 44
III. An vnio physica ab extremis realiter distinguatur? 46
IV. An vnio nectens partes essentiales corporis naturalis sit vna simplexque, vel potius multiplex? 47
V. Dissoluuntur argumenta quædam contra simplicitatem vnionis essentialis in corpore naturali. 49
VI. Solutio cæterorum argumentorum aduersus simplicitatem vnionis essentialis in corpore naturali. 51

TRACTATVS IX.

De toto resultante ex compositione essentiali partium corporis naturalis. 52

CAP.I. TOtum substantiale & per se resultans ex partibus essentialibus corporis naturalis ab iis realiter adæquate distingui verius est. ibid.
II. Alia etiam nostræ ac verioris sententiæ probatio. 53
III. Duæ aliorum solutiones superioris probationis nostræ, totidem que eius instantiæ reiiciuntur. 54
IV. Vlterior nostræ ac verioris sententiæ probatio. 58
V. Proponuntur ac soluuntur communia aduersus nostram sententiam argumenta. 61
VI. Communibus aduersus nostram ac veriorem sententiam argumentis alia quædam specialia adiicio. 63
VII. An non solum totum substantiale & per se creati ordinis, sed etiam ordinis diuini distinguatur realiter adæquate à suis partibus. 64
VIII. Fit satis obiectionibus aduersus indistinctionem realem totius substantialis, & per se diuini ordinis à suis partibus. 65
IX. An totum accidentale distinguatur realiter adæquate à suis partibus? 68.
X. Repelluntur oppositiones contra indistinctionem totius accidentalis à suis partibus. 69
XI. Quid deniq; existimandum de distinctione reali totius Mathematici, siue integralis a suis partibus. 72

TRACTATVS X.

De natura & subsistentia corporis naturalis, & partium illud essentialiter componentium. 74

CAP.I. QVid sit natura essentialiter cõponens ac denominans corpus naturale? ibid.
II. Quid sit subsistentia corporis naturalis, partiumque illud essentialiter componentium? 76

III.

III. Vlterior superioris doctrinæ explicatio, & ab argumentis contrariis vindicario. 77

LIBER III.

De Compositione continua corporis naturalis. 81

TRACTATVS I.

Quousque compositio continua de conceptu corporis naturalis sit. *ibid.*

Cap. I. QVid sit compositio continua, & an totum continum ex ea resultans sit vnum per se? ibid.
II. An possibile sit corpus naturale quod continuè compositum non sit? 83

TRACTATVS II.

An corpus aliquod naturale solum continuè componi possit? 84

Cap. I. SEntentia affirmans eligitur & probatur. ibid.
II. Dissoluuntur argumenta quædam aduersus veriorem sententiam. 85

TRACTATVS III.

An corpus naturale partes continuas actu, vel solum potentia sibi vendicet? 87

Cap. I. COrpus naturale de facto existens partes continaas actu distinctas sortitur. ibid.
II. Corpus naturale partes continuas actu vbicatas sibi vendicat. ibid.

TRACTATVS IV.

An corpus naturale aliquibus indiuisibilibus continuetur? 91

Cap. I. COrpus naturale nullis indiuisibilibus continuatiuis aut terminatiuis constat. ibid.
II. Dissoluuntur argumenta quædam pro indiuisibilibus terminatiuis & continuatiuis corporis naturalis. 92
III. Corpus naturale indiuisibilibus saltem, velut partibus quibusdam constat. 93
IV. Fit satis argumentis arbitrantium indiuisibilia nulla, & nullius muneris gratia esse in corpore naturali continuè compositio. 94

TRACTATVS V.

An corpus naturale solis indiuisibilibus physicè & metaphisicè talibus continuetur. 96

Cap. I. REfellitur sententia constituens corpus naturale continuum ex punctis finitis physicè & mathematicè diuisibilibus. ibid.
II. Alia superioris sententiæ impugnatio ex in æqualitate motuum localium. 98
III. Specialiter expenditur contra superiorem sententiam inæqualis motus circulorum rotæ. 100
IV. Eiusdem sententiæ aliæ impugnationes à Matheſi desumptæ. 104
V. Cæteræ impugnationes mathematicæ eiusdem sententiæ. 107
VI. Postrema eiusdem etiam sententiæ impugnatio ab authoritate petita. 109
VII. Confutatur sententia constituens corpus naturale continum ex punctis infinitis physicè & mathemattcè indiuisibilibus. 111

TRACTATVS VI.

An corpus naturale solis indiuisibilibus finitis physicè quidem talibus sed mathematicè diuisibilibus continuetur? 112

Cap. I. SEntentia affirmans proponitur & authoritate philosophorum melioris notæ, nec non etiam Ecclesiæ Patrum refellitur. ibid.
II. Sententia superius proposita bifariam explicatur & quoad priorem eius explicandæ modum rationibus impugnatur. 114
III. Posterior modus eiusdem sententiæ explicandæ & tuendæ rationibus confutatur. 115
IV. Cæteræ rationes contra posteriorem illum sententiæ superioris defendendæ modum expenduntur. 117

TRACTATVS VII.

An corpus naturale partibus infinitis, ac versus minimum semper diuisibilibus continuetur? 121

Cap. I. AFfirmans sententia eligitur & explicatur. ibid.
II. Verior sententia superius proposita authoritate probatur. 122
III. Verior sententia duabus rationibus probatur. 124
IV. Soluuntur argumenta quædam aduersus veriorem sententiam. 125
V. Solutio cæterorum argumentorum aduersus nostram, ac veriorem opinionem. 128

TRACTATVS VIII.

Compositioni continuæ corporis naturalis quæ compositio continua temporis respondeat? 132

Cap. I. TEmpus corporis naturalis, & cuiusvis alterius entis ex iustantibus omni

omnino, indiuisibilibus sed tamen non solis constare verius est. ibid.
II. Tempus corporis naturali alteriusve vllius rei ne etiam ex solis instantibus physicè indiuisibilibus, sed virtualiter diuisibilibus, & inflatis, extensiue constare verius est. 134
III. Tempus corporis naturalis & cuiusvis alterius rei constare ex partibus sine fine diuiduis probabilius est. 136
IV. Soluuntur argumenta contra nostram ac veriorem sententiam, de compositione continua temporis. 138

LIBER IV.

De Causis corporis naturalis. 144

TRACTATVS I.

De essentia causæ in communi. ibid.

CAP. I. QVæ sit essentia causæ in communi? ibid.
II. An essentia causæ conueniat proprie & vniuoce causæ remotæ. 141
III. An essentia causæ proprie atque vniuoce competat conditioni sine qua non? 142

TRACTATVS II.

De relatione causæ in communi. 143

CAP. I. DE correlatiuo causæ in communi? ibidem.
II. Dissoluuntur argumenta quædam contra doctrinam capitis præcedentis. 144
III. Relationem causæ increatæ ad suos effectus non esse essentialem, seu transcendentalem. 149
IV. Vlterior verioris sententiæ probatio. 150
V. Cæteræ probationes verioris sententiæ. 152
VI. Fit satis quibusdam argumentis aduersus nostram ac veriorem sententiam. 153
VII. Aliorum argumentorum aduersus veriorem sententiam solutio. 156
VIII. Soluuntur vlteriùs alia argumenta contra nostram verioremque sententiam. 160
IX. Solutio cæterorum argumentorum aduersus veriorem sententiam. 162
X. Relationem causæ etiam creatæ ad suos effectus essentialem seu transcendentalem non esse probabile est. 165
XI. Postrem. probabile etiã est causas creatas ac de facto existentes referri transcendentaliter ad suos effectus. 167

TRACTATVS III.

De existentia causæ in communi. 168

CAP. I. QVatenus existentia ad causandum necessaria sit. ibid.
II. Argumenta contraria soluuntur. 169

TRACTATVS IV.

De prioritate causæ in communi. 170

CAP. I. AN immediata prioritas eiusdem respectu sui possibilis sit? ibid.
II. An immediata prioritas naturæ eiusdem respectu sui possibilis sit. 171
III. Quatenus prioritas temporis & naturæ distinguantur. ibid.

TRACTATVS V.

De propinquitate causæ in communi. 172

CAP. I. AN aut quatenus causa in distans operari possit? ibid.
II. Argumenta contraria soluuntur. 174

TRACTATVS VI.

De vnitate causæ in communi. 176

CAP. I. AN causa totalis respectu effectus eiusdem vna tantum esse debeat? ibid.

TRACTATVS VII.

De causa efficienti creata. 180

CAP. I. QVa virtute causa efficiens operetur immediate? ibid.
II. Argumenta contraria soluuntur. 182
III. An causa efficiens creata non solum naturaliter, verum etiam obedientialiter per seipsam actiua sit. 185
IV. Argumenta contraria soluuntur. 188

TRACTATVS VIII.

De causa efficienti increata. 190

CAP. I. AN causa prima cum secundis immediatè concurrat? ibid.
II. An causa prima, & secunda eadem actione concurrant. 191
III. An causa prima cum secunda ad actum peccati physice concurrat? 192

IV. Quæ

IV. Qua volitione Deus omnipotentiam suam ad concurrendum cum causis secundis applicet? 193
V. An causa prima secundas ad operandum physice prædeterminet? 195
VI. Argumenta contraria soluuntur. 197

TRACTATVS IX.

De causa materiali & formali. 198

CAP. I. QVid sint causa materialis & formalis, ac an dentur in rebus & qua proprietate? ibid.
II. De causalitate causæ materialis & formalis? 200

TRACTATVS X.

De causa finali. 202

CAP. I. QVid, & quotuplex sit causa finalis. ibid.
II. An finis moueat secundum esse reale vel potius secundum esse intentionale; & an causa finalis sit proprie & strictè causa? 203
III. Quos effectus finis sibi vendicet. 204
IV. Quam causalitatem finis sibi vendicet? 205
V. Quæ agentia propter finem operentur? 207

TRACTATVS XI.

De causa exemplari. 209

CAP. I. QVid & quotuplex sit exemplar? ib.
II. Exemplar siue causa exemplaris in quo consistat? 210
III. Argumenta contraria soluuntur. 211
IV. An causa exemplaris vera causa sit, & ad quam ex quatuor generibus causarum reuocanda sit? 213

LIBER V.

De actione productiua corporis naturalis.

TRACTATVS I.

De actione productiua corporis naturalis secundum rationem communem actionis .53

CAP. I. AN actio vt sic distinguatur ab agẽte, passo, & termino? 152
II. An actio terminum natura anteuertat. ibid.
III. An actio suapte natura successiua sit? 217
IV. Contraria sententia eligitur & probatur. 218
V. Argumẽta contrariorum soluuntur. 220

TRACTATVS II.

De actione creatiua corporis naturalis.

CAP. I. CReatio corporis naturalis & cuiuscuis alterius rei in quo sita sit. 221
II. Secunda pars verioris sententiæ suadetur. 224
III. Tertia pars verioris sententiæ suadetur. 225
IV. Quæ agentia creare possint? ibid.
V. Argumenta contraria soluuntur. 227
VI. Quæ res creentur? 231

TRACTATVS III.

De actione generatiua corporis naturalis.

CAP. I. QVid sit subiectum actionis generatiuæ; 235
II. An aut quatenus actio generatiua à passione distinguatur; 236
III. An actio generatiua siue eductiua formæ substantialis ab eius vnione distinguatur? 238

TRACTATVS. IV.

De actione conseruatiua corporis naturalis.

CAP. I. QVid sit conseruatio & quatenus à prima creatione distinguatur? 239.
II. An possit aliqua res seipsam per verum & directum influxũ conseruare? 241
III. An aliqua res à causa secunda à se distincta per verum & directum influxum conseruari postulet? 242
IV. An quæuis res à causa prima per immediatum directumque influxum conseruari postulet? 243
V. An res minori influxu egeant vt conseruentur, quàm vt primo producantur? 245

TRACTATVS V.

De actione destructiua corporis naturalis.

CAP. I. AN destructione formæ substantialis constituentis corpus naturale, aut cuiuslibet alterius prior esse debeat generatio formæ oppositæ? 246
II. An accidentia aliqua corporis naturalis destructi, atque corrupti maneant in genito? 250

LIBER VI.

De motu multiplici corporis naturalis. 252

TRACTATVS I.

De motu corporis naturalis à minori ad maiorem quantitatem loci, & è contrario: siue de rarefactione & condensatione. ibid.

CAP. I. NOstra ac verior sententia proponitur. 252
II. Argumenta contraria soluuntur. 254
III. Aduersariorum sententiæ referuntur & reiiciuntur. 255
IV. Reliquæ aduersariorum sententiæ confutantur. 257

TRACTATVS II.

De motu corporis naturalis à minori ad maiorem qualitatem & è contrario: siue de intensione & remissione. 259

CAP. I. AN aliquæ qualitates additione gradus ad gradum intendantur? 259
II. An gradus intensionis homogenei sint? 260
III. An gradus intensionis heterogenei sint? 263
IV. Quid de æqualitate graduum sentiendum sit? 264
V. Quid de inæqualitate graduum sentiendum sit? ibid.
VI. De intensione actuum intellectus & voluntatis absque additione graduum? 266
VII. De intensione per actionem reflexam. 267
VIII. De intensione per antiperistasim. 268
IX. De intensione per reactionem. ibid.
X. De intensione quatenus resistentiæ obnoxias. 266

TRACTATVS III.

De motu corporis naturalis à minori ad maiorem substantiam, aut è contrario, siue de augmentatione & diminutione. 270

CAP. I. AVgmentationis quidditas, à diminutione & cæteris motibus discrimen; & an fiat tota simul vel potius successiuè & continue? 270
II. Soluuntur argumenta quædam aduersus nostram & veriorem sententiam. 271
III. Solutio alterius argumenti, vbi an alteratio sit continua? 273

TRACTATVS IV.

De motu corporis naturalis ab vna substantia ad aliam diuersam, siue de conuersione substantiali. 273

CAP. I. QVid & quotuplex sit conuersio 273
II. An ad conuersionem desitione termini *à quo*, & productione termini *ad quem* opus sit? 274
III. Nostra sententia proponitur & quædam corollaria ex ea inferuntur. 277
IV. Argumenta contraria soluuntur. 279

LIBER VII.

De loco, tempore, & infinitate corporis naturalis. 280

TRACTATVS I.

De loco corporis naturalis. ibid.

CAP. I. AN locus & vbi distinguantur inter se & à substantia corporis naturalis alteriusve rei locatæ? ibid.
II. Quotuplex sit locus corporis naturalis, & cuiusuis alterius rei? 282
III. An idem corpus naturale aliave res possit diuinitus esse simul in duplici loco adæquato circunscriptiuè? 284
IV. De vacuo corporis naturalis. 287

TRACTATVS II.

De tempore corporis naturalis. 288

CAP. I. QVid & quotuplex sit tempus seu quando corporis naturalis, & cuiusuis alterius rei? ibid.
II. An tempus siue duratio corporis naturalis & cuiusuis alterius rei creatæ ab eius existentia realiter distinguatur? 291
III. Argumenta contraria soluuntur. 293
IV. Aliud argumentum inter Neothericos celebre proponitur & dissoluitur. 294
V. An res ab omni tempore, ac duratione simpliciter absolui possit? 296

TRACTATVS III.

De infinitate corporis naturalis aliarumque rerum quoad multitudinem. 300

CAP. I. AN multitudo corporum siue rerum incorperearum syncathegorematicè infinita à Deo produci possit? ibid.
II. Inter species creaturarum syncathegorematicè infinitas à Deo producibiles assignari non posse supremam & perfectissimam verius est. 302
III. Soluuntur argumenta contraria. 305

IV. Multi

IV. Multitudinem creaturarum siue corporearum siue incorporearum etiam cathegorematicè infinitam à Deo produci posse probabilius est. 305

TRACTATVS IV.

De infinitate corporis naturalis, aliarumve etiam rerum quoad extensionem localem. 306

CAP. I. AN corpus aliquod simpliciter infinite extendi possit quoad locum, & tamen duobus terminis claudi? ibid.

II. Magnitudinem corpoream infinite simpliciter extensam quoad locum non repugnare verius est. 308

TRACTATVS V.

De infinitate corporis naturalis, aliarumque rerum quoad durationem. 310

CAP. I. AN creatura aliqua, permanens siue corporea, siue corporis expers esse possit à parte ante æterna siue infinita quoad durationem? ibid.

II. An creatura aliqua successiua, siue corporea, siue incorporea possit esse à parte ante æterna siue infinita quoad durationem? 313

LIBER VIII.

De Corpore naturali corruptibili siue sublunari. 315

TRACTATVS I.

De corpore corruptibili elementari ac mixto. ib.

CAP. I. AN elementa à mixtis distincta dentur, & quis eorum numerus & ordo? ibid.

II. Quatenus elementa mixtis insint. 315

III. Quatenus elementa in mixtis ad temperiem redigantur? 318

IV. An elementa in sola mixta immediate conuertantur? 319

V. An elementa mixtave symbolica facilius in se conuertantur? 320

VI. Qua inæqualitate elementa & mixta, quatuor primas qualitates sortiantur? 321

VII. Quatenus elementa & mixta grauitent & leuitent. ibid.

VIII. An vapor & exhalatio inter elementa vel potius inter mixta numerari debeant? 323

IX. Quatenus vapor, & exhalatio in meteora commutentur? 324

X. Quatenus elementa & mixta maximum & minimum naturale sibi præscribant? 327

XI. Elementorum figura. 329

XII. Elementorum situs. 330

TRACTATVS II.

De quatuor elementis in particulari. 333

CAP. I. DE Terra. ibid.

II. De Aqua. 334

III. De Aëre & igne. 336

LIBER IX.

De Corpore naturali incorruptibili siue cælesti. 337

TRACTATVS I.

De cælorum essentia. ibid.

CAP. I. AN cæli sint compositi? ibid.

II. An cæli à quatuor elementis formaliter aut virtualiter sumptis specie differant? 338

III. An & quatenus cæli inter se specie differant? 340

IV. An cæli solidi, vel potius liquidi ac fluidi sint? ibid.

V. An cælum suapte natura sit corruptibile? 341

VI. Vtraque sententia velut probabilis defenditur. 342

TRACTATVS II.

De cælorum proprietatibus. 346

CAP. I. CÆlorum numerus & ordo. ibid.

II. Cælorum figura & magnitudo. 348

III. Cælorum motus quam habeat causam efficientem. 349

IV. Motus contrarij an eidem cælo possint conuenire? 351

V. Cælorum lumen & influxus in hæc inferiora. 353

LIBER X.

De Corpore naturali animato, siue viuenti. 355

TRACTATVS I.

De vita in communi. ibid.

CAP. I. QVid sit vita? ibid.

II. Vita per eius partes explicatur. 357

III. Aliorum sententiæ referuntur & refelluntur. 363

TRACTATVS II.

De vita corporis. 363

CAP. I. QVæ corporis partes animentur, siue viuificentur? ibid.

II. Obie

II. Obiectiones contrariæ soluuntur. 369
III. An partes animæ substantialiter dissimiles sint? 370
IV. Argumenta contraria soluuntur. ibid.

TRACTATVS III.

De vita nutritiua. 371

CAP. I. NVtritionem proprie vitalem esse verius est. ibid.
II. Fit satis Argumentis contrariis. 372
III. Quædam notatu digna de vita nutritiua. ibid.

TRACTATVS IV. & Vltim.

De vita sensitiua. 374

CAP. I. DE sensu visiuo. ibid.
II. De obiecto ac modo sciendi visus. 375
III. De reliquis sensibus internis & externis. 376

FACVLTAS R.P. PROVINCIALIS
Castellanæ Prouinciæ.

PETRVS PIMENTEL, Prouincialis Societatis Iesu, in Prouincia Castellana, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre Gosuinio Nichel eiusdem Præposito Generali, facultatem do, vt *Cursus Philosophicus* à P. RICHARDO LYNCEO, *Nostræ Societatis in Salmanticensi Academia Laureato Magistro, sacræque Theologiæ Professore* compositus, & eiusdem Societatis grauium doctorúmque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas & sigillo nostro munitas dedimus, Salmanticæ die 14. Maij Anno 1653.

PETRVS PIMENTEL.

APPROBATIONES DOCTORVM.

NOCCE opus R. P. RICHARDI LYNCEI, *Societatis IESV, Vniuersam Philosophiam Scholasticam* complectens, Nos infrascripti Facultatis Parisiensis Doctores Theologi accuratè sublegimus, probauimusque Authorem non minus Christianè quàm subtiliter in ipso philosophari, vtpote quod nihil nisi fidei orthodoxæ consentaneum redolet, adeóque dignum nobis visum est quod prælo subiiciatur. Datum Lugduni vigesima quarta Octobris 1654.

Fr. PAVLVS LOMBARD,

Prouincialis Carmelitarum Prouinc. Narb.

Fr. CYRILLVS MOREL,

Facultatis Parisiensis Doctor Theologus, necnon Carmelit. Lugdun. Humilis Prior.

Consen

Consensus Procuratoris Regij.

VISA Doctorum approbatione, Ego infra scriptus Regio nomine non impedio quin hic liber à *Philippo Borde, Laurentio Arnaud & Claudio Rigaud*, Bibliopolis Lugdunensibus excusus in lucem prodeat, cum defensione tali casu requisita & solita. Actum Lugduni die vndecima Nouembris 1654.

VINCENT. DE PANETTES.

PERMISSIO.

ITA & me non dissentiente fiat. Lugduni die vndecima Nouembris 1654.

CHARRIER.

R.P.

R. P.
RICHARDI LYNCEI,
SOCIETATIS IESV,
Vniuersæ Philosophiæ Scholasticæ
TOMVS SECVNDVS.

LIBER PRIMVS
PROOEMIALIS
AD PHYSICAM, SIVE SCIENTIAM de corpore naturali.

1 EN, post dialecticas salebras, facillimam, ac iucundissimã totius Philosophiæ partem. Vbi mens suis hactenus actibus intenta, inque suos ipsa sinus, atque recessus abdita, iam tandem in apertam rerum corporearum lucem emergit, ac fessam aciem amœniori obtutu recreat, reficitque. Vbi suis euoluta latebris, atque angustiis, in pulcherrimo hoc vniuersitatis theatro, quàm longè, latéque à summo opifice diffusum est, liberè expatiatur. Hic tellurem orbis medio pendulam, montibus tumidam, vallibus depressam, arboribus frondeam, floribus roseam, fructibus fœtam, atque animantibus viuidam inspicit, ac suspicit. Hic liquentis elementi pellucidas vndas, crispatos vortices, statas reciprocationes, & per occultos, apertosque terræ meatus, euntia, & redeuntia flumina demiratur. Hic in aëream regionem attollitur, vel quà telluri contermina tot volucrum remigio tranatur, vel quà ventorum præliis, imbrium fluminibus, grãdinum procellis, fulminum iactibus, tonitruum bombis, nubiúmque collisionibus æstuat, vel quà omnis perturbationis expers æterno vere serenat. Hic (quod mirabilius est) circumfusum ignem, lambentémque sydera flammam inoffensa pertrectat. Hîc altiùs euecta cœlos ipsos, aureos soles, argenteasque lunas, & nunquam morituros astrorum ignes pererrat. Hîc demum rerum aspectabilium arcanam compositionem, insitam energiam, ac vigorem, admirandam sympathiam, concordem illam discordiam, discordémque concordiam, summam proportionem, atque symmetriam summa cum voluptate perscrutatur!

Pulchrè Seneca epist. 66. *ista enim omnia* (vtique quæ superius recensita sunt, & similia) *attollunt, & leuant animum, qui graui sarcina pressus, explicari cupit, & reuerti ad illa, quorum fuit. Nam corpus hoc animi pondus, ac pœna est, premente illo vrgetur; in vinculis est, nisi accessit Philosophia, & illum respirare rerum naturæ spectaculo iussit, & à terrenis dimisit ad diuina. Hæc libertas eius est, hæc euagatio; subducit interim se custodiæ, in qua tenetur, & cœlo reficitur. Quemadmodum artifices ex alicuius rei subtilioris intentione, quæ oculos defatigat, si malignum, & non præclarum lumen habent, in publicum prodeunt, & in aliqua regione ad populi otium dedicata oculos libera luce delectant: sic animus in hoc tristi, & obscuro domicilio clusus, quoties potest, apertum petit, & in rerum naturæ contemplatione requiescit.* Hactenus ille. Præclarè etiam in eandem sententiam Cicero in Lucullo ibi: *neque tamen istas quæstiones Physicorum exterminandas puto. Est enim animorum, ingeniorúmque naturale quoddam quasi pabulum, consideratio, contemplatióque naturæ. Erigimur, elatiores fieri videmur; humana despicimus, cogitantésque supera, atque cœlestia, hæc nostra vt exigua, & minima contemnimus. Indagatio ipsa rerum, tum maximarum, tum etiam occultissimarum habet oblectationem. Si verò aliquid occurrit, quod verisimile videatur, humanissima completur animus voluptate.* Mille alia huiusmodi apud alios. 2

Obiectum attributionis huius operis est corpus naturale, seu mobile: cum enim hæc scientia speculatiua sit, obiectum attributionis arbitrarium, & ab inuentoris libìto dependens sibi vendicat: Aristoteles autem huius scientiæ præcipuus Author, hoc ei subiectum, & hunc finem præstituit. 6. Metaphys. cap. 10. ibi: *etenim circa tale subiectum est Physica,* 3

in quo principium motus, & status, qui in eo est. Quo autem iure, quo fundamento Aristoteles corpus naturale, seu mobile huic facultati obiectum attributionis assignarit, ex eius adæquata materia colligi potest : quippe nihil prorsus est, quod in corporis naturalis perfectam cognitionem summoperè non conducat : agitur namque in ea de præfati corporis compositione essentiali, & continua, déque eius causis, & causalitate, siue actione productiua multiplici, necnon de eius infinitate, variisque speciebus, specierúmque proprietatibus : quæ quis ad perfectam eius notitiam conferre inficietur ? Optimo igitur fundamento subiectum huius scientiæ designatum est naturale corpus in simplici suppositione, & prout à corruptibili animato, & inanimi præscindit.

4 Verùm enimverò alij corpus substantiale completum, seu corpus de prædicamento substantiæ : alij corpus mobile : alij ens mobile ; alij ens naturale, quasi hæc inter se distinguerentur, huius scientiæ subiectum esse arbitrantur. Cæterùm omnes re, tum inter se, tùm nobiscum consentiunt, & solis vocibus dissident : quare non tam impugnandi, quàm explicandi, & conciliandi mihi sunt, in hunc modum. Corpus substantiale completum suapte natura principium motus est; atque adeo corpus mobile appellari iure potest : de hinc corpus mobile non minus ad rem aptè vocari potest corpus naturale; eo quod natura principium motus, & quietis sit, & definiatur : quod si mobile, seu naturale strictè sumantur, pro eo, quod recipit, & efficit motum; ac motus strictè etiã pro solo corporeo, & sensibili vsurpetur, vt vsurpari assolet ; ac demum ens pro solo completo, & substantiali accipiatur, vt haud raro accipitur; sanè totum corpus de prædicamento substantiæ mobile, seu naturale, ens mobile, seu ens naturale nominari poterit, cum solùm eiusmodi corpus substantiale completum, sit ens completum susceptiuum, & effectiuum motus corporei, & sensibilis. Quo circa corpus substantiale completum, corpus mobile, ens naturale, ens mobile, quæ alij, necnon corpus naturale, quod nos pro obiecto attributionis huius scientiæ assignauimus, in idem recidunt, vt Conimbricenses, Petrus Hurtado, & alij annotarunt.

Facultas hæc veri nominis scientia est, si quæ alia; 5 cum conclusionibus euidentibus passim scateat, vt ex eius progressu constabit : merè autem speculatiua est, & neutiquam practica : licèt enim quâ agit v.g. de motu ad alicuius motus effectionem dirigere possit; id tamen insufficiens est, vt practica sit; eo quod acroamatica illa, & profunda motus notitia huius scientiæ propria neutiquam referatur, tanquam ad finem, ad executionem alicuius motus non minus facilem, quàm inutilem; nec propter eam ordinatè expetibilis sit, sicut opus est ad modum tendendi notitiæ practicæ, sed potiùs propter se possit, ac debeat expeti, sicut scientiam speculatiuam decet. Et quidem Physicam nostram esse propter se duntaxat expetibilem, adeóque speculatiuam egregiè declarat Seneca lib. 6. natural. quæstion. cap. 4. ibi : *Hæc ex quibus causis accidant, digna res est excuti : Quid,* inquit, *erit operæpretium ? quo nullum maius est, nosse naturam. Neque enim quicquam habet in se huius materiæ tractatio pulchrius, cum multa habeat futura vsui, quam quod hominem magnificentiæ sui detinet, nec mercede, sed miraculo colitur.* Deindè hæc scientia indiuisibilis qualitas non est, sed potiùs instar reliquarum diuidua in plures habitus numero, & specie diuersos, qui inter se minimè vniuntur. Hoc postremum latè demonstrabitur in Metaphysica, cum sermo fuerit de habitibus. Cætera verò scitu digna circa obiectum, & modum tendendi præsentis scientiæ ex lib. 2. Dialecticæ, qui proœmialis fuit, facile possunt constare.

LIBER

LIBER SECVNDVS

DE

Compositione essentiali corporis naturalis.

TRACTATVS PRIMVS.

De quidditate, & numero principiorum concurrentium ad compositionem essentialem corporis naturalis.

CAPVT PRIMVM.

Reiectis aliorum sententijs, nostra, ac verior proponitur.

1 ARISTOTELES I. Phys. c.5.tex.42.principia corporis naturalis definit: *quæ nec ex se, nec ex alijs, sed omnia ex ipsis fiunt.* In qua definitione illud semper difficultatem nō leuem peperit, quatenus iuxta eam principia rerū naturalium sint tria dumtaxat, materia nimirum, forma, & priuatio? Vt cum Aristotele plerique iam Philosophi tuentur. Pater Hurtado respondet primò, omnia principia corporis naturalis tam intrinseca, quàm extrinseca, tam positiua, quàm priuatiua esse ab Aristotele definita; & ea non tria solum, sed longè plura esse. Secundò, alij respondent, sola principia intrinseca corporis, seu rei naturalis à Philosopho definita esse; at ea esse non tria numero, sed duo: videlicet materiam, & formam substantialem. Cæterùm vtraque solutio Aristoteli, de cuius mente dissidium est, apertè repugnat primo Physicor. lect.14.textu 71. ibi: *Sed quod principia tria sint, & quomodo, & quis eorum modus, dictum est.* Aristotelem D.Thomas, & reliqui communiter interpretes eò loci sequuntur.

2 Tertiò, alij cum Ioanne Cardinali de Lugo in manuscriptis philosophicis respondent, Aristotelem definiisse principia intrinseca corporis, seu rei naturalis in fieri; aut, quod perinde est, principia intrinseca generationis substantialis, prout hæc mutatio est: cum autem mutatio sit transitus rei naturalis à non esse ad esse: consequens est, vt mutatio quatenus talis includat tria principia intrinseca, videlicet priuationem, seu non esse, & materiam, ac formam essentiæ, siue esse rei naturalis constitutiua. Verùm in primis Aristotelem hic agere de principijs non mutationis, sed ipsius entis, seu corporis naturalis locuples testis est B. Thomas in præsenti. lect.2. ibi: *Determinat de principijs entis mobilis, in quantum huiusmodi:* & paulò infrà ibidem: *Ponit diuersas opiniones Philosophorum de principijs naturæ.* Deinde impugnatur ea sententia, quia eodem iure fingi posset ab Aristotele, definita esse principia generationis substātialis, prout est conuersio, & transitus ab vno esse substantiali ad aliud v.g. ab esse ligni ad esse ignis: quo fiet, vt non tam materia, forma, & priuatio, quàm materia forma expulsa, & forma introducta, sint principia rei naturalis: quod tamen inter Philosophos hactenus fando auditum non est.

3 Præterea mutatio non solùm priuationem, & eius terminum ad quem intrinsecè includit; verùm etiam intimius, & principalius ipsam actionem, qua à priuatione ad habitum gradus est. Iam ergo non tria, sed quatuor erunt principia naturalia, si de principijs mutationis naturalis sermo sit in præsenti, vt esse debere contendunt aduersarij. Rursus generatio substantialis, præsertim si in agente sit, & non in passo terminos *à quo*, & *ad quem*; nimirum priuationem, & esse substantiale, ad quod tendit, extrinsecè solum connotat, & intrinsecè non includit: quod ergo magis absurdum est, ne tria quidem erūt principia naturalia, sed vnum dumtaxat, actio nempe generatiua rerum. Denique mutatio omnis priuationem velut terminum *à quo* nec includit, nec connotat etiam: Deus enim si ab æterno per aliquid à se distinctum, & in ipso velut causa materiali receptum intelligeret, aut vellet; sanè iuxta omnes mutaretur: at in eo euentu nulla in Deo priuatio intellectionis, aut volitionis, priusquam intelligeret, aut vellet, inesset: mutatio igitur cum priuatione præuia suapte natura coniuncta non est; ac proinde priuatio generationis substantialis, prout mutatio est, ex se principium non erit, vt aduersarij existimant. Quartò, Conimbricenses 1. Physicor. cap. 5. quæst. 1. art. 4. cum non paucis, quos referunt, in ea sententia sunt, vt existiment, Aristotelem definisse principia rei naturalis, non quæcunque, sed ea, ex quibus res naturalis fit: quæ quidem tria, tantùm sunt, materia scilicet, forma, & priuatio: etenim homo ex materia, & forma fit, & etiam ex non homine: ex causa autem finali, & ex efficienti res propriè non fit, sed potiùs propter alteram fit, & ab altera fit.

4 Contra tamen primò sic argumentor: Ex causa etiam efficienti, res propriè fieri dicitur: ergo si principia ab Aristotele definita haud alia sunt, quàm principia ex quibus, certè ea plura, quàm tria erunt. Antecedens constat ex 1. Corint. 8. ibi: *Deus pater, ex quo omnia:* & Ieremiæ cap.33. ibi: *Vt non sit ex eo Filius.* Insuper secundò: sicut ex non igne fit ignis, ita ex ligno fit ignis v. g. cur ergo forma expulsa connumeranda non sit inter principia, ex quibus, rerum naturalium? Quare non iam tria, sed quatuor earum erunt principia, si sermo sit de principijs ex quibus. Tertiò tandem, ex calido immediatè fieri ignis, & ex frigido non nisi mediatè fieri dicitur: calor ergo, & aliæ dis-

poſitiones præuiæ inter principia ex quibus cenſeri debent: vnde hæc tria ſolum eſſe non poterunt, ſed potius numerum ternarium excedent.

5 Pro difficultatis enodatione præmitto, principium bifariam poſſe ſumi. Primò pro eo, vnde aliquid eſt, ſiue quòd aliquo prius eſt, ea quidem prioritate, quæ vel ſit naturæ, vel temporis, vel loci, vel alia quauis: quo pacto Pater dicitur principium Filij, & inſtans anterius principium poſterioris. Secundò pro primo, vnde aliquid eſt, hoc eſt pro eo, quod ita eſt alio prius; vt nihil ipſo ſaltem in eodem genere prius ſit: quo pacto primus dies creationis mundi, quemque alius non anteuertit, principium dierum ſubſequentium dicitur: & Pater æternus ab alio improductus, Filij principium eſt, & appellatur. Prior vſurpatio principij lata eſt, & ad eam reſpexit Ariſtoteles 5. Metaphyſ. cap. 1. ibi: *Principium eſt, vnde fit aliquid, aut cognoſcitur.* Poſterior ſtricta eſt, & ad eam reſpexit Tullius quæſtion. Tuſculan. 3. ibi: *principij nulla eſt origo: nam ex principio oriuntur omnia, ipſum autem ex re nulla naſci poteſt:* Et Plato in Phœdro ibi: *principium vero ſine ortu eſt: ex principio enim neceſſe eſt, quidquid generatur, oriri; ipſum autem ex nullo.* Porrò principium ſtrictè, ac rigorosè ſumptum, aliud eſt extrinſecum, quod rem naturalem nec intrinſecè conſtituit, nec eam quoad aliquam eius partem intrinſecè afficit; qualis eſt cauſa eius efficiens, aut finalis: aliud eſt intrinſecum, quod rem naturalem intrinſeca ratione conſtituit, vel certè quod eam quadantenus ſumptam intrinſecè adficit. Quibus conſtitutis, arbitror Ariſtotelem definiiſſe vbi ſupra principia ſtrictè ſumpta, necnon intrinſeca rei, ſeu corporis naturalis. Tum quia lib. 2. ſuorum Phyſicorum de principiis extrinſecis rei naturalis ei ſermo ex profeſſo eſt: lib. ergo 1. ſuperiorem definitionem tradens, de principiis intrinſecis tantum diſſerit. Deinde quia Philoſophi naturales, contra quos diſputat, loquuntur certè de principiis etiam intrinſecis, dum alij quatuor, alij tria, alij duo rerum omnium naturalium ſemina, principia eſſe arbitrantur. Denique quia optimè cohæret cum definitione principiorum, ea duntaxat eſſe tria, materiam nimirum, formam, & priuationem: vt nunc ex ſolutione argumentorum perſpicuum erit.

Caput II.

Diſſoluuntur argumenta contraria.

6 Obiicies primò: forma materialis fit, & educitur ex materia tanquam ex ſubiecto intrinſeco: perperam ergo principia rei naturalis definiuntur: *quæ nec ex ſe fiunt.* Deinde materia, & forma à Deo ſunt, & fiunt: malè ergo definiuntur eadem principia, *quæ nec ex alijs fiunt.* Præterea materia, & forma ex genere, & differentia intrinſecè componuntur, & fiunt; ac ſimiliter ex partibus integrantibus intrinſecè conſtituuntur, fiuntque: non igitur ſunt principia ſtrictè ſumpta: ſiquidem in eodem genere principij intrinſeci ab alio originem trahunt. Reſpondeo, principia rei naturalis ex ſe inuicem in eodem genere non ſunt, vt ſupra monitum eſt: forma enim ex materia, in genere cauſæ materialis fit, cum interim compoſiti principium ſit in genere ſolius cauſæ formalis. Deinde cum principia rei naturalis ex aliis fieri non poſſe dicuntur: id ſimiliter intelligendum eſt in eodem genere, quo ipſam rem naturalem cauſant, aut principiant: at materia, & forma à Deo in genere cauſæ extrinſecæ, & efficientis fiunt; compoſitumque in genere cauſæ intrinſecè, ac minimè efficientis cauſant: præterea ambæ phyſicè, & eſſentialiter rem naturalem conſtituunt, & principiant: ipſæ vero ex genere, & differentia logicè, & ex partibus integrantibus integraliter coaleſcunt: quamobrem omnibus ſpectatis in eodem genere, quo rem naturalem cauſant, nec ex ſe, nec ex aliis, ſed omnia ex ipſis fiunt; atque adeo rei naturalis prima erunt, ac ſtricta principia.

Obiicies ſecundò: cum terra à Deo primò producta eſt, nulla formæ terreſtris priuatio in eius præceſſit materia: priuatio igitur non eſt omnis entis naturalis principium. Reſpondent P. Suarez tom. 1. Metaphyſ. diſp. 15. ſect. 3. & Conimbricenſ. 1. Phyſic. cap. 9. quæſt. 5. art. 2. aliique plures materiam primam terræ natura quidem eſſe priorem forma terræ, eſto eam tempore non anteuertat; dari autem in priori illo naturæ ſigno priuationem formæ terreſtris, quæ terræ principium eſſe poſſit & debeat. Quominùs tamen huic ſolutioni poſſim acquieſcere, facit in primis, quod inſtans illud naturæ prius, quo materia antecedit formam, in materia ipſa proximè expedita ad cauſandam formam conſiſtat: inſtans verò poſterius, & conſecutionis formæ ad materiam non in alio, quàm in ipſa forma, prout à materie cauſata, atque educta poſitum ſit: at nec forma, nec eius carentia eſt materia proximè expedita ad cauſandam formam: ergo pro illo priori nec forma, nec carentia formæ exiſtunt, ſed potius ab vtraque præſcinditur. Itaque aliud eſt, materiam pro priori, quo natura, ſeu ratione formam terræ anteuertit, ea priuari: aliud, ab ea, vt dictum eſt præſcindere: hoc poſterius veriſſimum eſt: illud vero prius ipſa, vt ſic dixerim, falſitate falſius. 7

Secundò ea mihi ſolutio diſplicet, quia inſtans naturæ prius, ac poſterius in eodem inſtanti reali comprehenduntur: alterum enim in cauſa conſiſtit, alterum in effectu. Cui autem ambiguum eſſe poſſit, effectum & cauſam in eodem inſtanti reali oportere ſibi mutuo coexiſtere? Si ergo priuatio formæ terræ in priori ſigno naturæ, & forma ipſa terreſtris, atque primordialis in poſteriori exiſtunt: ſanè forma aliqua, & eiuſdem priuatio pro eodem inſtanti reali exiſtent, & in materia ſedem vnà figent: quod manifeſtè abſurdum eſt, & contra metaphyſicum illud principium: *impoſſibile eſt idem ſimul eſt, & non eſſe.* Tertiò denique præfatam ſolutionem impugno, quia non ſolùm in primo inſtanti reali creationis terræ, verum etiam in omni ſequenti duplex illud inſtans ſeu ſignum naturæ reperiuntur, atque concurrunt: vnum ſcilicet prioritatis naturalis materiæ ad formam: & aliud poſterioritatis huius ad illam. Aut ergo pro priori ſigno non intelligitur priuatio formæ, ſed mera ab ea præciſio: aut certè priuatio formæ terræ v. g. erit eius principium non tantum in fieri ſumptæ, verum etiam in conſeruari: quod tamen & à mente Ariſtotelis, Philoſophorumque omnium, & à veritate ipſa prorſus eſt alienum. 8

Alij reſpondent, in materia terræ primò producta eſſe carentiam identitatis cum forma: quæ quidem priuatio quædam eſt, & principium terræ dici ſuſtinet. Contra tamen ſic arguo: ea carentia priuatio ſtricta non eſt, cum non ſit carentia formæ in ſubiecto apto nato, eo quod materia non ſit capax identitatis cum forma, quam tamen ſolam identitatem eiuſmodi carentia negat: at aduerſarij de ſola priuatione ſtricta Ariſtotelem volunt intelligendum. Deinde ea priuatio principium rei naturalis eſt, quæ cum exiſtentia formæ in hac rerum vniuerſitate contrariatur, vt ex verbis Philoſophi inferius citandis conſtabit: ſed carentia identitatis cum forma neutiquam contrariatur 9

cum

cum existentia formæ, sed potius eam in rebus tolerat: ergo &c. Rursus vt supra arguebamus, ea carentia esset principium rei naturalis non solùm in fieri, sed etiam in conseruari: quod tamen de priuatione non solet, nec debet admitti.

10 Illud tamen certum, atque exploratum est, hanc carentiam esse principium rei naturalis, quidquid ingenioſi Recentiores obstrepant: aut enim non distinguitur à materia, quod minimè tollit, quominus vera negatio, & carentia identitatis sit, & ita non minus, quàm materia principium erit rei naturalis: aut ab ea distinguitur, & ita etiam eandem rationem principij sortietur: siquidem materia nisi esset distincta à forma, nec eius, nec compositi causa esse posset: nihil enim sui ipsius causa esse valet: illa ergo distinctio, seu carentia identitatis materiæ cum forma, materiam in ratione causæ materialis ex parte constituit: quando ergo non solum causa proximè expedita, verùm etiam omne id, quod eam in ratione talis complet, & constituit, effectu prius natura eiusque principium est, certè carentia illa identitatis materiæ, cum forma censeri debet principium formæ, ac totius rei naturalis: cæterùm hoc genus principij ad materiam reducitur, vt infrà in simili ostendemus

11 Respondendum ergo est ad argumentum principale, vel Aristotelẽ voluisse, priuationem esse principium duntaxat omniũ entium, seu corporum naturalium, quæ post primam mundi creationem per causas naturales continuò generantur, vel quidem nomine priuationis intellexisse quidquid formæ introductæ repugnat, atque contrariatur, vt inferius ex ipso demonstrabimus: carentiam autem formæ terræ ei repugnare & contrariari: nomine igitur priuationis vsurpanda est: alia verò ex parte ea carentia principium terræ est: ex nõ terra enim terra à Deo primò producta est atque in lucem rerum creatarum edita: quid ergo verat priuationem esse principium etiam terræ cælique atque adeò omnis rei naturalis.

12 Obiicies priuatio saltem non est principium intrinsecum, rei seu corporis naturalis: at de ratione principij ab Aristotele definiti est iuxta nos, vt sit rei naturali intrinsecum: priuatio ergo Aristotelicis principiis rei naturalis haud potest accenseri. Maior probatur: quia priuatio nec rem naturalem intrinsecè componit, nec etiam vlli eius parti intrinsecè ineſt: quomodo igitur ei esse potest intrinseca. Prior antecedentis pars non eget probatione: posterior suadetur, in hunc modum: priuatio formæ terræ v.g. in eius materia est eadem carentia formæ terræ, quæ huius, ab æterno, creationem anteceſſit: quæ autem sic anteceſſit, sanè non fuit ab æterno intrinsecè in materia terræ nondum existente, vt patet, nec per vnionem aliquam ei vnita, aut intrinseca facta est in tempore: quæ namque aut qualis ea vnio sit, inintelligibile est: nullo ergo modo prædicta priuatio formæ terræ, eius materiam, ac per consequens nec aliam illius partem intrinsecè adficit, eive ineſt.

13 Respondeo tamen, &, nisi fallor, perquàm ex facili sicut destructio formæ alicuius realis dicitur, eiusque merito & quasi munere forma ipsa censetur realiter destrui, non quia ipsa eius destructio in se quid reale sit, sed quia est destructio formæ realis, siue quia forma per eam destructa est quid reale, & cum vera entitate essentiáve coniunctum; ita similiter priuatio formæ terræ v.g. eius introductione per totam æternitatem anterior, dicenda quidem est intrinseca materiæ, non quod ipsamet priuatio in se intrinseca sit materiæ, eive propriè inhæreat, aut possit, sed quod forma terræ, qua priuat, ex quo priuationem suam tollit & existere incipit, materiæ suæ incipiat esse intrinseca: quidni enim priuatio formæ intrinsecæ ab eius intimitate dicatur intrinseca? sicut à realitate formæ destructæ destructio dici solet etiam realis ac vera destructio, vt præmissum est.

Caput III.

Solutio cæterorum argumentorum, quæ in contrarium fieri possunt.

OBiicies quartò: forma expulsa inter principia rei naturalis censenda non est: eiusmodi ergo principia plura numero sunt, quã tria. Antecedens probatur, quia ex ligno v.g. fit ignis: forma ergo ligni est terminus à quo, adeóque principium ignis, non minus quam priuatio: nec principium qualecumque, sed materiæ ignis veriſſimè intrinsecum. Respondent aliqui, dehnita esse ab Aristotele principia rei naturalis, non quæcunque, sed quæ ad eius generationem atque existentiam conducunt: materia enim & forma citra dubium ea pollent conducentia: vt autem idem de priuatione suadeant, 14

Supponunt in primis materiam, in ipso primo instãti possessionis formæ, eius habere desiderium innatum. Etenim potest Deus reuelare Petro v.g. se collaturũ ei gratiam iustificantem, in primo instanti quo eam desideret: huius reuelationis possibilitas adeo est ex terminis ipsis manifesta, vt à nullo possit negari: fac ergo Petrum desiderare gratiam, qua iustificetur, certè aut statim eam consequetur, aut reuelationi diuinæ falsum suberit: hoc autem posterius cum repugnet, necessum sanè est vt pro priori naturæ desiderium gratiæ, pro posteriori verò eiusdem instantis realis ipsamet gratia in illo existant: desiderium ergo elicitum rei, in primo instanti quo possidetur, haberi potest: quidni ergo & innatum de quo sermo est? Rursus si materia terræ v.g. in primo instanti suæ creationis diuinitus careret forma terræ, hanc haud dubiè tum desideraret: quid euidentius? At illud desiderium à carentia formæ terræ in eodem instanti minimè penderet: esto igitur in eo instanti, non carentia formæ illius, sed forma ipsa existeret in materia, hæc nihilominus eam desideraret. Minor probatur, quia si desiderium innatum quo materia terræ, pro primo illo instanti reali, desideraret formam terræ, dependeret pro eodem instanti à carentia formæ terræ, eamque supponeret, sanè materia terræ desideraret formam, in eo instanti, ex suppositione quod in eo carentia formæ daretur: sed forma ex suppositione carentiæ eius, aut quod perinde est, compositio formæ cum sua carentia in eodem instanti, simpliciter impossibilis est: desideraret ergo materia quid omnino impossibile: hoc autem admitti non potest: ergo nec quod desiderium innatum, quo de loquimur dependeret à carentia formæ desideratæ, in eodem instanti reali. 15

Secundò supponunt, materiam primam non desiderare formam, quam in instanti antecedenti possidet: siquidem acquisito termino desiderij subit illico gaudium, & desiderij affectus cessat, iuxta tritum ac vulgare dictum *inueni portum spes & fortuna valete*: quando igitur ea cessatio à desiderio sequi nequit, in primo instanti reali acquisitionis formæ, quo eius desiderium potius existit, reliquum est, vt in sequentibus existat. Tum etiam, quando forma supponitur extitisse in instanti reali antecedenti, ad summum eius conseruatio pro sequentibus desiderari potest: non ergo prima eius existentia. 16

17 Hinc colligunt carentiam formæ terræ primò productæ, quæ ſi materiæ terræ coextitiſſet, priuatio futura eſſet, (& eadem, imo maior ratio eſt de quauis alia priuatione) carentiam inquam illam, eſſe principium terræ: id enim deſiderij formæ terræ, quod in primo inſtanti poſſeſſionis eius exiſtit, conſtituitur per carentiam illam anteriorem, quippe quod ſine ea non exiſteret, nec daretur: cum ergo deſiderium formæ terræ ad eius exiſtentiam conducat, ſanè carentia eius formæ ad eius exiſtentiam cenſenda eſt conducere, ac proinde eius erit principium. At verò forma expulſa ad exiſtentiam formæ contrariæ non conducit, ſed potius ei obſtat obnititurque, proinde quantumlibet terminus à quo ſit, nihilominus haud erit principium alterius formæ qua expellitur, reiue naturalis per eam conſtitutæ, prout modo principium accipitur.

18 Ingenioſius tamen excogitata ſunt hæc, quam verius. Nam ſi priuatio poſſet conducere ad exiſtentiam formæ, quam tempore antecedit, certè non ſolum poſſet ſed deberet ſtrictè ac verè conducere, ad ſui quaſi deſtructionem, cum exiſtentia formæ qua priuat, indiſſociabiliter coniunctam: at hoc eſt prorſus impoſſibile: ergo & illud prius: huius impoſſibilitas negari nequit: quid enim manifeſtius quam id habere omnem conceptum ſeu poſitiuum, ſeu negatiuum, vt deſtructioni ſuæ reluctetur & obſiſtat: quî ergo poteſt ad eam conducere? Adiice, quod ſi, vt aduerſarij volunt, priuatio formæ ad huius conducit exiſtentiam, fieri non poſſet, quin etiam forma expulſa ad eandem formæ introductæ aut introducendæ exiſtentiam conducat: quæ enim forma expellitur, antequam expellatur, infert ſemper priuationem formæ introducendæ: ergo ad eius priuationem conducit: quando igitur priuatio ad formæ introducendæ exiſtentiam, iuxta eos quibuſcum diſceptamus, conducit confertque, ſane forma expulſa ad eam exiſtentiam mediate conducere cenſenda eſt, ac proinde hoc ex capite excludenda non eſt à ratione principij rei naturalis. Denique nullo authore, nulloque fundamento ad rationem principij ab Ariſtotele definiti prædicta conducentia poſtulatur.

19 Vnde reſpondeo formam expulſam etiam eſſe corporis ſeu rei naturalis principium, prout hoc modo vſurpatur. Quod ita ſuadeo: id velut terminus à quo eſt principium rei naturalis, quod cum eius forma & exiſtentia contrarietatem & veluti ſimultates gerit: Ita Philoſophus 1. Phyſ. cap. 5. text. 50. ibi; *principia igitur contraria eſſe manifeſtum eſt*: at non ſolum priuatio, verùm etiam forma expulſa & præcedens, formæ introductæ contrariatur: cur ergo forma expulſa rei naturalis principium non ſit? Præterea, vt communiter Recentiores notant, vtque conſtat ex Ariſtotelico textu, hic ab eo agitur, non tantum de principiis compoſiti ſubſtantialis, ſed etiam, eorum occaſione, de his quæ principiant compoſitum accidẽtale, & vt non ageretur, par nihilominus eſſet vtrorumque ratio. Atqui eſſe principium compoſiti accidentalis conuenit non tantum priuationi formæ accidentariæ, ſed etiam formæ expulſæ, vt teſtatur Ariſtoteles cap. 5 citato & text. 44. ibi, *Sed album quod fit è non albo, non quouis, verùm ex nigro, aut intermedijs.* Ergo, &c. Hinc tamen minimè fit, plura eſſe principia rei naturalis, quam tria; nimirum forma expulſa, & carentia formæ introductæ, &, in vniuerſum, quidquid formæ introductæ opponitur, eiuſque generationem impedit, ad vnum principium reducitur, & nomine priuationis ac termini à quo, ab Ariſtotele comprehenditur. Quod ſi animaduertiſſent Recentiores Philoſophiæ magiſtri, non adeò conſpirarent, in releganda forma expulſa, à ratione principij rei naturalis.

Obiicies quintò, diſpoſitiones etiam ad formam ſubſtantialem rei naturalis, eſſe eius principium: cum ex calido fiat ignis; calórque, non minus, imò magis quam priuatio, materiã ignis intrinſecè adficiat: quocirca plura erunt quam tria, corporis entiſve naturalis principia. Reſpondeo diſpoſitiones eſſe principium rei naturalis; at non niſi vnum cum materia prima; quippe ad cuius principiandi rationem reducuntur, eo quòd eam intrinſecè afficiant. Replicabis tamen, priuationem etiam, eadem de cauſa, ad materiam velut vnum cum ea principium reduci poſſe; ac ſic duo tantum principia rei naturalis eſſe non tria pro eo ac hactenus ſuppoſuimus. Non vrget hæc replica: dici namque in primis ad eam poteſt, ita aſſignata à nobis eſſe tria rei naturalis principia, vt æquè cõgruè numerari poſſint duo, atque vt priorem numerum ament, poſteriorem non reſpuere; vt expreſſit Ariſtoteles 1. Phyſic. cap. 7. text. 67. ibi *quapropter principia, tum duo tum tria, dici poſſunt*: videlicet quia vt hic noſtri Conimbricenſes explicant, priuatio & materia ſubiecto vnum ſunt. Reſponderi etiam poteſt ad eandem replicam, id intereſſe diſcriminis, inter priuationem & diſpoſitiones præuias, quod hæ coexiſtant materiæ, tùm temporis, cum materia formæ ſubeſt, & rationem principij exercet, cum interim in priuatione ſecus accidat: quare magis eſt, vt diſpoſitiones vnum principium cum materia conſtituant, quam vt priuatio in ſocietatem vnius cum ea principij admittatur. 20

Obiicies ſextò: homo v. g. non ſolùm materia & forma intrinſecè conſtat, verùm etiam vnione, ſine qua planè homo non eſſet, quantumlibet eius materia & forma, nempe anima rationalis exiſterent: vnio ergo materiæ & formę, inter principia intrinſeca rei naturalis, ſtatuenda eſt; & ſic numerus principiorum, non ternarius erit, ſed potius vltra perget. Reſpondeo vnionem materiæ & formæ ab iis, vt ſuo loco oſtendemus, realiter diſtinctam, haud quaquam obtinere rationem principij naturalis, ſed ſolummodo eſſe rationem principiandi; eò nimirum quod non conſtituat, neque componat hominem, ſed pręcisè ſit id, quo materia & forma hominem componunt atque conſtituunt: quo pacto dici conſueuit, actionem non eſſe principium efficiens termini, quia terminum non cauſat efficienter, ſed tantummodo eſt id, quo agens eum agit & efficit. 21

Obiicies denique ſeptimò: homo non ſolum ex materia, forma & vnione, verum etiam ex ſubſiſtẽtia, ab iis realiter diſtincta, intrinſecè coaleſcit: ſubſiſtentia ergo eſt principium primum, & intrinſecum rei naturalis, atque adeo principia rei naturalis, aut perperam à nobis definita ſunt, aut certè non tria ſunt, ſed quatuor. Reſpondent nonnulli primò Ariſtotelem egiſſe de principiis naturæ, non verò ſuppoſiti, cum ſolam illam, non hoc agnouerit: ſubſiſtentia autem ſuppoſitum non naturam hominis v. g. conſtituit; atque adeo inter principia naturalia, ab Ariſtotele definita & connumerata non debet cenſeri. Alij ſecundo reſpondent, ſubſiſtentiam eſſe veluti formam quãdam, humanitati, v. g. intrinſecam, & eius vltimò complentem, & integrantem, vnde principium erit rei naturalis; non tamen aliud à forma, ſed potius cum ea vnum, & ad eam quodammodo reducendum. 22

Alij tertiò reſpondent, Ariſtotelem egiſſe de principiis Phyſicis entis naturalis: ſubſiſtentiam autem componere nõ phyſice, ſed metaphyſicè, ens naturale v. g. hominẽ. Hæ tres ſolutiones parum inter ſe differunt, idque ſupponunt omnes, ſubſiſtentiam eſſe entitatem 23

titatem quandam incompletam, constituentem, cum materia & forma hominis, hominem, equi, equum &c. At nobis, vt patebit ad finem huius libri magis oppidò placet subsistentiam esse entitatem omnino completam, eamve, in qua totus homo v.g. consistat, nec tam esse principium hominis, aut humanitatis, quam esse huius effectum, atque ab ea eiusque partibus, materia scilicet & forma, tanquam à causis intrinsecis manare: non est ergo, quod inter principia naturæ connumeretur, cum potius, vt dictum est, naturæ sit effectus: nisi vero fingas, illam simul esse posse effectum naturæ, atque eius principium.

TRACTATVS II.

De materia essentialiter componente corpus naturale.

CAPVT PRIMVM.

An materia prima in rebus existat.

1 MATERIA prima, iuxta Aristotelem 1. Phys. cap. 6. *est primum subiectum, ex quo aliquid fit, vt non per accidens insit.* Particula illa, *primum subiectum*, denotat materiam tale subiectum esse, quo aliud anterius non sit. Reliquæ definitionis partes significant, materiam esse subiectum formæ substantialis, secumque componentis vnum per se & substantiale, non verò accidentale, aut per accidens.

2 Quam materiam in rerum natura & vniuersitate existere, suaderi præcipuè potest, ex irrequieta illa, & perpetua rerum naturalium discordia, & lucta, qua mutuum sibi interitum moliuntur: Siquidem ignis v.g. à ligno sibi proximo, & applicato, dispositiones eius naturæ consentaneas abigit, & in eo siccitatem, calorem, aliasque dispositiones contrarias eiusque destructiuas operatur, vt experientia testatissimum est: at non alia de causa, nec alium propter finem, nisi vt à materia prima ligni ligneam formam expellat, & contrà formam ignis in eam imprimat atque introducat: Admittenda igitur est acrique iudicio concedenda in ligno eiusmodi materia, quæ quidem formæ ligni subesse habeat, & tamen formæ ignis & cuicunque alteri possit subesse. Huic argumento vnam aut alteram solutionem apponam; in quarum oppugnatione potissimè sita erit nostræ & communis sententiæ propugnatio.

3 Respondebis ergo primò, luctam illam rerum naturalium non esse propter subiectum substantiale commune, quod aliæ aliis abripere nitantur, sed propter accidens aliquod commune; quantitatem v.g. aut aliud simile. Cur enim estò ignis & lignum materia & forma non constent, per vsque corpora substantialia simplicia & compositionis expertia sint, quantitate non gaudeant; & propter huius possessionem inuicem dissidere & inimicari non possint?

4 Contra tamen primò sic arguo. Accidens de vno subiecto adæquato & immediato ad aliud etiam tale migrare non potest: at in opposita sententia, transitus ille daretur: ergo, &c. Maior probatur: quia forma substantialis, quæ ratione suæ maioris perfectionis à subiecto absolutior & explicatior est, nihilominus migrare nequit aut transire à subiecto adæquato in subiectum adæquatum, tametsi à subiecto inadæquato in subiectum inadæquatum transire possit, vt in nutritione humana cernere est: à fortiori ergo accidentalis & imperfectior forma, à subiecto adæquato in subiectum adæquatum migrare non poterit: Antecedens fide sanctum est, cum Ecclesia transmigrationem animarum de corporibus in corpora contra Pythagoricos condemnarit. Aliter etiam probatur eadem Maior, quia experientia ipsa testatur, calorem v.g. qui manui meæ inest, ab ea auferri, & in alterius manum transferri non posse: quidni ergo vniuersim repugnet cuicunque accidenti, vt à subiecto adæquato in subiectum adæquatum possit migrare?

5 Dices, transitum illum accidentis à subiecto in subiectum adæquatum, tum solùm euenire, cum aut subiectum, cui priùs inerat, destruitur, & eius loco aliud producitur, aut cum subiectum aliquod in locum aliquem transit, quo accidens secum ferre non potest; eique in eodem loco succedit aliud subiectum eiusdem accidentis capax: vt si nostri hemisphærij aër, luce perfusus, atque irradiatus, in aliud hemisphærium, vbi sol nondum illuminare potest, vento agitante feratur; hoc certè in euentu, aër succedens, lucem aëris depulsi poterit in se suscipere: quominus enim possit quid prohibet?

6 Verum enim, vbi semel transitus ille admittatur, sanè absque fundamento videtur ad solos duos illos euentus adstringi: nec conspicio, cur, eo admisso, calor in pede productus pedem deserere, & ad caput sensim obrepere nequeat. Rursus, lux in euentu adducto infinita penè subiecta adæquata mutaret; cum aër aëri in eodem loco succedens, (quæ est venti agitantis celeritas) in quouis ferè instanti sit diuersus. Deinde, cum in adducto casu aër aëri succedit in eodem loco, sanè aër introductus prius natura introducitur, quam aër anterior expellatur: pro posteriori autem, in quo intelligitur aër anterior expelli, nondum intelligitur gradus antiquus lucis existens, & in aëre nouo receptus, sed post expulsionem illam eius receptio in nouo aëre intelligenda est, si admittatur: quandoquidem ergo pro illo signo, quo expellitur aër anterior, sol nouam lucem producere potest, & pro tunc vt aiunt prior gradus lucis nondum intelligatur existens; non est profectò, cur sol ad ostentationem suæ virtutis denuò ibi non illuminet: nec enim in sole virtus deest, nec in passo capacitas.

7 Argumentor secundò contra principalem solutionem initio capitis propositam; quia potior ratio est, vt propter alicuius substantiæ communis adeptionem, quam propter accidens aliquod commune tota agentium naturalium lis atque dissidium sit, cum substantia accidenti præstantior sit, & quidem non paruo interuallo: irrationabilis igitur est superior solutio, quæ pugnam agentium naturalium in quantitatem aut aliud accidens commune, non verò in materiam primam, primúmque subiectum substantiale refundit. Tertiò eandem solutionem impugno, quia igni de nouo producto non est cur noua quantitas suo quasi iure debita non sit, sicuti cuiuis alij essentiæ debentur nouæ atque propriæ affectiones: ignis ergo cum ligno minimè decertat, vt ab eo quantitatem auferat, & illam igni conferat.

8 Quartò demum eamdem solutionem confuto, quia dispositiones ab igne in lignum immissæ in primo instanti quo ignis producitur, ad eius productionem disponunt: cur enim tunc determinatè & non ante nec postea ignis producitur, nisi quia tunc primum est vltima dispositio ad eius productionem: aut cur, in eo instanti primo, ignis potius quam alia substan-

tia producitur? ſi, pro priori ad primam productionem ignis, non magis intelliguntur diſpoſitiones igneæ, quam earum carentia: At ſi propter accidens commune, quantitatem videlicet, pugna eſſet, ſane diſpoſitiones ignis, ad primam eius productionem diſponere non poſſent: Ergo, &c. Minor probatur, quia diſpoſitiones illæ vltimæ, pro priori quo diſponunt, aut recipiuntur in ligno: & hoc falſum eſt; alias ignis in primo inſtanti productionis ignis ſimul exiſteret: aut in igne ad quem diſponunt, & hoc etiam falſum eſt, cum non in illo ſigno priori ſed in alio poſteriori ignis exiſtat: aut denique intelliguntur receptæ in accidente illo communi, quantitate videlicet; & de ipſa quantitate idem interrogari poterit; in quo nempe ſubiecto pro illo priori exiſtat? Nec enim in ligno, quippe quod in illo inſtanti reali non exiſtit, nedum in illo priori naturæ: nec etiam in igne, vtpotè qui licèt in illo inſtanti reali exiſtat non tamen in illo ſigno priori diſpoſitionum, ſed in alio poſteriori: Excepta ergo materia prima, nullum eſt ſubiectum, in quo diſpoſitiones ad primam productionem ignis pro priori ad illam exiſtant, atque adeo vel admitti debet materiã primam ſolam eſſe cauſam diſſidij inter agentia naturalia, vel præfatæ diſpoſitiones ignis v.g. ad eius primam productionem, nequaquam poterunt diſponere; quod tamen eſt euidentiſſime falſum. Hactenus confutata prima reſponſio ad noſtrum & commune argumentum.

9 Reſpondebis ergo ad illud ſecundò, pugnam agentium naturalium eſſe propter locum: quando namque plura corpora ſimplicia ſuaptè natura completa atque ſubſtantialia exiſtere nequeunt in eodem loco, neceſſe eſt, vt cum ignis v.g. de nouo in mundo hoc producitur, eo ipſo alia ſubſtantia corporea v.g. lignum deſtruatur, vt ignis eius locum occupet: alioqui eſſe poterit vt duo corpora penetrentur, eundémque locum repleant.

10 Sed ne hæc ſolutio placet. Primò, quia ſi pugna illa eſt præcisè propter locum, & non propter accidẽs aliquod, quod de ſubiecto in ſubiectum migret, aut propter ſubiectum aliquod cõmune, quod à forma ad formã tranſeat, ſanè diſpoſitiones ab igne v.g. in lignũ immiſſæ ſuam deſtructionem molientur & appetent, quod planè falſum eſt: Sequela probatur, quia diſpoſitiones illæ deſtructo ligno pereunt nec ſupereſſe ei poſſunt, alias de ſubiecto in ſubiectum adæquatum migrarent, quod ſuprà impugnauimus: vbi ergo deſtructionem ligni moliuntur, in ſuammet eodem conatu atque molimine contendent; necniſi Cadmea victoria perdent, pereundo ſcilicet. Item ſecundò, ſi pugna bellúmque continuum agentium naturalium eſt duntaxat propter locum, non erit cur ignis lignum tantopere alteret ac diſponat: ſatis enim erit, ſi in eodem loco, quo eſt lignum, pro priori producatur ignis, abſque vlla ligni alteratione, aut diſpoſitione, ad hoc, vt pro poſteriori ſigno naturę ad productionem ignis, deſtruatur lignum, ſiquidem ambo in eodem loco ſimul eſſe non ſuſtinent: vnde vlterius, non erit cur ad ignis productionem potiùs lignum, quàm quæuis alia ſubſtantia, quantumuis incombuſtibilis, perire debeat.

11 Tertiò eadem poſterior ſolutio principalis mihi diſplicet, quia ſi pugna, qua de agimus, eſt ſolummodo propter locum, nihil ligni in igne de nouo producto remanebit: vnde ex ligno non fiet ignis, ſeu quod perinde eſt lignum in ignem minimè conuertetur, quod ſenſui & experientiæ repugnat: ſequela autem ſuadetur: quia ſi Deus decernat Angelum deſtruere, ſimúlque lapidem producere, ſanè ex Angelo non fiet lapis, nec Angelus in lapidem conuertetur: non alia ratione, niſi quia nihil Angeli in lapide remanet: ſimiliter ergo, ſi nihil ligni remanet in igne, certè lignum in ignem minimè conuertetur. Quartò tandem, ſi pugna ignis cum ligno, quod amburit, eſt propter locum, & non propter accidens aut ſubſtantiam communia, quorum alterutrum in ligno anteaquam deſtruatur ſit, & in igne eſſe poſſit; ſi inquam ita ſe res habet, certè cum corpora Sanctorum in cinerem & fauillam conuertuntur, nihil Sanctorum remanebit in cinere: fruſtra ergo Sanctorum reliquias veneramur & aſſeruamus.

Caput II.

Materiam primam in rebus exiſtere vlterius probatur.

HOc argumento, quod ſit ordine ſecundum. Homo eſt compoſitum ex anima rationali, & materia prima eius receptiua: eiuſmodi ergo materia prima, formæ ſubſtantialis in ſe receptæ capax, nullo iure in rebus negari poteſt. Antecedens probatur, tum ex ſymbolo Athanaſij, vbi ſic dicitur; *Sicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo, &c.* Tum quia in homine eſt anima rationalis, quam immortalem eſſe, & extra corpus ſuperſtitem manere, fide & ratione certum eſt: at homo non eſt ſola anima, cum hæc ſpiritualis ſit & homo corporeus: fieri ergo non poteſt, quin homo materia prima, & anima rationali, ex æquo conſtituatur. Tum demùm, quia homo per nutritionem ſubſtantialiter creſcit, & augetur, vt experientia patentiſſimum eſt, atque adeò partes aliquas ſubſtantiæ per nutritionem de nouo acquirit: at non acquirit nouas partes animæ rationalis, cum hæc expers partium ſit, ac omnino indiuiſibilis: relinquitur ergo, vt ſolius materiæ primæ nouas acquirat partes; ac proinde homo ex tali materia & anima rationali conſtat. Et quidem, vbi ſemel homo materia prima polleat, idem de quouis ente naturali dicendum eſt: nec enim mortuo homine eius materia perit, cum creetur & incorruptibilis ex cõſequenti ſit; nec etiam ſubſtantialiter informis manere poteſt: neceſſe igitur eſt, vt aliam formam ſubſtantialem ab humana diſtinctam ſtatim recipiat, & cum ea aliud ens naturale, quod homo non ſit, conſtituat. 12

Tertium argumentum principale, pro exiſtentia materiæ primæ in rebus, ſic ſe habet. Ars eſt æmula, & imitatrix naturæ: at nullus artifex creatus operari poteſt, niſi ex præſuppoſito ſubiecto; vt experientia teſtatiſſimum eſt; nec enim niſi ex marmore aut ære v.g. ſtatua, nec niſi ex lignis & lapidibus domus vſquam fieri viſa eſt: ſimiliter ergo nullum agens naturale operari poteſt, niſi ex aliquo præpoſito ſubiecto: ſed materia prima excluſa, ac nullatenus in rebus admiſſa, ignis v.g. ignem ex nullo præſuppoſito ſubiecto naturaliter produceret: eadémque ratione, cætera agentia naturalia operarentur. Ergo, &c. Huc ſpectat, celebre illud Philoſophis pronunciatum; *ex nihilo nihil fit:* Huc etiam attinet, quod Sancti Patres, & Scolaſtici noſtri communiter decernunt, ac pro explorato tradunt; creationem eſſe actionem ſolius Dei propriam, ſaltem de facto: quæ certè vera non eſſent, ſi materia non eſſet. 13

Quartum ac poſtremum argumentum, pro exiſtentia materiæ primæ, huiuſmodi eſt. Nulla ſubſtantia earum, quæ vi agentium naturalium corrumpuntur omnino annihilatur: annihilatio autem eius ſolius 14

eſt,

est, cuius nihil manet, quódve in omnino nihil reducitur : nulla ergo substantia illarum quæ prædictæ sunt, ita destruitur, vt nihil illius maneat : aliquod ergo prædicatum essentiale cuiuscunque semper manet: non autem forma, aut compositum ex ea resultans, vt experimento claret : ergo materia prima, qua constat: quod ergo omnes substantiæ corruptibiles & corporeæ ea constent, vt constantissimum omninóque certum, tuendum est. Maior argumenti probatur, quia nulla substantia creari aut ex nihilo sui produci potest, ab vllo agente naturali, vt paulo suprà ostensum est: nulla igitur annihilari, siue in nihilum sui naturaliter reduci poterit, sed potius omnes ita corrumpentur, vt omnino non pereant, sed aliqua sui parte semper maneant. Ad quod respexit Seneca lib. 5 de benefic. c. 8. ibi; *rerum natura nihil dicitur perdere, quia, quicquid illi auellitur, ad illam redit: nec perire quicquam potest, quod, quò excidat, non habet, sed eodem reuoluitur, vnde discedit.* Et Marcus Antoninus Imperator lib. 4. de vita sua ibi; *nihil ex eo, quod non est, oriturí sicut nihil quoque, in id, quod non est, interit.* Eodem etiam respexit Pythagoras apud Ouidium libro 15. Metamorph. ibi

Nec perit in toto quidquam (mihi credite) mundo:
Sed variat, faciémque nouat : nascique vocatur
Incipere esse aliud, quam quod fuit ante: morique
Desinere illud idem, cum sint huc forsitan illa
Hac translata illuc: summa tamen omnia constant.

Eodem etiam applicari possunt sequentia Carmina Lucretij lib. 1. de nat. rerum; ibi:

Haud igitur penitus pereunt, quæcunque videntur:
Quando alid ex alio reficit natura; nec vllam
Rem gigni patitur : nisi morte adiutam aliena.

15 Ex dictis tum hoc tum præcedenti capite colligitur, negata materia prima, sequentia absurda vitari non posse; nullas scilicet esse conuersiones, ac mutationes substantiales : secundò, omnes alterationes ac mutationes accidentales inutiles, &, quod plus est, impossibiles esse : Tertiò consequenter, rixam & discordiam rerum naturalium frustraneam esse, cum nihil sit, propter quod esse possit: Quartò, reliquias Sanctorum veneratione indignas esse. Quintò, hominem non esse compositum, sed quid simplex. Sextò, agentia naturalia creare, & ex non præsuppositio subiecto agere posse : Septimò substantias omnes, cum naturaliter destruuntur, in nihilum recidere.

Colligitur secundò ex dictis, non tantum dari & in rebus existere materiam primam, sed etiam eius existentiam esse euidenter demonstrabilem ; vt contra Gomesium Pereiram in Antoniana Margarita, censent Suarez disp. 13. Metaph. sect. 1. Arriaga disp. 2. Phys. sect. 1. & communiter alij.

Caput III.

An materia prima per existentiam formæ existat?

16 Pars negatiua communior est inter Doctores. Eam in primis tuetur Hurtadus disp. 2. Physic. sect. 6. Bartholomæus Amicus tract. 5. Phys. q. 4. dub. 2. Arriaga disp. 2. à num. 74. Rubius lib. 1. Physic. tract. 5. q. 3. Balthasar Tellez part. 2. in Phys. disp. 22. sect. 2. Cardinal. Toletus lib. 5. q. 13. Conimb. 1. Physic. c. 9. q. 3. Benedictus Pereira lib. 5. cap. 13. Suarez disp. 13. Metaph. sect. 4 Fonseca lib. 1. Metaph. cap. 7. quæst. 3. sect. 3. Item Molina, Vasquez, Ouiedo, Franciscus Alphonsus, atque vt semel dicam omnes Authores nostræ Societatis. Pro eadem opinione stant Henricus, Gabriel, Durandus, Scotus, Veracruz. Burlæus, omnésque Scotistæ & Nominales, vt videri potest apud nostros ac præsertim apud Bartholomeum Amicum vbi suprà. Quæ etiam sententia nobis verior videtur.

Præcipuum autem eius fundamentum esse solet, 17
realis indistinctio essentiæ ab existentia: quam ex professo tractare & examinare non est huius loci sed Metaphysicæ : suppositа ergo ea indistinctione alibi probanda, fieri certè nequit, vt materia prima, sicut omnium consensu habet essentiam distinctam ab essentia formæ, non habeat etiam existentiam propriam, & ab existentia formæ planè distinctam : Quod sic exigi potest, ad syllogisticum rigorem. In materia & forma idem realiter est essentia ac existentia ; at in iis essentia non est vna, sed multiplex, igitur etiam in iis existentia non est indiuisibilis & vna, sed potius multiplex, altera scilicet propria materiæ, & altera propria formæ, per quam materia completur atque actuatur.

At dices, essentiam distingui saltem virtualiter in- 18
trinsecè ab existentia : idque satis esse, vt essentia materiæ sit distincta ab essentia formæ, quin propterea existentia vnius ab existentia alterius distinguatur. Vt alia prædicata contradictoria, quídni etiam hæc fundari possint in virtuali distinctione quæ reperitur inter essentiam & existentiam? Verum in primis hæc solutio, Thomistis, qui distinctionem virtualem essentiæ ab existentia negant, & aliis compluribus, qui eam vbique inficiantur, quid prodesse potest? Deinde absolutè falsa est, quia tametsi admittatur ea distinctio virtualis, inter essentiam & existentiam, nequaquam tamen facere poterit, vt materia per existentiam formæ existat nec propriam sibi vendicet. Quod sic ostendo. Materia equi v. g. potest existere sine existentia formæ equinæ, videlicet, cum, mortuo equo, per formam cadauericam informatur : prædicta igitur equi materia, ab existentia formæ equinæ, realiter distinguitur, cum sine ea realiter existere possit: qua ratione Petrus v. g. distinguitur realiter à Paulo, quia sine eo potest realiter existere : iam ergo, si materia existit per existentiam formæ, ab ea merè virtualiter distingui nequibit, atque adeò per distinctionem virtualem essentiæ ab existentia defendi haud poterit, materiam existere per existentiam formæ, non per peculiarem, ac sibi propriam. Itaque, tametsi distinctio virtualis fundet alia prædicata contradictoria, hoc tamen præstare non potest, vt quæ realiter separabilia sunt, ea realiter non distinguantur : at materia sublunaris separari potest, ab existentia formæ suæ: aut ergo per eam non existet, aut certè plusquam virtualiter ab ea distinguetur.

Quanquam autem Authores suprà ad initium ca- 19
pitis allegati, in principali puncto consentiant, in eo tamen plures illorum ac præsertim è nostra Societate dissentiunt, an suppositа distinctione reali essentiæ ab existentia materia per existétiam formæ existere possit, & debeat : & non pauci haud sine ingenij laude partem affirmantem tuentur. Verum mihi pars negans magis probatur: eamque magis verisimilem esse, constabit ex argumentis, quæ pro existentia propria & peculiari materiæ, independenter à distinctione reali essentiæ & existentiæ, prosequor.

Secundò ergo principaliter argumentor, hunc in 20
modum. Si materia existeret per existentiam formæ, agentia naturalia producerent materiam. Consequens est absurdum ; ergo & illud ex quo sequitur. Minor probatur, quia si agentia naturalia producerent materiam eam crearent, & ex nullo præsuppositio subiecto producerét: quod enim subiectum materiæ primæ

sive

ſiue primo ſubiecto præſupponi poteſt? an non id foret aliquid eſſe poſſe primo prius, & quidem in eodem genere? At agentia creata de facto ſaltem creare nequeunt: in iiſque verum habet Ariſtotelicum illud axioma, *ex nihilo nihil fit.* De iiſdem etiam agentibus intelligendum eſt quod ait, Tullius lib. 2. de diuinat. ibi, *Non ergo omnium interitus atque obitus natura conficiet: & erit aliquid, quod aut ex nihilo oriatur, aut in nihilum ſubitò decidat? quis hoc Phyſicus dixit vnquam?* Sequela porrò argumenti probatur, quia in tantum materia denominari poteſt producta, in quantum eius exiſtentia producitur: non enim quia producitur eius eſſentia, cum hæc in Thomiſtarum ſententia, omninò improducibilis ſit, atque æterna: ſed agentia creata in eorundem authorum principiis ac philoſophandi ratione non poſſunt non producere exiſtentiam materiæ, materiam ergo ipſam abſolutè producent. Minor proximè poſita ſuadetur, quia exiſtentia formæ iuxta eos eſt omnino realiter indiſtincta ab exiſtentia formæ: agentia autem creata exiſtentiam formæ producunt: ergo & materiæ exiſtentiam ab ea indiſtinctam. Eodem argumento probari poteſt, materiam primam naturaliter deſtrui poſſe: ſiquidem eius exiſtentia ſecundùm aduerſarios eam ab exiſtentia formæ non diſtinguentes, naturaliter deſtruitur.

21 Huic argumento cenſent aliqui Recentiores probabiliter reſponderi poſſe, diſtincta duplici actione inadæquata: quarum vtraque ita terminetur ad exiſtentiam formæ, vt altera in ſola eſſentia materiæ inhæreat, recipiatúrque, ac per conſequens generatiua ſit; altera verò in ipſamet exiſtentia ſola adhæſiuè inſit, ac creatiua ſit, atque in materia nec adhæſiuè nec inhæſiuè recipiatur; & quarum prior à Deo & ſimul agente creato procedat, poſterior verò à ſolo Deo proficiſcatur. Quare, cum materia per creationem producatur, & actio creatiua à ſolo Deo procedat; forma verò per generationem producatur, & generatio ab agente creato dimanet; mirandum non eſt, quod ſolus Deus materiam producat, ſimul vero cum Deo agentia creata in formam influant, eámque agant. Ad confirmationem argumenti reſpondent, materiam primam minimè deſtrui, deſtructa eius exiſtentia, eò quòd deſtrui materiam ſit eam ita ſpoliari exiſtentia quam poſſidet, vt alia ei non conferatur; agentia verò naturalia ita ſpoliare materiam exiſtentia propria vnius formæ, vt aliam ei de nouo conferant.

22 Cæterùm hæc ſolutio neutiquam poteſt ſuſtineri. A principio enim non conſpicio, cur materia debeat potius produci per actionem propriam, & peculiarem, diſtinctam ab actione, qua producitur forma, quam exiſtere per exiſtentiam propriam, & peculiarem, diſtinctam ab exiſtentia formæ: at, iuxta hanc ſolutionem, materia prima producitur per actionem diſtinctam ab actione productiua formæ: abſurdum ergo non eſt, ſed potius opus, vt per exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia formæ exiſtat. Quare hæc ſolutio incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim; dum ad vitandam multiplicitatem exiſtentiarum recurrit ad actionum multiplicitatem, cum tamen vna multiplicitas minus abſurda non ſit quam alia; vnáque ad aliam conſequatur. Adde, quod eandem indiuiſibilem exiſtentiam creari & generari, dependenter & independenter à ſubiecto produci, & actiones adeo oppoſitas vel certè adeo diuerſas terminare in hac ſaltem rerum ſerie impoſſibile videatur; non minus, quam eundem voluntatis actum per vnam actionem liberam & per aliam neceſſariam ſimul produci.

23 Vlterius, in tantum materia producitur, in quantum eius producitur exiſtentia: ſed agentia naturalia & creata exiſtentiam materiæ producunt, per actionem ſaltem inadæquatam, vt aduerſarij largiuntur: materiam ergo ipſam abſolutè producent. Tandem ex ea ſolutione fiet materiam generari & formam omnem creari. Sequela probatur, quia actio aliqua inadæquata generatiua, iuxta aduerſarios, exiſtentiam materiæ producit, materiamque, quod conſequens eſt, facit exiſtere, præſertim cum exiſtentia ſit modus, & ſeipſa materiæ vniatur; quidni ergo talis actio generatiua materiam producat? Cùm ergo eam creare nequeat, eò quòd generatiua ſit, reliquum eſt, vt eam generet. Eodem argumento ſuaderi poteſt, actionem creatiuam, ſolius Dei propriam, creare non ſolum materiam, verum etiam formam, qualiſcunque demum ſit. Quod autem reſpondent ad confirmationem argumenti noſtri, materiam primam ſcilicet minimè deſtrui, deſtructa eius exiſtentia, eò quòd deſtrui materiam ſit ita eam ſpoliari exiſtentia, quam poſſidet, vt alia nulla ei conferatur, agentia verò naturalia priuare quidem materiam exiſtentia propria; ſed tamen aliam ei de nouo conferre; hoc inquam nihil dictu eſt, quia cum deſtrui materiam ſit non eius eſſentiam ſed ſolam exiſtentiam deſtrui, iuxta aduerſarios Thomiſtarum ſententiam defendere conantes, certè in eorum doctrina, quam in ſolutione ſua proponunt, materia prima non tam continuè conſeruabitur, quàm in ſingulis inſtantibus deſtruetur, & de nouo producetur: quod tamen eſt ridiculum.

24 Tertiò principaliter argumentor. Exiſtentia materiæ cæleſtis v. g. creatur, & exiſtentia formæ cæleſtis non creatur, ſed generatur: fieri ergo non poteſt, quin exiſtentia vnius ab exiſtentia alterius realiter diſtinguatur. Antecedens probatur, quia in tantum materia cæleſtis creatur, in quantum eius exiſtentia creatur, cum eius eſſentia creationis ſit incapax, ac proinde ad denominandam materiam ſuam creatam inſufficiens: ſimiliter forma cæleſtis in tantum generatur, in quantum eius exiſtentia dicitur éſtque generata: atqui materia cæleſtis abſolutè creatur, & cœleſtis forma abſolutè generatur: Neceſſum ergo eſt, vt vnius exiſtentia creetur, & alterius generetur.

25 Huic etiam argumento cenſent aduerſarij, de quibus paulo ſupra, reſponderi poſſe, eandem indiuiſibilem actionẽ exiſtentiæ cœleſtis ſimiliter indiuiſibilis productiuam eſſe quidem materiæ cæleſtis creatiuam, & formæ cæleſtis veriſſimè generatiuam: nimirum quia actio illa exiſtentiam materiæ ab ipſa eſſentia materiæ, non verò ab alia cauſa materiali ab ea diſtincta educit, quod eſt formaliſſimè materiam creare: exiſtentiam verò formæ, quæ eadem eſt, eadem etiam actio non ab eſſentia formæ, ſed ab eſſentia ſolius materiæ ab ea realiter diſtincta, velut à ſubiecto, & cauſa materiali, educit; quod certè videtur non aliud eſſe quam formam generare.

26 Contra tamen ſic diſputo. Non ſolum materia & forma, verùm etiam ipſa vtriuſque exiſtentia provt ab iis diſtinguitur, per actionem illam indiuiſibilem ſupponitur produci: aut ergo creatur aut generatur? alterutrum enim neceſſe, & vtrumque ſimul impoſſibile eſt: ſi primum: ergo forma cæleſtis creatur; ſiquidem in tantum forma aliqua creatur, in quantum eius creatur exiſtentia: ſin autem ſecundum; ergo materia cæleſtis generatur; námque, vt ſæpiſſimè diximus in ſimili, in tantum materia generari poteſt in quantum eius exiſtentia generatur. Aut paulo aliter: materiam creari, eſt eius exiſtentiam creari: & formam generari, eſt eius etiam exiſtentiam denominari generatam: at materia cæleſtis creatur, & forma generatur;

ratur: ergo & existentia vnius creatur, & alterius generatur; cum ergo existentia vtriusque sit eadem indiuisibilis existentia; sanè per eandem indiuisibilem actionem simul generabitur, & creabitur: in quo quot impossibilia miscentur?

27 Respondent iterum Recentiores, existentiam materiæ & formæ cælesti communem solum generari: at actionem illam talis existentiæ generatiuam, dicendam esse creatiuam materiæ, eò quòd non nisi dependenter ab existentia ipsius materiæ generet, & independenter à quauis alia: quæ doctrina, inquiunt, etiam admissa partiali existentia materiæ, adhuc admittenda est: etenim existentia illa partialis materiæ ab eius essentia educitur, ac proinde generatur: & tamen materia per eam existens creatur: idem ergo dici poterit de materia, estò per existentiam sibi cum forma communem existat.

28 At hanc etiam euasionem præcludit, quod materiam generari aliud esse non possit, quàm eius existentiam generari: si ergo existentia materiæ generatur, vt aduersarij fatentur, ipsa materia generabitur. Antecedens perspicuum est: tum quia materiam generari non est eius essentiam generari: ergo est eius existentiam, vt dictum est, generari: Tum etiam, quia produci materiam est eius existentiam produci: ergo generari materiam est eius existentiam generari. Quod si materia per existentiam sibi peculiarem existeret, sanè ea existentia neutiquam generaretur, aut ab essentia materiæ educeretur: cuius oppositum immeritò aduersarij supponunt: nec video, cur magis absonum sit, existentiam materiæ ab eius essentia non educi, quam existentiam formæ ab eius essentia minimè educi: hoc autem secundum admittunt ij, qui nobis aduersantur. Quid? quod, iuxta hanc solutionem de eadem indiuisibili actione materiæ & formæ producitiua, agentia naturalia & creata ignem v. g. producentia, non minùs materiam ignis, quam eius formam, producerent: quare data opera recentiores hac solutione, pro solis corporibus cælestibus vtuntur.

29 Argumentor quartò. Materia prima, pro priori naturæ, quo intelligitur dispositа ad recipiendam formam eiúsque existentiam, nequit non intelligi verissimè existens: at non per existentiam formæ, ad quam disponitur: ergo per existentiam sibi peculiarem & propriam. Minor perspicua est: quia nondum pro illo priori existentia formæ intelligitur. Maior probatur, quia nequit materia disponi per accidentia ad recipiendam formam, nisi vt existens: pro illo ergo priori, quo est dispositа, intelligitur necessario existens: antecedens suadetur, quia materiam primam disponi per accidentia, est per ea esse quantam, qualem, vbicatam, durantem, &c. Sed materia nequit esse quanta, qualis, vbicata, durans, &c. nisi vt existens; quo enim pacto, quod non est, esse potest quantum? aut quod absolutè non existit quomodo tamen existere in tempore, aut loco, per durationem, & vbicationem potest? aut denique, qua ratione lignum v. g. quod non existit, calidum nihilominus esse potest? Equidem si subiectum per accidentia disponi, & ab iis denominari posset, absque eo quod existeret, falsum esset, accidentia Eucharistica esse sine subiecto, cui insint, & quod denominent: Quod enim fides docet tantum est subiectum accidentium Eucharistię post consecrationem non existere: quod, in sententia quam refello, obesse non potest quominus accidentia Eucharistica, ei subiecto sicuti antea insint, illudque denominent.

30 Vrgebis tamen. Suppositа distinctione essentiæ ab existentia, essentia materiæ pro priori ad existentiam suam non intelligitur existens: & nihilominus, pro eo priori, est proximè potens & apta ad recipiendam suam illam existentiam propriam: quidni ergo possit materia per accidentia disponi & reddi apta ad recipiendam formam, eiúsque existentiam, quin pro eo priori debeat intelligi existens? hoc ergo ex capite perperam adstruitur, materiam habere propriam existentiam, distinctam ab existentia formæ, per quam actuatur. Sic instet aliquis.

Sed inprimis hæc instantia tantùm procedit, suppo- 31
sita distinctione reali essentiæ ab existentia; nec tollit, quominus absolutè, ac præscindendo ab ea suppositione, & hypothesi, quartum nostrum argumentum, paulò supra positum, efficax sit, vimque habeat, & quidem non paruam neque contemnendam. Deinde verius est, ne, admissa ea hypothesi, instantiam esse alicuius momenti. Siquidem essentia materiæ v. g. antè existentiam suam, non potest denominari existens: per quid enim? an per seipsam præcisè, & sine vlla existentia? at hoc esset dari effectum formalem sine forma. An per existentiam, pro posteriori aduenturam? at hæc pro eo priori non intelligitur, nec datur: quomodo ergo dare tum potest effectum formalem existentis? an denique per aliam existentiam, realiter distinctam, ab ea, quæ est pro posteriori aduentura? at sic materia ipsa, provt condistincta à forma, ponenda est existens, per plures existentias in eodem instanti reali: quod tamen nemo dixit hucusque nec probabiliter potest. Et, quod magis absurdum est, neque inde non sequi processus in infinitum: nam de existentia illa priori, qua disponitur materia ad recipiendam aliam existentiam posteriorem, redibit eadem quæstio, quomodo scilicet & per quid ad eam recipiendam denominatur essentia materiæ proximè potens & apta? & si per aliam tertiam existentiam, de hac idem quæri poterit, & sic absque fine. Hæc propter ergo mirum non est, si essentia materiæ non possit dici existens pro priori ad existentiam suam, adeóque ad eam apta & veluti dispositа esse queat, per seipsam & quatenus sumitur inesse essentiæ, vt aiunt, non verò, vt pro priori existens. Hæc autem ratio non procedit in denominatione quantæ, qualis, vbicatæ, &c. non poterit igitur materia tales habere denominationes nec vi earum disponi ad recipiendam formam, quin pro priori tum ad hanc tùm ad illas intelligatur existens: quod tamen in ea ininteligibile prorsus est sine propria existentia.

Declaratur, vno aut altero exemplo. Natura potest 32
subsistentiam producere quin pro priori intelligatur subsistens: & tamen alias operationes non potest elicere quin pro priori ad eas denominetur subsistens, iuxta communem paræmiam, *actiones sunt suppositorum*. Item, quæuis res denominatur producta, quin pro priori ad hanc denominationem intelligatur actio eius productiua: & nihilominus alias denominationes existentiales, siue existentiam concernentes, vt sunt v. g. moueri localiter, calefieri &c. haud potest vlla res recipere, quin pro priori intelligatur actio, per quam prius producatur, procedátque à suis causis. Quanquam ergo possit essentia materiæ denominari existens, quin pro priori ad recipiendam existentiam & denominationem existentis existere debeat, longè tamen alia ratio erit, de aliis denominationibus accidentalibus, de quibus fuit sermo in quarto argumento nostro.

CAPVT

Caput IV.

Argumenta contraria ſoluuntur. Vbi an materia, & quo pacto ſit pura potentia? Anve ſuarum proprietatum actiua?

32 Doctores Thomiſtæ oppoſitam ſententiam communiter amplectuntur. Primo, quia materia eſt de ſe pura potentia: de ſe ergo, & ſeorſum à forma, nullum actum ac proinde nullam exiſtentiam habet. Conſequentia videtur bona. Antecedens eſt commune proloquium, quod ex variis Ariſtotelis & D. Thomæ locis deſumitur.

33 Reſpondent inprimis aliqui materiam primam non eſſe puram potentiam, entitatiuam, ſiue omnis entitatis, atque exiſtentiæ de ſe expertem: ſed tantum puram potentiam paſſiuam: quia ſcilicet, cum diuiditur virtus in actiuam, & paſſiuam, materia prima virtus merè paſſiua ſeu receptiua, & nullo modo actiua euadit, eo quod nihil agere ſiue efficere valeat: itaque pura potentia, de materia dici ſolita, non idem pollet, atque potentia nihil habens exiſtentiæ aut actualitatis, ſed potiùs idem ac potentia nihil habens actiuitates, totáque in recipiendo poſita. Hæc ſolutio non placet, quia falſo ac ruinoſo fundamento innixa: falſum enim eſt, vt quod maximè, materiam primam nihil efficere, aut agere, & ne ſuaſmet proprietates: vti hæc attributorum efficientia cæteris eſſentiis, quidni & materiæ concedatur? Ac certè concedendam putant Arriaga diſp. 2. Phyſic. ſect. 9. & cum eo non pauci.

34 Scio à Patre Vaſquez opponi, contra actiuitatem & energiam materiæ ad ſuas proprietates, nullo eam fulciri fundamento, à P. Pereira, ſi quam poſſet materia efficere proprietatem, maximè quantitatem: at non hanc: quia vel pro priori ad quantitatem eſſet quanta; & hoc repugnat: vel non eſſet quanta: & ſic quomodo poſſet quantitatem vel aliud quidpiam agere, aut efficienter producere? ac denique ab aliis, Ariſtotelem lib. 2. de ortu & interitu cap. 9. & Auguſt. lib. 2. de nat. boni, contra Manichæos videri negare materiæ actiuitatem, & vim effectiuam etiam ſuarum proprietatum. Cæterùm hæc haud multum negotij faceſſunt. Quod enim ad primum attinet, quod maius deſiderari poteſt fundamentum actiuitatis, qua de loquimur, quam nullo eam fundamento negari; quam item omnes alias eſſentias eſſe actiuas ſuorum attributorum vt dictum eſt? Quod ad ſecundum attinet, neſcio quorſum requiratur ad efficiendam quantitatem, vt materia eam effectura, pro priori ſit denominetúrve quanta: non ſecus atque iuxta aduerſarios recipit materialitérque cauſat quantitatem, quin pro priori debeat eſſe quanta. Adiice, falsò ſupponi, quod quantitas diſtinguatur à materia prima, ſitvè ea proprietas quæ ab illa efficitur: quænam ergo inquies? Dico durationem, aut vbicationem materiæ primæ, & ab ea diſtingui, & ab illa effici: neque, vt defendi, poſſit actiua alicuius aut aliquarum proprietatum ſuarum, opus eſſe recurſu ad quantitatis ab ea diſtinctionem & emanationem. Quod tandem ad Ariſtotelem & Auguſtinum ſpectat, non negant quidem materiæ actiuitatem, ad alios effectus, quam ad eos, qui non ſunt illius proprietates, atque attributa: vt benè, Arriaga, vbi paulò ſuprà. Hactenùs prima Thomiſtici argumenti ſolutio.

35 Alij ad illud reſpondent materiam primam eſſe puram potentiam non quidem entitatiuam; eas ob cauſas quæ cap. præcedenti latè diſcuſſæ ſunt; ſed duntaxat paſſiuam: ideo autem eſſe puram potentiam paſſiuam, quia ita eſt paſſiua formarum, vt ipſa non ſuſtentetur in vlla potentia paſſiua ſiue ſubiecto. Hæc ſolutio propius ad veritatem accedit, ſed niſi amplius explicetur, abſolutè falſa & reiicienda eſt, non minus quam ſuperior iam reiecta & falſitatis euicta. Nam ſi vera eſſet, ſanè Angelus etiam deberet dici pura potentia, cum ita formas accidentales ſaltem recipiat, vt ipſe in nullo alio ſubiecto à ſe diſtincto ſubſtantiali, ſiue accidentali recipiatur.

Verior ergo argumenti ſolutio eſt, materiam primam eſſe puram potentiam paſſiuam ſubſtantialem, hoc eſt, ita eam recipere patíque formas ſubſtantiales, vt ipſa nequaquam ſit actus aut forma ſubſtantialis: Dices tamen, pari ratione Angelum cenſendum eſſe appellandúmque, puram potentiam paſſiuam accidentalem, cum iuxta paulò ſuperius dicta, ſic recipiat formas accidentales, vt non ſit forma accidentalis. Reſpondeo conceſſa ſequela, & negata conſequentis abſurditate. Nec ſolùm dici poteſt Angelus pura potentia paſſiua accidentalis, quia non eſt forma accidentalis, ad inſtar earum quas recipit, ſed etiam alia de cauſa; nimirum, quia eſt receptiuus ſolarum formarum accidentalium, non vero ſubſtantialium. 36

Dices iterum, ex noſtra ſolutione ſequi, formam ſubſtantialem dici poſſe aliqua ratione actum purum, quia ita ſcilicet eſt actus ſubſtantialis materiæ, vt nullum actum formámve ſubſtantialem recipiat: quod ſi ad actus accidentales à forma ſubſtantiali receptos recurratur, certè vltimum ſaltem accidens, actus purus, dicendus erit, iuxta noſtrum modum loquendi, & explicandi puram potentiam, Reſpondeo tamen, formam ſubſtantialem, nulla ratione, dici poſſe abſolutè actum purum: at eam dici poſſe, purum actum ſubſtantialem informantem: hoc autem, quod ſolùm ſequitur ex noſtro loquendi modo, non eſt abſurdum: nec propter illud metus eſt, ne formæ ſubſtantiali perfectio aliqua Dei optimi maximi propria arrogetur: Deus enim eſt actus purus ſubſtantialis, non informãs & incompletus, ſed completus ſubſiſténſve: item eſt actus purus abſolutè, & non egens additamento eius particulæ, *ſubſtantialis*: eo quod eius actualitas pura ſit, non tantum contra potentialitatem ſubſtantialem, ſiue ad formas ſubſtantiales, ſed quod plus eſt, contra omnem omnino. Quod autem ſpectat ad vltimum accidens ſuppoſiti cuiuſuis, haud ſequitur ex noſtra doctrina, illud eſſe abſolutè actum purum, ſed duntaxat eſſe purum actum accidentalem: quod cui meritò apparere poſſit abſurdum? Itaque, vt ad breuem quaſi epilogum redigam ſuperius dicta, materia prima nec eſt pura potentia entitatiua; ſiue ab omni entitate & exiſtenti ſorte prorſus aliena, quantum eſt ex ſe, ſuiſque meritis, vt volunt Thomiſtæ: nec pura potentia paſſiua, quatenus hæc diſtinguitur contra virtutem potentiámve actiuam, vt alij falsò exiſtimant: nec etiam pura potentia paſſiua abſolutè dicta, quatenus hæc conſiſtit in potentia recipiente, & nuſquam recepta; vt nonnulli haud magis ex vero putant: quid ergo? Sanè eſt pura potentia paſſiua ſubſtantialis, vt dictum eſt, vtque explicari poteſt ex ipſamet poſteriori inſtantia nobis obiecta: quemadmodum enim forma ſubſtantialis dicitur purus actus ſubſtantialis informans, ſiue pura forma ſubſtantialis ordinis; & ſicut accidens vltimum alicuius ſuppoſiti dicitur, éſtque, purus actus accidentalis; propter negationes ſcilicet potentialitatis ſupra expoſitas: quidni etiam materia prima dicenda ſit pura potentia paſſiua ſubſtantialis, vt vt propriam habeat exiſtentiam; eò ſcilicet quòd per eam exiſtentiam ita ſit receptiua formarum ſubſtantialium, 37

ſtantialium, vt ipſa dici non poſſit forma ſubſtantialis, ſed potiùs hæc de ea negetur. Atque hoc ſenſu cenſendum eſt loqui Ariſtotelem & B. Thomam, cum materiam primam docent eſſe puram potentiam.

38 Secundò opponunt aduerſarij, ac priorem confirmant oppoſitionem. In tota latitudine ac regione entis aliquod reperitur exiſtitque, quod ſit abſolutè purus actus entitatiuus, nullámque habeat potentialitatem, nempe Deus optimus maximus. Pari ergo ratione, in toto genere entis, aliquod erit, quod ſit pura potentia, non ſubſtantialis paſſiua, vt ſuprà nos explicare conati ſumus, ſed entitatiua; hoc eſt omnis actualitatis ſiue exiſtentiæ propriæ expers: tale autem ens támque potentiale, atque ex diametro oppoſitum primo & actualiſſimo enti, nimirum Deo, quod aliud eſſe poteſt, niſi materia prima? hæc ergo propriam vllam exiſtentiam non habet.

39 Reſpondeo in tota latitudine entis eſſe quidem aliquid quod pura potentia etiam entitatiua ſit, omníſq; actualitatis & exiſtentiæ expers: eiuſmodi tamen ens non eſſe materiam primam, ſed ens quoduis in potentia, & extra ſuas nondum cauſas poſitum, atque exiſtens. Et quidem materiam primam deſtinatè ſumptam non eſſe id entis, quod contra actum purum & increatum diſtinguitur, quodve non exiſtit nec poteſt per exiſtentiam propriam, & aliunde non emendicatam, facile eſt probatur: ſiquidem, quod Deus ſit actus purus, ex eius oritur infinita perfectione: híncque ei repugnat, omnis potentia paſſiua, & omne quod eſt eſſe in potentia ad aliquid. At quod materia etiam dum exiſtit, ex ſe ſit pura potentia entitatiua, nec ex eius imperfectione nec vllo alio ex capite poteſt proficiſci: quantumuis enim ſit imperfecta, nihilominus eſt receptiua formæ ſubſtantialis, & à Deo creatur, & eſt ſecundum ſe ens reale: quæ prædicata ei conuenire nequeunt, ſine eo quod de ſe ac ſeorſum à forma actualitatem & exiſtentiam, cum pura potentia entitatiua oppoſitam, habeat; vt luce clarius eſt.

40 Tertiò opponunt aduerſarij; Ex duobus entibus in actu non fit vnum ens per ſe, vt fert commune proloquium: at ex materia, & forma ſubſtantiali, fit vnum ens per ſe: materia ergo, & forma, non ſunt duo entia in actu: talia autem forent, ſi vtraque propriam peculiarémque exiſtentiam ſiue actualitatem haberet. Reſpondeo, in primis in Thomiſtica ſententia negante propriam exiſtentiam materiæ, materiam tamen & formam eſſe duo entia in actu: ſicut enim, ſi duo parietes eadem albedine diuinitus afficerentur, duo alba futura eſſent, quídni ſimiliter materia & forma, eſto eadem exiſtentia gaudeant, tamen duo exiſtentia ſiue duo entia in actu ſint? vbi iam argumentum Thomiſticum, contra Thomiſtas militat. Deinde, ex duobus entibus in actu incompleto fit vnum ens per ſe; ſecus verò ex duobus entibus in actu completo: qua ratione ex pedibus, brachiis, manibus, capite &c. fit v. g. vnus homo per ſe; at ex pluribus hominibus haud fit vnus homo per ſe, ſed exercitus aut ciuitas, aut aliud vnum enſve per accidens. Cùm igitur materia per propriam exiſtens exiſtentiam ſit ens in actu incompleto, & forma ſimiliter, haud ſanè eſt, cur non poſſint in vnum ens per ſe coaleſcere.

41 Quartò opponunt aduerſarij. Eſſe eſt propter operari, vt fert etiam communis paræmia: ſed materia de ſe nullam habet operationem: ergo & nullum eſſe, nullámve exiſtentiam. Reſpondeo omne eſſe completum ſubſtantiale eſſe propter operari; ſecus verò omne eſſe incompletum, & partiale: aut, ſi mauis, omne eſſe etiam partiale, eſſe propter operari: materiam autem proprias operationes habere, eas ſcilicet, quibus ſuas paſſiones producit: aut demum, omne eſſe etiam incompletum eſſe propter operationem, non ſemper propriam, ſed compoſiti interdum: eſſe autem incompletum materiæ, ſicut ad eſſe, ſic etiam ad operationem compoſiti ac totius, referri.

Quinto opponunt aduerſarij: Si materia exiſtentiam, aut actualitatem ſibi non minus quam forma ſortitur, ſanè actus quidam erit, haud aliter ac forma actus eſt: at materia prima actus eſſe nequit: nec enim actus informans eſſe poteſt, vt compertum eſt; nec etiam actus ſubſiſtens, aliàs eſſet perfectior quam forma vlla ſubſtantialis: quo pacto Angelus perfectior eſt animo rationali; quia ſcilicet hic, actus informans eſt; ille verò actus ſubſiſtens. Reſpondeo, materiam primam actum quendam eſſe: an autem actus ſubſiſtens dicenda ſit vel non; haud niſi vocis ſolius eſt diſſidium. Et quidem, licèt actus ſubſiſtens appelletur, non ob id perfectior erit, quam forma ſubſtantialis, cuius eſt compars: nec enim idcircò Angelus animum rationalem perfectione ſuperat, quia actus ſubſiſtens vtcunque eſt, ſed quia actus ſubſiſtens completus, cum tamen anima actus incompletus ſit: at materia prima actus ſubſiſtens non completus ſed incompletus & per formam complebilis eſt. Quod ſi hic loquendi modus diſplicet, materiam appellato, actum non ſubſiſtentem, aut informantem, ſed ſuſtentantem, & inter duos priores medium. 42

Sexto obiiciunt aduerſarij, materiam primam, ſi haberet eſſe actuale proprium, & ab eſſe formæ diſtinctum, eo ipſo futuram in aliqua determinata ſpecie, provt à forma diſtinguitur: Conſequens autem videri abſurdum, & contra S. Thomam 1. p. qu. 44. art. 2. ibi *materia per formam contrahitur ad determinatam ſpeciem.* Reſpondeo in primis materiam, ſi quid adducta ratio valet, haud habituram eſſe, propriam eſſentiam, ne ſcilicet ea eſſentia independenter à forma determinatam aliquam ſpeciem ſibi vendicaret: Deinde dicendum abſolutè eſt, materiam, provt exiſtentem ſeorſum à forma, eſſe in ſpecie determinata, incompleta quidem, non verò completa: atque hoc & non aliud B. Thomam ſibi velle. Et quidem Angelicum Præceptorem nobis magis quàm aduerſariis fauere liquet ex his, quæ docet q. 3. de ver. art. 5 ad 1. ibi; *Licèt materia prima ſit informis, tamen ineſt ei imitatio primæ formæ: quantumcunque enim debile eſſe habeat, illud tamen eſt imitatio primi entis.* Quibus verbis materiæ provt condiſtinctæ à forma aliquam tribuit entitatem & actualitatem, quamuis debilem & imperfectam comparatione eius eſſe quod habent aut omnes aut certè quædam formæ ſubſtantiales. 43

Septimò obiiciunt aduerſarij, materiam primam ab Auguſtino lib. 12. Confeſſion. vocari propè nihil. At quorſum, niſi quia eam cenſet nullo eſſe, nulla exiſtentia propria eſſe prædita? Reſpondent aliqui materiam primam ab Auguſtino appellari ferè nihil, quia de ſe ac ſponte ſua caret omni actu entitatiuo completo; nullúmque actum talem habet niſi à forma. Verùm ita cur obſecro forma ſubſtantialis dici non poſſit ac debeat propè nihil, quantumuis perfecta ſit? cum de ſe, ac provt diſtinguitur à materia & vnione ad illam, haud ſit in actu entitatiuo completo, ſed tantum incompleto, & partiali. Alij, quibus nonnihil fauet D. Th. vbi paulo ſupra, reſpondent, ideo Auguſtinū appellare materiam primā penè nihil, quia ea eſt ſponte ſua ac per ſe valdè imperfecta. Sed contra eſt, quòd illa perfectior longè ſit, quàm calor, lux, aliæq; plures formæ accidentales; quippe non harum more generabilis, corruptibilis, extra eſſentiam, & quidditatem compoſiti ſubſtantialis poſita; ſed potiùs contrariis perfectionibus prædita, & ſuapte natura creationem terminans, corruptionis neſcia, compoſitum 44

ſubſtantiale eſſentialiter conſtituens cauſanſque. At præfata accidentia, titulo imperfectionis, à nemine dicuntur propè nihil: à fortiori ergo materiæ primæ nequibit id nominis aut notæ propter imperfectionẽ inuri. Addo, materiam primam fortaſſis eſſe perfectioré, minúſque conſequenter imperfectã, aliquibus formis ſubſtantialibus, quas tamẽ quis appellari poſſe cenſeat propè nihil? Vera ergo argumenti ſolutio eſt, materiã primã quatenus tantùm ſubeſt priuationi formę, eamque importat & cauſat, dici ab Auguſtino propè nihil, ac non ens, nec ab eo ſolo, ſed etiam à Platone & aliis multis: id autẽ non eſt materiã, poſitiuè & formaliter ſumptã, haud habere exiſtentiam propriam, haud niſi à forma; ſed priuationem formæ, quæ materiæ veluti ineſt & ab ea cauſatur, nec per ſe nec per aliud exiſtere poſſe, ſed potius nihil eſſe ac manere. Sed de hoc plura inferius tract. 5. c. 3.

Caput V.

Proſecutio argumentorum: & cur materia potius quam forma ſubiectum ſit?

45 Octauò à Thomiſtis obiici ſolet. Si materia prima non exiſteret per exiſtentiam formæ, poſſet naturaliter ac citra vllum miraculum exiſtere ſine forma eiuſque exiſtentia: Conſequens eſt apertè falſum. Ergo, &c. Reſpõdeo, ſicut eſſentia quæuis exiſtere nequit ſine ſuis proprietatibus, quin tamen per exiſtentiam proprietatum exiſtat; & quemadmodum creatura exiſtere non poteſt ſine exiſtentia creatoris, quin per eam formaliter & intrinſecè exiſtat; ita ſimiliter in præſenti ſeruata proportione rem ſe habere.

46 Nonò, à noſtris opponi ſolet. Exiſtẽtia formæ communicatur materiæ: materiam ergo denominat exiſtentem, ſicut albedo parieti cõmunicata eum denominat album: ſuperflua igitur eſt quæuis alia exiſtentia propria per quam materia exiſtat. Reſpondeo, eodem argumento probari poſſe, quod è conuerſo forma per exiſtentiam materiæ exiſtat; ſiquidem exiſtentia materiæ communicatur vnitúrque formæ; eodémque etiam argumento, accidentia omnia exiſtere per exiſtentiam ſubſtantiæ ſuæ, aut è contrario hanc per illorum exiſtentiam & eſſe, quæ tamen ſunt abſurdiſſima. Deinde abſolutè reſpondendũ eſt, exiſtentiam formæ, quamuis communicatam materiæ, eam tamen haud denominare exiſtentem; aut quia ei per identitatem realem non communicatur, cùm tamen hæc cõmunicatio, ſiue vnio, identitatis realis, ad effectum formalem exiſtentis requiratur: aut certè, quia materia eius effectus formalis incapax eſt, eo quod illum per ſe habeat: nouum autem non eſt formam communicatam ſubiecto, haud ei impertire effectum formalem, cuius, pro priori, capacitatem in eo non ſupponit.

47 Decimo tandem, ac ſanè difficulter opponi poteſt, pro contraria ſententia. Si materia non exiſteret per exiſtentiam ei à forma communicatam, non eſſet cur materia foret ſubiectum formæ, eamve reciperet, quã è conuerſo; ſeu quod perinde eſt, non eſſet, cur materia potius foret materia, quam forma, aut cur hæc formæ magis quam materiæ rationem haberet. Sequela probatur, quia materia non eſt ſubiectum formæ, nec eam recipit, eò quòd ſit cauſa materialis, à qua forma educitur: tum quia, aliàs materia prima non eſſet ſubiectum animæ rationalis, nec eam reciperet, cum proculdubio eam materialiter non cauſet: tum quia, aliàs ſubiectum informationis ſeu receptionis à ſubiecto eductionis, ſeu cauſalitatis, minimè diſtingueretur. Rurſus, materia non eſt ſubiectum formæ, nec eam recipit, eo quod ab illa exiſtentiam completam accipiat; ſiquidem forma etiam exiſtentiam completam viciſſim à materia accipit, & ambæ vtrinque complentur, ac perficiuntur. Ideo igitur præcisè materia eſt ſubiectum formæ, eamque recipit, & non è conuerſo, quia forma exiſtentiam ſibi cognatam materiæ communicat, cum interim è diuerſo materia exiſtentiam propriam non habeat, quam ei forma referat acceptam. Proinde, ſi materia per exiſtentiam formæ non exiſtat, haud erit, cur potiùs altera quam altera alterius ſit ſubiectum.

Declaratur, & confirmatur. Ideo forma ſubſtantialis eſt ſubiectum formarum accidentalium, eaſque recipit, quia de ſe non habet eſſe ſecundum quid accidentis proprium, ſiue modum eſſendi, ſed potiùs hunc à forma accidentali accipit. Similiter ergo, ob id materia erit ſubiectum formarum ſubſtantialium, eaſque recipiet, quia de ſe non habet eſſe ſimpliciter, ſiue exiſtentiam, ſed potius eam à forma accipit. Quæ doctrina videtur eſſe B. Thomæ citata qu. 44. primæ partis art. 2. corpor. vbi ſic inquit, ac verba ex ipſo ſuperius prolata proſequitur: *Materia per formam contrahitur ad determinatam ſpeciem, ſicut ſubſtantia alicuius ſpeciei per accidens ei adueniens contrahitur ad determinatum modum eſſendi: vt homo contrahitur per albũm.* 48

Hactenus argumenti noſtri ſequela. Porrò autem eius conſequens, nempe materiam uon magis eſſe ſubiectum formæ quam è conuerſo, abſurdiſſimum eſt. Patet, tum quia vt dictum eſt, quid illud eſſet quã materiam haud magis eſſe materiam, quam formam? quamve huic non plus formalitatis ineſſe, quam ineſt materiæ? Tum etiam quia eſt contra ipſum rationis lumen; primáque principia. Tum denique, quia eſt contra omnes Philoſophos, apud quos quid celebrius? quam ita ſe habere materiam ad formam, ſicuti ſe habet fœmina ad virum, aut ſicut dualitas ad cæteros numeros, ei quaſi primo numero, & veluti ſubiecto, ſuperimpoſitos: hæ autem & aliæ ſimiles locutiones perſpicuè indicant, materiam eſſe ſubiectum formæ, & non è contrario, oppoſitumque eſſe omnino improbabile & abſurdum. 49

Hoc argumentum eſt omnium optimum, quæ pro ſententia Thomiſtica fieri poſſunt, multúmque negotij faceſſit, eò quòd exigat diſcrimen formæ à ſubiecto; quod cum dari manifeſtum ſit, quale tamen detur, perplexum ſanè eſt atque dubioſum: in eo certè exhibendo non parum Philoſophi præſertim recentiores deſudant. Reſpondet primò P. Petr. Hurtado, & Compton. diſp. 4. phyſ. ſect. 2. n. 4. materiam primam eſſe ſubiectum formæ ſubſtantialis, eamque in ſe recipere, & non conuerſim; quia forma eſt quæ tribuit denominationem, ſubiectum verò quòd eam recipit: at ita comparantur inuicem materia & forma, vt materia quidem accipiat denominationem à forma, & hæc eam materiæ conferat. 50

Verum hæc ſolutio non ſatisfacit, quia ſicut materia prima hominis ab eius forma habet, quod homo quodammodo ſit, ita ſimiliter forma hominis ab eius habet materia, quod homo aliquatenus dicatur: nec magis forma quam materia denominationem hominis alteri tribuit, cum vtraque alterutram compleat, & hominem conſtituat. Item ſicut materia hominis à forma denominatur animata, ita & materia à forma denominatur incorporata. Ac demum ſicut materia à forma dicitur informata, ſic etiam forma à materia dicitur & denominatur ſubiectata. 51

Non

Non ergo magis forma materiæ, quam materia formæ, tribuit denominationem.

52 Dices, formam tribuere materiæ denominationem, non quamcunque, sed informatæ; cum tamen materia formam, non informatam, sed subiectatam, denominet. In contrarium tamen est, quia id ipsum est quod in dubium reuocatur, cur anima hominis v. g. materiam potius denominet informatam, quam subiectatam; aut cur materia prima denominet potius animam subiectatam, quam informatam? siquidem non magis anima materiæ quam hæc illi è conuerso existentiam communicat. Frustra ergo ad qualitatem denominationum, quas sibi vicissim tribuunt materia, & forma, recurritur ab aduersario & assectis.

53 Alij respondent, ex duabus partibus, quarum altera alteram intrinsecè complet, eam esse subiectum quæ est magis indifferens, eam vero habere rationem formæ quæ est minus indifferens magisque determinata. Cum ergo materia sit de se indifferens ad hanc, & illam formam substantialem, specie diuersam, forma autem substantialis de se determinata sit ad hanc specie materiam; inde est vt materia potius sit subiectum formæ, quam è conuerso. Et quidem hæc indifferentia ad varias formas, materiæ propria, ejusque à forma substantiali, quam recipit, distinctiua, satis constat, ex iis nominibus ac similitudinibus, quibus antiquissimi quique & grauissimi Philosophi materiam soliti sunt explicare. Quorsum enim ab Aristotele & Peripateticis mater appellata est, nisi quia, provt materia est, maiorem habet indifferentiam ad formas, quam è contrario? eo pacto, quo mater, stricte talis, indifferentior est ad filios, quam vice, vt aiunt, versa; cum mater plurium filiorũ, aut sit, aut certè esse possit, contrà vero vnius filij plures esse matres naturaliter repugnet.

54 Deinde ab eodem Aristotele, & sectatoribus, cur adultera vocatur materia nisi quia non tot illa procos riualesque mutat, quot hæc formas. Præterea quid inter Philosophos plerosque communius, quam materiam appellare syluam? nimirum, quia sicut hæc est variis arboribus consita, & hic v.g. fraxino viret, illic populo albescit, alicubi platano pacatur, atque alibi lauro redimitur; ita materia prima varias formas in potentia sua continet, ad easque est indifferens. Quid plura? Pythagorici materiam vocabant lunam, hocque eam Hieroglyphico significabant, videlicet, quia, vt luna est indifferens ad varium fulgoris genus, & modo dimidiatim cæsa apparet, modo vero corniculatim flexa, nunc in plenum orbem sinuata, septennariisque despensationibus, vt cum Macrobio loquar, luminis sui vices sempiterna lege variando disponit; ita similiter materia suaptè natura indifferens est ad varias, earumque multiplici receptione, haud minus diuersa apparet, quam luna pro varietate accessuum suorum ad solem, vel ab eo recessuum.

55 At nè hæc solutio placet. Primo, quia, si materia prima cælestis à sublunari, & materia vnius corporis cælestis à materia alterius specie differat, vt nonnulli satis probabiliter censent, sanè materia prima cuiusuis cæli non erit magis indifferens, nec latiùs fundetur; quam eius forma, sed potius, alterutra ad aliam erit ex æquo determinata. Perperam ergo, per eam maiorem indifferentiam, ratio subiecti explicatur. Secundo, quis neget saltem possibile esse subiectum physicum, non solum æqualis indifferentiæ cum forma, verum etiam quod forma minus indifferens sit, eaque minus latè pateat? haud secùs, ac subiectum intentionale, non tam indifferens est, nec adeo latè manat, ac eius prædicatum seu forma intentionalis: vt cernere est in hac propositione, *homo est animal*, vbi homo, qui subiectum est, de se alligatur ad id vt animal sit, cum tamen animal adstrictum de se non sit ad hominem, sed potius sit indifferens ad plures species animalis.

Tandem, quæuis essentia est subiectum comparatione suarum proprietatum stricte talium, & non è conuerso: atqui essentia non est magis indifferens ad has & illas proprietates specie diuersas, quam è diuerso: aliàs proprietates stricte ac rigorosè tales, quartove modo, futuræ non essent. Contra quam supponitur. Equidem non video, cur materia prima exiget determinatè hanc specie quãtitatem, quam quantitas hanc specie materiam, si fortè ambæ distinguuntur inuicem: aut cur anima exigat hunc specie intellectum, si ab ea distinctus sit, quam è cõuerso. Quod autem spectat ad nomina & similia, quibus materiam eiusque indifferentiam explicant Philosophi, fateor ea esse appositissima, sed tamen id mihi indubitatum est, iis non omnem materiam explicari, sed sublunarem & de facto existentem, nec tam huius essentiam & quidditatem quam meram eius proprietatem, & conditionem, per ea declarari: haud ergo contrariæ sententiæ, quam reiicimus, quicquam prosunt. 56

Tertiò alij respondent, subiectum esse illam partem, ex qua vnio educitur; & in qua velut causa materiali susciptur: aliam verò compartem esse formam: quando ergo materia prima vnionem cuiuscumque formæ, etiam animæ rationalis velut causa materialis sustẽtat, sanè animæ rationalis & cuiusuis alterius formæ subiectum erit, atq; receptaculum. Contra tamen primò sic argumẽtor, ad homines; quia vnio animi rationalis creari potest; fac ergo eam creari: certè in tali euentu materia prima erit subiectum animi rationalis, quin tamen eius vnionem, velut causa materialis, sustentet. Ergo &c. Maior inquam est aduersariorũ, quibuscum modo disputamus. Minor probatur, quia ea in hypothesi animus rationalis erit verè & propriè forma materiæ, illam animans, viuificans, & ad esse hominis euehens: ergo materia in illo euentu non solũ impropriè, vt hi recentiores contendũt, verum etiã propriè animi subiectum erit, siquidem forma subiecto, summa proprietate, & proportione, correspõdet. Sanè homo subiecto & forma essentialiter constat: quare cum, in ea hypothesi, homo propriè daretur, quis negare possit, tum etiam subiectum & formam propriè datum iri? 57

Aliter, etiam ad homines, contra eandem responsionem, argumentor. Vnio cõtinuatiua, iuxta aduersarios, diuinitus educi potest, ex sola vna continui parte: at vna continui pars subiectũ alterius, nec diuinitus, esse potest, cum cõpositio continua à compositione essentiali seu per modũ actus, & potentiæ, siue subiecti, & formæ, sit essentialiter diuersa. Quod argumentũ, in forma etiã, formari potest: quippe, quæ saltẽ diuinitus suscipere potest vnionẽ, cum interim ne diuinitus seu miraculosè possit esse materiæ subiectũ. Proinde, &c. Tandẽ sic arguo. Quod detur vnio ab extremis realiter distincta, aut quod semel admissa suscipiatur adæquatè in sola materia, non verò in forma tantum, vt putant Suar. & Vasq. nec in vtroque extremo vt malunt alij; omnino exploratum constansque non est; cum tamen certissimè & indubitanter constet, materiam esse subiectum formæ, & non è conuerso: malè ergo hoc posterius per illud prius explicatur: quod enim peius philosophandi genus, quam certa per incerta, & clara per obscura, explicare & docere. 58

Quartò alij cum Arriaga docent subiectum esse partem illam, quæ pro priori naturæ supponitur, saltem ad vnionem cum alia parte, per quam perficitur: formam autem esse, quæ, pro posteriori naturæ, partis præsuppositæ incomplementum complet, 59

& perficit. Contra hanc tamen ſolutionem inprimis facit, quod anima rationalis, pro priori naturæ, præſupponatur ad vnionem cum materia per nutritionem acquiſita: nam quis neget vnionem eam, ab anima rationali, veriſſimè cauſari? at anima non eſt propterea ſubiectum materiæ, quæ per nutritionem acquiritur, ſed è conuerſo; Ergo &c. Secundo ad homines eandem ſolutionem impugno, quia quantitas Euchariſtica, iuxta eos quibus cum diſceptamus, creatur per modũ quendam ſibi intrinſecè adhærentem, & reſpectu cuius non eſt prior ordine naturæ: quomodo enim terminus poteſt eſſe prior actione ſui productiua, eamve antecedere? At quãtitas Euchariſtica non impropriè, ſed potius propriè & ſtrictè creationis illius modalis ſubiectum eſt, ſubiectum inquam informationis, & adhæſionis. Vniuerſim ergo verum non eſt de ratione ſubiecti eſſe vt ordine naturæ, prius ſit forma aut vnione ad illam. Maior, vt dixi; eſt aduerſariorum. Minor probatur, quia creatio illa modalis, ad inſtar termini ſui, creata eique, intrinſecè adhærens, eſt vera forma accidentalis: verũ ergo aliquod ſubiectum ei reſpondet, quod certè aliud, quam quantitas eſſe nequit. Antecedens ſuadetur, tum quia creatio illa eſt accidens: ergo & forma accidentalis propriè: quemadmodum enim de ratione cuiuſcunque ſubſtantiæ creatæ eſt, vt alicuius formæ proprium ſubiectum ſit; etiam & de ratione cuiuſuis accidentis, vt alicuius ſubiecti vera ſit forma: quæ duo vel ex ipſa accidentis & ſubſtantiæ ethymologia perſpicuè conſtant: Tum ſecundo, quia creatio illa modalis atque adhæſiuè ad terminũ ſuum creata, eſt propriè ens incompletum: ſed omne ens incompletum eſt, vel ſubiectum, vel forma: creatio igitur, qua de loquimur, vel ſubiecti vel formæ rationem obtinet; non ſubiecti autem, ergo formæ ſubiectum aliquod veriſſimè reſpicientis.

60 Id etiam contra eandem ſolutionem militat, quod non improbabile fortaſſis ſit, dari poſſe in alio rerum ordine compoſitum, ex materia & forma, quæ, licet realiter inter ſe diſtinguantur, tamen ſe natura & ratione concomitentur; huiuſmodi enim concomitantia, minor eſt identitate; at iuxta non paucos, in corpore ſimplici, forma, & materia, poſſunt quodammodo inter ſe realiter identificari: quidni ergo poſſint in aliquo ſubſtantiali compoſito ſe concomitari? ſed in eo compoſito materia, potius quam forma, ſubiectũ non eſſet, ob prioritatem vnius, & poſterioritatem alterius: quippè neutra eſſet altera prior, neutraque poſterior, ſed potius concomitanter ſe haberent ambæ: Non ergo per eum ordinem prioris & poſterioris quidditas ſubiecti eiuſve à forma diſtinctio eſt explicanda.

61 Ipſe inprimis cenſeo, ex duabus partibus vnione penetratiua copulatis, eam eſſe ſubiectum, quæ minus principaliter ac perfectè, eam verò è contrario eſſe formã, quæ magis principaliter perfectéque compoſitum cauſat atque conſtituit: cum ergo materia prima, minus principaliter perfectéque quã forma, compoſitum ſubſtantiale conſtituat, mirandum non eſſe, quod materia ſit ſubiectum formæ, & non è conuerſo, quãtumlibet vtraque per exiſtentiam ſibi propriam atq; cognatam exiſtat. Quam doctrinam, in hunc modum, explico, & ſuadeo. Aut forma entitatiuè atq; in ſe eſt perfectior quam ſubiectum, vt vel ſemper, vel multoties, euenit, cum forma eſt ſubſtantialis; de quo infra tract. 4. & ita mirum non eſt, ſi compoſitum etiã perfectius principaliuſque conſtituat & cauſet. Aut forma ſiue ſubſtantialis ſiue accidentalis eſt imperfectior quam ſubiectum: & tunc etiam formam ad compoſitum magis perfectè concurrere poſſe & debere, ſuadetur.

Primò, quia cauſa efficiens imperfectior poteſt tamen & ſolet interdum perfectius concurrere ad effectum quam alia cauſa efficiens ſuaptè natura perfectior; quidni ergo poſſit forma ſubſtantialis & accidentalis, eſto aliqua ſit imperfectior ſubiecto, perfectius tamen, quam illud, ad compoſitum concurrere? quidni conſequenter explicari, per hunc cõcurſum perfectiorẽ, eſſentia ſubiecti & formæ, eorumque inter ſe diſtinctio? Antecedens probatur, quia ſol v. g. eſt perfectior, quam terra: & tamen hæc perfectiùs ad generationem auri, quam ille concurrit; vt aliqui putant, terra aurum efficit, & ſol ad illud, niſi diſpoſitiuè, aut diſpoſitiones cauſando, non concurrit? Quod ſi hoc exemplum non placet, en aliud: cognitio eſt perfectior habitu cognoſcitiuo & ſcientificq, hic autem efficit amorem, adeoque perfectius ad eum concurrit, quam cognitio: quippe quæ directiuè tantum, non verò effectiuè, in illum influit. 62

Aliter ſecundo oſtenditur, formam, licet aliquando imperfectior entitatiuè ſit, perfectius tamen, quam aliam compartem, poſſe ad totum concurrere. Siquidẽ perfectior eſt concurſus dantis, quam accipiẽtis; iuxta illud Pauli dictum, quod refertur Actor. 20. *Beatius eſt magis dare, quã accipere*. At albedo v. g. denominationem albi dicitur abſolutè tribuere ac dare: paries verò, albedini ſubiectas, denominationem eam albi non tribuere, ſed potius ab albedine accipere cenſetur. Perfectius ergo albedo, ad denominationem ſeu compoſitum accidentale albi, quam paries concurrit: & tamen eſt imperfectior pariete, nihil ergo prohibet quamcũque aliam formam, ſiue accidentalem, ſiue ſubſtantialem, quantumlibet alia comparte ſua ſit entitative imperfectior, perfectius tamen ad compoſitũ ſiue totum ex vtraque coaleſcens influere. Fateor, ſtrictè loquendo parietem, per identitatem realem, inadęquatè communicare ſeipſum albo, ac proinde eſſe ei cõmunicare ac dare, & non ſolum recipere; alioqui eius non eſſet cauſa intrinſeca. Cæterum adeo imperfectè dat paries eſſe albo, vt vulgò dicatur, non tam dare illi eſſe, quam totum eius eſſe ab alio, nempe albedine, recipere. Ex hoc ergo loquendi modo intulimus, & quidem, niſi fallimur, efficaciſſimè, albedinem, eſto imperfectiorem pariete, perfectius tamen ad denominationem, ac totalitatem albi concurrere. 63

Aliter etiam, tametſi non adeo vniuoce, explicari poteſt ratio ſubiecti, & cur ea materiæ potius quam alteri eius comparti conueniat. Dici enim poteſt, formam totius ſeu compoſiti accidentalis v. g. albi eſſe partem, quæ in eo exprimitur, quæve concreti accidentalis illis abſtractum eſt: cum ergo in albo ſola albedo exprimatur, eaque ſola eius concreti ſit abſtractum, ſanè ſola ipſa & non paries erit forma. At vero ea pars erit forma totius ſubſtantialis, quæ fuerit ex genere ſuo perfectior, & naturæ dignitate præſtantior, quam alia: qnando igitur anima quæuis aliúdque quoduis complementum ſubſtantiale materiæ ex genere ſuo maiorem entitatiuam perfectionem habet quam materia; certè hæc ſemper erit ſubiectum, & altera eius compars, non ſubiectum, ſed forma. Ideo autem forma omnis ſubſtantialis, ſaltem ex genere ſuo, eſt perfectior materia prima, quia intra genus formæ ſubſtantialis eſt aliqua, cuius perfectionem nulla materia poſſibilis aſſequi poteſt; nimirum anima rationalis: de quo infra tractatu quarto. 64

Atque ex his patet ad decimum pro ſententia Thomiſtarum argumentum, cuius occaſione de forma & ſubiecto, eorumque inter ſe diſtinctione, hactenus diſputauimus. Quin enim materia prima careat propria exiſtentia, quinve 65

eam

eam emendicet à forma, haud tamen vna supereſt ratio cur materia ſubiectum dici, & contrà forma intra proprios formæ fines ſiſtere debeant. Ex dictis etiam liquet, ad confirmationem argumenti: nec enim ideo accidens eſt forma ſubſtantiæ, quia ei modum eſſendi ſiue eſſe quoddam intrinſecè communicat, cum ſubſtantia talem eſſendi modum, taleve eſſe de ſe non habeat: hoc ſiquidem eſſe falſum, conſtat ex dictis ſupra, contra P. Hurtadum, & ne leuiſſimè colligitur ex B. Thoma, quippe qui loco nobis obiecto, abſolutè loquitur, cum tamen propoſitio, inſtar antecedentis, in confirmatione argumenti aſſumpta, & à nobis iamiam negata, haud ſit abſoluta, ſed cauſalis. Rationes ergo, cur ſubſtantia ſit ſubiectum accidentis ſui, & hoc illius forma, independenter ab eius Antecedentis veritate, non deſunt, eæque, niſi fallimur, ſatis probabiles: nempe eæ, quas paulò ſupra protulimus.

TRACTATVS III.

De dependentia materiæ primæ, à formis ſubſtantialibus, in compoſitione eſſentiali corporis naturalis.

CAPVT PRIMVM.

An materia dependeat à priori à forma ſubſtantiali.

1 VERIVS arbitror, materiam non dependere à priori à forma ſubſtantiali, hoc eſt ab ea tanquam à vera cauſa minimè dependere. Ita Suarez diſp. 15. Metaph. ſect. 8. à num. 16. Arriaga diſp. 2. Phyſ. ſect. 6. Vaſquez & communiter noſtri. Ita etiam Scotus in 2. diſt. 12. quæſt. 2. & cum eo communiter Scotiſtæ: Neque non Gregorius ibid. quæſt. 2. art. 2. Item Auicenna lib. 6. Metaphyſ. & Henricus quodlib. 1. quæſt. 11. Probatur autem, quia ſi materia à forma ſubſtantiali tanquam à vera cauſa, ſiue à priori, dependeret; maximè tanquam à cauſa formali: at dependentiam velut à cauſa formali nequit ab ea ſortiri: ergo nullam.

2 Maior argumenti noſtri perſpicua eſt: ſiquidem materia non dependet à forma tanquam à cauſa efficienti, alias forma naturaliter creari & materia ab agente naturali effici poſſent: vtrumque autem eſt impoſſibile. Deinde materia non dependet à forma, tanquam à ſubiecto; aliàs materia generaretur, daretúrque mutua cauſalitas in eodem genere. Rurſus materia non dependet à forma in genere cauſæ finalis abſolutè; quia finis materiæ, non tam eſt forma, quam compoſitum: & quamuis materia in genere cauſæ finalis à forma dependeret, certè id impertinens eſſet ad præſens inſtitutũ, quod non de dependentia intentionali finis propria, ſed de dependentia phyſica, eſt: ſola ergo cauſa formalis reliqua eſt, in cuius genere poſſit materia à forma pendere: id quod ipſi etiam Thomiſtæ, contra quos diſputamus, ingenuè fatentur.

3 Porrò autem minor argumenti noſtri ſuadetur. Primo, quia, ſi ob aliquam rationem materia à forma in genere cauſæ formalis dependeret, maximè, quia per exiſtentiam formæ exiſteret: at hanc rationem eſſe falſam, ac nullius momenti, probatum eſt, tract. præcedenti: Secundò, quia ſi forma eſſet formalis cauſa materiæ, & hæc conſequenter eius effectus formalis, ſanè materia haud poſſet non produci efficienter ab agente creato, à quo forma efficienter producitur. Conſequens eſt abſurdum. Ergo, &c. Sequela probatur: nam effectus formalis calidi v. g. ab igne efficienter procedit: quis enim neget, lignum ab igne calefieri, ſeu calidum fieri, aut effici? At non alia ratione, niſi quia calidum eſt effectus formalis caloris, qui quidem ab igne efficienter producitur: Si ergo materia eſt effectus formalis formæ, non poterit non effici ab agente creato, à quo forma ipſa efficitur.

Tertiò ſuadetur eadem argumenti noſtri minor: 4
quia forma ſubſtantialis à materia in genere cauſæ materialis verè dependet: haud ergo è conuerſo materia à forma in genere cauſæ formalis dependebit: alioqui dabitur mutua cauſalitas atque prioritas ſaltem in diuerſo genere: quam tamen repugnare conſtabit in loco. Quartò tandem probatur illa minor, quoniam forma eſt cauſa formalis compoſiti: quæ ergo neceſſitas cogit ei tribuere influxum cauſæ formalis in materiam?

Enimuerò aſſertioni noſtræ refragantur Caietan. 5
de ent. & eſſent cap. 5. quæſt. 9. Capriol. in 2. diſt. 13. quæſt. 1. Iauellus & Soncinas 8. metaph. qu. 1. Ferrarienſ. 3. contra gentes cap. 4. omnéſque Thomiſtæ vt teſtatur P. Suarez vbi ſupra. In eadem ſententia ſunt Argentinas in 2. diſtinct. 12. qu. 3. 1. & Durandus ibidem quæſt. 2. Idipſum etiam ex noſtris videtur ſequi Fonſeca 5. metaph. cap. 2. quæſt. 3. ſect. 1. Obiiciunt autẽ primo Doctores Thomiſtæ, materiam non habere exiſtentiam propriam, ſed exiſtere per exiſtẽtiam formæ: forma ergo dat eſſe materiæ, adeóque eſt vera illius cauſa. Sed huic argumento factum eſt ſatis ſupra. Obiiciunt ſecundò; forma ſubſtantialis perfectior actualiórque eſt quam materia: magis ergo eſt, vt forma cauſet materiam, quam vt materia ſit cauſa formæ: atqui materia eſt vera cauſa materialis ac paſſiua formæ: hæc ergo, à fortiori, erit vera cauſa formalis materiæ, eiúſque dependentiam à priori terminabit. Verum, vti homo eſt perfectior ſole, & tamen ſolem non generat neque cauſat, ſed potiùs è contrario à ſole generatur; iuxta commune effatum; *Sol, &, homo generant hominem*; ita ſimiliter, in præſenti, &c. Ratio à priori eſt, quia, tametſi forma non cauſet materiam, ſed ab ea cauſetnr, optimè intelligitur proficiſci poſſe ex aliis capitibus, quod materiam perfectione ſuperet, nimirum quia compoſitum perfectius cauſat conſtituítque, & quia eſt prima radix effectiua operationum compoſiti, quæ quidem multæ ſunt interdúmque præſtantiſſimæ, nec à materia efficiuntur, ſed in ea recipiuntur duntaxat.

CAPVT II.

An materia ſaltem à poſteriori à forma ſubſtantiali dependeat?

CEnſeo inprimis, materiam primam de facto exiſtentem dependere à poſteriori à forma ſubſtantiali; id eſt dependentiam ab ea habere, tanquam ab effectu, quem materialiter cauſat, & ſine quo vniuerſaliter ſumpto ex natura rei ac citra miraculum eſſe non poſſit, neque conſeruari. Ita cenſent commentator 1. Phyſ. comment. 56. & lib. 2. comment. 13. Auicen. 2. met. cap. 2. & 3. Themiſt. 1. Phyſic. digreſſion. vltima, Soncinas 5. metaphyſ. qu. 1. Plotin. Ænead. 3. lib. 6. cap. 14. Arriaga diſp. 11. Phyſ. ſect. 6. ſubſ. 3. n. 111. Hurtad. diſp. 5. ſect. 9. §. 141. Conimb. 1. Phyſ. c. 9. q. 6. art. 3. & Suarez citata diſp. 15. met. 6

ſect. 8. n. 9. vbi ait hanc ſententiam frequentiùs eſſe receptam à Philoſophis & Theologis.

7 Probatur primò, quia longè perfectior eſt forma materialis equi v. g. ne quid dicam de aliis formis, quam materia prima; præſertim, ſi quod eam Auguſt. propè nihil appellat, de illa poſitiuè ac provt condiſtinguitur à priuatione, intelligatur, vt communiter intelligi ſolet. Atqui forma materialis equi naturaliter exiſtere ſine materia nequit, vt omnes fatentur, vtque in ſequentibus oſtendemus. Materia ergo è contrario ſine forma naturaliter exiſtere nequibit. Dices, formam equi, per actionem generatiuam & à materia eſſentialiter pendentem, produci; ideóque independenter à materia eam exiſtere non poſſe: hæc autem ratio in materia non militat. Contra tamen ſic inſurgo: quia ſi materia, modo cum forma, modo ſine illa, naturaliter produci poteſt, cur etiam forma modo dependenter à materia, modo verò independenter ab illa produci, & creationem cum generatione commutare nequeat? Aut cur omnis productio formæ à materia à priori dependeat, & contra omnis productio materiæ non dependeat à poſteriori à forma? huiuſmodi enim dependentia à poſteriori non eſt contra rationem actionis creatiuæ.

8 Secundò probatur noſtra ſententia, quia materia prima naturaliter nequit eſſe ſubſtantialiter incompleta: ſed ſine forma omni ſubſtantiali ſubſtantialiter eſſet incompleta: ergo ex natura rei nequit eſſe ſine quacumque forma ſubſtantialis ordinis. Maior probatur ad homines, contra aduerſarios, qui ſubſiſtentiam exiſtimant eſſe veluti formam quandam ſubſtantialem naturæ, quæ cum ea totum per ſe conſtituit. Siquidem natura humana v. g. naturaliter eſſe nequit ſine ſubſiſtentia, ſiue hypoſtaſi: at non alia de cauſa, niſi quia, vt potè ſine comparte, eſt ſubſtantialiter incompleta: ergo, &c. Maior oſtenditur: tum quia dari naturam humanam ſine ſubſiſtentia, eſt dari humanitatem ſine homine, quod ſupernaturale & miraculoſum tam eſſe quis ambigat, quam reperiri albedinem ſine albo? Tum quia Deum aſſumpſiſſe naturam humanam ſine propria ſubſiſtentia, miraculum proculdubio fuit: à fortiori ergo conſeruari naturam humanam abſque vlla ſubſiſtentia propria, vel aliena, miraculoſum erit, rerúmque naturis contrarium.

9 At dices, animum rationalem eſſe ſubſtantialiter incompletum ſine materia: & tamen eſſe poſſe abſque illa naturaliter, ac citra omne miraculum. Verum hæc occaſio nulla eſt: quia ideò animus rationalis, quamuis ſubſtantialiter incompletus, exiſtere nihilominus poteſt naturaliter abſque materia, quoniam excellentiſſimas quaſdam habet operationes à materia prorſus independentes, & quas niſi extra illam non valet exercere: haud enim, corpori vnitus, poteſt v. g. ſubſtantiam vllam, haud res ſpiritualis ordinis quidditatiuè ac per ſpecies proprias cognoſcere. Sed materia prima nullas habet operationes vllius pretij, quas cum forma poſſit exercere, & ſine illa non poſſit; quin imò abſque forma tanquam vilis quædam & inutilis maſſa ſorderet.

10 Tertiò etiam noſtra probatur opinio: quia materia nequit ſpoliari forma ſubſtantiali, niſi vi alicuius contrarij: at nullum eſt contrarium, quod materiam omni forma ſubſtantiali naturaliter poſſit ſpoliare: abſolutè ergo nequit materia naturaliter, ac citra miraculum, omnis formæ ſubſtantialis iacturam pati. Maior probatur, quia eſſentia abſque ſuis proprietatibus, nullo interueniente contrario, haud poteſt naturaliter reperiri: vt cernere eſt in aqua, quam certum eſt, ſine agente aliquo calido, frigore ſibi congenito naturaliter non poſſe deſtitui: ſimiliter ergo materia prima, abſque interuentu alicuius contrarij, naturaliter nequibit omni forma ſubſtantiali denudari, omniſve expers conſeruari. Minor autem eiuſdem argumenti ſuadetur, quia omne agens naturale priſtina forma materiam primam ſpolians, nouam formam in eam imprimere atque introducere nititur: nullum ergo agens naturale, materiam primam, omni forma ſubſtantiali poteſt denudare. Antecedens vſque adeo experientia teſtatum eſt, vt inde fluxerit Philoſophicum illud axioma, à nemine non receptum; *generatio vnius eſt corruptio alterius*; & illud aliud, *natura nunquam intendens ad malum operatur*: id eſt nunquam deſtructionem vnius formæ propter ſe, ſed propter alterius introductionem, molitur.

Replicabis tamen, vi agentium naturalium materiam ſpoliari non poſſe omni forma ſubſtantiali, vbi ſemel aliquam adepta ſit: & hoc ſolum diſcurſu à nobis facto demonſtrari: cæterùm, abſque vlla forma ſubſtantialis ordinis eam naturaliter primò produci potuiſſe. Contra tamen facit, quod eadem ratione fingi poſſet, materiam primam abſque quantitate, & hominem abſque potentia intellectiua, naturaliter potuiſſe primo creari: eſto nec materia prima quantitate, nec homo potentia intellectiua, vi vllius agentis contrarij, naturaliter ſpoliari ſuſtineant. Conſequens autem eſt ridiculum: quis enim abſque miraculo fieri poſſe credat, vt homo ſine intellectu exiſtat, aut materia exiſtat, quæ tamen quanta non ſit, ſeu, quod perinde eſt, quæ nec magna nec parua ſit abſolutè? tametſi intellectiua potentia ab homine & quantitas à materia ſupponantur realiter diſtinctæ, vt modo diſputandi gratia ſupponimus. 11

Quartò denique probatur noſtra & verior ſententia, hunc in modum. Ideo hominem v. g. ſine accidentibus communibus omni homini naturaliter eſſe non poſſe iudicamus, quia nunquam homo ſine bona eorum parte extitiſſe vſquam aut vnquam viſus eſt. Atqui materia prima nunquam exiſtit extititve ſine forma ſubſtantiali: niſi ergo aliunde oppoſitum conſtet, iudicandum ac pro comperto habendum eſt, ſine ea non poſſe naturaliter exiſtere, aut in rebus eſſe. Maior eſt perſpicua. Minor probatur, quia materia prima nunquam hucuſque extitit, ſine quantitate, figura, colore, aliiſque id genus: at eiuſmodi accidentia & operationes præſupponunt neceſſario formam aliquam ſubſtantialem in materia: hæc ergo ſubſtantialiter informis nunquam extitit. Quod præfata accidentia & operationes præſupponant, neceſſaria ratione, aliquam formam ſubſtantialem, exploratum eſt: nam ſi materia prima abſque vlla forma ſubſtantiali præſuppoſita variis tamen accidentibus & operationibus poſſet pollere, vnde nobis conſtaret ſignum, v. g. ignem, aquam, aliáque ſimilia corpora ſubſtantialia ſubſtantiali forma eſſe prædita? & non potius omnia illa indicia formæ ſubſtantialis fallere. 12

Cenſeo ſecundò, probabile eſſe, quod in alia rerum ſerie poſſibilis ſit materia prima, quæ ſine vlla forma ſubſtantiali poſſit naturaliter exiſtere. Suadetur, quia quo magis materia in perfectione creſcit, & contra forma in perfectione decreſcit, eo magis materia ſine forma eſſe poterit. At materia prima, in diuerſis rerum ordinibus, poteſt eſſe magis perfecta, & perfecta, in infinitum ſyncathegorematicè: & forma ſubſtantialis minus, & minus perfecta, eadem ratione. Eo igitur vſque materia in perfectione creſcere, & forma in ea poterit decreſcere, vt materia ſine forma naturaliter exiſtere queat. Minor inferius tract. 4. probanda eſt. Maior probatur, quia quod materia prima modo ſine forma naturaliter eſſe nequeat, ex imperfe- 13

ctione

ctione materiæ, & perfectione formæ præcipuè oritur, ſicut è contrario, quod Deus naturaliter exiſtere poſſit ſine creaturis, ex perfectione Dei, & imperfectione creaturarum, proficiscitur: quò ergo magis in perfectione forma creſcit, & materia decreſcit, eo magis hæc ſine illa eſſe poterit.

14 Cenſeo denique tertiò, probabilius tamen eſſe, quod ſit impoſſibilis materia prima, nullius formæ ſubſtantialis indiga, & abſque omni potens naturaliter exiſtere. Probatur primò, quia quantumuis materia prima in perfectione creſcat, tamen ad perfectionem imperfectiſſimæ formæ ſubſtantialis fortaſſe deuenire non poteſt: de quo infra tract. 4. Sed nulla forma ſubſtantialis materialis ſine materia naturaliter exiſtere poteſt: ergo neque è conuerſo. Secundo, quia probabile eſt hoc, quod eſt materiam de facto exiſtentem, exiſtere non poſſe ſine forma ſubſtantiali, haud oriri ex imperfectione materiæ, & perfectione formæ, qua materiam ſuperat: quantumcumque igitur materia prima ab imperfectione recedat, & forma ad eam accedat, tamen materia in nullo rerum ordine, ſine forma naturaliter, exiſtere poterit: antecedens probatur, quia alias materia prima ſine quantitate, vbicatione, aut duratione naturaliter exiſtere poſſet: ſiquidem ab iis, & aliis ſimilibus formis accidentalibus, perfectione non ſuperatur, ſed potius longiſſimis interuallis eas ſuperat.

Caput III.

Diſſoluuntur argumenta contra dependentiam à poſteriori materiæ à forma ſubſtantiali, ſuperius ſtatutam.

15 Enimverò materiam primam, contrà quam ſuperius ſtatuimus, naturaliter exiſtere poſſe ſine omni forma ſubſtantiali, tuentur Gabriel in 2. diſt. 12. quæſt. 1. & 2. Marſilius etiam in 2. quæſt. 9. art. 2. in idémque ſtando rationi videtur inclinare Arriaga diſput. 2. phyſic. ſect. 6. ſubſ. 3. num. 119. Pro qua ſententia, primum argumentum eſſe ſolet. Si materia prima naturaliter nequiret exiſtere ſine forma, certè abſque ea ſupernaturaliter conſeruata, peteret ſuam deſtructionem. Conſequens eſt abſurdum, ergo & illud ex quo ſequitur. Conſequentis abſurditas eſt in aperto: quia materiæ primæ quantumlibet ſubſtantialiter informi melius eſt eſſe, quam non eſſe: quare ſuum eſſe, non verò deſtructionem appetet: quidni enim? ſiquidem vt omnes Philoſophi vno quaſi ore fatentur, natura ſemper id, quod ei melius eſt, appetit, & quod ei malum eſt, refugit.

16 Sequela verò argumenti probatur, quia conſeruatio materiæ ſine forma ſubſtantiali eſſet contra leges, & exigentiam naturæ: nihil autem eſt in rerum natura, quod deſtructionem materiæ poſtulare poſſit, niſi ipſa materia: ſola igitur ipſa, in euentu, quo de loquimur, ſuam poſtularet deſtructionem. Minor proximè poſita ſuadetur, quia nihil exigere poteſt deſtructionem alterius à ſe diſtincti, niſi quod ei contrarium eſt; alias homo v.g. deſtructionem Angeli naturaliter poſtulare poſſet, quamuis ei propriè contrarius non ſit: at nihil eſt in rerum natura diſtinctum à materia prima, quod ei contrarietur: contrarietas enim omnis eſt circa ſubiectum aliquod commune, vt experientia teſtatur: materia autem prima nullum habet ſubiectum, in quo recipiatur, ſed potius ipſa eſt primum ſubiectum, quod cætera recipit.

17 Huic argumento reſpondent aliqui, materiam primam in primo inſtanti productionis ſuæ, ſine forma ſubſtantiali, naturaliter extituram, eò quòd in illo inſtanti ſuam deſtructionem poſtulare non poſſet: nec mirum, quod non poſſet: is enim appetitus fruſtra eſſet, & nunquam poſſet ſatiari: quomodo namque materia, ex ſuppoſitione exiſtentiæ ſuæ, in primo illo inſtanti carentiæ omnis formæ, tamen non exiſtere poſſet aut deſtrui? Sicut ad ſatiandum deſtructionis appetitum oporteret. Cæterùm in ſequentibus inſtantibus materiam ſubſtantialiter informem naturaliter exiſtere vel conſeruari non poſſe cenſent, propterea quod tum ipſa materia, in primo inſtanti exiſtens, deſtructionem ſuam interitúmque pro ſequentibus poſtularet; ne videlicet, vt dictum eſt, quid tam vile, & deforme, in rebus exiſteret. Cæterùm hæc ſolutio duo ſatis abſurda admittit, nempè materiam in aliquo ſaltem inſtanti naturaliter ſine forma exiſtere; & alia ex parte eam innatè poſſe appetere ſuammet deſtructionem pro reliquis inſtantibus: & quidem prius horum capite præcedenti eſt à nobis abunde impugnatum: poſterioris vero falſitas & ex perſtrictis paulo ſupra, hoc ipſo cap. ſatis conſtat, & ex dicendis infra vberius eluceſcet.

18 Alij ſecundo reſpondent, vniuerſum poſtulaturum eſſe deſtructionem materiæ, caſu quo ſine forma ſubſtantiali exiſteret: ne ſcilicet (vt iterum prædictum eſt) aliquid adeo vile & deforme exiſteret. Contra tamen primò ſic arguo: melius eſſet vniuerſo eſſe materiæ, quantumlibet ſubſtantialiter informis, quam eius non eſſe abſolutè ſumptum: haud ergo poſtularet non eſſe materiæ, etiamſi hanc ſubſtantialiter informem eſſe contingeret. Secundò argumentor: materia prima, vt vt forma ſubſtantiali careret, longè tamen perfectior eſſet, quam plura accidentia: horum autem deſtructionem vniuerſum non poſtulat, ſed potiùs eorum exiſtentiam, & conſeruationem: materiæ ergo ſubſtantialiter informis, à fortiori, deſtructionem non peteret. Tertiò: vniuerſum ſtrictè non poſtulat, ne monſtra, quantumuis deformia, in rerum vniuerſitate exiſtant, nec hæc miraculoſa abſolutè ſunt, ſed quodammodo naturaliter producuntur. Similiter ergo materia prima ſubſtantialiter informis ratione ſuæ deformitatis ac fœditatis haud quaquam exiſteret, contra vniuerſi huius exigentiam. Quartò: materia à Deo ſine forma ſubſtantiali produci poſſet, vniuerſo neutiquam producto, aut exiſtente. At, eo in euentu, productio materiæ, ſubſtantialiter informis, haud eſſet iuxta aduerſarios miraculoſa & ſupernaturalis, propterea quod vniuerſum materiæ deſtructionem poſtularet, ſiquidem nullum daretur vniuerſum: productio ergo materiæ ſine forma ſubſtantiali, tum eſſet omninò naturalis: quod tamen eſt abſurdiſſimum, & ne authoribus ſolutionis placiturum.

19 Quidam alij tertiò reſpondent, ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ſiue neceſſariam, qua Deus ſcit naturam vniuerſi poſſibilis & materiæ primæ, etiam poſſibilis, poſtulare, ne producat in rerum natura materiam primam, caſu quo per ſcientiam mediam videat, ſe habiturum eſſe decretum, de non producenda forma ſubſtantiali, ſi materiam ſit producturus: cum ergo hæc ſcientia media neceſſariò comitaretur decretum productionis materiæ ſine forma ſubſtantiali, inde eſt, vt tale decretum eſſet contra exigentiam diuinæ ſcientiæ neceſſariæ, atque adeò miraculoſum: conſequenter etiam ipſa materiæ exiſtentia tum foret miraculoſa, & ſupernaturalis. At reuera ſatis friuolum arbitror, in præſenti recurrere ad ſcientiam Dei; hæc enim rerum naturis accommodatur, nec aliud poſtulare poteſt, ad extra, vt aiunt, quam quod res ipſæ,

ſi exiſterent, poſtularent: at deſtructionem materiæ ſubſtantialiter informis, nec materia ipſa, nec vniuerſum poſſent poſtulare: ergo nec eam ſcientia Dei poſtularet. Equidem nec ipſi ſcientiæ Dei, nec vniuerſo, melius eſſet, non eſſe materiæ, quantumuis ſubſtantialiter informis, quàm eius eſſe: cur ergo ſcientia Dei eius non eſſe peteret?

20 Ipſe ergo aliter reſpondeo. In conſeruatione materiæ, ſine forma omni ſubſtantiali, duo ſunt conſideranda: alterum videlicet, materiam primam abſolutè exiſtere: alterum verò, eam ſine forma exiſtere: quæ, velut continens, & contentum, diſtinguuntur: caſu ergo quo exiſteret materia ſubſtantialiter informis, illud prius foret planè naturale ac neutiquam miraculoſum, vt argumento conuincitur, cum nec materia ipſa, nec vniuerſum, nec vlla eius pars, poſtulare poſſet materiæ deſtructionem, aut abſolutam non exiſtentiam: cæterùm poſterius prædictorum, eo in euentu, eſſet miraculoſum, & contra leges & exigentiam totius naturæ; propterea quod tam materia, quam vniuerſum, poſtulent, ac tunc poſtularent, non exiſtere materiam ſine forma. Porrò, cum bifariam fieri poſſit, vt earum altera exiſtat diuinitus ſine altera, nimirum vel per deſtructionem materiæ informis, vel per productionem formæ in illa; ſubſtantialemve eius formationem, ſanè cum materia & vniuerſum poſtularent, non exiſtere materiam ſine forma, haud eſſet neceſſe, vt deſtructionem materiæ appeterent, ſed ſufficeret, vt ſolam productionem formæ in materia præexiſtenti, huiuſve formationem ſubſtantialem. Itaque, in hypotheſi noſtræ diſputationis, nec exiſtentia materiæ ſecundum ſe eſſet miraculoſa, nec carentia formæ etiam ſecundum ſe cum miraculo eſſet coniuncta, ſed ſola relatio, qua materia prima coëxiſteret carentiæ omnis formæ; quod attentè conſiderandum eſt, ne in æquiuoco laboremus.

21 Et quidem, ſi quid argumentum factum probaret; & accidentia Euchariſtica, naturaliter ac ſine miraculo, conſeruari de facto, abſque ſubiecto probaret: ſimiliterque materiam reſolutam in puncta, & abſque vlla partium vnione; necnon eandem materiam ſine quantitate, ſi fortè hæc ab ea diſtinguitur; ac animam ſine potentia intellectiua, ſi ſupponantur diſtinctæ, conſeruari naturaliter poſſe: atque vt ſemel dicam nihil diuinitus ſine alio conſeruari poſſe, quod non poſſit etiam naturaliter: nihil enim, ſine alio diuinitus conſeruatum, ſuam ob id deſtructionem poſtularet; nec aliud eſſet, quod eam poſſet poſtulare. Atque hactenus primum argumentum, contra dependentiam à poſteriori materiæ à forma ſubſtantiali, alteriuſque cum altera connexionem naturalem.

22 Secundò contra eam opponi ſolent verba illa cap. primi Geneſeos; *terra autem erat inanis & vacua*: quæ ſanè materiam in prima mundi creatione ſubſtantialiter informem extitiſſe indicant: at talis non extitit miraculosè & ſupernaturaliter: quæ enim eſſet eius miraculi adeo anticipati conuenientia, aut neceſſitas? vel quorſum Deus naturam quamprimum creatam inuerteret, & contra eius leges ageret? tum igitur non niſi naturaliter extitit materia prima, ſine omni forma ſubſtantiali.

23 Reſpondeo tamen, nomine terræ inanis & vacuæ, de qua Geneſ. cap. 1. intelligendum eſſe, non materiam terreſtrem omni forma ſubſtantiali deſtitutam, ſed terram ipſam, ex materia & propria forma ſubſtantiali compoſitam; ſine eo tamen decore & ornatu, quo modo intuentium oculos & animos amœnat, vbi partim dehiſcit in valles, partim tumeſcit in montes, partim apertos expatiatur in campos: vbi hinc ſcaturit in fontes, illinc diſſeminatur in riuos, vbi floribus vernat, frondibus viret, gemmis intermicat, auro & metallis radiat, animantibus ſpirat, ac demum hominis coronatur imperio. Atque hoc pacto interpretantur eum locum Geneſ. Benedictus Pereira Cornel. à Lapide Molina, Caietan. & alij expoſitores & Theologi: Conſonat etiam ea interpretatio verſioni ſeptuaginta, quæ loco illorum verborum, *terra autem erat inanis & vacua*, habet, *terra erat inuiſibilis & incompoſita*, necnon verſioni Ionathæ Chaldæi, quæ talis eſt; *terra erat vacua hominibus & iumentis*. Negare non poſſum gentiles quoſdam Philoſophos verba illa Geneſ. de materia prima ſubſtantialiter informi, quam dixere chaos, intellexiſſe, imò ex prædictis verbis eos occaſionem arripuiſſe, materiæ primæ adſtruendæ: ita Clemens Alexandrin. lib. 5. Stromat. ibi; *& alioqui dictio illa prophetica, terra autem erat inaſpectabilis & incompoſita, præbuit eis* (ſcilicet Philoſophis gentium) *occaſionem materialis tradendæ ſubſtantiæ*. At neque me latet, hanc interpretationem Ethnicorum, & quorundam Chriſtianorum, non tantum à noſtro Cornelio, mitiſſimo alioqui viro, improbabilem cenſeri, ſed etiam à D. Baſilio Homil. 2. Hexamer. acerrimè ſugillari in hunc modum; *Sed veritatis deprauatores non ſuam mentem accõmodantes ſcripturæ, ſed ad ſuam voluntatem mentem ſcripturarum trahentes, ac peruertentes, materiam hiſce verbis innui dicunt*: iis ſcilicet, quæ ex Geneſ. adducta ſunt: *hæc eſt enim & inuiſibilis, inquiunt, & inornata ſuapte natura: quippe, cum omni prorſus qualitate, ſuomet genio & conditione, atque ab omni penitus forma figuraque ſit ſeparata, quam opifex vniuerſi ſumptam per ſuam ſapientiam informauit*. Hactenus ille.

Tertiò opponi poteſt, contra noſtram ac veriorem ſententiam, ſuperius propoſitam. Materia prima nullam habet connexionem à parte rei, cum exiſtentia formæ ſubſtantialis: nulla igitur forma tali exiſtente poterit à parte rei naturaliter conſeruari: adeoque à forma ſubſtantiali à poſteriori non dependet. Antecedens argumenti ſuadetur: quia in primis, materia prima non habet connexionem cum exiſtentia formæ ſubſtantialis determinatæ, cum ſine quauis determinatè ſumpta, poſſit ſoleatque exiſtere: deinde neque connectitur etiam cum exiſtentia formæ indeterminatæ, ſiue huius, vel illius, vagè ſumptæ: nam exiſtentia formæ indeterminatæ à parte rei, ſiue quod perinde eſt, dari in rebus ante operationẽ intellectus formam indeterminatam omnino repugnat: quidquid enim à parte rei exiſtit, determinatum, & ſingulare eſſe debet; omniſque indeterminatio, non, niſi ab intellectu noſtro, proficiſcitur: materia ergo cum exiſtentia formæ indeterminatæ, ſiue cum hac, vel illa forma indeterminatè exiſtenti minimè connectitur: aliàs cum aliquo naturaliter impoſſibili naturaliter connecteretur, quod planè abſurdum eſt. 24

Reſpondeo, aliquid à parte rei indeterminatè exiſtere poſſe: quod neſcio quo pacto Recentiores quidam Philoſophiæ Præceptores diffiteantur: cum hæc propoſitio, *aliqua forma exiſtit*, vera ſit; ad veritatem autem eius oporteat, vt eius obiectum à parte rei detur: At eius obiectum eſt exiſtentia indeterminata alicuius formæ: hæc igitur à parte rei exiſtit. Atque adeo connexionem naturalem materiæ primæ poterit terminare. Cæterum nihil à parte rei merè indeterminatè exiſtit, hoc eſt, quin aliquid inuoluat, quod ſit determinatè exiſtens; cum hæc propoſitio v. g. *aliquis homo exiſtit*, pro aliquo homine determinatè ſupponere debeat, & reſpectu eius verificari. 25

CAPVT

CAPVT IV.

An dependentia materiæ à forma, alteriúsque cum altera connexio, superius statuta, sit summa?

26 SVmmam non esse, sed potius talem, vt diuinitus; ac miraculosè possit materia sine omni forma substantiali conseruari, tuetur Suarez disp. 15. metaph. serm. 9. num. 3. vbi pro eadem sententia refert Henricum, Scotum, Lichetum, Mayronem, Bassolum, aliosque Scotistas, ac Richardum, Gregorium, Gabrielem, Marsilium, & Dominicum Sotum. Idipsum docet Balthasar Tellez disput. 22. physic. sect. 2. concluſ. 2. num. 11. & apud eum Fonseca, Rubius, Burlæus, & Oxamus. Eidem sententiæ subscribunt Caberus to. 2. physic. tract. 1. disp. 2. dub. 8. Bartholomæus Amicus tract. 5. physica quæst. 4. dub. 5. Connimb. 1. physic. cap. 9. quæst. 6. Cardinal. Tolet. lib. 1. Physic. cap. 7. text. 70. quæst. 13. propè finem Vasquez 1. 2. tom. 1. disp. 25. c. 3. num. 20. Arriaga disp. 2. sect. 6. subs. 2. Petr. Hurtado disp. 5. sect. 9. ac omnes Doctores nostræ Societatis.

27 Probatur autem primò, quia in eo, quod materia sine omni forma substantiali conseruetur, nulla est repugnantia terminorum; præsertim cum materia existentiam propriam sibi non vendicet, vt demonstratum est supra; ea igitur conseruatio subterfugere non poterit Omnipotentiam Dei. Secundò probatur, quia forma substantialis etiam materialis sine materia diuinitus conseruari potest; ergo & è conuerso. Antecedens perspicuum est, quia forma accidentalis sine subiecto omni potest conseruari, & etiam de facto conseruatur in Eucharistiæ mysterio; à fortiori ergo forma substantialis ita conseruari poterit, sine vlla subiecta sibi materia: à fortiori, inquam, vtpote, quæ substantia, siue ens per se est, ac proinde perfectior, & à subiecto independentior, quam forma accidentalis.

28 Verùm dependentiam materiæ à forma summam esse, & quod perinde est, talem, vt ne diuinitus possit vinci, neque materia ab omni forma substantiali separari, docent Argent. Durand. Deza Albertus Magn. Zumel, Medina, Caiet. apud Amicum vbi supra. Item Iandunus, Herueus, Hugo Victorin & Bonau. apud Conimb. loco proximè citato. Nec solum laudati Thomistæ; Sed communiter alij ferè omnes eam opinionem, & quidem summa contentione propugnant. Ex quibus obiicies primo: materia nequit denominari existens etiam diuinitus sine existentia: atqui existentia materiæ non est propria, sed forma: sine alicuius ergo formæ existentia nequit etiam diuinitus existere. Cæterum minorem inprimis esse absolutè falsam, materiamque gaudere propria existentia, satis probatum manet tract. præcedenti. Rursus transeat materiam non habere existentiam propriam, sed potius per existentiam formæ existere: hoc permisso, cur sicut de facto, iuxta Thomistas præcipuè nobis aduersarios, materia Christi Domini, vnita eius formæ, existit per existentiam verbi, non posset etiam separata ab omni forma per eandem existentiam verbi existere?

29 Obiicies secundò, pro illamet sententia. Si posset Deus conseruare materiam sine omni forma substantiali; aut omnino naturaliter: &, hoc falsum esse, supra demonstratum est: aut supernaturaliter, & miraculosè: & hoc etiam dici non posse patet, quia alioqui materia peteret suam destructionem, quod repugnat. Verùm huic argumento factum est c. superiori. Obiicies tertiò, pro eadem sententia. Nequit Deus, etiam de potentia absoluta, conseruare naturam sine subsistentia; v. g. humanitatem sine homine: quid euidentius? ergo nec materiam sine forma substantiali. Respondeo, quidquid sit de aliorum placitis circa subsistentiam, mihi id iam diu insedisse, quod subsistentia hominis v. g. sit compositum metaphysicum ex eius partibus resultans: nihil mirum ergo, si tam repugnet dari naturam sine subsistentia, quam impossibile diuinitus est, quod, partes, aliquæ inter se vnitæ, non inferant, neque causent suum totum. At hæc ratio non procedit in forma substantiali, comparatione materiæ: nec etiam alia vlla ratio, quæ sit satis verisimilis, vt, qua solet iudicij grauitate, pronuntiat Suarez, vbi supra.

Obiicies quartò, pro eadem sententia, à nostris solet. 30
Si materia prima sine omni forma substantiali diuinitus conseruari potest; vel eadem actione, qua modo eam Deus conseruat substantialiter formatam: vel diuersa, & potentiori, ac magis efficaci: at neutra: nullo ergo modo fieri, etiam diuinitus, potest, vt materia sine forma substantiali conseruetur, aut existat. Quod non diuersa; probatur, quia materia non dependet à priori à forma substantiali, nec ab ea producitur: ad eam ergo conseruandam sine forma, opus non esset diuerso influxu, & maiori potentiorique, quam antea, quo nimirum concursus formæ suppleretur. Iam verò, quod materia substantialiter informis non conseruaretur, per eandem, eiusdémque speciei actionem, cum ea, qua modo conseruatur vnita formæ substantiali, sic suadetur: si actio conseruatiua materiæ, sine forma, esset eadem, quæ cum illa, sanè etiam volitio, qua Deus materiam ita informem conseruare statueret, eadem esse posset, ac deberet: iam ergo conseruatio illa materiæ sine forma non esset miraculosa, & supernaturalis, sed naturalis, tum quoad substantiam actionis, tum etiam quoad modum volitionis diuinæ, ex qua talis actio procederet.

Dicendum puto ad hoc argumentum, quod præce- 31
dentibus melius est, materiam primam conseruatum iri sine forma substantiali, per actionem omnino eandem, eiusdémque speciei cum actione qua nunc substantialiter formata producitur, & conseruatur. Ita Suarez, Hurtado, Arriaga, & Tellez, supra citati. Quod autem opponunt Conimbricenses, & Fonseca, contrarium opinantes. Deum non suppleturum, quidquid forma conferebat in existentiam materiæ, illam actuando, & in genere causæ formalis causando, nisi diuinus in illam influxus esset intrinsecè potentior, adeoque essentialiter diuersus; hoc inquam, & ad initium numeri præcedentis, & toto capite primo huius tractatus, manet impugnatum, nec vlteriori eget impugnatione. Quamuis autem ita se res haberet, nihilominus conseruatio materiæ sine forma foret verissimè miraculosa & supernaturalis, non quidem quoad modum diuinæ volitionis, sed quoad modum aliter sumptum: nimirum, quia licet existentia materiæ primæ secundum se sumptæ naturalis esset, & exigentiæ totius vniuersi conformis; idemque de carentia formæ, seruata proportione, futurum esset; tamen modus ille, seu relatio coëxistentiæ, qua materia prima carentiæ omnis formæ coëxisteret, haud dubiè cum miraculo cohæreret, esseteque contra vniuersi, ac totius naturæ exigentiam.

Verum enimuerò Recentiores aliqui censent, 32
actionem conseruatiuam materiæ sine forma, in hypothesi de qua disputamus, futuram miraculosam, & supernaturalem, quoad modum diuinæ volitionis, à

qua

qua procederet,ac per denominationem ab illa: tunc, enim, inquiunt, Deus eadem indiuiſibili volitione exiſtentiam materiæ & carentiam omnis formæ vellet,decernerétque: talis autem volitio, citra dubium, eſſet eſſentialiter atque intrinſecè ſupernaturalis, ac miraculoſa.

33 Falluntur tamen, qui ſic diſputant: nam, inuariata actione & termino, non eſt, cur volitio Dei varietur, aut eſſentialiter diuerſa euadat: ſed materia prima, & actio, qua produceretur ſine materia, eſſent eædem,quæ modo: quidni ergo & volitio Dei,ad materiam informem terminata, foret etiã eadem? quidni conſequẽter,ſicut modo,eſſentialiter naturalis? Confirmatur & declaratur. Deus modo non vult,per eandem virtualiter volitionem,vt materia exiſtat,& in ea forma ſiue actus ſubſtantialis; ſed potius exiſtentiam materiæ,vna volitione pro priori ſigno rationis ſe habente,& exiſtentiam formæ,alia volitione,virtualiter diuerſa, & pro poſteriori ſe habente: eo námque ordine, quo ſunt res, Deus illas vult: priúſque priores, & poſterius poſteriores. Caſu ergo,quo materia miraculosè exiſteret ſine forma,pari ratione vellet Deus exiſtentiam, & carentiam formæ,non per volitionem virtualiter eandem, & eſſentialiter ſupernaturalem, ſed per duas virtualiter diſtinctas, quarum altera eſſet prior, aliáque poſterior, & vtraque eſſentialiter naturalis.

34 Alij docent, conſeruationem materiæ ſine forma futuram miraculoſam, & ſupernaturalem, quoad modum diuinæ volitionis, non quia actio conſeruatiua materiæ volitionem eſſentialiter ſupernaturalem terminaret, ſed quia eam terminaret carentia omnis formæ in illa: nec mirum, quia tum volitio, qua Deus vellet eam omni forma carere, præſupponeret eſſentialiter decretum diuinum de conſeruanda nihilominus materia: quis autem non videat,eſſe eſſentialiter ſupernaturale in Deo, velle carentiam omnis formæ, ſuppoſita materia, & decreto de eius conſeruatione? Itaque miraculum, in ea hypotheſi,primario conſiſteret in non productione formæ;conſeruatio autem materiæ, ſecundario, tantùm, & ex circunſtantia conſequenti; foret miraculoſa & ſupernaturalis.

35 Hæc etiam doctrina diſplicet, quia carentia omnis formæ,in hypotheſi de qua diſputamus,naturalis eſſet ſecundum ſe: cur ergo diuina volitio circa illam naturalis eſſe non poſſet? vt paulò antè in ſimili arguebamus. Et confirmatur: volitio Dei circa exiſtentiam materiæ, iuxta hos authores, eſſentialiter non inferret volitionem Dei,circa carentiam omnis formæ,eſto cum ea, quaſi per accidens, eſſet coniuncta: non ergò eſt, cur volitio Dei, circa carentiam omnis formæ, præſupponeret eſſentialiter diuinam volitionem,circa exiſtentiam materiæ, licet, quaſi ex accidenti, ad eam ſequeretur: ac proinde, non obſtante tali conſecutione, non eſſet intrinſecè & eſſentialiter ſupernaturalis, ſed tantum quoad modum coëxiſtentiæ ad volitionem oppoſitam, quam præſupponit; haud ſecus ac ipſa carentia omnis formæ, ad quam terminatur, eſſet ſupernaturalis quoad modum coëxiſtentiæ ad materiam, & hæc ſimiliter ſupernaturalis quoad modum coëxiſtentiæ ad prædictam carentiam omnis formæ,vt explicatum eſt. Ac de his hactenus.

TRACTATVS IV.

De appetitu innato materiæ ad componendum eſſentialiter, cum formis ſubſtantialibus,corpus naturale.

CAPVT PRIMVM.

An detur in rebus appetitus innatus? & quid, ac quotuplex ſit?

PROBARE hîc ex profeſſo libet, quod detur in rebus appetitus innatus, nullam ſequens cognitionem & ab elicito, ac vitali cognitionis lucem, ac directionem ſequẽnte, diſtinctus: tum quia, huius appetitus frequentiſſimè fit mentio in Philoſophicis, & Theologicis diſputationibus; magiſque in iis ſupponitur, quam probatur: túmne,ſicut Auicenna, inferius citandus, negat materiam appetere innatè formam ſubſtantialem, ita etiam audeat quis,vbiuis eum appetitum negare. Probatur autem primo, authoritate ethnicorum ſcriptorum. Atque in primis talem appetitum adſtruit Ariſtoteles lib.1. phyſ. c.9. text.81. docet enim ibi, materiam appetere formam, ſicut turpe pulchrum, & fœmina virum appetunt: quis autem non videat, in materiam, ſenſus expertem haud alium cadere poſſe appetitum, quam innatum? Idem docet Philoſophus primo ethic.c.1. ibi: *Bonum eſt,quod omnia appetunt:* At appetitus,omnibus rebus conueniens, non poteſt eſſe elicitus,ſed innatus. 1

Conſentit Plato in Lyſide, vbi ab eo introducitur Heſiodus inquiens, *Vnumquodque appetere non ſimile;ſed contrarium, & aridum appetere humidum, frigidum verò calidum, amarum dulce, acutum obtuſum, vacuum repletionem,plenum vacuitatem,cæteráque ſimiliter. Contrarium enim contrario alimentum præbere: ſimile autem ſimili minimè frui.* Hæc ille. In eadem ſententia eſt.Simplicius,cùm aliis in locis,tum in procemio phyſicorum,his verbis; *Elementa,& reliquas partes orbis vniuerſi &, ſibi inuicem cedere, & ſuum amare quæque ordinem,eo eſſe contenta, æqualitatemque ſeruare geometricem,planè perſpicimus.* 2

Seneca etiam in libro de beata vita cap.30. elegantiſſimè probat,declarátque, appetitum illum innatum ſciendi,omnibus hominibus communem, in hæc verba; *Natura ad virumque genuit, & contemplationi rerum,& actioni. Nunc probemus, quod prius diximus. Quid porrò, hoc non erit probatum, ſi ſe vnuſquiſque conſuluerit,quantam cupiditatem habeat ignota noſcendi, quam ad omnes fabulas excitetur? Nauigant quidam, & labores peregrinationis longiſſimæ vn, mercede perpetiuntur, cognoſcendi aliquid abditum remotumque. Hæc res ad ſpectacula populos contrahit, hæc cogit præcluſa rimari, ſecretiora exquirere antiquitates euoluere, mores barbararum audire gentium. Curioſum nobis natura ingenium dedit, & artis, ſibi, ac pulchritudinis ſuæ, conſcia, ſpectatores notantis rerum ſpectaculis genuit, perditura fructum ſui, ſi tam magna, tam clara,tam ſubtiliter ducta, tam nitida* 3

tida & non vno genere formosa solitudini ostenderet. Vt scias illam spectari voluisse, non tantum aspici, vide quem nobis locum dederit. In media nos sui parte constituit, & conspectum omnium nobis dedit, &c.

4 Porrò Tullius eundem in rebus appetitum innatum agnouit lib. 4. de fin. vbi sic disserit. *Est quædam appetitio naturalis, ea, quæ secundum naturam sunt, appetens.* Et paulò infrà: *nemo est qui aliter dixerit, quin omnium naturarum simile esset id ad quod omnia referuntur, quod est vltimum rerum appetendarum: omnis enim est natura diligens sui: Quæ est enim quæ se vnquam deserat, aut partem aliquam sui, aut eius partis habitum aut vim, aut vllius earum rerum, quæ secundum naturam sint, motum, aut statum? Quæ autem natura suæ primæ institutionis oblita est? nulla profectò, quin suam retineat, à primo ad extremum.* Et paulò etiam inferiùs. *Quin potius ita dicis, omne animal applicatum esse, ad id, quod in eo sit omne optimum, & in eius vnius occupatum esse custodia, reliquasque naturas nil aliud agere nisi vt id conseruent, quod in quaque optimum est?* Ac tandem, nonnullis intercisis: *Atque ipsa institutio hominis, si loqueretur, hæc diceret, primos suos quasi cœptus appetendi fuisse.* Quid his clarius? Egregiè etiam eundem appetitum innatum rebus quoque inanimis insitum describit Plaut. his versibus

Diua Astartha, hominum Deorúmque vis vita
Salus: rursum eadémque est
Pernicies, mors, interitus: Mare, cœlum sidera
Iouis quæcunque templa colimus, eius ducuntur
Nutu, & obtemperant.

At Astartha hæc cui obediunt omnia, cuiusque nutu ducuntur, mare, tellus, cælum, sidera, atque omnia etiam inanimata, idem est, atque Venus, seu Dea amorum, vt putat Tullius 3. de nat. deorum. Ideo autem Veneri amorumve Deæ tale imperium in res etiam inanimatas affingitur, quia in iis etiam amor regnat: non autem elicitus, vt patet: ergo innatus. Eundem etiam amorem innatum rerum, quo cunctæ se conseruant, belle depingit Claudianus de 4. consulatu Honorij: ibi

Nónne vides, operum quî se pulcherrimus ipse
Mundus amore liget: nec vi connexa per æuum
Conspirent elementa sibi? quî limite Phœbus
Contentus medio, contentus littore Pontus?
Et qui perpetuo terras ambitque, vehitque,
Nec premit incumbens oneri, nec cesserit aer?

5 Secundò probatur appetitus innatus rerum, authoritate Christianorum Philosophorum, & Theologorum: omnes enim in eo adstruendo conspirant, ac præsertim Scotus in 2. dist. 3. quæst. 5. & B. Thom. 1. Physic. cap. 9. ad text. 81. & 4. de potentia art. 1. & 1. p. qu. 59. art. 2. quos non solum Thomistæ & Scotistæ ab iis dicti, sed aliarum etiam scolarum sequuntur assecl æ. Tertiò probatur idem appetitus authoritate Sanctorum Patrum, atque ante omnes Augustini lib. 11. de ciuitat. Dei cap. 28. vbi sic disputat: *Si arbores essemus, nihil quidem sentiente motu amare possemus: verum tamen id quasi appetere videremur, quo feracius essemus, vberiúsque fructuosæ. Si essemus lapides, aut fluctus, aut ventus, aut flamma, vel quid eiusmodi, sine vllo quidem sensu atque vita, non tamen nobis deesset, quasi quidam nostrorum locorum, atque ordinis, appetitus: nam velut amores corporum momenta sunt ponderum, siue deorsum grauitate, siue sursum leuitate nitantur.* Et supra cap. 27. eiusdem lib. 11. sic disserit; *omnia corporalia, latentes in natura causas habent: sed formas suas varias, quibus mundi huius visibilis structura formosa est, sentiendas sensibus præbent, vt pro eo quod nosse non possunt, quasi innotescere velle videantur.*

Fauet Basilius in regulis fusius disputatis in responsione ad 2. interrogat. vbi sic inquit; *Simul atque constitit homo, insita naturalis etiam quædam rationis est via, quæ in seipsa amandi necessitudinis initia continet.* Et inferius; *in ipso ortus nostri initio vim quandam nanciscimur, per quam, nostra sponte, ad ipsum diligendum impellimur.* Accedit Bernard. in lib. de diligendo Deum vbi sic loquitur; *Clamat innata & nota rationi iustitia, quia ex toto se illum diligere debet, cui se totum debere non ignorat.* Priorem autem horum locorum ex Basilio adductum explicat Suarez lib. 1. de grat. cap. 29. num. 14. de appetitu innato ad amandum elicitè Deum: posteriorem etiam ex Bernardo desumptum eadem ratione exponit cap. 31. eiusdem libri, num. 6. ad finem. Fauent denique Clemens Alexandrin. lib. 4. strom. ibi: *Igitur conuenienter naturali appetitioni, vtendum est ijs, quæ sunt prohibita, cauendo, ne quouis modo nimium dilabamur.*. Dionys. cap. 4. de diuin. nomin. & Hierotheus in hymnis amatoriis necnon passim alij Patres, quorum aliquos vlterius citabimus cap. sequentibus. 6

Probatur quarto idem appetitus naturalis rerum, authoritate sacræ scripturæ. Nam talem appetitum satis expressit Paul. ad Roman. 8. infra cap. 3. expendendus. Eundem etiam videtur expressisse Dauid Ps. 103. ibi; *Catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi.* Et paulo infrà: *Omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore: dante te illis colligent,* &c. At creaturæ, seu irrationales, seu insensibiles, haud possunt à Deo quærere, expectare, aut petere escam, per appetitum elicitum, & verum: vt enim ita aliquod à Deo peterent ac desiderarent, sane Deum deberent cognoscere: quod autem ab illis non possit cognosci, est exploratissimum. Quintò tandem probatur ille appetitus; quia nulla in eo vel leuissima apparet repugnantia; & alia ex parte videtur, & ad conseruationem rerum omnino necessarius, & ad earum inter ordinem connexionémque explicandam valde conueniens. Hæc de appetitu innnato quoad an est. 7

Quid autem sit, Caberus tract. 1. Phys. disp. 1. dub. 3. & alij complures explicant per hoc quod sit inclinatio naturalis, qua in bonum sibi conueniens res omnes feruntur. Verum idem per idem explicant: ecquid enim est inclinatio naturalis, quam appetitus naturalis? Aut quæ synonima erunt, si hic nulla synonimia interuenit? Quare aliter appetitus innatus definiendus est; per hoc nimirum, quod sit connexio illa naturalis, qua res cum bono sibi conuenienti connectitur, aut qua ad illud determinatur, mouetur, vel ordinatur: Hæc enim determinatio, siue connexio, vnius rei cum alia sibi congrua, à parte rei, ac seorsim à quouis actu elicito, reperitur: aliunde, quid sit rem vnam cum alia connecti, siue ad eam naturaliter determinari, moueri, aut ordinari, ex terminis notum est: vnde rectè appetitus innatus per hanc naturalem connexionem, determinationem, motionem, aut ordinationem explicatur, definitúrque. Atque ita ferè B. Tho. 1. Physicor. lect. 15. Dici etiam, & quidem breuissimè, potest materiam primam, aut aliud quidpiam, id innatè appetere, quod appetitu elicito appeteret, si eo polleret. Atque hoc posteriori modo explicant appetitum innatum Arist. 1. Rhetor Ægid. de Præsent. tom. de beat. q. 3. art. 2. num. 11. Fons. 1. met c. 1 q. 1. sect. 3. & Ripald l. 1. de ent. supern. disp. 8. sect. 4. 8

Quotuplex verò sit appetitus innatus, non est difficilè explicatu: Quemadmodum enim appetitus elicitus, alius est per modum desiderij, alius per modum gaudij,

gaudij, alius per modum amoris stricti, quidam absolutus, nonnullus conditionatus, aliquis tandem determinatus, & aliquis indeterminatus; ita etiam totidem modis distinguendus est appetitus innatus. Porrò desiderium, siue elicitum, siue innatum, à gaudio differt, per hoc, quod illud prius terminetur ad rem vt existentem pro posteriori naturæ; siue quod perinde est, ad rem vt absentem, nondumque possessam; hoc verò posterius, nempe gaudium, ad rem vt existentem pro priori signo rationis; aut quod iuxta est, ad rem vt præsentem, ac iam possessam. Aliis terminis; desiderium est, vt res existat, gaudium verò, quia res existit, extititve. Amor autem strictus ad rem vt existentem non terminatur: & si de elicito sermo sit, haud regulatur per cognitionem, cuius prædicatum correspondeat his vocibus, *existit, extitit*, aut, *existat*. Reliqui autem appetendi modi, superius insinuati, per se patent, nec expositione indigent.

Caput II.

Materia prima appetit innatè formas substantiales: idque tum indeterminatè & conditionatè, tum etiam absolutè & determinatè.

10 Quidquid toto hoc tractatu dixerimus, de appetitu innato materiæ ad formas substantiales habendas, totum id intelligendum est, de eius inclinatione, & appetitu naturali ad componendum essentialiter cum illis corpus naturale; cum illas, nisi talis compositionis gratia, habere non appetat. Inprimis ergo materiam eas innatè appetere tuentur omnes Philosophi, vno excepto Auicenna primo sufficient. cap. 2. Contra quem arguo primò. Omnes res appetunt innatè perfectiones sibi debitas, & connaturales, vt cap præcedenti multiplici authoritate Philosophorum, tum Christianorum, tum ethnicorum, necnon Theologorum, & Sanctorum Patrum, atque Scripturæ sacræ, probauimus. At formæ substantiales sunt perfectiones connaturales, ac debitæ materiæ primæ: hæc ergo eas innatè appetit.

11 Secundò, & eodem ferè redit: Materia prima appetit innatè suam conseruationem & refugit interitum, ac destructionem suam, idque habet commune cum omnibus rebus: quod quanto iure à nobis semel, atque iterum in superioribus suppositum est, patet in primis, quia expressè traditur ab Aristotele li. 1. Phys. c. 9. ad finem. Rursus etiam traditur non minus perspicuè à Diuo Damasceno lib. 3. de fide c. 23. in hæc verba: *Omnia ipsius esse, & nequaquam non esse naturaliter habent desiderium.* Necnon, vt alios prætermittam, ab Augustino lib. 11. de ciuitate Dei c. 27. ibi. *Quid arbusta, omnésque frutices, quibus nullus est sensus ad vitandam manifesta motione perniciem, Nónne vt in auras tutum culminis germen emittant, aliud terræ radices affigunt, quo alimentum trahant, atque ita suum quodammodo esse conseruent? Ipsa postremò corpora, quibus non solum sensus, sed nec vlla saltem seminalis est vita, ita tamen vel exiliunt in superna, vel in ima descendunt, vel librantur in mediis, vt essentiam suam, vbi secundum naturam possunt esse, custodiant.* Tum sic: materia appetit innatè suam conseruationem, & vt non destruatur: at ad eius conseruationem, ac non destructionem, sequitur necessariò existentia alicuius formæ substantialis: materia ergo alicuius existentiam appetit innatè, sin minus formaliter, saltem virtualiter, & implicitè: appetitus enim antecedentis ad minimum fertur virtualiter in omnia ex eo necessariò consequentia: quo pacto, si Deus vellet, ac prædeterminaret materiale peccati, censeretur etiam eius formale ex eo consequens virtute saltem velle, & causare.

12 Tertiò suadetur hæc sententia, quia inter corpus, & animam est amicitia quædam naturalis, siue innata: sed amicitia est mutuus amor duorum: & anima ergo corpus, & corpus animam, & quamcunque aliam formam substantialem amat, appetitve innatè. Maior & est per se conspicua, & frequenter docetur ab Ecclesiæ Patribus; ac præsertim eam tradit Richardus Victorinus tract. de except. cap. 11. ibi: *Musica in connexu vtriusque est, illa naturalis amicitia, qua anima corpori, non corporeis vinculis alligata tenetur*, & Augustinus de gratia noui testamenti ibi: *Mortis diem omnes affuturum sciunt: eum tamen omnes, aut pænè omnes differre conantur, etiam qui post mortem se beatius credunt esse victuros; tantam habet vim carnis, & animæ dulce consortium.*

13 Quartò suadetur eadem sententia; quia magis perficitur materia prima per formas substantiales, quam hæ per formas accidentales: quis enim non videat, plus esse ex genere suo perfici substantialiter, quam duntaxat accidentaliter? At formæ substantiales habent appetitum innatum ad formas accidentales, vt patet in anima rationali innatè appetente scientiam; quemadmodum docent Seneca capite præcedenti citatus, & Augustinus lib. 11. de ciuitate Dei cap. 27. ac Philosophus lib. 1. meraph. cap. 1. & 2. ibi. *Omnis homo naturaliter scire desiderat*: nec non in eadem anima naturaliter appetente actum elicitum dilectionis Dei vt cap. etiam superiori ex Basilio & Bernardo demonstrauimus: Quòd autem opponit Auicenna, materiam non posse appetere formam quam habet, quia quod habetur non desideratur, nec formam, quam non habet, quia alioqui ea, quam habet, haud esset contenta; hoc inquam, ex sequentibus, nullius esse momenti, patebit.

14 Iam vero, quod materia formas substantiales, omnes quidem quarum naturaliter est capax, indeterminatè appetat, & sententia est Conimbricensium 1. Physicę cap. 9. quæst. 4. artic. 2. & Roderici de Arriag. disput. 2. sect. 4. num. 42. ac Caberi cit. dub. 3. num. 6. & sic suadetur. Primò, quia materia prima est naturaliter connexa, cum hac vel illa forma substantiali: at connexio naturalis cuiusuis entitatis cum suo bono est appetitus innatus: materia prima ergo appetit hanc, vel illam formam substantialem, atque adeo indeterminatè eas appetit. Secundo: quia si materia appetitu elicito polleret, proculdubio hanc vel illam formam substantialem indeterminatè, & vagè, appeteret; ergo &c.

15 Quod etiam materia appetat conditionatè formas substantiales, videlicet hanc, sub conditione quod reliquæ ei denegentur, & illam, sub eadem conditione, & sic de reliquis, simili ferè discursu suadetur. Etenim materia prima connectitur naturaliter: cum hac forma, sub conditione quod omnes aliæ ei denegentur: cuius signum est, quia si supposito decreto diuino materiæ primæ omnem formam substantialem, præter humanam, denegante, humanam etiam ei denegare Deus decerneret; Sanè hoc secundum decretum, ex suppositione primi, miraculosum esset. & contra exigentiam materiæ: ergo quia sub ea conditione materia prima formam humanam exigit, cum eáque naturaliter connectitur. Deinde si materia prima appetitu elicito prædita esset, haud dubiè formas substantiales

conditionatè

conditionatè appetet;eo genere appetitus:modo ergo eas appetit conditionatè, sin elicitè,at innatè : & quidem appetere docet præter alios Pet.Hurtado disp. 2. Phys. sect. 3. §. 34.

16 Arbitror tamen non paucos hallucinari, in primis in eo,quod solum appetitum conditionatum materiæ respectu formæ tribuant: deinde etiam in eo, quod appetitum indeterminatum cum conditionato confundant. Ac prius horum esse falsum suadetur: etenim si materia prima solum appetit formam aliquam substantialem sub conditione quod ei reliquæ denegentur, sanè Deus prius natura denegabit materiæ reliquas omnes formas substantiales, quam ei conferat eam, quam de facto sortitura est. Sequela perspicua est: siquidem Deus in modo conferendi formam materiæ, appetitui materiæ sese accomodat, quare formam non conferet, nisi prius purificata conditione, sub qua eam materia appetit. Consequens,autem aperte falsum est; quia potius è conuerso prius natura materiæ forma quam habet confertur quam quas non habet ei denegantur, iuxta illud receptissimum Philosophorum axioma, *generatio vnius, est corruptio alterius.*

17 Quod autem (vt ad posterius deueniam) appetitus indeterminatus & conditionatus non sint idem, facilè probari potest: quia hæc propositio indeterminata; *vel existit creatio Angeli, vel existit angelus*, absolutè vera est, esto sit nugatoria: sed hæc propositio conditionata, *si non existit creatio Angeli existit Angelus, & si non existit Angelus existit creatio Angeli*, absolutè falsa est: ergo propositio indeterminata non est propositio conditionata, qua vnum affirmetur, sub conditione, quod non detur aliud, & è conuerso: atque adeo volitio etiam indeterminata non est conditionata, qua vnum desideretur, sub conditione quod non detur aliud, & è diuerso.

18 Tandem, quod materia prima appetat absolutè, ac determinatè aliquas formas substantiales contra P. Arriagam citato numer. 42. & alios plures neotericos probatur: Nam materia prima magis appetit quasdam formas, quàm alias: at eas formas determinatè absolutéque appetit, quas magis appetit. Ergo, &c. Minor hæc probatur, quia cum appetitus rei ad vnum ad vnum, & non aliud terminatur, is appetitus determinatus est: quando ergo maior appetitus rei ad vnum, & non aliud, terminatur, vnumuè magis quam aliud appetitur, is appetitus erit determinatus. Maior argumenti nostri suadetur. Primò, quia inter formas ad quas materia dispositа non est, & quibus non vnitur, eas magis appetit, quæ sunt perfectiores: ergo &c. Antecedens est in aperto, quia quæ sunt perfectiores, sunt eius maius bonum: quidni ergo eas magis appetat? Deinde, si appetitu elicito polleret, eas elicitè magis amaret: quod quidem, iuxta superius dicta, est eas absolutè, & de facto, magis innatè appetere, atque amare.

19 Eadem argumenti nostri maior iterum secundò suadetur: quia materia ad aliquas formas earum quibus non vnitur magis dispositа est, quam ad alias: at magis appetit eas, ad quas magis dispositа est, licet de se perfectiores non sint, sed potiùs minus perfectæ, quàm aliæ, ad quas non adeò disponitur. Ergo. Id ostenditur, nam magis appetit formas illas, ad quas magis determinata est, esto alioqui minus perfectas: cum appetitus naturalis in naturali determinatione & connexione consistat: sed ad formas ad quas magis dispositа est, licet imperfectiores magis determinata est: si quidem dispositiones materiam ad formam quodammodo determinant, & maiores consequenter eam magis determinant. Postremò suadetur eadem maior: etenim materia magis appetit formam, cui actu vnita est, quarum vnione non gaudet, etsi præfata forma perfectior non sit, ad eamque materia magis dispositа non sit, aut naturaliter, aut,si mauis, per miraculum. Quod sic ostendo: quo maior est connexio naturalis materiæ cum aliqua forma, eo magis eam innatè appetit: at magis connectitur cum forma, cui intrinsecè vnitur, quam cum aliis, quibus non vnitur, esto perfectioribus, aut numero & intensione dispositionum prævalentibus: siquidem vnio est summa connexio, quæ inter res distinctas esse potest.

Sed obiicies eatenus materia formas substantiales 20
innatè appetit, quatenus per eas completur: at æqualiter per eas completur, quantumuis inter se in perfectione sint inæquales? æqualiter igitur ac indeterminatè solum eas appetit, non verò etiam inæqualiter & determinatè, sicuti nos asseruimus. Minor declaratur: quia sicut terminus non magis producitur per vnam actionem, quàm per aliam, si per vtramuis simpliciter producitur, esto in vna & alia sit magis & minus, perfectius & imperfectius, vel ex modo tendendi diuerso, vel ex diuersitate agentium; ita similiter in præsenti,&c.

Respondeo, materiam magis compleri per eas for- 21
mas substantiales, quæ magis perfectæ in se sunt, haud secus, ac, omnium confessione, formæ accidentales, quò magis perfectæ sunt, eò magis subiectum perficiunt: ecquis enim neget, animam rationalem magis perfici per visionem Dei, quam per visionem formicæ? quare non est, cur materia prima determinatè & intensiùs non appetat formas substantiales perfectiores, siquidem per eas naturaliter magis completur. In actione alia est ratio: omnis enim actio cum termino suo summè connexa & ad eum summè determinata est, propterea quod ab illo nec de potentia absoluta possit auelli: quando ergò in tantum producit actio suum terminum, in quantum cum eo connexa est, ad eumque determinat, certè omnis actio summè terminum producet, & ita vt per aliam magis produci nequeat.

Obiicies rursus, materiam primam perpetuam vim 22
passuram esse, sempérque violentatum iri, si formas perfectiores determinatè ac præ reliquis appeteret, cum certo certius sit, eam illis nunquam potiri, si sermo sit de omnibus; omnes enim haud sunt productæ. Respondeo, materiam primam non pati violentiam, quamuis formis perfectioribus, cuiusmodi est anima rationalis de facto existens, aliæque perfectiores animæ rationales Deo possibiles, semper careat; eo nimirum quod ita eas determinatè appetat, vt magis appetat formam, cui vnitur, & ad quam magis dispositа est, licèt imperfectiorem; hac autem non careat: Cum verò præcipuus & potissimus materiæ appetitus satiatur, materia absolutè satiata & non violentata, aut coacta censetur. Sic voluntas Dei absolutè infrustrabilis est, eò quod voluntas eius efficax & quasi intensa, semper quod vult consequatur, tametsi quod remisse & inefficaciter vult,aliter quam vult,nonnunquam eueniat.

Obiicies denique, materiam primam nec deside- 23
rare determinatè formam, quam habet, vtpotè de qua potius gaudet, nec formam, quam non habet, siquidem ea, quam habet, contenta est, déque ea

gaudet: nullam igitur formam determinatè appetit, seu desiderat. Respondeo inprimis, materiam appetitu saltem gaudij, & amoris stricti, esto non desiderij, formas determinatè appetere; nec contrarium argumento facto euinci. Sed de hoc infra. Dici etiam potest, materiam desiderare etiam determinatè, & formam substantialem quam habet, quantumuis de ea gaudeat, vt cap. sequenti demonstrabitur; & formas quoque substantiales, quas non habet, esto, ea, quam habet, contenta sit eámque conseruari appetat; nimirum, quia eam, quam habet, intensè & efficaciter appetit, eam verò, quam non habet, remissè & inefficaciter: aut eam quam habet, absolutè, & quam non habet, conditionatè, & in defectum prioris: in quo nulla est repugnantia, vt exemplo appetitus eliciti cuiuis perspicuum erit.

Caput III.

Materia prima appetit formas substantiales appetitu innato desiderij, gaudij, & amoris stricti.

24 QVod materia desideret innatè formas substantiales, opinio est Conimbricensium & Caberi, vbi supra; & facilè probatur: nam formam substantialem possidens eius conseruationem, pro sequentibus instantibus, appetit, & formas etiam quas non habet, & ad quas magis disposita est, appetit, si forma, quam habet, spolietur: quæ enim in hoc vtroque modo appetendi repugnantia est? At appetitus materiæ tendens, aut in conseruationem formæ, pro instantibus futuris, aut in possessionem formarum, quas non habet, habere tamen disposita est, reuera est appetitus desiderij: vtpotè, qui ad rem absentem, & & extituram terminatur.

25 Materiam autem gaudere innatè de possessione formarum substantialium tuentur Conimbricenses citata qu. 4. art. 1. ad finem aliique plures. Suadetur autem ex dictis: nam cum materia conseruationem & possessionem formæ innatè desideret, non est cur in ea conseruata & possessa innatè non quiescat, & gaudeat; præsertim, quia aliàs semper & in quouis momento inquieta esset: siquidem in quouis momento formam aut conseruari, aut denuò possideri, desiderat: ergo si in nullo momento gaudet, de eius possessione, & conseruatione, certè eius desiderium omnis gaudij semper expers erit, ac proinde anxium, inquietum, atque solicitum.

26 Probari etiam haud ægrè potest, materiam strictè amare formas substantiales, vt insinuauit P. Hurtad. disp. 2. Phys. sect. 3. §. 33. & 36. siquidem materia per se ipsam essentialiter appetit formas substantiales, cùm suapte natura sit substantialiter incompleta, & indiga alicuius formæ, per quam substantialiter compleatur: at per se essentialiter non est gaudium, aut desiderium innatum formarum substantialium: ergo amor strictus. Quod materia prima per se ipsam præcisè & essentialiter haud sit gaudium, aut desiderium innatum formæ vllius substantialis, expressè tuentur Caberus citato dub. 3. numero 6. ad finem & Oña, quæst. 3. art. 2. ac suadetur, quia ad de desiderium formæ possidendæ, aut conseruandæ, requiritur, quod saltem pro instanti antecedenti possessa & conseruata non sit, sed quodammodo absens & futura; & ad gaudium de ea, oportet, vt forma, pro instanti quo gaudium terminat, conseruetur, aut possideatur, & quodammodo sit præsens. At materia prima secundùm se essentialiter & præcisè sumpta, nec formam esse præsentem, aut absentem, possessam, aut non possessam, conseruatam, aut non conseruatam, supponit; sed ab his omnibus præscindit. Materia ergo secundum se, vt dictum est, & essentialiter, præcisiuè sumpta, nec est desiderium innatum, neque gaudium, de forma vlla substantiali. Confirmatur nostra sententia, quoad triplicem eius partem. Nam si materia prima appetitu elicito prædita esset, tribus modis superiùs positis formas substantiales appeteret. Modo ergo, & de facto tribus illis modis eas innatè appetit: siquidem appetitus innatus in appetitu elicito conditionato consistit, aut certè per eum regulatur.

Enimverò formas substantiales non desiderari innatè à materia prima existimat Arriaga, citata disputat. 2. sect. 4. subs. 1. concluf. 1. Pro qua sententia obiici solet. Materia appetit solum indeterminatè formas substantiales, nimirum hanc, vel illam, vel illam, & sic de reliquis: eas ergo desiderare innatè non poterit. Antecedens iis probari consueuit argumentis, quæ appetitum determinatum materiæ oppugnant. Consequentia est perspicua, quia ad desiderium requiritur carentia formæ: sed forma indeterminatè sumpta, seu hac, vel illa carere nequit materia: formam ergo substantialem desiderare indeterminatè non potest, ac proinde nullo modo. 27

Respondeo in primis negato antecedenti; cuius falsitas ex superioribus perspicuè constat. Deinde consequentia nulla est: esto enim materia solùm indeterminatè formam appetat, adhuc eam in primo suæ productionis momento desiderare poterit. Cuius rei gratia nota ad desiderium non requiri carentiam rei desideratæ in instanti reali, pro quo desideratur, sed ad summum in instanti immediatè antecedenti. Nam reuelet Deus, se Petro gratiam collaturum, in primo instanti, quo eam desiderauerit, (quæ enim in hoc contradictio est) tunc certè Petrus gratiam desiderare poterit: at carentia gratiæ, in instanti quo desideratur, non existeret, sed in instanti immediatè antecedenti; aliàs Deus pacto & reuelationi suæ non staret. Quandoquidem ergo materia, in instanti immediatè antecedenti primam eius productionem, forma substantiali etiam indeterminatè sumpta caret, & nec hanc, nec illam, nec aliquam sortitur, sanè, in primo instanti suæ productionis, formam desiderare poterit. Præterea, argumentum minimè probat materiam in primo instanti non desiderare innatè conseruationem formæ pro secundo instanti, & in secundo, pro tertio, & sic de reliquis sine fine; conseruationem inquam formæ, vel alterius collationem: quia in primo instanti datur carentia formæ etiam indeterminatè sumptæ pro secundo, & in secundo, pro tertio, &c. eo quod conseruatio primæ formæ, vel alterius collatio pro sequentibus instantibus, ipsa instantia complectatur, quorum tamen carentia in prioribus instantibus existit. 28

Obiicies iterum: non solum contra desiderium, sed etiam contra gaudium innatum materiæ respectu formarum. Appetitus omnis innatus materiæ, ei essentialis est, & ab eius essentia & natura omnino 29

omnino indistinctus; hac enim de causa innatus, siue naturalis, apellatur: at desiderium formæ substantialis, & gaudium de eius possessione materiæ essentialia, & prorsus indistincta esse non possunt. Appetitus ergo innatus, materiæ respectu formarum, esse nequit per modum gaudij, aut desiderij. Maior videtur perspicua. Minor probatur, quia desiderium formæ eius absentiam, & gaudium eius possessionem postulant: materia autem, secundùm se essentialiter sumpta, nec absentiam, nec possessionem formæ, postulat; sed ab vtraque abstrahit, & sine alterutra esse potest. Haud ergo, essentialiter, & secundum se præcisè sempta, est gaudium, aut desiderium formæ substantialis: id quod vel à nobis est supra concessum.

30 Sed in primis si quid argumentum valet, id probat, non esse in nobis desiderium innatum beatitudinis etiam naturalis. Sequela probatur, quia desiderium innatum beatitudinis nequit esse nobis omnino essentiale, & adæquatè identificatum, cum iuxta aduersarios nequeat non importare carentiam beatitudinis naturalis à nobis distinctam, & separabilem: alia verò ex parte deberet esse nobis omnino essentiale, & à natura nostra prorsus indistinctum: siquidem haberet rationem appetitus, non eliciti, sed innati. Consequens autem est falsum, & contra illud Augustini lib. 1. confes. c. 1. *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec perueniamus ad te.* Quæ verba Suarez lib. 1. de gratia capite 29. numero 10. explicat de appetitu innato beatitudinis naturalis: at non de alio possunt intelligi, quàm de desiderio: quippe cuius solius est proprium, cum inquietudine, & anxietate cohærere.

31 Pari ratione argumentum illud probaret creaturas inanimatas haud desiderare innatè incorruptionem, & perpetuitatem quandam; contra illud Pauli ad Romanos 8. *Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subiecta est, non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe; quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei: scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc.* Quæ verba de appetitu innato creaturarum etiam insensibilium, ad incorruptionem quandam, & perpetuam durationem exponit Chrysostomus ad Romanos 8. sermone 14. talis autem appetitus in eis nequit esse gaudij, aut amoris stricti: vtpotè de quibus verificari nequeunt verba illa Pauli, *ingemiscit, & parturit*: debet ergo esse desiderij innati. Quid multa? eodem argumento probaretur in creaturis inanimatis non esse appetitum gaudij, de vlla perfectione sibi connaturali: contra illud Psalmi 103. *Rigans montes de superioribus suis: de fructu operum suorum satiabitur terra.* Et infrà: *Saturabuntur ligna campi, & cedri libani, quas plantauit.*

32 Absolutè respondeo, appetitum rei, ad bonum sibi conueniens, non semper esse ei omnino essentialem, ab eiúsque natura prorsus indistinctum, nec ob id innatum appellari, sed quia in physica rei natura, vel adæquatè, vel saltem inadæquatè consistit. Itaque interdum per naturam rei desiderantis, & absentiam boni desiderati, saltem pro instanti antecedenti, constituitur, vt cum per modum desiderij tendit; & interdum naturæ rei desiderantis addit, in conceptu suo quidditatiuo, præsentiam boni desiderati, vt cum pergit per modum gaudij: quare licet materia secundum se essentialiter sumpta gaudium, aut desiderium formæ non sit, adhuc per eius præsentiam modò, & modò per eius absentiam in ratione gaudij, aut desiderij innati poterit apprimè constitui. Nec verò contra hanc doctrinam iure argui potest ex appetitu elicito, per rei absentiam, aut præsentiam, minimè constituto: aliàs, sicut posterior hic appetitus à facultate appetente realiter adæquatè distinguitur; ita pariter appetitus, materiæ innatus, congenitúsve, ab ea distingueretur realiter adæquatè: contra expressam doctrinam B. Thomæ 1. p. q. 59. art. 2. & Scoti in 2. dist. 3. qu. 5. necnon contra quam ipsimet aduersarij sentiunt, qui ne distinctionem realem inadæquatam inter materiam primam & appetitum suum innatum ad formas admittunt.

Obiicies denique contra amorem strictum innatum materiæ respectu formarum substantialium. Si daretur in materia talis amor, maximè quia desideriū & gaudium circa formas nequeunt esse omnino essentialia materiæ, & cum ea adæquatè identificata; cum tamen aliquis appetitus innatus eam cum materia habere debeat identitatem: quo fit, vt is appetitus ita cum ea idẽtificatus haud possit esse alius, quam amor strictus. At hæc ratio est nulla. Quod enim desiderium innatum formarum possit esse materiæ omnino essentiale, & in ea adæquatè consistere suadetur: nam si Deus ab æterno mundum cõderet ac moliretur, eius volitio efficax, ad illum terminata, rationẽ haberet desiderij: nec enim esset amor strictus, seu simplex complacentia, nec merum gaudium, vt compertissimum est. Similiter ergo materia, existens ab æterno cum forma, posset nihilominus eam desiderare: at id desiderij non constitueretur per carentiam formæ, in instanti etiam antecedenti: esset ergo omnino essentiale materiæ, & ab ea ne inadæquatè distinctum: ac proindè modo etiam tale est: posse enim esse omnino essentiale, & de facto esse omnino essentiale, idem sunt, & reciprocantur inuicẽ. 33

Respondeo, desiderium innatum formarum, haud posse esse omnino essentiale materiæ, nec in ea adæquatè collocari, sed semper inuoluere vlterius carentiam, aut priuationem aliquam: vnde effluxit Philosophicum axioma; *Priuatio est causa appetitus.* Ad rationem autem in contrarium adductam dicendum est, etsi desiderium innatum formæ in materia de facto semper sortiatur carentiam formæ veram, & quasi positiuam, pro instanti saltem antecedenti, per quam possit constitui: quo sensu in superioribus locuti sumus: at aliam dari carentiam formæ impropriam, & præcisiuam, quæ quidem distinguitur à materia, & præfatum eius desiderium non minus quam prior carentia potest constituere. 34

Itaque per vnam carentiam harum, aut per alteram, aut per vtramque potest constitui desiderium innatum materiæ: hæc enim aut verè caret forma pro instanti præsenti, vel saltem antecedenti, aut eam possidet: si prius; sanè per carentiam formæ in instanti, vel præsenti, vel antecedenti, constituitur formam desiderans innatè: si posterius; ergo pro priori ad possessionem formæ intelligitur possessura formam, siuè ad eam possidendam proximè dispositа, & ordinata à Deo: hæc autem dispositio distinguitur realiter à materia, éstque ab ea separabilis: alia verò ex parte est carentia quædam præcisiua formæ; cum pro priori, quo intelligitur ea ordinatio, & proxima expeditio materiæ ad formam, non intelligatur forma ipsa existens, sed extitura: iam ergo per talem carentiam formæ latam & præcisiuam constituetur ex parte desiderium innatum, quo materia formam appetit. 35

Quibus suppositis, si materia existeret ab æterno substantialiter formata, nihilominus formam innatè desideraret: at tale desiderium non esset ei omnino es- 36

ſentiale ſed conſtitueretur ex parte per carentiam formæ præſciſiuam, ſuperius explicatam. Atque, vt ſemel finiam, materia ab æterno, vt ſecundùm ſe præcisè ſumpta, & quatenus reſpiciens tum tranſcendentaliter formam, eſſet eius amor ſtrictus; provt verò eam ab æterno poſſidens, foret eius gaudium, ac tandem, vt per aliquid à ſe diſtinctum, non tam eam poſſidens pro priori ſigno, quam poſſeſſura, ſiue ad poſſidendam proximè ordinata, eius eſſet deſiderium innatum: hoc ergo non eſſet in euentu illo omnino eſſentiale materiæ, nec eius amorem ſtrictum erga formas tolleret.

Caput IV.

An materia appetat innatè formas ſubſtantiales corruptas?

37 Aſſero primò. Materia prima aliquo genere appetitus innati appetit formas ſubſtantiales corruptas. Ita Petrus Hurtad. diſput. 2. Phyſ. ſect. 3. & Tellez diſput. 12. ſect. 2. numero 6. & alij. Quorum omiſſis argumentis ſic pro aſſertione poſita arguo primo: Poteſt Deus de potentia abſoluta producere omnes formas ſubſtantiales, & eas poſtea corrumpere: fac ergo hoc quod eſt poſſibile reduci ad actum: poſſibili enim poſito in actu, nullum ſequitur inconueniens, vt fert commune axioma: tunc certè materia appetet innatè formas corruptas: ergo & modo eas ita appetit. Fore, vt materia tum appeteret innatè formas à Deo corruptas patet, quia ea tunc non poſſet naturaliter eſſe ſine forma aliqua: aliquam ergo tum appeteret, & exigeret innatè: quo pacto aqua frigiditatem, ignis calorem, & omne aliud, id ſine quo nequit naturaliter eſſe, eo ipſo innatè appetit: & quidem materiam tum exiſtere abſque omni forma eſſet miraculoſum; ergo eſſet contra exigentiam innatam materiæ, ac totius naturæ: proinde talis exigentia materiæ ad formam aliquam ſubſtantialem haud poſſet tunc non dari: atqui ea exigentia non eſſet ad aliam formam, aliáſue quam corruptas, cum ſupponantur omnes corruptæ, eo in euentu: eſſet ergo ad formas corruptas, & conſequenter hæ poſſunt innatè exigi, & appeti.

38 Dices primò, materiam primam, in euentu illo miraculoſo, habituram appetitum innatum aliquarum formarum: cúmque non eſſent aliæ, quam corruptæ, has appeteret innatè: at modo ſunt poſſibiles aliæ infinitæ præter corruptas; non eſt ergo cur corruptas modo innatè appetat. Verum in primis conceditur nobis, formas corruptas, in aliqua ſaltem hypotheſi, poſſe innatè appeti. Deinde, quod modo ſint aliæ formæ poſſibiles, præter corruptas, non arguit, has non appeti innatè, vt appeterentur in illo euentu, ſed quòd minus fortè appetantur, quam non corruptæ: non aliter ac poſſibiles eſſe præter formas inanimatas, alias vitales, magiſque perfectas, non eſt argumentum illas priores minus perfectas nullo modo terminare appetitum innatum materiæ, ſed quod minus appetantur, quem perfectiores, ac vitales.

39 Dices ſecundò fore, vt materia in euentu poſito appeteret innatè formas ſubſtantiales corruptas, quia hæ tum eſſent naturaliter poſſibiles: nec mirum: eſſent enim materiæ naturaliter debitæ, ac neceſſariæ: neceſſitas autem poſſibilitatem, & naturalis neceſſitas poſſibilitatem naturalem inuoluit: at modò non ſunt naturaliter poſſibiles; cur ergo modò innatè appetantur. Hæc etiam euaſio nulla eſt, tum quia id habet commune cum præcedenti, vt intentum ex parte concedat: tum etiam, quia falsò ſupponit, formas corruptas futuras eſſe naturaliter poſſibiles, ac materiæ debitas, neceſſariaſque, ſi corrumperentur omnes: omnis enim poſſibilitas, & neceſſitas ſupponens eſſentialiter aliquid ſupernaturale, & miraculoſum, eo ipſo eſt ſupernaturalis & miraculoſa: at quod poſſint, in euentu noſtræ diſputationis, formæ corruptæ reproduci in materia, quod item eſſent ei debitæ, ac neceſſariæ, haud quidem eueniret niſi ex ſuppoſitione miraculoſa, & ſupernaturali, productionis, & deſtructionis omnium formarum poſſibilium: ergo &c.

Dices tertiò, eſſe poſſibiles aliquas formas ſubſtantiales ſucceſſiuas, & eſſentialiter alligatas ad certum temporis ſpatium, quod vltra citraque nequeant conſiſtere: quare omnes non poſſe ſimul à Deo produci, aut poſt productionem deſtrui corrumpive: quæ ergo nondum eſſent productæ, & conſequenter nec corruptæ, has appeteret materia innatè, non verò corruptas. Verum inprimis alligatio illa ad tempus, faciens, vt nec ante illud, nec poſt illud, res poſſit etiam diuinitus exiſtere, fortaſſe impoſſibilis eſt in formis ſubſtantialibus, quæ eſt harum ex genere ſuo perfectio. Rurſus, eandem etiam alligationem in formis accidentalibus, extra prædicamentum quando, plurimi negabunt. Tandem, eſto admittatur in formis etiam ſubſtantialis ordinis, nihil inde fiet, quod noſtræ poſſit obeſſe ſententiæ: ſiquidem formæ illæ ſubſtantiales ad certum adſtrictæ tempus, haud eſſent poſſibiles naturaliter, ſed ſupernaturaliter: imò earum ſupernaturalitas eſſet citra dubium intrinſeca & quoad ſubſtantiam, & non extrinſeca, aut quoad modum: ergo, ſi in euentu noſtri argumenti, tales formas ſubſtantiales ſucceſſiuas appeteret, materia innatè, non obſtante earum ſumma ſupernaturalitate; ſanè à fortiori appeteret etiam innatè formas ſubſtantiales permanentes & à tempore abſolutas, quantumuis corruptas, & ratione corruptionis naturaliter impoſſibiles, impoſſibilitate quadam extrinſeca & minori, magiſue quoad modum, quam quoad ſubſtantiam. 40

Dices quartò, ſi omnes formæ ſubſtantiales permanentes & à tempore abſolutæ corrumperentur à Deo, futurum quidem, vt materia formas aliquas corruptas innatè appeteret: haud enim eſſent aliæ, quas poſſet appetere: Cæterùm hypotheſim eſſe impoſſibilem: vt enim prædictæ omnes formæ ſimul à Deo corrumpantur, neceſſe eſt vt prius exiſtant, & à Deo producantur; idque ſimul & collectiuè; nihil enim corrumpi aut deſtrui poteſt, niſi quod prius exiſtit: iuxta illud Platonis in Philebo; *Eius autem, quod non eſt, nec fuit, iacturam fieri aliquam, abſurdum.* At impoſſibile eſt, omnes formas ſubſtantiales, etiam permanentes, & à tempore abſolutas, ſimul à Deo produci: ſunt enim cathegorematicè infinitæ: infinitum autem cathegorematicum actu repugnat: Ergo & impoſſibile eſt, omnes formas prædictas ſimul à Deo corrumpi. Sed ne hæc ſatis faciunt. Siquidem à principio probabilius eſt, non repugnare infinitum cathegorematicum in actu: de quo inferiùs in loco. Deinde eſto repugnet: quidni ab impoſſibili arguere poſſimus. In hunc modum: ſi per impoſſibile omnes formæ eſſent corruptæ, ſanè omnes appeterentur innatè à materia: cur enim vnæ potiùs quam aliæ? Modò ergo aliquæ formæ corruptæ appetuntur innatè à materia? cum aliquæ, etſi non omnes, de facto ſint corruptæ, & continuò corrumpantur. 41

Argumentor ſecundò, pro aſſertione noſtra, ad initiũ huius capitis ſtatuta. Si qua ratione materia prima 42

non

non appeteret innatè formas corruptas, maximè quæ sunt naturaliter impossibiles: at hæc ratio est nulla, ergo &c. Id probatur, quia appetitus innatus ferri potest ad aliquid naturaliter impossibile: quod sic ostendo. Omnis res appetit innatè suam conseruationem, vt ex Aristotele, Damasceno, & Augustino, superius citatis, necnon ex communi omnium Doctorum consensu, patet; vtque etiam inde manifestum est, quia cuiuis rei violentum est destrui, seu non conseruari: violentum autem est, quod fit contra exigentiam innatam eius, cui violentia infertur: nulla ergo res est, contra cuius exigentiam non sit destrui. Atqui conseruatio plurium rerum, est naturaliter impossibilis: apetitus ergo innatus ferri potest, ad aliquid naturaliter impossibile. Conseruationem plurium rerum esse naturaliter impossibilem, perspicuum est: nam res suaptè natura immortales destrui est naturaliter impossibile: quare miraculum esset, si anima rationalis v. g. aut Angelus, destruerentur: ergo, à paritate rationis, res corruptibiles, & mortales, contrariorumque agentium incursiom subiectas, conseruari tamen, erit naturaliter impossibile. Atque, vt exemplo res eluceſcat, si præcipitetur homo ab altissima turri, certè tum eum viuere erit naturaliter impossibile: aut ergo tum non exiget cadens suam conseruationem, nec consequenter mors & destructio erit ei violenta: aut sanè exigentiam habebit, & appetitum innatum alicuius boni sibi naturaliter impossibilis. Quòd vlterius ostenditur, quia homo cæcus innatè abhorret à cæcitate: hæc enim est eius malum: at innatè abhorrere à cæcitate, est innatè propendere in visum cæcitati contrarium: homo ergo cæcus innatè visum appetit, in eumque propendet: & tamen visus est ei naturaliter impossibilis: potest ergo dari propensio innata in aliquid naturaliter impossibile, adeoque in formas corruptas.

43 Argumentor tertiò. Si Deus annihilaret animam aliquam rationalem, eamque materiæ primæ dispositæ infunderet, sanè materia in ea innatè quiesceret, déque ea gauderet: at gaudium nequit esse, nisi de eo, quod prius desideratur determinatè, vel indeterminatè, absolutè, vel conditionatè: materia ergo prima ad animam rationalem destructam haberet nihilominus appetitum innatum, non tantum gaudij, sed etiam desiderij. Maior probatur, quia humanitas Christi innatè quiescit in subsistentia verbi, déque ea naturaliter gaudet: ita, non solùm qui desiderium innatum rerum quoad substantiam supernaturalium in natura possibilem esse admittunt, verum etiam ij, qui possibilitatem talis desiderij negant: ac præsertim Vasquez 3. part. disputat. 34. cap. 4. numer. 17. ad finem, & Suarez disputat. 8. sect. 3. atque apud eum Caietanus, & Thomistæ. Et quidem, nisi admittatur gaudium innatum de subsistentia Verbi, in humanitate Christi, nescio quomodo hæc non patiatur violentiam: etenim inquietum aliquid, & violentum manere, perinde est: humanitas ergo Christi, non quiescens in subsistentia verbi, vtpotè supernaturali, nec in propria, quippè quam non habet, omnino inquieta manebit, adeoque perpetuam patietur violentiam, quod & maiestatem Christi dedecet, & est contra omnes Theologos. Quando quidem ergo humanitas Christi gaudet innatè, de subsistentia Verbi quoad substantiam supernaturali, quidni & materia prima gaudere posset innatè, de anima rationali, & perfectissima, post corruptionem sibi vnita, inque ea quiescere?

44 Argumentor denique quartò: aliquid, seu naturaliter impossibile, & contra exigentiam naturæ, seu supernaturale, & supra exigentiam naturæ, potest esse bonum alicuius subiecti, & in eo præsupponere capacitatem sui: hæc autem capacitas, quidni dicatur appetitus innatus? Quod certè non sit capacitas naturalis, sed obedientialis, ad tale bonum, impedire potest ne dicatur appetitus innatus omnino naturalis, seu non solum subiectiuè naturalis, sed etiam obiectiuè, & ex parte termini: at non, ne dicatur appetitus innatus obedientialis: & quidem hos postremos terminos inuicem non repugnare, sed potius optimè inter se cohærere docent Grana. 1. 2. controuers. 1. disputat. 5. numero 4. & P. Herize 1. part. disputat. 37. cap. 2. numero 22. Quæ cum ita sint, poterit eiusmodi appetitus innatus obedientialis esse, in materia prima, ad formas corruptas, quantumuis naturaliter impossibiles. Hactenus prima assertio.

Assero secundò. Materia prima non appetit formas corruptas appetitu innato omnino naturali, sed, vt prædictum est, appetitu innato, dumtaxat obedientiali. 45 Probatur, quia appetitus innatus omnino naturalis haud potest ferri, nisi ad bonum naturaliter possibile: at formæ corruptæ non sunt naturaliter possibiles, sed potius ex natura rei impossibiles: siquidem id oportet esse naturaliter impossibile, quod existere nihil in rerum natura postulat, nisi ad summum conditionatè, & in defectum alterius; non existere verò plura postulant: qua ratione, productio caloris, in aqua suaptè natura frigida, absque vllo agente naturali calido ei approximato, est naturaliter impossibilis, eo quod talem calefactionem nullum agens naturale absolutè postulet, eius verò carentiam aqua & frigus ei cognatum postulent: in præsentia tamen agentis calidi, ea calefactio naturaliter impossibilis non est; quia, licèt aqua ei repugnet, agens tamen calidum eam postulat: atqui formas corruptas, postquam corruptæ sunt, iterum reproduci, & in materiam denuò introduci, nihil ab ipsis formis distinctum absolutè exigit, & oppositum plura in rerum natura postulant. Ea igitur reproductio formarum corruptarum, & earum in materiam introductio, naturaliter impossibilis est?

Vtraque pars minoris probatur. Prior quidem 46 quia si quid à formis corruptis distinctum earum reproductionem & reunionem absolutè postularet, maximè materia prima, quæ sola per eam perfici potest: at materia prima id absolutè non postulat, sed ad summum conditionatè, & in defectum formarum non corruptarum: quia melius ei non est formas corruptas reproduci, & sibi denuo vniri, quam nouis formis perfici, immò hoc posterius ei longè melius est; quo sic virtutem suam passiuam magis ostentet, & vniuerso, nouarum semper formarum varietate, magis proficua sit. Posterior verò minoris pars probatur, nempe plura in rerum natura reproductioni formarum corruptarum resistere. Siquidem in primis causæ efficientes formarum substantialium, non reproductionem corruptarum, sed potiùs aliarum nouam productionem exigunt: & ad ostentationem suæ virtutis actiuæ; & ad varietatem vniuersi, cum eius pulchritudine coniunctam. Deinde formæ ipsæ possibiles lucem amant, & in existentiam emergere innatè appetunt: quum enim hic appetitus sit metaphoricus, & secundum quid, rebus non existentibus congruere potest: at formæ possibiles, simul, & semel in lucem produci, & materiæ vniri nequeunt; nec est potior ratio, cur vnæ potius, quàm aliæ producantur, & existant: igitur formæ possibiles exigunt produci, & existere, cum quadam successione, & ordine, ita

vt formæ, quæ ſemel producta eſt, & eſſe deſiit, ex iis, quæ antea non productæ ſunt; alia ſuccedat, ea nimirum, quam Deus maluerit, & huic iterum alia imducta, & ſic de reliquis. Demum, tota rerum vniuerſitas ab ea reproductione formatum corruptarum abhorret, eiúſque carentiam poſtulat, nimirum quia contra varietatem, ac proinde contra decorem, & pulchritudinem vniuerſi eſſe videtur.

47 Aliter etiam, & quidem liquidiſſima ratione, probari poteſt formas corruptas eſſe naturaliter impoſſibiles; namque naturaliter fieri non poteſt, vt res vlla tranſeat, de loco in locum extremum, ſine tranſitu per ſpatium loci intermedium. Similiter ergo impoſſibile naturaliter eſt, aliquid tranſire, transferrive, de tempore ad tempus, quin prius tranſeat per ſpatium temporis intermedium. Atqui formas corruptas, poſtquam extiterunt, iterum reproduci eſt eas tranſire, ſeu tranferri de vno tempore ad aliud extremum, & diſtans, non tranſeundo per tempus intermedium, quod earum corruptioni, & non exiſtentiæ reſpondet. Ita ergo formas corruptas reproduci, eſt naturaliter impoſſibile.

Caput V.

Soluuntur argumenta aliqua contra doctrinam capitis præcedentis.

48 Petrus Arriaga diſput. 2. Phyſicorum ſect. 4. ſubſect. 1. concluſ. 3. num. 44. & cum eo multi recentiores, refragantur priori aſſertioni noſtræ, ſuperius poſitæ, ſentiúntque materiam primam nullatenus appetere innatè formas ſubſtantiales, ſemel corruptas. Cuius ſententiæ potiſſimum fundamentum eſſe ſolet. Nequit appetitus vllus innatus, dari ad aliquid naturaliter impoſſibile: at formæ corruptæ, per nos, ſunt naturaliter impoſſibiles. Ergo &c. Maior probatur, primò, quia appetitus innatus eſt ad id ſolum, quod appeteretur elicitè a ſubiecto, ſi in eo locum haberet appetitus elicitus: at, ſi materia prima eſſet cognoſcitiua, & appetitiua elicitè, ſanè eius, quod cognoſceret eſſe naturaliter impoſſibile, nullum haberet appetitum elicitum: ergò nec modò id poteſt innatè appetere.

49 Probatur ſecundò eadem maior argumenti: quia nequit dari appetitus innatus, in ſubſtantia aliqua naturali, ad quidpiam ſupernaturale quoad ſubſtantiam, vt v.g. ad gratiam habitualem, ad viſionem Dei, ad dotes gloriæ: haud ergo poteſt eſſe talis appetitus ad aliquid impoſſibile naturaliter, tametſi quoad ſubſtantiam naturale ſit. Antecedens eſt communiter Thomiſtarum, & plurium aliorum extra eam, ſcolam, quos latè & eruditè refert P. Ripalda diſp. 9. de ent. ſupernat. diſp. 9. ſect. 2. numer. 11. Et probari poteſt, tum quia alioqui donum ſupernaturale quoad ſubſtantiam, eſſet ſimul & non eſſet debitum naturæ: indebitum ei, quia eſſet ſupernaturale, debitum verò, quia à natura exigitur innatè: tum etiam, quia, aliàs quiuis beatus eſſet in perpetua inquietudine, & violentia, cum multis careat gradibus viſionis beatificæ ac ſupernaturalis, quos tamen innatè appetit, cum earum ſit per ſuam naturam capax.

50 Reſpondeo, negata maiori. Ad primam eius probationem dicendum eſt, poſſe quem deſiderio elicito, inefficaci ſaltem, ferri ad aliquid vt naturaliter impoſſibile cognitum, & ſub alterius etiam ſuperioris poſſibilitatis ratione prorſus ignoratum; vt experientia teſtatiſſimum eſt: quidni ergo materia innatè ſaltem inefficaciter appetat formas corruptas, quantumuis naturaliter impoſſibiles? Deinde P. Vaſquez, vbi ſupra, & multi alij, dicunt humanitatem Chriſti deſiderare innatè etiam efficaciter propriam ſubſiſtentiam; quæ tamen ei eſt naturaliter impoſſibilis, cum non poſſit ſaltem naturæ viribus à ſubſiſtentia verbi ſeparari. Ergo &c. Tandem, quod cognoſcitur vt naturaliter impoſſibile, ſi tamen cognoſcatur vt ſupernaturaliter & alienis viribus poſſibile, poterit appetitu elicito etiam efficaci appeti, ac deſiderari: ſic Maria & Martha reſurrectionem Lazari, etſi naturaliter impoſſibilem, efficaciter tamen deſiderarunt, & à Chriſto petierunt; innitentes nimirum virtuti ſupernaturali quam in eo ad patranda miracula agnoſcebant, ac certiſſima fide credebant. Similiter ergo ſufficiet aliquid eſſe miraculosè poſſibile, vt innatè poſſit appeti, deſiderarique etiam efficaciter.

Ad alteram probationem maioris negatæ dicendum eſt, aliquid ſupernaturale etiam quoad ſubſtantiam appeti innatè à natura, non quidem appetitu innato omninò naturali, ſed tantum obedientiali. Ita Granad. & Herize ſupra citati, & reipſa Scotiſtæ omnes, aliique multi, apud Ripaldam relata diſp. 9. ſect. 1. num. 1. Quod autem contra obiicitur, donum ſubſtantialiter ſupernaturale futurum non tantum indebitum, ſed etiam debitum naturæ, ſi ab ea appeteretur innatè, haud eſt alicuius momenti: ſiquidem aqua v. g. in præſentia ignis exigit efficaciter frigiditatem, eaquepropter calefacta, & frigiditate ſua ſpoliata, patitur violentiam: & tamen in illa circunſtantia non eſt ei debita frigiditas, qua ſpoliatur, ſed abſolutè indebita; ideóque ea ſpoliatur, quia ei non debetur: non omnis ergo exigentia efficax innata fundat debitum: & ſic donum ſupernaturale quoad ſubſtantiam, quantumuis terminans exigentiam efficacem innatámque naturæ, poterit tamen eſſe ei omninò indebitum, & non ſimul debitum. 51

Præterea iuxta aduerſarios, ad hoc, vt aliquod bonum exigatur innatè, non ſatis eſt, quod ſubiectum ſit eius capax, niſi ſit bonum naturalis ordinis, viribúſque naturæ poſſibile: quidni ergo eodem iure nobis liceat aſſerere, quod ad hoc, vt debeatur aliquod bonum donumve ſubiecto, haud ſatis ſit, illud ab eo exigi innatè, niſi vlterius ſit naturale quid, ac naturaliter poſſibile. Quod etiam ſecundo loco obiicitur in contrarium, non vrget: nam appetitus innatus ſubſtantiæ intellectualis creatæ, ſi de principali & efficaci ſermo ſit, haud eſt niſi ad ſubſtantiam viſionis beatificæ, præſcindendo ab eius maiori, vel minori intenſione: vnde non eſt mirum, quod præfata ſubſtantia nullam patiatur violentiam, tametſi maiori aliqua intenſione viſionis beatificæ omninò careat, ac deſtituatur. Sed de his ſatis Philoſopho. 52

Contra poſteriorem ergo aſſertionem capitis præcedentis, cui refragantur Hurtadus, Tellez, & alij, obiicies primo: Materia prima, quod ſemel appetit appetitu innato omninò naturali, id ſemper ita appetit: formas autem corruptas, antea quam corruptæ ſint, appetit appetitu innato omninò naturali: ergo &, poſtea quam corruptæ ſint, ita eas appetit. Maior probatur, quia appetitus innatus omnino naturalis, in materia repertus, ei eſt adæquatè intrinſecus, & eſſentialis: quod ergo materia ſemel, id ſemper eo genere appetitus appetit: ſicut, quia diſtinctio eſt rei omnino eſſentialis, à quo res ſemel diſtinguitur, ab eo ſemper diſtinguitur. Confirmatur, & declaratur: ideo appetitus elicitus efficaciter & ſerio terminari nequit, ad rem naturaliter impoſſibilem, cognitam vt talem; quia cognitio impoſſibilitatis voluntatem à rei impoſſibilis voto inhibet. 53

hibet, atque retardat: at materia prima naturalem impossibilitatem formarum corruptarum non cognoscit: eas ergo sicut ante corruptionem, ita etiam & post corruptionem, appetitu innato omninò naturali appetet.

54 Obiicies secundò, contra eandem assertionem nostram: Formæ corruptæ sunt naturaliter possibiles: ergo sub appetitum omninò naturalem materiæ cadere possunt, & debent. Antecedens probatur; in primis, quia carentiæ semel corruptæ, naturaliter possunt, solentque redire: quid enim est ignem, aquam, aliasque id genus substantias destrui, & ad non esse reuocari, quam earum carentias, quæ prius veluti fuere, iterùm redire? præfatæ autem substantiæ naturaliter possunt, & solent destrui: ergo earum carentiæ naturaliter, vt dictũ est, poterunt redire, quantumuis semel quasi corruptæ: quidni ergo formæ eis oppositæ, vt vt corruptę, nihilomin⁹ naturaliter sint possibiles, & aptę redire, ad esse, quod prius habuerunt? Suadetur etiam idem antecedens, ex celebri illa paræmia, *idem, semper idem, natum est facere, semper idem.* At causa efficiens formæ corruptæ, v.g. igneæ, (par autem est ratio cuiuscunque alterius) est omninò eadem, ante & post eius corruptionem: entitas etiam illius formæ corruptæ, est eadem, quæ ante corruptionem: nec enim forma vlla corrupta, in chimæram desinit, sed ad pristinam regreditur possibilitatem, cum destruitur: cur ergo causa efficiens prædictæ formæ corruptæ, eam in eodem numero, & specie passo nequeat reproducere?

55 Ad primum horum respondeo, appetitum innatum omnino naturalem materiæ, ab ea ex parte distingui, & per naturalem possibilitatem formarum semper constitui, vt bene Arriaga citata disp. 2. sect. 4. subsect. 2. num 54. sic eum appetitum, modo per absentiam, modo per præsentiam formarum, compleri superius edocuimus: quare materia, formas, quas semel appetiit appetitu innato omnino naturali, postea tamen poterit ita non appetere; quia nimirum, quæ semel naturaliter possibiles fuerunt, possunt postea in impossibilitatem migrare. Deinde, esto (quod falsum est) appetitus innatus omninò naturalis, qui reperitur in materia, sit ei omninò essentialis, adhuc materia poterit in formas corruptas appetitu illo innato ferri. Quid enim vetat, materiam omnino essentialiter ac per seipsam appetere innatè prorsus naturaliter, pro instanti A. formas substantiales, quæ vsque ad illud corruptæ non sint, & pro instanti B. eas, quæ vsque ad illud corruptæ similiter non sint, & sic de reliquis? nam quod materia omninò essentialiter & adæquatè per seipsam formas appetat innatè prorsus naturaliter, hoc quidem, disputandi gratia, admissum, arguit appetitum illum ei semper conuenire, sed non pro semper, vt ita loquamur, aut pro instantibus, in quibus formæ intelliguntur iam corruptæ: qua ratione, Deus semper odio habet peccatorem, sed non pro semper, nec pro instantibus, quibus iustus est, cum pro iis eum amore prosequatur.

56 Confirmatio autem obiectionis non vrget: siquidem appetitus efficax elicitus fertur in bonum conueniens, & naturaliter possibile, media eius cognitione: quare mirum non est, quod cognitio impossibilitatis ab eius efficaci amore voluntatem auertat, aliàs interdum non auertendam; præsertim si supernaturaliter, ac de potentia absoluta, non appareat possibile: at appetitus efficax innatus, & omninò naturalis, materiæ primæ in bonum conueniens, & naturaliter possibile, quâ talis, fertur immediatè, & non media vlla cognitione: vnde seorsim à quauis cognitione, eiúsve defectu, poterit in materia cessare, cessante naturali possibilitate formarum corruptarum; nimirum, quia eo ipso cessat conditio obiectiua, sub qua tendit, quatenus est talis materiæ appetitus.

Ad secundum respondeo, negato antecedenti: Prior 57
autem eius probatio facile dilui potest, dicendo, cum corrumpitur forma ignis v.g. haud redire, eius vt existentis secundum se, siue existentiæ illius secundum se, carentiam: quippe, quæ nunquam fuit: quæ ergo carentia incipit post corruptionem talis formæ: Sanè non nisi durationum, per quas posset illa forma postea existere, & durare, simpliciter tamen & propriè non existit: carentia autem priuatiua durationum sequentium, non redit, sed incipit pro tempore, quod iis durationibus, si existerent, responderet, modò verò non iis respondet, sed corruptioni formæ substantialis, cuius sunt durationes. Sed de hoc latius alibi. Si cui tamen hæc doctrina displicuerit, dicat carentiam formæ ignis secundum se, & similium formarum, post corruptionem redire quidem naturaliter, vt in argumento probe ostenditur; non tamen eadem numero, sed specie: nec absurdum esse, quod eiusdem formæ positiuæ dentur carentiæ solo numero diuersæ.

Posterior etiam probatio antecedentis negati, non 58
est magis momentosa: nam ante & post corruptionem formæ, status rerum omninò idem non est, quoad modum, quantumuis quoad substantiam idem sit: hæc autem diuersitas, quoad modum, sufficit, vt causæ efficientes & materiales formæ corruptæ ad eam iterum concurrere nequeant, vt ex nostris argumentis perspicue constat. Aut dic, idem, semper idem, esse natum, aptúmve, facere semper idem, quoad speciem, non verò quoad numerum: hoc autem aduersariis quid potest prodesse?

TRACTATVS V.

De imperfectione Materiæ componentis essentialiter corpus naturale.

CAPVT PRIMVM.

An materia prima, de facto existens, sit imperfectior omni alia materia, & substantia possibili?

VPPONO ad hanc quæstionem, & sequentes, materiam primam, quæ de facto existit, non habere summam perfectionem, nec, quod perinde est, esse Deum. Quamuis enim id existimarit quidam Dauid de Dinando, apud B. Thom. 1. p. q. 3. art. 8. & Albertum tract. 3. Phys. c. 13. & lib. 6. Ethic. tract. 2. cap. 14. at hoc errore nihil esse stultius iure affirmat S. Doctor vbi suprà. Suppono item, materiam, ne in eximio aliquo perfectionis gradu esse, sed potius esse imperfectiorem, Angelo, anima rationali, aliisque multis formis substantialibus, præsertim perfectorum viuentium: quod etiam manifestum est, & ab omnibus Philosophis ac Theologis receptum. 1

His constitutis, materiam, quæ de facto existit, esse 2
in primis inter omnes materias possibiles, (si fortè plures sunt possibiles) necnon etiam inter omnes sub-

stantias, seu creatas, seu creabiles, imperfectissimam, tuentur Durand. in 2.q.1. Argentin.in 1 dist.44.q.1. art.2.Richard. quodlib.2.q.5 Ægid. quodlib.3.q.5. Ioann.de Neapoli.q.5. Abulens. in cap.22.Matthæi q.222. in idipsum inclinat Scotus in 2. dist.12. q.2. ad argum. Eandem sententiam sequitur Suarez disp. 13. Metaphys.sect.12.num.6.Collegium Conimbricens.lib.3.Phys.cap.8.q.3.art.2.& alij:pro qua

3 Obiicies in hunc modum. Possibilis est substantia omnium infima,& imperfectissima: eiusmodi igitur est materia à Deo producta, quam propè nihil Augustin. ob eius imperfectionem nuncupauit. Antecedens probatur,primo quia ad perfectionem diuinæ omnipotentiæ minimè spectare videtur, quod substantias imperfectiores, & imperfectiores in infinitum, producere possit: haud secus ac perfectionem artificis creati minime commendat, quod magis & magis imperfectè operari possit,sed potius quod perfectiùs & perfectiùs operando sit: ergo ad substantiã imperfectissimam, ab omnipotentia Dei producibilem,est deuenire. Secundò,quia in quantitate permanenti, & successiua, deuenire est ad minimum, videlicet ad instans,& punctum:similiter ergo,in quantitate entitatis,seu perfectionis substantialis, deuenire erit ad substantiale minimum, siue ad substantiam perfectione infimam. Tertiò,quia species sunt sicut numeri,vt fert commmunis paræmia,& vt Dionysius de diuinis nomin. perspicue edocet, inquiens, species rerum creatarum à Deo procedere, sicut numeri ab vnitate deriuantur: at in numeris est assignare numerum minimum,nempe dualitatem: ergo in speciebus substantiarum erit assignare substantiam perfectione minimam: quo spectat illud Philonis Iudæi, in lib.allegoriarum: *Binarius est imago materiæ, quæ diuiditur secatúrque, tanquam mortalis:* vbi videtur, materiam inter substantias imperfectissimam, binario,numerorum imperfectissimo,comparare.

4 Secundò probari solet eadem sententia, à quibusdam Recentioribus, hoc pacto. Si esset possibilis aliqua materia, aut substantia, imperfectior materia de facto existenti, ea actu existeret: sed ea actu non existit, vt vtrinque supponimus: ergo nec potest existere. Sequela probatur; quia omnis substantia suaptè natura postulat,vt omnes aliæ substantiarum species, se imperfectiores, existant; ob appetitum quendam excellentiæ,& dominationis,rebus omnibus insitum, quo aliæ aliis præesse ambiunt; quæ relatio præcellentiæ intelligi non potest,quin quæ exceduntur existant: si ergo esset possibilis substantia aliqua, materia prima de facto existenti,imperfectior, ea ex natura rei de facto existeret.

5 Oppositum tamen longè probabilius est, quia repugnat substantia creata omnium perfectissima, vt ostendetur in loco:igitur & omnium imperfectissima: ac proinde huiusmodi non erit materia prima,quæ de facto existit. Consequentia perspicua est, nam sicut infinitam perfectionem creatoris haud parum manifestat, quod possibiles sint substantiæ perfectiores in infinitum, quin vlla ad eius perfectionem adeò accedere possit,vt alia magis accedere nequeat; ita similiter infinitam. omnique ex parte illimitatam, creationis perfectionem,& excellentiam, mirum in modum ostentat infinitus processus substantiarum possibilium, quarum nulla ita imperfecta sit, aut ita ab infinita perfectione Dei recedat, quin alia ab ea magis recedere, & imperfectior esse possit: nisi enim substantia Dei infinita esset, sanè substantias creatas imperfectiores, & imperfectiores in infinitum, & absque termino, sub se non posset habere.

Declaratur: Deum posse producere substantias magis, & magis imperfectas in infinitum, quin ad imperfectissimam descendere possit,non est eum magis imperfectè in infinitum operari posse: hoc enim secundum denotat imperfectionem, non tam in re operata,quam in modo operandi; modus autem operandi imperfectus repugnat Deo, quippe qui res imperfectissimas perfectissimè operatur; & in iis non minus, quam in perfectissimis summa prudentia, & arte regitur: illud autem prius imperfectionem in sola re operata indigitat; in quo nulla repugnantia apparet. 6

Deinde, in quantitate continua versus minimum est procedere in infinitum, ita vt nulla quantitas eius exiguitatis assignari possit, quin alia minor possibilis sit,vt lib.sequenti ostendemus:similiter ergo in quantitate perfectionis substantialis, ad substantiam imperfectissimam,& minimam,deuenire non est. Quod autem in quantitate continua permanenti, & successiua,ad minimum aliquod,nempe punctum,& instans gradus sit,nihil obest: siquidem punctum,& instans, quantitas non sunt: quare ad quantitatem minimam, eorum merito,non deuenitur: vnde neque, ad quantitatem perfectionis substantialis minimam, licebit vnquam deuenire. 7

Quod verò in quantitate discreta ad numerum minimum, videlicet,dualitatem, deueniatur, non magis obest: siquidem numerus binarius numerorum omnium non imperfectissimus est, sed potius perfectissimus:tum quia reliquis simplicior est:simplicitas autem ad perfectionem attinet: tum quia præ reliquis numeris magis sui communicatiuus est, cum nullus numerus sit, in quo non contineatur: esse autem sui communicatiuum,ac diffusiuum,bonitatem,& perfectionem arguit: quare in numeris non est dare numerum imperfectissimum: dualis enim perfectissimus est,& quo magis reliqui à dualitate abscedunt,eo magis imperfecti sunt: cum ergo nullus numerus à dualitate abscedat, distétve infinitè, & summè, aut ita vt alius ab ea remotior non sit, sanè nullus numerus imperfectissimus erit: quid ergo mirum,si similiter impossibilis sit substantia imperfectissima? Atque ex his patet ad primam obiectionem, & eius probationes. 8

Ad alteram obiectionem respondeo, materiam de facto productam,non necessariò debere postulare existentiam aliarum substantiarum imperfectiorum, esto aliæ imperfectiores sint possibiles. nec id verisimiliter colligi, ex appetitu illo excellentiæ: siquidem rebus creatis suapte natura finitis, & imperfectis, non minus consentaneus est appetitus subiectionis, quam dominationis, & excellentiæ: at non habent appetitum naturalem subiectionis, ratione cuius irrefragabiliter postulent substantias omnes se perfectiores existere; vt iis subesse possint, alias Deus ex natura rei perfectiora facere non posset, quam quæ fecit? Ergo &c. 9

Caput II.

An materia prima sit imperfectior omni forma substantiali.

Assero primò. Materia prima ex genere suo est necessariò & semper imperfectior forma substantiali. Hanc assertionem claram & euidentem censet P.Suarez disp.13. Metaph. sect.11. num.11. ibi: *Materia vt sic distinguitur intra latitudinem substantiæ,* 10

stantiæ; tum à substantia completa, siue composita, siue simplici: atque hoc modo clarum est, genus materiæ vt sic minus perfectum esse quam genus formæ, & à fortiori, quam substantiam compositam, vel completam. Ratione suadetur, quia intra genus formę est aliqua adeò perfecta, vt quacumque materia possibili longè perfectior sit: genus ergo formæ perfectius est, quam genus materiæ, cum perfectio continentium perfectione contentorum metienda sit, atque adeò forma ex genere suo perfectior est quam materia, & hæc illa imperfectior. Antecedens conspicuum est: quæ enim materia excogitari potest, quæ animo rationali perfectione non decedat? Sanè formæ ipsæ materiales, esto sensibiles & vitales, vsque eo perfectionis euehi nequeunt, vt animi rationalis perfectionem assequantur: multò ergo minus materia vlla eam poterit assequi.

11 Aliter etiam suadetur eadem assertio: tum quia accidens ex genere suo substantia imperfectius est, quātumuis aliquod accidens substantia aliqua fortasse perfectius sit: Ergo à pari, &c. Tum etiam, quia materia in composito substantiali, potius quam forma, subiecti vicem obtinet: at, suppositā propria existentia materiæ, distincta ab existentia formæ, id explicari nequit, nisi per hoc quod materia sit imperfectior, quam forma: materia ergo, saltem ex genere suo, imperfectior est, quam forma: ea namque inæqualitas perfectionis, fusiùs & laxiùs nequit explicari.

12 Assero secundò. Valde probabile est, materiam primam, de facto existentem, imperfectiorem esse forma substantiali, non tantum ex genere suo, sed, quod plus est, quacumque forma substantiali, in particulari sumpta. Ita P. Suarez, vbi suprà. Et probatur primò, quia hac ratione pressius & melius exponitur, cur materia potius quam forma munus subiecti gerat. Secundò, quia forma quæcumque est principium operationum compositi sui, materia verò earum dumtaxat principium receptiuum: forma ergo, quæcumque sit, perfectior erit, quam materia, & hæc imperfectior, quam illa. Antecedens quoad priorem eius partem, & est per se perspicuum, & perspicuè traditur à B. Thoma 1.p.q.105.a.5.corp. vbi de Deo sermonem habens, déque concursu, quo causis secundis, vt sic, cooperatur, ita inquit; *Vnde non solùm est causa actionum, in quantum dat formam, quæ est principium operationis*, &c. Posterior etiam antecedentis pars non minus manifesta est: si enim materia, quæ de facto existit, esset radix effectiua operationum compositi, adinstar formæ, non esset sanè cur operationes determinatas non peteret, sicut illas forma postulat: atqui operationes determinatas non exposcit, sed his vel illis specie diuersis, experientia teste, contenta est: ergo, &c.

13 Vlterius suadetur eadem assertio, quia si materia prima, actu à Deo producta, non esset imperfectior quacumque forma substantiali, certè posset etiam fingi materia aliqua possibilis, vsque adeò perfecta, vt non solum formam aliquam substantialem, verum etiam substantiam completam, æquare, aut superare possit, quod ridiculum est. Ad hæc, iuxta plures aduersarios, imperfectissimum viuens quouis non viuente quamlibet perfecto perfectius est; nec sol v.g. muscæ perfectionem assequitur: at quid verisimilius, quam formam substantialem qualemcunque ita debere comparari cum materia de se informi, sicut, id quod viuit, cum eo quod est vitæ expers? Ergo &c. Tandem, si materia de facto existens, aut vlla alia possibilis, eò perfectionis euehi posset, vt formam aliquam substantialem æquaret, non esset, cur aliqua materia vsque ad perfectionem animi rationalis gradum facere non posset; quod tamen commentitium, & chimæricum esse, quis ambigat?

Assero tertiò. Probabile etiam est, materiam aliquam, non solùm possibilem, verumetiam existentem, haud esse imperfectiorem, sed potius magis perfectam pluribus formis substantialibus. Nonnihil in hanc assertionem inclinat P. Suarez vbi suprà. Et suadetur primò, quia materia prima cum forma cineris v. g. tam informis penè videtur, ac sine illa: nec decorem ea vllum, vllámve speciem materiæ superaddit. Secundò, quia materia creatur, & est immortalis; cum tamen forma cineris generationi, & corruptioni, obnoxia sit. Tertiò, quia bonum est diffusiuum sui, teste Dionysio de diuin. nomin. at materia prima magis diffusiua sui est, quam forma cineris; cum altera quodcunque compositum substantiale specie diuersum, altera verò vnum duntaxat constituere possit: hoc ergo etiam ex capite materia cineris melior & præstantior, quam eius forma, esse videtur. Quartò, quia melius & præstantius apparet, inchoare ens naturale perfectissimum, quale est homo, cœlum, &c. quam complere ens naturale, quo vix aliud imperfectius reperias: illud autem prius materiæ cineris conuenit, hominis enim ac cœli compositionem inchoare, & eius quasi basis esse potest: hoc verò posterius, formæ cineris competit. 14

Quod autem forma cineris aliquarum operationum principium effectiuum sit, secus verò materia; aliunde compensatur, per hoc quod materia possit esse principium susceptiuum infinitarum penè operationum specie diuersarum, quarum aliæ vitales, aliæ non vitales, aliæ transeuntes, aliæ immanentes, omnes tamen perfectissimæ sunt; cum tamen operationes, quas forma cineris efficere potest, paucæ & imperfectissimæ sint suapte natura. Quod verò forma semper materiam præsupponat, atque adeò ea perfectior esse videatur, eo quod eius quasi complementum sit, & natura non nisi ab imperfectis ad perfectiora ascendat; hoc inquam non obest, quia etiam accidens præsupponit substantiam, quam tamen perfectione non superat. 15

Tandem, quod forma ex genere suo materia perfectior sit, non obstat etiam: quia visus v.g. ex genere suo perfectior est, voluntate humana, propterea quod visus sub facultate cognoscitiua, & voluntas sub appetitiua contineatur; genúsque facultatis cognoscitiuæ fortassis perfectius sit, genere facultatis appetitiuæ: & tamen visus absolutè perfectior non est humana voluntate, sed potius longè imperfectior: similiter ergo in præsenti, &c. Verùm esto hi, & alij complures perfectionis gradus, pro cuiusque arbitrio, materiæ assignentur, probabile tamen semper manet, quod superius asseruimus secundo loco, eam nunquam ad perfectionem formæ euehi posse, nedum eam superare: sicut quamuis fingatur bellua aliqua, quæ suapte natura creetur, & immortalis sit, quæque nunquam, & nunquam non sit, alioſque perfectionis gradus ab homine alienos sibi vendicet, ea tamen perfectionem hominis assequi, aut præterire non poterit. 16

Caput III.

An materia prima, de facto exiſtens, ſit imperfectior omni ente, non ſolum ſubſtantiali, ſed etiam accidentali, exiſtenti, & poſsibili?

17 Dico non eſſe: quia, vt ſuperius oſtenſum manet, probabile eſt, eam eſſe perfectiorem aliqua forma ſubſtantiali: ergo pro certo, & explorato habendum eſt, illam eſſe perfectiorem aliqua forma accidentali: & ſic haud poteſt eſſe imperfectior omni ente, non ſolùm ſubſtantiali, ſed etiam accidentali. Secundò, materia prima ſuas habet proprietates accidentales, v.g. quantitatem, ſi fortè ab ea diſtinguitur, vbicationem, durationem, &c. His autem eſt perfectior, cum omnis eſſentia perfectionem ſuarum proprietatum non ſolum adæquet, ſed etiam ſuperet: ergo, &c. Et quidem noſtram ſententiam tuentur Conimbricenſes lib. 1. Phyſ. q. 2. art. 3. & lib. 3. q. 3. art. 2. circa medium, ac Balthaſar Tellez d. 22. ſ. 5. concl. 3. qui etiam pro eadem ſententia refert Beatum Thomam, Fonſecam, Soarium, & Vaſquez.

18 Obiicies tamen in contrarium primò. Materia prima dicitur ab Auguſtino prope nihil lib. 12. confeſſ. cap. 7. ibi: *Feciſti cœlum, & terram* (id eſt materiam primam) *duo quædam, vnum prope te, alterum prope nihil, vnum quo ſuperior tu eſſes, alterum quo inferius nihil eſſet.* Rurſus à Platone vocatur materia non ens: nam in Timæo ſic diſputat: *Quid eſt quod ſemper eſt, generationem autem non habet? Et quid eſt, quod gignitur quidem, nunquam autem eſt?* Vbi iuxta communem Auctorum interpretationem, per id, quod ſemper eſt, idæam, & per id quod non eſt, non aliud, quam materiam primam intellexit. Quamobrem rectè Clemens Alexandrin. lib. 5. ſtromat. *Sciunt ergo (ſtoici) eam quæ vocatur materia, quæ ab ipſis dicitur expers qualitatis, & figuræ, audacius quoque à Platone dictum eſſe, id quod non eſt.* Præterea eadem materia appellatur à Platone, *Magnum, & paruum*, nimirum quia vt interpretatur Porphyrius in lib. de occaſion. c. 11. *Fit ſemper, manet verò nunquam, neque tamen aufugere poteſt; quippe, cum totius entis ſit defectus: quamobrem quidquid promittit, mentitur, ac ſi magnum quid appareat, iterum euadit paruum; quaſi ludus quidam eſt, in non ens aufugiens.* Quid plura? tum à Platonicis, tum ab aliis vocatur materia, primæ eſſentiæ inanis vmbra, primæ vitæ fæx, regio diſſimilitudinis, ſiue Deo diſſimillima. At id nequit non eſſe imperfectiſſimum, inter omnes ſubſtantias, omniaque accidentia creata, quod eſt prope nihil, quod non ens, quod primæ eſſentiæ non niſi inanis vmbra, quod primæ vitæ non niſi fæx, quod propter ſummam à Deo diſtantiam, & diſſimilitudinem regio diſſimilitudinis eſt, & appellatur. Materia ergo prima de facto exiſtens, quæ præfatis nominibus appellatur, & cui eorum ſenſus, ac vis conuenit, haud poteſt non eſſe imperfectiſſima, ac poſtremæ notæ inter omnes creaturas ſubſtantiales, & accidentales, ſiue exiſtentes, ſiue poſſibiles.

19 Reſpondeo tamen, materiam primam dici ab Auguſtino, Platone, & aliis, non ens, prope nihil, &c. non in ſenſu formali, ſed tantum in ſenſu cauſali; eo nimirum, quod ſit cauſa, cur omnes res ſublunares, quæ exiſtunt, aliquando intereant, reducantúrque ad nihil, & non ens: ad modum, quo dicitur Chriſtus v.g. noſtra ſalus, & redemptio, non formaliter ſed tantum cauſaliter; quia ſcilicet meritis ſuis nos ſaluauit, atque redemit. Materiam autem cauſaliter eſſe nihil, & non ens, haud poteſt eam arguere imperfectiſſimam, inter omnia entia creata: alioqui etiam formæ ipſæ ſubſtantiales poſſent ſimiliter imperfectionis, eiuſque ſummæ, inſimulari, cum vna forma ſubſtantialis ſit ſemper in cauſa, vt alia intereat, & ad nihil, ac non ens reuocetur. Confirmatur, quia ideo materia eſt cauſa interitus rerum & formarum, taliſque cenſetur ab Ariſtotele lib. 7. Metaph. cap. 7. tex. 22. & lib. 9. Metaph c. 9. tex. 17. quia dum ſubeſt vni formæ ſubſtantiali, eſt capax recipiendi diſpoſitiones contrarias, eiuſque deſtructiuas, & ad aliam formam ducentes: at formæ ſubſtantiales, quæcunque ſint, non materialiter, ſed, quod plus eſt, effectiuè cauſant diſpoſitiones deſtructiuas aliarum formarum ſibi oppoſitarum: potiori ergo iure formæ ſubſtantiales ſublunares mutuum ſibi interitum parant, quam paratur eis à materia, ex qua conſtant: & tamen non ob id formæ illæ cenſentur imperfectiſſimæ omnium rerum creatarum: ergo &c.

20 Porrò mentem Auguſtini, Platonis, & aliorum eam eſſe quam diximus, facilè demonſtratur. Nam etiam materia dicitur à Platonicis priuatio formæ: at hoc eſto intellexerit Ariſtoteles lib. 1. Phyſicorum c. 9. in ſenſu formali, & ita ab eo intellectum ibi refutetur, intelligendum tamen eſt in ſolo ſenſu cauſali: vt non aliud ſit, quam materiam cauſare priuationem formæ, quam habet, appetendo ſcilicet aliam: qua de cauſa etiam vocatur malefica à Platone, & diſcipulis: ſimiliter ergo non ens, nihil, &c. ab iis, niſi in eodem ſenſu cauſali, non appellatur. Quod materia ab illis priuatio haud potuerit dici, in ſenſu formali, ſeu per identitatem, patet: tum quia, vt arguit contra eos Ariſtoteles vbi ſupra, materia appetit formam: ſed priuatio formæ non appetit formam, aliàs appeteret ſuam deſtructionem: ergo materia non eſt formaliter priuatio formæ: tum quia, materia exiſtit exiſtente forma, ſed priuatio non exiſtit exiſtente forma, cuius eſt priuatio; materia ergo non eſt formaliter & per identitatem priuatio formæ. Hæc quidem capita diſtinctionis inter materiam & priuationem ſunt euidentiſſima: nec credibile eſt ea latuiſſe Platonem & diſcipulos: proinde iuxta illos materia non dicitur priuatio per identitatem vtriuſque, aut in ſenſu formali.

21 Rurſus iidem dicunt, materiam generari, vt patet ex verbis Platonis ſupra allegatis: at euidens eſt, materiam primam, cum ſit primum ſubiectum, ex nullo ſubiecto ſe priori formaliter educi aut generari, ſed potius creari: ſolum ergo dicitur ab illis generari in ſenſu cauſali qutenùs ſcilicet eſt cauſa generationis rerum omnium, recipiendo diſpoſitiones, ad hoc vt continuò generentur formæ, formarumque compoſita: quidni ergo eodem ſenſu cauſali dici ab illis credamus materiam eſſe non ens, nihil, &c. nec ab illis tantum, ſed ab Auguſtino, & reliquis? Tandem ab Ariſtotele lib. 1. Phyſicorum c. vltimo, quem ſequuntur Conimb. articulo 2. ad finem; materia dicitur interire per denominationem à priuatione intereunte, & quodammodo gigni per denominationem ab eadem priuatione in ea incipiente: cur ergo non potuerit etiam dici à Platonicis, & aliis, nihil, non ens, &c. per denominationem à priuatione, cuius eſt cauſa, & quæ nihili, & non entis, rationem veriſſimè obtinet.

22 At inquies: ſi materia vocatur non ens, ac nihil per denominationem à priuatione, & intentione rerum, quam cauſat, & meritò cuius facit, vt quæcunque

que sunt, existúntque, postea incipiant esse non entia, & nihil; cur è contrario eadem materia non appellatur maximè ens: siquidem teste Aristotele 1. œconom. cap. 3. & 2. de gener. cap. 9. text. 51. est causa existentiæ & conseruationis rerum omnium sublunarium, nouasque semper dispositiones, & formas suscipiendo, facit, vt omnium entium species in ratione entium vniuerso constent, & conseruentur? Occurri tamen ad hanc dubitationem facilè potest: primò si asseratur materiam à Platone, & aliis, vt visum est, non solum paruum appellatam esse, sed etiam magnum: quod perinde est, ac si eam nuncuparent, non tantum non ens, & nihil, sed etiam ens & aliquid. Item secundò, cum denominatio sequatur debiliorem partem, vt est in communi prouerbio, quid mirum, si frequentiùs dicatur materia non ens, & nihil, aut propè nihil, à rerum interitione, cuius est principium, quam ens à conseruatione & existentia rerum, quæ ei veluti causæ debetur? Hactenus prima pro contraria opinione obiectio.

23 Obiicies pro ea secundò. Non est potior ratio, cur assignari debeat inter omnia entia ens aliquod perfectissimum, nempè Deus, quam etiam inter omnia entia ens aliquod imperfectissimum: hoc autem aliud esse non potest, quam materia prima, quæ de facto existit: ergo &c. Respondeo negata maiori: nam potius ex ente perfectissimo sequitur impossibilitas entis imperfectissimi, quam eius possibilitas; cum certò certius sit, primi ac perfectissimi entis perfectionem commendari, ex eo quod habeat sub se entia creata, non tantum magis & magis perfecta, sed etiam minus & minus perfecta in infinitum, quæ possit producere; ita vt quemadmodum non est assignare inter entia creata ab eo producibilia perfectissimum, sic nec imperfectissimum. Insuper, vt c. 1. dicebamus, nullus numerus ab vnitate summè recedit: nulla ergo creatura à Deo summè vno summè recedere potest, aut ita, vt non possit dari alia, quæ magis ab eo distet, ac proinde sit imperfectior. Tandem, vt ibid. disserebamus, nulla quantitas continua permanens, aut successiua, assignari potest minima. Similiter ergo in præsenti, &c.

24 Obiicies tertiò, pro eadem sententia. Materia prima est pura potentia: sed pura potentia est imperfectissima entium, sicut purus actus est inter entia imperfectissimus: ergo. Respondeo materiam iuxta disputata superius tract. 2. cap. 4. non esse puram potentiam entitatiuam, sed tantum puram potentiam passiuam substantialem, hoc est ita receptiuam formarum substantialium, vt ipsa haud sit forma substantialis: at, vt esset imperfectissima entium omnium, priori modo, non posteriori deberet esse pura potentia.

TRACTATVS VI.

De vnitate specifica materiæ componentis essentialiter corpus naturale.

CAPVT PRIMVM.

Materiam omnem sublunarem esse vnius speciei, posse tamen esse specifice diuersam, verius est.

1 VOD omnis sit de facto vnius speciei tuentur Hurtadus d. 2. Phys. sect. 5. Suarez in Met. d. 15. sect. 11. num. 15. Tellez d. 22. Phys. sect. 4. conclus. 1. Conimb. lib. 1. de cœlo cap. 9. q. 6. art. 4. & quod caput est, Arist. lib. 1. Phys. text. 69. & beatus Thom. 1. p. q. 66. art. 2. Probatur, quia nulla diuersitas per accidens, & contingenter talis variat speciem; aut essentiam: alioqui homo albus v. g. & homo niger erunt non vnius, sed diuersæ speciei: At tota diuersitas vnius materiæ sublunaris ab alia est quasi per accidens, & contingenter talis: materia enim in animis animari potest, solétque: & animata formam sortiri inanimem: & quæ vni formæ subest, potest cuicumque alij subesse, adeoque dissimilitudinem, & diuersitatem à forma sua prouenientem deponere, & alteri materiæ, cui dissimilis erat, adsimilari. Ergo, &c.

2 Quod verò possit vna materia sublunaris, & corruptibilium formarum susceptiua, diuersæ esse speciei ab alia, probabilius longè est, nisi valde fallor. Etenim quæ repugnantia esse potest in eo, quod aliqua materia sublunaris quarumdam formarum corruptibilium sit receptiua, & non omnium, alia verò aliarum, & non priorum? Cur implicet materia apta susciperе solas formas corruptibiles, non vitales, haud verò ad vitales & vitæ expertes ex æquo indifferens, sicut quæ de facto existit? An non subiectum substantiale completum formarum accidentalium, aliquod has, aliquod solas illas, non verò quodlibet quaslibet recipere potest? quidni ergo & ipsum in subiecto formarum substantialium corruptibilium, nempe materia prima sublunari, seruata proportione, possit euenire?

3 Contrarium tamen tuentur Pater Suarez disp. 13. Metaph. sect. 12. num. 6. & Pater Balthasar Tellez d. 22. Phys. sect. 4. num 5. & cum eis alij, præsertim Thomistæ. Ex quibus obiicies primò. Materia prima sublunaris est pura potentia, nullam habens perfectionem, nullum actum entitatiuum de se: non ergo potest specifice multiplicari; haud aliter ac è conuerso actus purus, ab omni potentialitate semotus, nempe Deus, nequit specificè multiplicari. Obiicies secundò. Actus est qui distinguit, vt fert commune proloquium: at nomine actus forma intelligitur, vtpote quæ subiectum actuat, sola ergo forma est radix distinctionis, ac multiplicitatis specificę, ac proinde materia prima sublunaris secundum se, & seorsim à forma sumpta nequaquam poterit quoad speciem multiplicari. Obiicies tertiò: Materia sublunaris debet esse subiecta priuationi formarum, sed priuatio formarum ad has importat capacitatem: materia ergo sublunaris debet esse capax formarum omnium corruptibilium: adeoque per respectum ad illas haud potest specie diuersificari.

4 Quartò, & eodem redit: formæ omnes corruptibiles ac sublunares conueniunt in ratione separabiliter informandi: per ordinem ergo ad eas, & hanc earum informandi rationem, potest constitui vna species infima materiæ, quæ alia esse non potest. quam materia de facto existens. Quintò, si est possibilis vna materia sublunaris diuersæ speciei ab alia, hoc est formarum quarundam corruptibilium capax, quarum est incapax alia; quidni possibilis adstruatur materia prima solarum formarum spiritualium receptiua? Consequens autem hoc est absurdum: quia compositum ex tali materia & forma spirituali esset spirituale: esset quidem spirituale: quid enim haberet non spirituale? non formam; quippe quæ supponitur spiritualis: non materiam; vtpotè quæ cum sit subiectum formarum spiritualium, & nullarum corporalium, haud potest non esse spiritualis: non denique vnionem, nimirum quæ nequit non sequi spiritualitatem extremorum suorum. Illud autem idem compositum non fore

spiri

ſpirituale patet, quia compoſitio ex actu & potentia repugnare videtur enti ſpirituali & ſimplicitati eius propriæ.

5 Ad primum reſpondeo, materiam, vt ſæpiſſime dictum eſt, haud eſſe puram potentiam entitatiuam, ſed potius propriam habere entitatem, & actualitatem: quidni ergo eius merito diſtingui poſſit in plures materias ſpecie diuerſas? ſicut forma, propter propriam, quam ſibi vendicat, entitatem & actualitatem, capax eſt inæqualitatis ſpecificæ, eiúſque multiplicitatis, & varietatis, quam in toto hoc vniuerſo ſuſpicimus. Deinde omnis materia ſpecificè diſtinguitur à forma ſubſtantiali: & tamen iuxta aduerſarios, omnis eſt abſolutè pura potentia, cur ergo vna materia ſublunaris ſpecificè diſtingui non poſſit ab alia, quamuis alterutra ſit pura potentia? Tandem paritas deſumpta ab actu puro entitatiuo, nempè Deo, nulla eſt; alioqui, ſicut Deus, quia eſt actus purus, non poteſt numero diſtingui, aut multiplicari, ſic etiam materia prima, quia eſt pura potentia, haud poſſet numero diſtingui, aut multiplex eſſe.

6 Ad ſecundum reſpondeo, nomine actus, cuius ſit proprium diſtinguere, intelligendam eſſe formam logicam, ſeu differentiam, aut quaſi differentiam, non verò formam phyſicam, de qua eſt ſermo: aliàs nec Deus & Angelus à rebus corporeis poſſent ſpecificè diſtingui: quippe forma phyſica minimè prædita: nec etiam (ob eandem rationem) daretur vlla diſtinctio ſpecifica inter materiam vt ſic & formam, aut numerica inter vnam materiam ſublunarem, & aliam: atqui materia prima ſecundum ſe, & præcisè ſumpta, formam logicam, ſeu differentiã ſibi vendicat. Cur ergo, ratione illius, non ſolum à forma phyſica, verum etiam ab alia materia, ſpecificè nequeat differre?

7 Ad tertium reſpondeo, materiam ſublunarem debere eſſe ſubiectam priuationi formarum; non omnium ſed aliquarum: vnde fit eam neceſſario eſſe capacem aliarum formarum, præter eas quas habet, non tamen omnium. Ad quartum reſpondeo, nihil eo conuinci, niſi quod poſſit dari vna ſpecies infima materiæ ſublunaris, receptiua omnium formarum corruptibilium, & in ordine ad eas earúmque informandi rationem, conſtituta: hoc tamen non prohibet, dari aliam ſpeciem materiæ ſublunaris, non ſub priori illa ſpecie contentam, ſed ab ea omninò diuerſam, quæ aliquarum determinatè formarum corruptibilium, non omnium, ſit receptiua. Et quidem vt vna ſpecies dicatur contineri ſub alia, eſſéque, ea inferior, haud ſatis eſt, vnius terminum & obiectum minus latè patere, quam alterius obiectum, vt liquet in ſenſu communi, & quouis ſenſu externo, quorum neuter ſubiicitur alteri, tanquam rationi ſuperiori, eſto vnius obiectum contineatur ſub obiecto alterius, nec tam latè extendatur.

8 Ad quintum reſpondeo, pone quidem dari materiam receptiuam ſolarum formarum ſpiritualium, ſiue non omnino corporearum: quæ enim in hoc repugnantia eſſe poteſt? compoſitum autem ex ea materia & forma reſultans eſſet ſpirituale ſimul, & materiale, non verò omninò ſpirituale: neque non etiam quæuis eius pars aliquid haberet materialitatis cum ſpiritualitate coniunctum. Hæc tamen latius explicare non eſt huius loci, ſed ad metaphyſicam ſpectat. Interim animaduerto tali materia nequaquam conſtare Angelos, ſed potius cuiuſcumque materiæ eſſe omnino expertes, vt contra Alenſem, Richardum, Aureolum, & Auicembron, docent ceteri communiter ſcolaſtici, quorum multos referunt ſequuntúrque Franc. Amicus tit. 1. diſp. 3. ſ. 3. & Gilius lib. 1. tr. 1. c. 4.

Caput II.

Materiam ſublunarem eſſe vnius ſpeciei cum materia cœlesti probabile eſt.

SVpponit hæc aſſertio, necnon ea, quam, ſeq. capite trademus, Cœlos materia prima, conſtare & ex ea & forma componi. Quæ ſuppoſitio probabilis eſt, etſi eius contrarium ſit non impoſſibile, vt oſtendemus in loco. Materiam ergo ſublunarem eſſe vnius ſpeciei cum cœleſti, docent ex noſtris Molina in opere ſex dierum. diſput. 5. Vaſquez 1. p. diſp. 24. n. 10. Hurtad. diſp. 1. de Cœlo ſect. 2. num. 15. Arriaga diſp. 2. Phyſ. num. 159. Tellez diſp. 22. Phyſ. ſect. 4. Salmeron in epiſtolam 1. D. Petri cap. 3. diſp. 4. Præpoſitus 1. p. tract. de op. ſex dier. dub. 3. num. 19. Idemque probabile eſſe putant Conimbricenſ. lib. 1. de Cœlo cap. 2. q. 6. art. 3. In eadem ſententia fuere veteres plerique Philoſophi ante Ariſtotelem, nempe Empedocles, Triſmegiſtus, Xenocrates, Anaximander, Thales, Heraclitus, Anaximenes, Plato, & alij: eandem poſtea opinionem ſequuti ſunt Auicenna, Okam, Bonauentura, Ægid. Romanus apud noſtros Conimbricenſes vbi ſupra: In eadem etiam inclinat Scotus, teſte P. Suarez diſp. 23. met. ſect. 11. 9

Probatur autem, quia ſi qua ratione materia ſublunaris non eſſet vnius eiuſdemque ſpeciei, cum materia cœleſti, ſed diuerſæ, maximè quia cœlum eſt incorruptibile: at hæc ratio eſt nulla: ſiquidem incorruptibilitas cœli proficiſci poteſt, non ex eo quod eius materia formarum ſublunarium incapax ſit, ſicut ad diuerſitatem ſpecificam materiæ cæleſtis ac ſublunaris oportet, ſed ex eo, quod forma cœleſtis ſit naturaliter incorruptibilis, & à materia, quam ſemel poſſidet, expelli neſcia: Quare, ſicut materia prima quanuis ſponte ſua ac per ſe penetrabilis, iuxta non paucos, tamen redditur impenetrabilis, per quantitatem à ſe realiter diſtinctam; & homo in ſtatu beatitudinis per donum ſupernaturale efficitur incapax peccati & mortis, quorum tamen intrinſecè & per ſe capax eſt; ita ſimiliter materia cœleſtis, tametſi ſit vnius eiuſdemque ſpeciei, cum materia ſublunari, ac proinde formarum ſublunarium ſuaptenatura capax, merito tamen formæ cœleſtis earum incapax reddi poterit, quemadmodum opus eſt ad Cœli incorruptibilitatem. 10

Confirmatur, & declaratur; quia formarum ſublunarium aliquæ difficilius à ſubiecto pelluntur, quam aliæ, vt cernere eſt v. g in adamante, & ſtupa: & tamen omnes in eadem ſpecie materia ſuſcipiuntur: quidni ergo formæ cœleſtes & ſublunares poſſint eſſe tales, vt illæ priores nullo modo poſſint ex natura rei à ſubiecto ſuo pelli, poſſint verò poſteriores, tametſi ambæ eandem ſpecie ſortiantur materiam ac proinde ex incorruptibilitate Cœli, ſiue inſeparabilitate formæ cœleſtis à ſua materia, huius à materia ſublunari diuerſitas ſpecifica haud quaquam poterit recte collegi. Confirmatur iterum: quia modus à re, cuius eſt modus, auelli diuinitus etiam nequit, cum tamen res à modo ſæpe ſæpius auellatur: ſimiliter ergo, quamuis formæ corporum cœleſtium & incorruptibilium à materia ſua naturaliter expelli aut ſeparari nequeant, tamen eorum materia poterit è conuerſo ſeparari à formis cœleſtibus, & ſublunaribus vniri; & ſic, non obſtante, Cœlorum cœleſtiúmque formarum incorruptibilitate, haud repugnabit materiam cœleſtem & ſublunarem eiuſdem eſſe ſpeciei. 11

Obiicies tamen primò: ſi materia cœleſtis eſſet vnius 12

vnius eiusdémque speciei cum sublunari, non esset cur illa ad huius instar non posset calorem, siccitatem, aliásque similes impressiones accipere. Consequens est absurdum. Ergo &c. Minor est perspicua, quia alias ignis cœlo contiguus in materiam cœlestem dispositiones vltimas ad formam igneam introducere posset, adeóque cœlum ignire & corrumpere: nec enim in igne deest virtus actiua, nec in materia cælesti virtus passiua, ad eas dispositiones dandas, & accipiendas. Maior autem probatur: siquidem dici nequit, quod nuper dictum est, formam cœli postulare, ne vllo modo eæ dispositiones in materiam cælestem imprimantur: quia pro illo priori, quo ignis est potens illas operari, & materia prima cœli de se apta eas suscipere, sanè à forma cœlesti omnino præscinditur: ea ergo postulare nequit, nè dispositiones illæ igneæ pro posteriori naturæ signo producantur. Antecedens suadetur, pro illo priori signo Deus de se est indifferens, ad conseruandam vel non conseruandam formam cœli, & ad exhibendum vel non exhibendum igni suum concursum ad materiam cœli igniendam: alterutrum enim de potentia absoluta in opposita sententia præstare potest: ergo pro illo priori à forma cæli præscinditur; haud aliter, ac pro priori indifferentiæ ad amorem, & odium, ab vtroque præscinditur.

13 Verùm facilè responderi potest, vt forma cælestis exigat aliquid innatè non requiri in ea existentiam, eo quod illa exigentia innata non sit vera exigentia, sicut elicita, sed metaphorica, & secundum quid: quare, tametsi pro illo priori nuper explicato non existat forma cælestis, tamen pro eo exigere poterit, ne dispositiones igneæ, aut alterius formæ in materiam, quam semel ipsa informarit, vnquam imprimantur. Præterea dici etiam potest, formam cœlestem existentem in primo instanti suæ productionis postulare innatè, nè pro sequentibus dispositiones ad aliam formam in materiam cœli imprimantur: quam exigentiam pro præfato priori Deus præuidet; eique stare naturaliter tenetur.

14 Obiicies secundò, non esse in nostra sententia, cur, è contrario, cœlum in corpora sublunaria sibi vicina non agat, formámque cælestem in eorum materiam non imprimat: siquidem materia sublunaris capax est formæ cœlestis; cœlum autem ea actiuitate, & energia, qua corpora inferiora, & corruptibilia pollent, destituendum non est. Respondeo, quò vis resistendi in aliquo corpore maior est, eo virtus actiua in illo minor est, vt patet, verbi gratia, in auro, adamante, lapide, aliisque corporibus id genus, vtque indè etiam colligi potest, quod experientia teste è conuerso corpora magis actiua minorem sortiantur vim resistendi. Quando igitur virtus resistendi in cœlo summa est, ac naturaliter vinci nescia, mirum non est, quod virtus eius actiua ad effectus secum homo geneos sit exigua, adeoque formam cœli materiæ sibi contiguæ, & capaci nequeat communicare. Ob hæc tamen negare non ausim vim actiuam, & vim, seu virtutem resistendi, in summo aut certè in excellenti aliquo eidem corpori substantiali completo à Deo communicari posse, in alio saltem rerum statu.

15 Tandem obiici potest contra nostram sententiam, in hunc modum. Si materia vnius cœli esset eiusdem speciei cum materia, non solum sublunari, sed etiam, quod consequens est, cuiusuis alterius cœli; atque adeò de se indifferens, & apta ad omnes formas cælestes, ac sublunares; sanè perpetuam violentiam pateretur. Consequens hoc absurdum est: quod enim est violentum in rerum natura, nequit esse perpetuum; perpetuitásque & violentia, naturaliter loquendo, termini sunt repugnantes inuicem. Sequela autem probatur, quia potentia, capax plurium actuum specie diuersorum, haud potest vnius solius perpetua possessione satiari: at vniuscuiusque cœli materia perpetuò retinet formam illam quam semel sortita est, nec eam cum alia vlla commutat, aut commutatura est: ergo si est apta ad formas cœlestes, & sublunares, quæ tot támque dissimiles sunt, recipiendas, haud poterit satiari per formam quam habet, sed potius, ratione æternæ ad illam alligationis, æternam patietur violentiam. Nec est simile in materiæ sublunaris aptitudine ad plures formas, præter eas quas habet: hæc enim eius aptitudo, & capacitas non est, nisi ad plures alias formas successiuè habendas: atqui successiuè quidem materia sublunaris plures formas consequitur: non est ergo, quod perpetuam pati censeatur violentiam, & inquietudinem.

Respondeo, materiam iuxta dicta superius tract. 3. c. 2. magis appetere formam substantialem cui vnitur, quam alias quibus non vnitur; propter maiorem videlicet determinationem ad illam, quam ad has: hinc est, vt materia vnius cæli ex. g. Iouis magis appetat formam Iouialem, & propriam, quam varietatem illarum formarum cælestium & sublunarium: potior ergo & principalior eius cæli appetitus semper manet satiatus, esto prædictis formis perpetuo destituatur, & ad vnam solam sit alligatum: vbi autem intelligitur principalis rei appetitus satiatus, tum certè ea res censetur absolutè satiata, & nulli violentiæ, nedum perpetuæ, subiecta: vnde aptitudo & capacitas illius cœli, & cuiusuis alterius, ad omnes & quascunque formas cœlestes, & sublunares, coniuncta cum earum perpetua priuatione, haud arguet illud, aliúdve vllum, non satiari vnquam, aut semper manere violentum. 16

CAPVT III.

Materiam sublunarem esse diuersæ speciei à cæleſti, probabile quoque est.

17 EAm certè diuersitatem specificam tuentur B. Th. 1. p. qu. 66. art. 2. & cum eo Caietanus Capreolus Ferrariensis, Iauellus, Hispalensis, Sonciuas Heruæus, & certatim Thomistæ. Item Alensis 2. p. q. 44. membr. 2. Maior 1. physic. quæst. 3. Richardus in 2. distinct. 12. q. 8. necnon ex nostris Suarez disp. 13. met. sect. 11. & de opere sex dier. lib. 1. c. 3. Fonseca 5. metaph. c. 3. q. 2. Rubius lib. 1. de cœlo c. 2. q. 6. Pereira lib. 11. philosoph. cap. 10. idémque problematicè propugnant Conimbricenses ad initium capitis præced. citati.

18 Suadetur autem, quia possibiles sunt plures materiæ diuersæ inter se speciei, vt tractatu superiori manet demonstratum: tales ergo de facto sunt materia cœlestis & sublunaris. Consequentia videtur bona: tum quia ea diuersitas vbi semel possibilis sit, ad pulchritudinem vniuersi, in varietate maximè sitam, non modicè confert: tum etiam, quia cœlorum incorruptibilitas aut à diuersitate specifica materiæ cœlestis, eiusque ad recipiendas formas sublunares incapacitate radicali, aut à peculiari natura & exigentia formæ cælestis

ſuperius explicata proficiſci poteſt : cum ergo non ſit potior ratio cur ab vna potius quam ab alia oriatur ſanè ab vtraque cenſenda eſt oriri.

19 Obiicies tamen ex Patre Molina ſuprà 1. parte diſputatione 2. de opere ſex dierum, vbi ex capite 1. Geneſeos colligi cenſet cælum ſidereum ex materia aquæ fabricatum eſſe , atque adeo eius materiam eiuſdem eſſe ſpeciei cum materia corporum ſublunarium. Siquidem cum loco citato dicitur. *In principio creauit Deus cœlum & terram , terra autem erat inanis & vacua , & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi , & ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas* ; Sanè nomine cæli ſolum empireum intelligitur : nam firmamentum, ſeu cœlum , ſidereum , non in principio ſeu primo die , ſed ſecundo factum dicitur , vt iam iam conſtabit : & nomine abyſſi infinita quædam aquarum eluuio intelligitur , quæ totum illud chaos , & interuallum , poſitum inter tellurem & cælum empyreum, replebat inundabátque, vt ex verbis Geneſeos allatis perſpicuè apparet.

20 Deinde cum additur ; *Fiat firmamentum in medio aquarum ; & diuidat aquas ab aquis , & fecit Deus firmamentum , diuiſitque aquas , quæ erant ſub firmamento , ab iis quæ erant ſuper firmamentum , & factum eſt ita ; vocauitque Deus firmamentum cælum , & factum eſt veſpere & manè dies ſecundus* ; his inquam verbis , nomine firmamenti , ſolum cælum ſidereum ſubauditur , non vero cælum aërium , vt nonnulli perperam arbitrantur : nam quarto die dixit Deus , *fiant luminaria in firmamento cæli* : at luminaria cæleſtia, nimirum Sol , & Luna , & reliqua ſidera , non in cælo aërio condita ſunt à Deo , ſed duntaxat in ætherio. Tum ſic : non potuit Deus cœlum ſidereum ſiue ætherium condere , quin ingentem illam aquarum molem , in cuius ſpatio illud condidit , aut deſtrueret , aut certè in cælum ſidereum conuerteret : atqui eam deſtruxiſſe ſiue annihilaſſe cenſendus non eſt : ad quid enim eam crearet , eandem ſecundo die ſtatim annihilaturus ? an non ſatius eſſet , aut eam non creaſſe , & ſpatium illud vacuum reliquiſſe , aut illud primo die cœlo repleſſe : eam igitur aquarum congeriem in cœlum ſidereum conuertit , deſtructáque aquæ forma in eius materiam formam cæleſtem impreſſit : quo fit cælum ſidereum eſſe eiuſdem ſpeciei cum aqua , aliiſque ſublunaribus ſubſtantiis.

21 Verum reſpondeo , nomine cæli primo die conditi non ſolum empireum , ſed reliquos etiam orbes cæleſtes ; & nomine terræ quatuor elementa ſpatiis ſibi cognatis digeſta & collocata intelligi : quod cum Baſilio in Hexameron , & Damaſceno libro 2. fidei capite 5. complures Theologi tenent : & verba Dauidis Pſalm. 101. haud leuiter id inſinuant nempe ; *Initio tu Domine terram fundaſti & opera manuum tuarum ſunt cæli.* Quod autem attinet ad verba illa Geneſ. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas* , nomine ſpiritus, ſignificatur aër, quoad locum ſuperior quam aqua , vt docent Theodoretus quæſtione 8. ſuper Geneſim, & alij plures apud Lipomanum , in Catena. Deinde firmamentum ſecundo die conditum , non cælum ſidereum , vt aduerſarij cenſent , nec ſola infima aut media regio aërís , vt alij haud verius exiſtimant , intelligendum eſt , ſed tota illa expanſio cæli tam ætherij quàm aerij , vt conſtat ex verbo Hebræo , *Rakia*, quod firmamentum Latinus interpres tranſtulit : vel quia firmitudinem & ſoliditatem , ſolius ætheris propriam , toti aggregato attribuit : vel quia expanſionem illam Deus ſecundo die firmauit, condenſauit , & quaſi conſpiſſauit , ſicut oportuit , ad hoc vt cælum ætherium ſidera , & aërium nubes & aquas pluuiales ſuſtentarent ; ob quam perfectionem , & alias plures firmamento ſecundo die inditas , factum conditumque dicitur eo die in ſacris litteris.

22 Porrò , quia tota illa extenſio ſiue expanſio cælorum varias habet partes , aliquid ei attribuitur , interdum ſecundum ſupremam partem , vt cum Deus in firmamento cæli ſtellas collocaſſe dicitur ; aliud ſecundum infimam partem , vt cum firmamentum aquas ab aquis diuidere dicitur , eo quod infima aëris regio aquas pluuias in media regione concretas ab aquis terreis diuidat ac ſecernat. Hæc ergo cum ita ſe habeant , viderint aduerſarij , qua ratione aut neceſſitate aquæ è telluris ſuperficie ad cælum empireum vſque primò ſuperfluere , ac deinde cœlo ſidereo materiam ſuam cedere debuerint : ſicut , ad materiæ cæleſtis ac ſublunaris identitatem ſpecificam , iuxta ipſos , oportet.

23 Obiicies iterum contra noſtram ſententiam , ex ea ſequi , non ſolum materiam cæleſtem ac ſublunarem , verum etiam materias diuerſorum cælorum & ſiderum , diuerſæ eſſe ſpeciei : vtrumque enim ex æquo poſſibile eſt , & vtrumque æquè ad decorem & pulchritudinem vniuerſi conducit. Conſequens autem falſum eſſe , nullámque reperiri diuerſitatem ſpecificam in materiis ſphærarum cæleſtium docent Capreolus , Soncinas , Iauellus , & Hiſpalenſis ſupra citati. Probatur autem primo , quia corpora ſublunaria omnia eandem habent ſpecificè materiam , non diuerſam : Similiter ergo corpora cæleſtia non ſortientur diuerſam ſpecie materiam, ſed eandem omnia. Secundò , quia materia definitur ab Ariſtoteſ. 1. phyſic. *primum cuiuſque ſubiectum* , &c. Et rurſus ab eodem , & cæteris Philoſophis dici ſolet ; *genus ſumitur à materia & differentia à forma.* Atqui neutrum horum verum eſſe poteſt , niſi materia ex conceptu ſuo ſit indifferens ad plures formas , ſpecie diuerſas ; non verò alligata & determinata ad vnam ſolam : materia enim , quæ vnius ſolius ſubiectum ſit, quomodo dici poteſt primum cuiuſque ſubiectum ? aut quî fieri poteſt , vt amplitudo generis , eiúſque illa indifferentia ad plures differentias , deſumi poſſit à materia , quæ ſit alligata ad vnam ſpecie formam ? Hæc ergo alligatio repugnat in vlla materia prima , ac proinde in ea qua conſtent orbes cæleſtes : ſed cuiuſlibet horum materia eſſet alligata & adſtricta ad vnam ſpecie formam cœleſtem ſi eſſet diuerſæ ſpeciei materia à cuiuſuis alterius orbis cæleſtis materia : talis ergo eſſe non ſuſtinet. Tertiò , quia non ſunt multiplicandæ entitates ſine neceſſitate : aſt nulla eſt neceſſitas aſſerendi materias cæleſtes eſſe diuerſæ ſpeciei : ſpecie ergo non differunt, ſed potius conueniunt.

24 Reſpondeo tamen , non eſſe abſurdum materias orbium cæleſtium eſſe inter ſe diuerſæ ſpeciei , ſed potius valdè probabile. Id certè tuentur Achillinus , libro 1. de orbib. quæſtione 2. Albertus Magnus : in tractatu de 4. coæuis quæſtione 2. articulo 2. Caietanus 1. parte quæſtione 66. articul. 2.

Conimbr.

Conimbric. vbi supra & alij. Ad primam rationem contrariam dicendum est, hoc à posteriori constare, quod quæuis materia sublunaris esse possit sub forma, non solum propria, sed etiam aliena: quare non est cur non sit eiusdem speciei, cum materia habente formam alienam, & dissimilem. At nec à posteriori, nec aliter, certò constat, materiam cuiusuis cæli esse posse sub forma alterius: proinde haud debent orbes cæleſtes materia eiusdem speciei constare.

25 Ad alteram rationem contrariam dicendum est, non esse de conceptu materiæ primæ, vt sit indifferens ad plures formas specie diuersas, sed eam esse posse adstrictam ad vnam solam, quoad speciem. Ita præter alios expressè P. Petrus Hurtado, disputatione 1. de cœlo sectione 2. conclusione 5. §. 30. Et constat, quia si materia deberet habere talem indifferentiam, & amplitudinem, maximè quia est subiectum, & non forma, in compositione substantiali: sed, quod ex conceptu subiecti non debeat esse indifferens ad plures formas specificè diuersas, liquet ex dictis supra tractatu 1. capite 5. Porrò materiam esse primum cuiusque subiectum; item ab ea desumi genus & differentiam à sola forma, non vrget: siquidem hæc Aristotelis ac cæterorum Philosophorum pronunciata intelligi debent de sola materia sublunari de facto existente: quare huic soli, non cæleſti, repugnabit alligatio ad vnam specificè formam, & incapacitas ad plures. Ad tertiam rationem contrariam dicendum est, haud sine necessitate multiplicari specificè materias cæleſtes; cùm hæc multiplicitas ad decorem, & ornatum cœlorum, neque non ad eorum incorruptibilitatem melius explicandam valdè conducat, vt superius dictum est.

26 Tandem principaliter obiicies, materiam primam, vt sic, esse puram potentiam; ac proinde non posse diuidi in cœleſtem & sublunarem, vt in inferiora specie diuersa: vti è contrario actus purus, nempè Deus, est omnino incapax multiplicitatis specificæ: Item, actum esse qui distinguit: haud ergo posse materiam sublunarem, cum actus ac forma non sit, specificè distingui à cœlesti. Sed respondeo, hæc & similia proposita, atque exposita esse, supra cap. 1. inter defendendam possibilitatem, plurium materiarum sublunarium, inter se, specie diuersarum.

TRACTATVS VII.

De forma componente essentialiter corpus naturale.

CAPVT PRIMVM.

An, & quid sit forma substantialis?

1 FORMA substantialis est actus vnum per se cum materia constituens, componénsque. Quam in rebus dari, apud omnes modo constantissimum est: Vsque adeo tamen euidens non est, vt actu rata probatione non egeat. Probatur ergo primò, quia datur in rebus materia prima: at non informis substantialiter, ergo forma substantiali prædita: talis ergo forma datur. Consequentia est perspicua. Maior minorque constant ex dictis suprà tractatu primo & secundo. Secundò, quia in quouis entè naturali datur aliqua prima radix, quæ certas, ac determinatas specie operationes, & proprietates postulet: Atqui ea prima radix est forma substantialis, ergo &c. Maior experimento testatissima est: viuentia siquidem diuersas operationes, ac proprietates à proprietatibus non viuentium essentialiter postulant: & viuentia perfectiora diuersas etiam proprietates, & operationes exigunt, ac viuentia imperfecta; cuius irrefragabile signum est diuersitas illa organorum, quibus altera, & altera pollent: Rursus elementa omnia diuersas operationes, ac proprietates suo sibi iure vendicant: quo pacto alia algent, alia calescunt, alia hument, alia arescunt, alia sursum, alia deorsum suis momentis feruntur: Et quidem entia naturalia determinatas operationes, & proprietates vsque adeo postulant, vt semel deperditas innata quadam vi eorum non pauca recuperent, & recuperatas conseruent.

Minor autem argumenti probatur; nam, quod omne ens naturale peculiares operationes, & proprietates postulet, non oritur à materia; quippe quæ ad has, & illas proprietates, & operationes hominis, aut equi verbi gratia, aliasve quascumque de se indifferens est: neque etiam oritur ex eo, quod ens naturale sit corpus simplex completum, cui eæ operationes, & proprietates præ aliis debeantur: tale siquidem illud nequaquam esse in superioribus abundè demonstratum manet: nec denique proficiscitur ab exigentia alicuius accidentis: tum quia prima radix essendi in homine verbi gratia, qualis est materia prima, accidens esse nequit: tum quia in Angelo, quod eius proprietates, & operationes destinatè postulat, non est aliquod accidens, sed substantia ipsius Angeli: Similiter ergo in præsenti, &c. sola ergo forma substantialis in ente naturali reliqua est, quæ certas proprietates, & operationes, tanquam prima radix, possit postulare? 2

Tertiò probatur dari in rebus formam substantialem, quia Leo, & equus verbi gratia, essentialiter differunt: at dici non potest, eos differre essentialiter, propterea quod sint corpora simplicia specie diuersa: quod enim eiusmodi corpora non sint, patet ex initio tractatus primi: nec eò quod materias specie diuersas sortiantur; cum materias omnes sublunares eiusdem esse, speciei perspicuè probatum sit capite 1. tractatus 5. præcedentis: nec quia formas accidentales specie diuersas sibi vendicant, cum hoc non tam sit essentialiter, quam accidentaliter, eos differre: ideo ergo præcisè differunt essentialiter, quia formas substantiales specie diuersas sibi vendicant: ac proinde hæ in rerum natura reperiuntur. Minor & consequentia manifestæ sunt. Maior probatur: tum quia, Leo, & Equus, non differunt merè accidentaliter, vt equus albus, & niger, vti lumine naturæ compertissimum est; ergo essentialiter: tum quia differre specie est dif- 3

ferre eſſentialiter, cum ſpecies integra completáque rei eſſentia ſit & dicatur: atqui Leo, & equus ſpecie differunt, vt conſtat ex 1. Geneſ. ibi. *Et fecit Deus beſtias terræ iuxta ſpecies ſuas*: ergo, &c.

4 Quartò: cum ſtupa verbi gratia merè calefit ad priſtinam temperiem, & ſtatum mox reditura, certè diuerſa longè mutatio eſt, atque cum de ſtupa in ignem, & poſtea in fauillam cinerémque conuertitur abſque vlla ſpe, aut poſſibilitate recuperandi priſtinas proprietates, vt euidentiſſimum eſt: ergo quia prior mutatio accidentalis eſt, & poſterior ſubſtantialis: at non eſt ſubſtantialis, eò quod deſtructa ſtupa corpus aliquod ſimplex ſubſtantiale, aut materia prima ſubſtantialis deſtruantur: ergo quia forma ſubſtantialis ſtupæ deſtruitur: tam ergo certum eſt, dari in rebus formas ſubſtantiales, quam quod plures dentur mutationes deſtructionéſque ſubſtantiales.

5 Quintò: quod homo conſtet corpore, & anima rationali, & fide ſanctum eſt, & ratione certum: at anima rationalis eſt forma ſubſtantialis corporis: ergo &c. Minor probatur: tum quia, ſi anima rationalis non eſſet forma corporis ſed corpori velut nauita naui aſſiſteret, vt nonnulli Philoſophi antiquitus arbitrati ſunt, ſanè non eſſet cur ſeparanda à corpore violentiam illam pateretur; nec eſſet cur primo in corpore produceretur, & non aliquoties extra corpus, aut anteaquam corpus ad eam vltimo diſponatur; ac demum non eſſet cur vnum per ſe cum corpore conſtitueret magis quam Angelus, cum non ſit magis forma corporis quam Angelus ſi nulla daturin rebus forma ſubſtantialis.

6 Sextò tandem, certa & communis ſententia ſuadetur, ex myſterio Euchariſtiæ: quippe in quo fides docet ſubſtantiam omnem panis deſtrui, & accidentia omnia panis ſubremanere: ſubſtantia autem panis quæ deſtruitur non eſt corpus aliquod ſimplex completum, cum eiuſmodi corpus, ſaltem in ſublunaribus, minimè detur: nec eſt ſola materia prima; Hæc enim tota ſubſtantia panis non eſt; aliàs ſub ſpeciebus panis lateret poſt conſecrationem ſubſtantia etiam panis, ſiquidem ſub iis ponitur materia Chriſti Domini, quæ reſpectu accidentium idem exercet munus, quod materia panis, ſi adeſſet, exerceret: nec ſubſtantia ſiue eſſentia panis, quæ deſtruitur, eſt accidens aliquod primarium, quod reliquas proprietates panis, tanquam prima radix, poſtulet; quia ita omnia accidentia panis poſt conſecrationem non remanerent, contrà quam fides docet: tota ergo ſubſtantia panis quæ in Euchariſtia dicitur deſtrui vi verborum conſecrationis eſt compoſitum ex materia prima panis, & eius forma ſubſtantiali: ac proinde hæc in rebus reperitur.

Caput II.

In eadem materia prima plures formæ ſubſtantiales naturaliter componi nequeunt: at poſſunt ſupernaturaliter.

7 Plerique Theologi & Philoſophi apud Patrem Suarez diſputatione 15. Metaphyſicæ ſect. 10. numero 62. docent, ex natura rei in vna materia vnam tantum eſſe poſſe formam ſubſtantialem. Quorum ſententiam probo, rationes probare non poſſum, vtpotè quæ facili negotio ſolui poſſunt, pro eo ac videre eſt apud Arriagam diſputatione 3. Phyſicorum ſectione 6. ſubſectione 4. Ipſe ergo communem ſententiam in hunc modum ſuadeo. Nequit vna forma ſubſtantialis plantæ verbi gratia, diuerſas materias ſimul informare: nequibit ergo ſimiliter vna materia diuerſas formas ſubſtantiales ſimul ſuſtentare. Antecedens eſt manifeſtum: Conſequentia probatur: quod eadem forma ſubſtantialis plantæ diuerſas materias ſimul informare nequeat, ex imperfectione eius formæ proficiſcitur: at materia prima longè imperfectior eſt ea forma, & aut omnibus, aut pleriſque aliis, vt in ſuperioribus demonſtratum manet: haud ergo ſimul ſuſtentare poterit plures formas ſubſtantialis ordinis. Maior ſuadetur, quia ſi forma plantæ eſſet adeò perfecta, ac anima rationalis, aut ſi mauis, ac anima equi, profectò ſicut anima rationalis, & in aliquorum ſententia anima etiam equi diuerſas materias partiales, ſiue partes diuerſas eiuſdem materiæ, ſe totis indiuiſibiliter informant, ita etiam forma plantæ eas poſſet informare: quod ergo eas informare nequeat in eius refundi debet imperfectionem.

8 Argumentor ſecundò: forma ſubſtantialis eſt illa compoſiti pars, quæ eius determinatas operationes, & proprietates tanquam prima radix poſtulat: At huiuſmodi prima radix in quouis compoſito eſt vna ſola: ergo. Minor probatur: quia anima rationalis eſt longè perfectior, quam anima equi, & forma corporeitatis, aut alia quæuis materiæ coæua; ambabus, inquam, perfectione ſuperior eſt, vt certo certius videtur: atqui collectio animæ equinæ, & formæ corporeitatis eſt iuxta aduerſarios operationum & proprietatum compoſiti prima radix: ergo à fortiori ſola anima rationalis ambabus perfectior prima radix operationum, & proprietatum compoſiti eſſe poterit, ac proinde in homine eiuſmodi prima radix erit vna tantum. Rurſus anima equi longè perfectior eſt, quam complexum formæ plantæ, & formæ corporeitatis: quare ſola anima equi eius proprietatum, & operationum ſufficiens radix eſſe poterit: & ſic diſcurrenti à formis perfectioribus ad imperfectiores in omni ferè compoſito ſubſtantiali vnam operationum, & proprietatum primam radicem, vnamque formam eſſe comperietur.

9 Argumentor tertiò ad homines; quia ſicut materia completur ſubſtantialiter per formam, ita forma completur ſubſtantialiter per ſubſiſtentiam: ſed forma, omnium confeſſione, niſi vnica tantum ſubſiſtentia non gaudet, nec pluribus naturaliter terminari poteſt. Equidem ſicut in oppoſita ſententia præter formam vitalem verbi gratia, excogitatur alia forma corporeitatis materiæ coæua, & ab ea in quouis eius ſtatu inſeparabilis: ſic etiam in anima rationali fingi poſſet ſubſiſtentia aliqua ipſi coæua, & ab ea inſeparabilis, ſiue intra, ſiue extra corpus ſit. Et vlterius alia ſubſiſtentia, qua ſolum in ſtatu coniunctionis cum corpore potiatur.

10 Illud tamen negare non auſim, in alia rerum ſerie poſſibilem eſſe materiam, in qua naturaliter plures formæ ſubſtantiales cohærere poſſint. Quod enim modo aliter vſueniat, oritur ex imperfectione materiæ, ratione cuius pluribus formis ſuſtentandis

stentandis par esse nequit, & ex perfectione formarum substantialium, quarum quælibet vni materiæ sufficiens est, eiúsque vim passiuam adæquat: cur ergo in alia rerum serie perfectio materię ita crescere, & perfectio formarum substantialium ita decrescere nequeant, vt vna materia plures formas substantiales sustentare possit, vnáque forma substantialis vni materiæ sufficere nequeat. Rursus forma est prima radix operationum, & proprietatum, quibus ens naturale præditum est: quamuis autem eiusmodi prima radix modo in vno composito vna tantum sit, non cerno, cur in alia rerum serie multiplex esse nequeat in eodem composito, ita vt vna has proprietates, & operationes, alia verò alias postulet, quin altera alteram præsupponat, sed æquè primò materiam afficiant.

11 Doctrina hactenus tradita toto hoc capite procedit potissimè in formis substantialibus subordinatis, & non tam habentibus contrarias dispositiones, quam ita se habentibus, vt aliæ disponant ad alias. Quod si sermo sit de formis non subordinatis, sed inter se oppositis, oppositáque sortientibus accidentia, cuiusmodi sunt forma ignis, & forma ligni v. g. profecto de his dicendum est, nec in hoc, nec in alio vllo rerum ordine fieri posse naturaliter, vt plures simul existant in eadem materia: vt enim ita existant, & componantur præcedere debent earum dispositiones in eadem materia: sed dispositiones earum sunt contrariæ, & ex natura rei incompossibiles; ergo & formæ, ad quas disponunt, eandem sibi vendicant contrarietatem, & incompossibilitatem.

12 Porrò si non iuxta prouidentiam Dei ordinariam, & naturalem, sed supernaturalem, & miraculosam loquamur, sanè verius est, duas formas substantiales etiam contrarias, & minimè subordinatas posse diuinitus in eadem materia componi. Ita Suarez disputat. 15. Metaphysic. sectione 10. num. 60. Hurtadus disput. 6. physic. serm. 3. §. 39. & Arriaga disp. 3. numero 306. Neque est difficile probatu: siquidem duæ vbicationes circunscriptiuæ, & adæquatæ opponuntur, vnaque destruitur per aliam, vt cernere est in motu locali: & tamen diuinitus possunt esse simul, idémque corpus afficere: item qualitates oppositæ in gradibus intensis vt calor & frigus v. g. possunt miraculosè in eodem subiecto cohærere: quorũ alterum, & alterum patebit in tempore: quídni ergo formæ substantiales contrariæ depositis veluti simultatibus queant diuinitus esse simul in eadem materia? Rursus in hac earum coniunctione in eadem materia quæ terminorum contradictio reperitur? nulla certè vt ostendetur ad finem capitis sequentis.

Caput III.

Quædam argumenta aduersus doctrinam superiorem dissoluuntur.

13 Doctrinæ superius traditæ varij variis modis reniuntur. Siquidem Auicenna & Suessanus in quauis materia duplicem formam substantialem adstruunt; aliam specificam, quæ materiam determinat ad speciem aliquam entis naturalis & completi, hominis verbi gratia, aut lapidis: aliam genericam & materiæ coæuam, ab eaque inseparabilem, quæ materiam determinat ad rationem corporis, & ob id forma corporeitatis nuncupatur: quam in solis animantibus Scotus cum assectis, & ex nostra societate P. Ægidius Coninck & P. Dandinus admittunt: & in solo homine eam Henricus reperiri tuetur. Pro quorum sententia, & aduersus nostram supra positam obiici solet.

Primò: corpus, provt condistinguitur ab anima, 14
formam aliquam substantialem intrinsecè inuoluit: compositum enim aliquod est, non nuda materia: sed ea forma alia esse nequit, quam forma corporeitatis: ergo. Maior probatur ex mysterio Eucharistiæ: corpus siquidem Christi Domini ponitur vi verborum consecrationis sub speciebus panis, secus verò anima, vt fide sanctum est: at, si corpus in ratione talis per animam constitueretur, aliamve formam substantialem sui constitutiuam intrinsecè non inuolueret; sanè non minùs anima, quam corpus sub speciebus panis vi verborum collocaretur.

Secundò: quoties collectio accidentium est ea- 15
dem, etiam forma substantialis est eadem; atqui in corpore viuo, & mortuo eadem omninò est collectio cunctorum accidentium non vitalium: ergo & forma corporeitatis est eadem in vtroque. Confirmatur, & declaratur: quantum duo lapides in iisdem specie accidentibus non vitalibus conueniunt, tantumdem corpus viuum & mortuum in iisdem numero accidentibus non vitalibus conuentiunt: ast in duobus lapidibus eadem specie forma substantialis est: ergo in corpore viuo, & mortuo eadem numero. Tertiò: oculus & auris in homine differunt specificè: siquidem diuersas specie operationes & proprietates sibi vendicant: haud secùs ac leo, & equus: at non differunt specificè ratione materiæ, nec ratione animæ rationalis: ergo munere solius formæ corporeitatis, siuè organicæ quæ quidem in oculo & in aure specie multiplex est, atque diuersa.

Quartò: quia cum moritur homo, in eius mate- 16
riam nulla forma substantialis introducitur: at substantialiter informis non manet; ergo in ea præcessit forma corporeitatis, quæ recedente anima à materia non recedit. Minor superius tractatu 3. probata est. Maior probatur: si qua forma substantialis animæ rationali succederet, maximè forma cadauerica: sed hæc in rebus admitti nequit: ergo, &c. Minor hæc suadetur: tum quia sæpè nulla est causa, à qua talis forma cadauerica producatur: quando enim animal subito ictu, aut strangulatione interimitur; certè motus ille accidentalis, & imperfectissimus formæ cadauericæ suaptè natura substantialis, & valdè perfectæ causa efficiens esse non potest: aliud autem præter hunc motum assignari nequit, cui talis causalitas, & effectio possit adscribi. Tum etiam quia dispositiones omninò contrariæ ad eandem formam substantialem nequeunt disponere: atqui admissa forma cadauerica dispositiones omninò contrariæ ad eam disponerent: cum animal modò ratione nimij caloris, interdum verò causa excessiui frigoris possit interire. Præterea forma substantialis est finis accidentium omnium: sed formæ cadauerica, licet concedatur motu locali, & aliis multis accidentibus perfectior, tamen comparatione formarum viuentium est valdè imperfecta, adeóque finis esse nequit illius dispositionis organicæ, & accidentariæ, quæ in corpore etiam mortuo tam artificiosa, & mirabilis est: haud ergò inter formas substantiales est numeranda, aut tanquam illatum vna in rebus admittenda.

Denique;

17 Denique; ſi datur in rebus eiuſmodi forma cadauerica, ſanè fatendum eſt, eam in materiam Chriſti Domini, cum mortuus eſt, fuiſſe introductam, triduóque in illa perſeueraſſe. Conſequens autem eſt abſurdum: Ex eo enim fieret primò, corpus Chriſti corruptum fuiſſe: ſiquidem corpus Chriſti materia, & anima rationali conſtitutum in aliud compoſitum ex eadem materia, & forma cadauerica deſiuiſſet: quare non minus corruptioni eſſet obnoxium, quam ignis, cum in cineres, & fauillam conuertitur: contrà illud Actorum 2. *Neque caro eius vidit corruptionem.* Secundò inde fieret, cadauer Chriſti eſſe integrum ſuppoſitum, atque adeò Chriſtum aliam naturam præter humanam, nimirum cadauericam, aſſumpſiſſe, veraſque eſſe has loquutiones: cadauer eſt Deus, cadauer eſt natum de Virgine, cadauer mundum condidit: Tertiò indè fieret, carnem viuam, & mortuam vniuoce carnem non eſſe; atque adeo carnem de Virgine natam haud iacuiſſe eandem in ſepulchro.

18 Verum hæc ſententia ſuſtinenda non eſt. Namque aut nomine corporis ſubiectum materiale intelligitur: & ita vt materia corpus ſit, forma corporeitatis non eget; cum ſeipſa eſſentialiter quid materiale ſit, & contrà ſpiritum diſtinguatur. Aut ratione corporis intelligitur ſubiectum trinæ dimenſionis, ſiuè extenſionis: & ita etiam materia non indiget forma corporeitatis, vt corpus ſit; cum per quantitatem tripli illo modo poſſit extendi, ac menſurari. Aut per corpus intelligitur ſubiectum organizatum & ad formæ ſubſtantialis ſpecificæ receptionem diſpoſitum: & nè ad hoc materia vllatenus eget forma corporeitatis, cum per diſpoſitiones accidentarias in ratione eiuſmodi corporis apprimè conſtituatur. Aut demum nomine corporis corpus ſubſtantiale completum, homo v. g. aut equus intelligitur: & ad id forma corporeitatis neceſſaria non eſt, cum materia ratione vnius ſolius formæ ſubſtantialis in ratione eiuſmodi corporis componatur.

19 Ad primam rationem oppoſitam reſpondeo, corpus, quod vi verborum ponitur ſub ſpeciebus panis, vel eſſe ſolam materiam primam Chriſti, vel materiam quantam, vel materiam organicam: cum ergo corpus in hoc triplici ſenſu non conſtituatur in ratione corporis per animam Chriſti, haud certè eſt, cur hæc ſub ſpeciebus panis vi verborum conſecrationis poni debeat; Aut cur id ex noſtra ſententia ſequi cenſeatur. Ad ſecundam rationem contrariam reſpondeo: quod collectio plurium accidentium in corpore viuo, & mortuo eadem ſit, eiuſdem formæ in vtroque indicium eſſe non poteſt: ſiquidem vinum, & acetum v. g. in bona accidentium parte conueniunt, quin tamen eandem ſpecie formam ſubſtantialem, ſibi vendicent. Exemplum duorum lapidum non vrget; namque in omnibus accidentibus abſolutè conueniunt, & in nullo per ſe loquendo ſpecificè differunt; cum tamen corpus viuum, & mortuum in ſolis accidentibus non vitalibus conſentiant, in reliquis verò, quæ præcipua ſunt abſolutè diſcrepent.

20 Ad tertiam rationem contrariam reſpondent aliqui, oculum, & aurem in homine ſpecie differre, ob diuerſas ſpecie vniones ſubſtantiales; in reliquis verò animantibus, eo quod illorum formæ ſubſtantiales partibus heterogeneis, ſeu ſpecie diuerſis conſtent, quarum altera oculum, altera aurem, &c. conſtituit: quare non eſſe, cur in homine, aut aliis animantibus forma corporeitatis admittatur. Cæterum melius, & melius reſpondetur oculum, & aurem, cæteráſque partes ſubſtantiales, tum hominis, tum aliorum viuentium ſpecie non differre, ſed potius conuenire, vt latius declarabitur infrà lib. 10. huius operis. Ad quartam rationem contrariam reſpondeo, defectu cauſæ ſecundæ, ſi quando deficit, cauſam primam producere formam illam cadauericam, quæ ſubſtituitur loco formæ viuentis. Deinde, cum forma cadauerica non ratione ſui, ſed ratione formæ viuentis à natura intendatur, & vt eius defectum ſuppleat, non poſtulat peculiares diſpoſitiones, ſed eas, quæ expulſiuæ ſunt formæ viuentis, in cuius vicem ſucceſſura eſt: quare, cum diſpoſitiones omninò diuerſæ, & inter ſe contrariæ formam viuentis expellere, & eius temperamentum demoliri poſſit, mirum non eſt, quod hæ etiam ad formam cadauericam poſſint diſponere. Rurſus forma cadauerica, quantumlibet imperfecta comparatione formæ viuentis, tamen tot accidentium, ac diſpoſitionum mirabilium finis eſſe poteſt; ſecundarius nimirum, & qui ab iis nonniſi in defectum formæ vitalis, ac nobilioris expetatur.

Tandem: cadauer Chriſti quidni ſit integrum ſuppoſitum. 21 Ad primum inconueniens dicendum eſt: Caro Chriſti bifariam accipi poteſt: primò ſubſtantialiter complete: & ſic corruptam fuiſſe non inconuenit: ſecundo ſubſtantialiter incompletè, pro materia nempè Chriſti quanta, & organica: & ſic in triduo corruptionem non vidit; cum ſemper externam organizationem humani corporis retinuerit. Ad alterum inconueniens dicendum eſt, verbum aliam naturam præter humanam ſimpliciter non aſſumpſiſſe, vel quia ſola materia cadauerica Chriſti verbo ſubſiſtit? forma verò cadaueris per propriam & creatam ſubſiſtentiam: quæ ſolutio ſatis probabilis eſt, ſi de ſubſiſtentia philoſophemur, vt communiter reliqui philoſophantur, eámque à toto per ſe diſtinguamus; vel quia verbum ſolam naturam humanam inſeparabiliter aſſumpſit, & formam cadauericam aſſumptam dimiſerit, quod non magis inconuenit, quam vnionem corporis, & animi ſemel aſſumptam dimiſiſſe: vel demum, quia naturam humanam ita ſolam aſſumpſit, vt nullam aliam completam naturam aut à natura humana complete diſtinctam aſſumpſerit. Quod verò ad loquutiones adductas ſpectat, non video, quod eis admiſſis inconueniens ſequi poſſit, aut cur magis abſonent, quam hæ: Deus mortuus eſt: Deus crucifixus eſt.

Quid? quod Marſilius, & alij probabile cenſent, 22 formam cadauericam in materiam Chriſti introductam non eſſe, eámque omni forma ſubſtantiali in triduo caruiſſe; quo ſaltem ſupernaturaliter admiſſo, eæ & ſimiles rationes Theologicæ penitus eneruantur. Ad poſtremum inconueniens dicendum eſt, aut nomine carnis corpus organicum intelligi; & ita carnem viuam, & mortuam eſſe ſpecificè eandem ſiquidem materia prima, & externa organizatio eadem eſt, ſiue quis viuat, ſiue vita fungatur: aut ratione carnis intelligi corpus ſubſtantiale completum; & ſic carnem viuam, & mortuam differre ſpecie, nec eſſe vniuocè carnem cum altera per formam viuentem, altera verò per cadauericam conſtituatur. Quando ergo, quæ nata eſt de Virgine, caro dicitur eadem in ſepulchro iacuiſſe, ſanè priori modo eorum, quos iam iam explicuimus, non verò poſteriori eſt accipienda: hoc eſt non tam pro corpore ſubſtantiali completo Chriſti Domini, quam pro eius materia prima organica, & quanta, vt etiam ad primum inconueniens dictum eſt.

Alij aliter tuentur, plures formas ſubſtantiales 23 etiam vitales ſimul reperiri: nimirum in homine tres, nempe animam rationalem, ſenſitiuam, & vegetatiuam: in aliis animantibus duas poſteriores: in plantis verò

verò solam vltimam. Ita Philoponus, Venetus, Iandunus, Zabarella, & alij antiquorum. Verum hæc sententia videtur damnata in octaua Synodo generali, quæ est Constantinopolitana quarta, Canone 11. ibi. *Apparet quosdam in tantum impietatis venisse, vt homines duas animas habere dogmatizent: talis igitur impietatis inuentores, & similes sapientes, cum vetus, & nouum Testamentum, omnésque Ecclesiæ Patres vnam animam rationalem hominem habere asseuerent, sancta, & vniuersalis Synodus anathematizat.* Et ibidem: *nec duas animas esse dicimus in vno homine: sicut Iacobus, & alij Syrorum scribunt; vnam animalem, qua animetur corpus, & immistа sit corpori: & alteram spiritualem quæ rationem ministret: sed dicimus, vnam esse eandémque animam in homine, quæ & corpus sua societate viuificet, & semetipsam sua ratione disponat.* Hactenùs Concilium.

24 Ab eadem etiam veritate stant Augustt. Damascenus, & Hieronymus apud Patrem Suarez disput. 15. Metaphysica sect. 10. à numero 24. Quos tum ipse, tum etiam Hurtadus disp. 1. de anima sect. 4. ac plerique nunc Scholastici sequuntur. Præterea: gradus illi diuersi nimirum esse vegetabile, sensibile, & rationale possunt virtualiter tantum distingui, vt in Metaphysica ex professo ostendemus: cur ergo formas realiter distinctas postulent, quibus attribuantur? Rursus varij gradus metaphysici desumuntur à materia etiam ex parte, vt esse, animal, sensibile &c. at materia ob id realiter in composito multiplex non est, nisi ad summum extensiuè: Similiter ergo forma substantialis hominis aut equi v.g. multiplex non erit, nisi ad summum extensiuè. Demum: si pro varietate illa operationum discurrendi, sentiendi, & vegetandi res animæ in homine essent, sanè infinitæ in eo formæ substantiales realiter distinctæ essent collocandæ: cum operationes specie diuersæ, cognitiones nimirum, volitiones, vbicationes, durationes, & actiones, quas efficere potest, sint non tot quin plures, seu syncathegorematicè infinitæ.

25 Hucúsque argumenta contra naturalem incompossibilitatem plurium formarum substantialiũ etiam subordinatarum in eadem materia. Porrò contra compossibilitatem miraculosam plurium formarum substantialium etiam contrariarum in vna materia obiicies, non posse dari vnius effectus formalis duas causas formales etiam de potentia absoluta: at daretur in nostra sententia: etenim si v.g. forma ignis, & forma ligni forent simul in eadem materia, ignis, & lignum hoc ipso essent vna per se substantia: sed in ea essent plures formæ, seu causæ eius formales: ergo &c.

26 Verum negandum est, tum ignem, & lignum fore vnam per se substantiam, aut naturam: Ad hoc enim oporteret, eorum formas inter se vniri: at non tam inter se, quam cum materia vnirentur; ergo &c. Rursus, etsi vnirentur inter se, nihilominus ad vnius per se naturæ, siue substantiæ compositionem, essent incapaces; propter vtriusque videlicet, complementum, & integritatem in ratione formæ substantialis. Quin etiam affirmari tunc minimè posset, ignis simul est lignum, aut è conuerso. Ideo enim vera est hæc propositio, Deus est homo, & è contrario, quia vnio hypostatica facta est in persona, adeóque rectum hominis, & Dei, nempè persona, est idem: consequenter dicere, Deus est homo, non aliud dictu est, quam persona habens Deitatem est persona habens humanitatem: atqui in præsenti hæc ratio non procedit: vnio namque ligni, & ignis fieret in materia, quæ se sola non est rectum corporis naturalis: proinde, quamuis tum materia ignis esset materia habens formam ligni, non ob id verum esset, lignum esse ignem, aut è conuerso.

TRACTATVS VIII.

De vnione partium componentium essentialiter corpus naturale.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit vnio physica in communi?

VNIO physica est *summa communicatio conceptuum realiter distinctorum:* siue ea, qua inter conceptus realiter distinctos, maior intercedere nequit. Cuius rei gratia nota, conceptus realiter distinctos multifariam vltrò, citróque communicari posse: etenim causa, qualiscunque sit, vbi ad effectum concurrit ei sese quodammodo communicat; effectúsque, participatio causæ, dici consueuit. Deinde omnis res in tempore, & loco existens spatio temporis, & loci sese communicare; & immiscere, illúdque intimè replere dicitur. Vlterius, & eodem fermè redit, in aceruo lapidum alij aliis aggregantur, & veluti communicantur. Insuper in exercitu, ciuitate, & republica, aut communitate quauis ordinata, quis neget esse quandam communicationem, partium, tum inter se, tum respectu totius communitatis? Rursus voluntas, cum bonum aliquod appetit, in illud fertur, eique se communicat, & affectiuè vnit. Præterea intellectus, vbi obiectum aliquod cognoscit, illud sibi repræsentat, & intentionaliter vnit, ac proinde illi se communicat. Cæterum, quia nulla communicationum istarum summa est, eáue, qua inter res distinctas maior esse nequeat, ideò nulla illarum est vnio physica, sed aut virtualis, aut præsentialis, aut aggregationis, aut ordinis, aut affectiua, aut intentionalis, aliáue eiusmodi. 1

Quò superior definitio vnionis physicæ plus innotescat, aliquæ contra eam difficultates sunt dissoluendæ. Obiicies ergo aduersus illam primò. Vnio inter materiam v. g. & formam substantialem hominis alteriúsve animantis est physica, & vera vnio: & tamen non est summa communicatio conceptuum, aut extremorum realiter distinctorum; nam personalitates diuinæ realiter distinguntur, súntque numero tres, vt fide sanctum est: alia verò ex parte communicantur inter se, ac sunt in se inuicem per verissimam circuminsessionem. *Quid distrahis*, inquit Hilarius lib. 3. de Trinitate, *Filium à Patre? vnum sunt*, scilicet is qui est, nihil habens, quod non sit etiam in eo, à quo est. Et Lactan. eius lib. 4. diuin institut. cap. 29. *Quidquid est in Patre ad filium transtulit.* Eodem modo loquuntur alij Patres, & scholastici quos latè refert, & sequitur eruditissimus P. Didacus Ruiz de Trinitate disp. 107. 2

Tum sic: communicatio diuinarum Personarum est communicatio extremorum realiter distinctorum: atqui est maior communicatio, qnam quæ visitur in materia, & forma substantiali physicè vnitis: personalitates namque diuinæ, quantumuis relatiuè distinctæ, communicant in eadem natura, & essentia, cum tamen materia, & forma substantiales vnitæ diuersas nihilominus essentias, ac naturas retineant: ea- 3

rum ergò vnio phyſica non eſt ſumma communicatio, quæ dari poteſt inter res realiter diſtinctas, ſed potius aliam maiorem permittit. Reſpondeo, definitionem noſtram ita intelligendam eſſe, vt vnio phyſica ſit ſumma communicatio rerum realiter diſtinctarum, diſtinctione quidem adæquata & identitatem etiam in tertio excludente: quamuis autem inter perſonalitates diuinas inadæquatè tantum diſtinctas, & in tertio identificatas maior hoc ipſo detur communicatio, quam ea, vi cuius materia, & forma communicantur inuicem; at inter res realiter adæquatè diſtinctas, & ne in tertio identitatem habentes maior dari nequaquam poteſt: proinde vnioni phyſicæ materiam, & formam ſubſtantialem nectenti conueniet apprimè, definitio vnionis à nobis tradita.

4 Obiicies contrà eam ſecundò, vnionem hypoſtaticam eſſe communicationem extremorum realiter etiam adæquatè diſtinctorum, nempè humanitatis, & Verbi diuini; & eſſe maiorem quauis alia communicatione, qua vel materia formæ ſubſtantiali, vel hæc accidenti, vel vna pars materiæ, formæ ſubſtantialis, aut formæ accidentalis, alteri comparti communicatur: Ita Bernard. lib. 5. conſiderat. ad Eugen. vbi ſic loquitur; *Verum hæc omnia* (ſcilicet genera vnionum creatarum, quarum mentionem fecerat) *quid ad illud ſummum, atque, vt ita dicam, vnicè vnum, vbi vnitatem conſubſtantialitas facit? huic vni quoduis illorum ſi aſſimiles, erit quoquo modo vnum, ſi compares, nullo. Igitur inter omnia, quæ rectè vnum dicuntur arcem tenet vnitas Trinitatis, qua tres perſonæ vna ſubſtantia ſunt: ſecundo loco illa præcellit, qua è conuerſo tres ſubſtantiæ vna in Chriſto perſona ſunt.* En docet, non ſolum communicationem diuinarum perſonarum eſſe maiorem quauis alia creata, vt ſuperius poſitum eſt, ſed etiam communicationem factam vi vnionis hypoſtaticæ ſuperiorem eſſe, ac maiorem quacunque alia facta per cæteras vniones: aut ergo cæterarum vnionum nulla eſt propriè vnio; quo, quid magis abſurdum? aut vnio vt ſic non benè definitur ſumma communicatio, &c. cum vnio materiæ v.g. & formæ ſit vnio phyſica, & vera, & tamen non ſit ſumma communicatio, de qua ſupra; eo quod communicatio facta per vnionem ſit ea, vt dictum eſt, longè maior.

5 Reſpondeo, ſermonem nobis eſſe in noſtra definitione de communicatione ſumma ex parte modi communicandi, non verò ex parte rei communicatæ: at vnio materiæ, & formæ, aliorumque extremorum eſt ſumma ex parte modi communicandi, & non minor communicatione facta per vnionem hypoſtaticam, cum hæc non intimius ſua vniat, & communicet inuicem extrema, quam facit vnio, quæ reperitur inter materiam, & formam, ſimiliaque extrema; ſolumque vnio hypoſtatica dicitur eſſe maior communicatio, quam alia vlla creata; maior, inquam, ex parte rei communicatæ, quia maius bonum communicat, vt docent B. Thomas opuſcul. 6. & 3. p. qu. 1. art. 1. corp. & Alenſis 3. p. qu. 2. membro 3. pluresque alij Theologi. Quæ cum ita ſint, excellétia vnionis hypoſtaticæ, eiuſque in ratione communicationis maxima perfectio haud tollet, quominus vnionum inferiorum quæcunque dici etiam poſſit quodammodo ſumma communicatio, ſicut ad noſtram vnionis definitionem partici pandam oportet.

6 Contra quam obiicies tertiò. Vnio continuatiua duorum extremorum in locis contiguis, ſed tamen diuerſis, exiſtentium eſt vera vnio: & tamen non ſumma communicatio eorum extremorum, ſed potius minor ea communicatione, qua communicantur inuicem extrema penetratiuè vnita, & in eodem loco vi vnionis exiſtentia: ergo, &c. Reſpondeo, definitionem noſtram ſumendam eſſe cum diſtributione accommoda, non verò abſolutè: vt eius ſenſus ſit, vnionem extremorum in locis diuerſis exiſtentium eſſe ſummam, quæ dari poteſt inter extrema, quibus debentur, contingúntque diuerſa loca: & vnionem extremorum in eodem loco exiſtentium eſſe maximam, quæ reperiri poteſt inter extrema in eodem loco penetrata: hoc autem pacto optimè defendi poteſt, vnionem continuatiuam eſſe ſummam communicationem extremorum realiter diſtinctorum, vt expendenti perſpicuum erit.

Obiicies denique quartò. Modus (v. g. vbicatio, 7
vt aliqui putant) magis communicatur rei, cuius eſt modus, quam forma ſubſtantialis, materiæ primæ: harum ergo vnio haud erit ſumma communicatio extremorum realiter diſtinctorum: & ſic huiuſmodi definitio vnionis eſt nulla. Antecedens probatur, quia modus inſeparabiliter vnitur rei modificatæ: forma autem ſubſtantialis ſeparabiliter: ergo &c. Reſpondeo, ſicut ad præcedentem obiectionem, ſi definitio noſtra diſtribuatur accommodè, conuenire eam poſſe vnioni inter res abſolutas, eſtò harum, dum vniuntur, minor ſit communicatio, quam rei, & modi. Quid enim? ſi, vt dictum eſt, definitionis ſenſus ſit, vnionem inter res abſolutas eſſe ſummam communicationem, quæ dari poteſt inter res abſolutas: & vnionem inter res non abſolutas, ſed modalem vnam, alteramque abſolutam, eſſe quidem ſummam communicationem, quæ reperitur inter extrema eius generis.

Aut paulò aliter dico, definitionem noſtram vir- 8
tute eſſe talem: vnio eſt ſumma communicatio conceptuum realiter abſolutè diſtinctorum: id eſt, qua inueniri nequit inter extrema realiter abſolutè diſtincta. Definitio autem ita intellecta conuenit vnioni inter materiam, & formam, aliaque extrema ſimilia: patet enim, quod ita communicentur, vt non poſſit dari maior communicatio inter conceptus diſtinctos realiter abſolutè, quamuis fortè dari poſſit maior inter conceptus, qui nonniſi realiter, modaliter diſtinguuntur. A fortiori etiam ea definitio verificatur de vnione inter rem, & modum: quid enim exploratius, quam ita vtrumque communicari, vt nullæ duæ res abſolutæ, ſiue realiter abſolutè diſtinctæ magis communicentur inuicem?

Caput II.

De nonnullis attributis vnionis phyſicæ: déque aliis eius definiendæ modis.

In primis de ratione vnionis phyſicæ eſt, vt ſit in- 9
trinſeca cuiuis extremo vnito: ſiquidem communicatio ſumma eo ipſo intrinſeca eſſe debet: aliàs, ſi extrinſeca eſſet, ſanè non ſumma, ſed infrà ſummam, & intrinſecam eſſet: at omnis vnio phyſica ſummè communicatur cuilibet extremo vnito, & ita, vt inter res diſtinctas nequeat eſſe maior communicatio. Recentiores nonnulli oppoſitum defendunt; aſſerúntque vnionem hypoſtaticam eſſe intrinſecam humanitati, extrinſecam verò verbo: eo quod vnio illud extremum, cui intrinſeca eſt, vel ratione ſui, vel ratione alterius extremi formaliter perficiat, illúdque melius, aut deterius ſe habere efficiat: at verbum diuinum ratione vnionis hypoſtaticę, extremíque creati

per

per eam vniti nec melius, nec deterius ſe habet& nec perficitur, nec imperfectione vlla afficitur: Vnde,&c.

10 Diſplicent tamen. Primò,quia terminatio libera, qua Deus Antichriſtum v.g. odio proſequitur,ea, inquam, Deo iuxtà aduerſarios intrinſeca eſt: quippe iuxtà illos Deo adæquatè identificatur: quid autem alicui magis intrinſecum, quam quod ei eſt identificatum:ſed ea terminatio libera de eorumdem contrariorum ſententia Deum non perficit, nec formaliter perfectionem vllam, qua perficere poſſit, importat: quamuis igitur vnio hypoſtatica Verbum non perficiat, ei tamen poterit eſſe intrinſecum. Deinde carentia quæuis ſibi intrinſeca eſt: vtpote quæ ſibimet ipſi ſtrictè identificatur: ſe autem non perficit, cum omni perfectione, & entitate deſtituatur. Rurſus humanitas aſſumpta à Verbo ei intrinſeca eſt: aliàs eſſe hominem denominatio extrinſeca eſſet, quo quid abſurdiùs? At humanitas Verbum non perficit.

11 Secundò, de ratione vnionis phyſicæ eſt, vt, ſi informatiua ſit, per eam vnum extremum in loco alterius ſit; &,ſi continuatiua ſit, vt per eam vnum ſit in loco alteri immediato, & contiguo: quod adeò certum eſt, vt proponi magis, quam probari debeat:quis enim credat, animam in cœlis exiſtentem vniri poſſe corpori in terris exiſtenti, aut caput hic exiſtens continuari poſſe trunco Romæ iacenti? Cæterùm non eſt de ratione vnionis informatiuæ, vt vnum extremum ſit in loco adæquato alterius,ſed vel adæquato: quæuis enim pars corporis animæ rationali vnitur:in eius tamen loco adæquato non eſt,aliàs cum aliis partibus corporeis contra conceptum corporis penetraretur:& anima etiam Chriſti Domini Verbo vnitur; in eius tamen ſpatio adæquato non eſt, aliàs omne omninò ſpatium loci occuparet. Deinde hæc penetratio localis ita de ratione vnionis informatiuæ eſt,vt altera, ſine altera interdum reperiatur, vt in tribus perſonis diuinis penetratis, & informatiuè non vnitis cernere eſt. Deus etiam, & creatura quæuis in eodem loco ſaltem inadæquato neceſſaria ratione exiſtunt, quin tamen vllatenus vniantur. Neque non etiam materia,& forma vnitæ diuinitus abſolui poſſunt ab omni loco: tum autem abſque penetratione vnirentur inuicem.

12 Tertiò,de ratione vnionis informatiuæ eſt, vt quoties vnum extremum à loco adæquato, quem antea occupabat,mouetur,eo ipſo aliud etiam moueatur;& de ratione vnionis continuatiuæ, vt quoties vnum extremum à loco alteri immediato mouetur, aliud etiam moueatur: alioqui certè extrema vnita nec in eodem loco,nec in locis contiguis eſſe deberent.Cæterùm nec de ratione vnionis informatiuæ, aut continuatiuæ eſt,vt moto quomodolibet vno extremo, alterum abſolutè moueatur. Namque anima rationalis mouetur in pede, quin tamen caput,cui vnitur, ob id moueri debeat.Humanitas etiam Chriſti domini mouetur abſque eo, quod Verbum, à quo aſſumpta eſt, moueri poſſit,aut debeat: tum etiam brachia, & pedes mouentur, quin propterea reliquum corpus, cui vniuntur, moueri oporteat. Ac denique rota perfectè ſphærica circulariter agitari poteſt quoad omnes eius peripherias,ſine eo quod eius centrum,ſiue punctum medium ſubire debeat motum,aut agitationem vllam. Enimuero hoc quod eſt poſtulare, vt moto vno extremo extra locum adæquatum, aliud ſubinde moueatur,aliis ab vnione conuenit, nimirum decreto efficaci,quo Deus id decerneret,aut reuelationi, quo id euenturum alicui patefaceret.

Quartò demum,de ratione vnionis eſt, vt ſi vnum 13
extremorum in duplici loco adæquato diuinitus collocetur, aliud etiam vi vnionis vtrobique ponatur. Quod ex myſterio Euchariſtiæ dilucidè conſtat:ſiquidem vi verborum conſecrationis panis ſolum corpus Chriſti in duobus locis adæquatis collocatur, ſeu, quod perinde eſt, in loco adæquato extra eum quem naturaliter occupat: at conſecrato pane ſimul cum corpore Chriſti Domini,etiam eius ſanguis,& anima in duobus illis locis adæquatis collocatur: id igitur ratione vnionis phyſicæ inter corpus Chriſti,& eius animam, ſanguinémque, ſiue,vt loquuntur Theologi, per concomitantiam euenit. Porrò regula prædicta intelligenda eſt cum hac moderatione, niſi ſcilicet aliquod extremorum, quæ vniuntur, alicui loco illigatum eſſentialiter ſit: quo pacto vbicatio cæleſtis corporis Chriſti, quantumlibet ei vnita, ſub ſpeciebus tamen panis non collocatur.

Ex quartò vnionis attributo iamiam explicato ra- 14
tionem colligunt nonnulli Recentiores, cur vnio hypoſtatica Verbum non perficiat, neque compleat: quia nimirum vt vnio perficiat vtrumque extremum, neceſſe eſt, vt eo collocato in duplici loco adæquato vnio etiam ibidem ponatur:Verbum autem in pluribus locis adæquatis eſt in quibus non eſt vnio hypoſtatica. Cæterùm hæc ratio mihi nunquam placere potuit: nam aut ſermo eſt de pluribus locis, quorum alteruter Verbo inadæquatus, & vnioni adæquatus ſit;& ita ratio nulla eſt: ſiquidem anima rationalis eſt in pluribus locis,quorum quilibet ipſimet animæ inadæquatus eſt,& manui,v.gratia,adæquatus, quin tamen manus in iis ratione vnionis collocetur: at hoc non obſtante manus animam perficit; ſimiliter ergo in præſenti, &c. aut ſermo eſt de locis, quorum quiuis non ſolum vnioni, verum etiam ipſi Verbo adæquatus ſit; & ita res de ſe certiſſima, & clariſſima, cuiuſmodi eſt verbum ſuaptè natura minimè perfectibile ratione vnionis non perfici,per euentum impoſſibilem,ac doctrinam omninò falſam explicatur.

Impoſſibilitas quidem eius euentus oſtenditur: 15
quia ne diuinitus fieri poteſt, vt Verbum in pluribus locis ſibi adæquatis exiſtat, eo quod non niſi tota immenſitas imaginaria, & latitudo illa intermina locus adæquatus verbo ſit: aliud autem imaginarium veluti chaos à præſenti diſtinctum repugnat. Falſitas verò doctrinæ illius patet: quia, ſicut collocato corpore Chriſti in duplici loco adæquato vtrobique per concomitantiam ponitur Verbum, vt omnes Theologi docent,ita veriſimilius eſt,ſi per impoſſibile Verbum in alio loco ſibi adæquato locaretur, animam Chriſti in aliqua eiuſdem loci parte poſitum iri: id enim natura vnionis poſtulare videtur. Ratio ergo cur vnio hypoſtatica Verbum non perficit non eſt ea quam Recentiores adducunt, ſed quia Verbum eius denominationis incapax eſt, & merito ſuæ infinitatis omnino imperfectibile, vt nuncnunc aiebam. Illud autem animaduerterim,exigentiam ſuperius quarto loco explicatam peculiarem non eſſe ſoli vnioni: quin imò reuelatio aliqua eam habere poteſt,necnon,iuxta aliquos,actio, qua Chriſtus Dominus Euchariſtica ſuſtentat accidentia.

Ex dictis toto hoc capite colligitur, inprimis fal- 16
ſam eſſe ſententiam illorum, qui vnionis eſſentiam in eo collocant, quod ſit communicatio intrinſeca. Tum,quia quæuis res ſibi per identitatem communicatur intrinſece: at nulla res ſibi ipſi vniri poteſt vnione compoſitionis, aut quaſi compoſitionis, de qua ſola loquimur in præſenti. Tum etiam,quia Recentiores hi communicationem illam docent intrinſecam

ſecam eſſe, per quam aliquid naturaliter completur, ac perficitur: quare non eſſe de ratione vnionis, vt vtrique, ſed vt vel vtrique, vel alteri ſit intrinſeca. Quod tamen ſuprà latè impugnaui.

Colligitur ſecundò, perperam ab aliis explicari ac definiri vnionem, per hoc, quod ratione illius vnum extremum ſit in loco alterius, vel in loco alteri contiguo: ab aliis verò, per hoc, quod moto vno extremo moueatur aliud: ab aliis demum, per hoc, quod collocato vno extremo diuinitus in duplici loco, ibidem collocetur alterum. Tum quia hæc & ſimilia aliis ab vnione conueniunt: tum quia omni vnioni non conueniunt; ei nimirum, qua vnirentur extrema abſoluta ab omni loco: tum demũ, quia vnionis proprietates ſunt, non verò eſſentia: aliàs reſpectus ad locum foret eſſentia hominis verbi gratia, quidquid enim eſt de eſſentia vnionis humanæ, & eſt de eſſentia hominis: vnde vlterius à pari fieret reſpectum ad locum eſſe Deo eſſentialem, cum tamen Theologis nihil celebrius ſit, quam reſpectum ad locum, ſiue immenſitatem eſſe tantum proprietatem diuinæ naturæ.

Caput III.

An vnio phyſica ab extremis realiter diſtinguatur?

17 Prima ſententia negat. Ita Caietanus 3. part. q. 2. art. 8. Valentia tom. 4. diſp. 1. quæſt. 2. punct. 5. Conimbr. lib. 1. phyſ. cap. 9. quæſt. 11. art. 2. & communiter Nominales. Idemque docet eſſe probabile Lorca de incarnat. diſputatione 13. Secunda ſententia affirmat diſtinctionem realem vnionis phyſicæ ab extremis. Ita Suarez tom. 1. metaph. diſp. 3. ſect. 9. Vaſquez tom. 1. in 3. parte diſp. 18. cap. 1. Hurtado, Arriaga, & Chryſoſtomus Caberus, communitérque Recentiores. Quorum opinio magis communis, magiſque vera eſt. Quod ſic probo.

18 Poſſunt exiſtere ſimul, & ſemel materia, & forma, quin phyſice vniantur, vt cernere eſt, cum mortuo homine, eius materia, & forma ſeiunctæ coëxiſtunt: materiam igitur vniri formæ eſt aliquid realiter ab vtraque diſtinctum; ſiquidem ſeparabilitas realis vbicumque certiſſima index eſt realis diſtinctionis. Porrò hæc diſtinctio realis (vt hoc obiter animaduertam) nequit eſſe realis abſoluta, ſiue rei à re, aliàs vnio per aliam vnionem, & illa alia per aliam, & ſic in infinitum vniri deberet: quippe quælibet eſſet adeo indifferens ad extrema, ſicut hæc adinuicem, vtpotè res abſoluta: ea ergo diſtinctio realis modalis, ſiue rei à modo eſt, ac proinde vnio non eſt indiſtincta ab extremis, ſed potius modus eſt eis realiter ſuperadditus.

19 Reſpondent primò aduerſariorum aliqui, non poſſe reperiri materiam diſpoſitam ad formam, cum eaque penetratam abſque eo, quod vniantur: quare vnionem vtriuſque non eſſe modum ſuperadditum. Sed in materia, & forma ſimul ſumptis, ac penetratis, earumque diſpoſitionibus conſiſtere. Contrà tamen ſic argumentor. Humanitas Petri verbi gratia, & Verbum ſimul exiſtunt, penetrantúrque: & humanitas Petri æquè diſpoſita eſt ad vnionem cum Verbo, ac humanitas ab eo aſſumpta, cum neutra qualitates vllas vnionem hypoſtaticam naturaliter poſtulantes pro priori ad illam ſortiantur, ſed potius vtriuſque diſpoſitio in mera ad eam non repugnantia ſolum conſiſtat; & tamen humanitas Petri Verbo vnita non eſt: vnio igitur hypoſtatica in Verbo, & humanitate penetratis, diſpoſitionibúſve vllis minimè poteſt conſiſtere.

Deinde ſi humanitas Petri cum humanitate Pauli 20
diuinitus penetraretur, adhuc tamen inter ſe non vnirentur, nec materia vnius alterius formam intrinſecè ſuſciperet: atqui in eo euentu forma Petri cum materia Pauli non ſolum penetrata eſſet, ſed etiam hæc ad illam diſpoſita foret; ſiquidem eſſet diſpoſita ad formam ipſius Pauli, ac proinde & ad formam Petri: quæ enim formæ ſunt eiuſdem ſpeciei, eaſdem etiam diſpoſitiones poſtulant: vnio igitur in materia, & forma inuicem penetratis, & diſpoſitis nequit collocari. Nec dici poteſt, vlterius requiri ad vnionem carentiam vnionis cum alia forma, & defectu eius carentiæ formam Petri cum materia Pauli in præfato euentu minimè vnitum iri: tum quia per carentiam vnionis, vnio malè explicatur, & potius carétia vnionis per vnionis exiſtentiam, entitatemvè explicanda eſt: tum etiam quia eadem forma duplici materiæ adæquatæ ſimul vniri poteſt: vnio igitur formæ cum materia carentiam vnionis cum alia minimè includit.

Reſpondent ſecundò aduerſarij, vnionem formæ, 21
& materiæ præter vtriuſque exiſtentiam, penetrationem, ac mutuam diſpoſitionem vlterius inuoluere, decretum aliquod diuinæ voluntatis quo eas vniri faciat, ac decernat. Verum hoc decreti, quod, quæſo, obiectum habet? Vbi enim materiam, & formam vniri vult, ſanè haud vult præcisè materiam, & formam etiam penetratas ac diſpoſitas exiſtere, cum hęc omnia abſque eo quod vniantur reperiri poſſint; ea igitur volitio ſeipſam vult: hæc autem reflexio diuinæ volitionis ſupra ſe, quamuis admittatur, præſenti tamen inſtituto non video quid deſeruire poſſit? Aut cur ex eo, quod Deus habeat voluntatem reſpondentem his vocibus: *Volo meipſam*, &c. Conſequens illico ſit, vt vniantur inuicem materia, & forma, ad quas ea voluntas ex parte terminatur. Præterea vnio materiæ, & formæ vtrique intrinſeca eſt; aliàs quo pacto per eam materia formam intrinſecè reciperet: aut hæc illam intrinſecè informaret. At volitio Dei materiæ, & formæ intrinſeca non eſt, vt certo certius. Aut paulò aliter: vnio eſt de conceptu eſſentiali hominis: volitio autem Dei de conceptu eſſentiali hominis non eſt, aliàs homo perfectione Deum quadamtenus æquaret: ſicut Chriſtus, quantumuis homo, Deo tamen æqualis eſt, quatenus ſcilicet prædicatum aliquod Deo idem includit.

Reſpondent tertiò alij, poſſe ſupernaturaliter ma- 22
teriam, & formam vniri phyſicè abſque modo ſuperaddito, qui ſeipſo vnio ſit. Pro quo ſupponunt, poſſibilem eſſe entitatem quandam abſolutam eius naturæ, vt non exiſtente materia, & forma, aut alterutra earum, poſſit exiſtere, quin eas vniat, fieri tamen diuinitus non poſſe, vt materia, & forma, & entitas illa abſoluta in vlla temporis differentia exiſtãt, aut à Deo producantur, quin ſimul exiſtant, & phyſicè vniantur: quare in aggregato materiæ, & formæ, eiúſque entitatis abſolutæ ſeorſim à quouis modo ſuperaddito vnionem materiæ, & formæ conſiſtere poſſe.

Quamuis in prædicta vnione non modali, ſed ab- 23
ſoluta claram vllam repugnantiam non inueniam, probabilius tamen eſt, eam repugnare. Nam in primis homo duabus tantum partibus conſtare poteſt in quacumque rerum ſerie, vt omnes ſupponunt; vtque colligitur ex illo Athanaſij in Symbolo, *ſicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo*, &c. Atqui data illa vnione

vnione absoluta homo non duabus, sed tribus partibus constaret, nimirum materia, & forma, & entitate illa absoluta; quæ cum non minus absoluta, nec magis modalis sit, quam materia, aut forma, certè non est, cur minus pars hominis, quam alterutra earum dici debeat.

24 Rursus argumentor ad homines; quia aduersarij non concedunt parietem etiam diuinitus album fieri posse absque qualitate, quæ seipsa albedo sit; neque, quod perinde est, possibilem admittunt qualitatem, quæ non per seipsam, tanquam per adæquatam formam, parietem album denominet, sed potiùs, per seipsam, & substantiam parietis, tanquam per formam adæquatam, & totalem, id tribuat denominationis. At quod hoc consequens sequatur, ita contra Recentiores ostendo: sicut paries de facto denominatur albus per qualitatem, quæ seipsa sola albedo sit, ita de facto materia vnitur formæ per modum, qui se solo vnio sit: sed hoc non obstante materia diuinitus vniri potest formæ per entitatem absolutam, quæ se sola vnio non sit, vt putant ij, quibuscum disputamus. Similiter ergo in præsenti, &c.

25 Contra modalitatem vnionis ex suppositione, quod distinguatur realiter ab extremis, nulla sunt vllius momenti argumenta. Cæterum contra vnionis realem distinctionem ab extremis arguũt primò Nominales, ac quidam Thomistæ. Vnio illa à materia, & forma realiter distincta vnitur materiæ: at non per aliam vnionem superadditam: aliàs huic superaddi deberet alia, & sic in infinitum: Similiter ergo materia, & forma vniri possunt absque vnione distincta, & si possunt, debent, ne scilicet, sine necessitate multiplicentur entitates. Deinde materia immediatè vnitur formæ: quod si media vnione realiter distincta ei vniretur, sanè nonnisi mediatè ei esset vnita.

26 Ad primum horum respondeo, modum illum vnionis, qui interiicitur inter materiam, & formam nec diuinitus existere posse, quin ambas, & sibi quatenus ab eis distinguitur, & inter se inuicem vniat: vnde mirum non esse, si se solo, & absque præsidio alterius modi distincti materiæ vniatur: quæ ratio in materia, & forma non militat, cum simul existere possint absque eo quod vniantur. Ad secundum dico, materiam vniri immediatè formæ, quia inter vtrumque nihil mediat absolutum, vi cuius vniantur, (sicut inter caput & pedes mediat corpus, in quo vniuntur, quæ ob id mediatè tantum vniuntur,) sed tantum quid modale, habens se præcisè tanquam ratio vniendi. Sic facultas intellectiua & voluntas immediatè cognoscere, & amare dicuntur, esto inter illos, & earum obiecta cognitio, & amor medient, videlicet, quia nisi tanquam ratio cognoscendi, & amandi ita non mediant. Aliis exemplis breuitatis causa supersedeo.

Caput IV.

An vnio nectens partes essentiales corporis naturalis sit vna simplexque, vel potius multiplex?

27 VNionem formæ substantialis cum materia simplicem realiter esse, & ex duabus realiter distinctis minimè compositam existimant P. Suar. disp. 13. Metaph. sect. 9. n. 15. Vasq de incarnat. tom. 1. q. 2. art. 8. d. 19. c. 2. n. 24. Arriaga disp. 4. phys. sect. 2 subs. 3. & Rubius l. 1. phys. tract. 2. q. 6. n 66. ac Chrysostomus Cabero tract. 1. phys. dub. 2. disp. 5. Baltaz. Telez disp. 25. Physic. sect. 2. concluſ. 2. Bernard. disp. 11. de incarn. sect. 5. n. 50. ac Compton. disp. 14. physic. sect. 6. plerique Recentiores, & antiqui. Quorum sententiam quoad præcipuum quæstionis punctum sequor; quoad nonnulla tamen ab iis dissensurus, & cum Authoribus contrariæ opinionis consensurus. Quid ergo arbitrer, quatuor assertionibus expono. 28

Quarum prima sit. Materializatio ne diuinitus ab informatione potest realiter distingui. Materializatio est vnio, qua materia formæ vnitur, eámque intrinsecè recipit; informatio est vnio, qua forma vnitur materiæ, eámque intrinsecè informat: has autem nec de potentia absoluta realiter distinctas inueniri posse, in hunc modum suadeo. Per eandem realiter vnionem, per quam materia vnitur formæ, non potest forma etiam diuinitus materiæ vicissim non vniri: vnio ergo materiæ cum forma, siuè materializatio nè potest distingui realiter ab vnione formæ cum materia, quæ informatio dici consueuit. Antecedens probatur; quia idem realiter est materiam vniri formæ, ac formam vniri materiæ, sicut idem realiter est me verbi gratia, amare obiectum, eique affectiuè vniri, ac obiectum amari à me, mihique affectiuè vniri, vt lumine naturæ manifestum est; at materiam vniri formæ, formámque materiæ non est realiter idem pro materiali, cum vtriusque denominationis diuersum materiale sit, materia nimirum & forma; ergo est idem realiter pro formali, siue penes formam modalem, beneficio cuius materia formæ, & forma materiæ vnitur.

At dices, per eandem vnionem, per quam materia intrinsecè vnitur formæ, formam etiam vniri materiæ; cæterum non intrinsecè, sed extrinsecè; haud secus ac per eandem formam voluntas intrinsecè obiectum amat, & obiectum extrinsecè ab ea amatur: quare necessarium esse aliam vnionem realiter distinctam, per quam forma materiæ intrinsecè vniatur: quæ, cum informatio sit, sicut & vnio materiæ intrinseca materializatio, sanè informatio à materializatione realiter distinguetur. Contra tamen sic argumentor: quia vnio debet esse intrinseca ei, cui physicè vnitur, vt supra c. 2. ostendi: at materializatio formæ physicè vnitur, aliàs vtrumque extremum minimè vnitura: ergo est intrinseca formæ, ac proinde informatio. Confirmatur, & declaratur: si qua de causa materializatio non esset intrinseca formæ, maximè quia in ea non recipitur, nec eam perficit: quod autem hæc ratio non obstet, declaratum est citato c. 2. & quamuis obstaret, id obstaculi facilè potest repelli dicendo, vt statim dicetur, materializationem, etiam in forma recipi, eamque perficere necessariò debere. 29

Secunda assertio sit. Materializatio, & informatio virtualiter intrinsecè distingui debent, ita vt oppositum nec diuinitus possit accidere. Probatur, quia si materializatio etiam virtualiter intrinsecè esset informatio, sanè idem omnino esset materializare, & informare: quare materia formam materializans seu recipiens, eam informaret: & forma materiam informans, eam materializaret, seu reciperet: qua ratione quia cognitio virtualiter intrinsecè repræsentatio est, fieri nequit, quin quidquid cognoscit, id ipsum repræsentet, & è conuerso. Præterea (quod absurdius est) si materializatio, & informatio nec virtualiter distinguntur, materia seipsam recipiet, & materializabit, ac forma seipsam informabit: siquidem materializatio, & informatio in oppositа sententia eás nè virtualiter distinguente idem fundamentum, eundémque terminum sortiri debent: quare materializatio habebit pro termino materiam, sicut informatio eam pro termino sortitur; atqui materia per materializationem necessariò 30

ſariò materializat, ſeu recipit terminum materializationis; ſicut intellectus per cognitionem cognoſcit: materia ergo ſe ipſam materializabit, ſeu recipiet: atque hac eadem ratione concludi poteſt, quod forma, in aduerſariorum principiis, ſemetipſam debeat informare.

31 Ex his, quæ vnioni eſſentialia ſunt, facile colligi poteſt, quo pacto exiſtat, & quid de ea ſit de facto dicendum. Quare tertia aſſertio ſit. Vnio compoſiti ſubſtantialis de facto ſimplex, & vna eſt in corpore quouis naturali, non verò realiter cõpoſita, & multiplex. Probatur primò, quia ſi eſſet realiter multiplex, ſanè vna eſſet ſolùm informatio, & alia ſolum materializatio, vt omnes aduerſarij fatentur: ſed informatio, & materializatio realiter alia, & alia vnio eſſe nequit, vt aſſertione prima demonſtratum manet: quocirca qui duplicem vnionem in cõpoſito ſubſtantiali adſtruunt, eo ipſo duas informationes, duaſq; materializationes abſurdiſſimè inuehũt, cum quæuis vnio duarum quas ponũt, ſimul ſit informatio, ſimulque materializatio.

32 Rurſus probatur aſſertio illa tertia. Si vnio compoſiti ſubſtantialis eſſet realiter multiplex, certè altera vni tantum extremo intrinſeca eſſet, altera alij: altera item in vno tantum extremo reciperetur, & altera in alio: neque non altera vnum tantum perficeret extremum, altera verò aliud: at hoc planè impoſſibile eſt: ergo, &c. Maior eſt aduerſariorum. Minor probatur: quia quæuis vnio alterutri extremo intrinſeca non eſſe non poteſt, vt ſupra oſtenſum. Quæuis etiam in alterutro extremo recipi debet: ideo enim forma materialis in materia recipitur, quia ita ei annexa eſt, eaque neceſſitate illam perficit, vt ſine illa naturaliter eſſe, aut conſeruari nequeat.

33 Quod quæuis etiam vnio earum, quas aſſerunt aduerſarij, vtrumque extremum perficere debeat, ita ſuadetur. Vnio perficit extremum, in quo recipitur, vt vel iis, quibus cum diſputamus, ſolemne eſt: at in vtroque extremo quæuis earum vnionum neceſſariò recipitur, vt proximè ſupra perſtrinxi. Ad hoc: vnio perficere poteſt extremum, in quo nullatenus recipitur, ſi non recipi potis eſt: quamuis ergo quæuis vnionum compoſiti ſubſtantialis in vtroque eius extremo non recipiatur, vtrumque tamen perficiet. Antecedens ſuadetur primò: quia Verbum humanitatem, in qua non recipitur, ſiue à qua in genere cauſæ materialis non cauſatur, nec poteſt, infinitè perficit. Secundò: quia anima rationalis materiam, à qua materialiter non dependet, adhuc complet, & perficit. Tertiò: quia quæuis forma per materiam perficitur, cum tamen ab ea recipi nequeat: nihil ergo falſius, quam vnionem perficere non poſſe id extremi, in quo non recipitur.

34 Reſpondebis cum P. Hurtado, vt aliquid perficiat, compleatque aliud, neceſſe eſſe, vt immediatè, vel ſaltem mediatè ſiue media vnione ſui in alio recipiatur; nec oppoſitum ex proximè recenſitis euinci: ſiquidem vnio Verbi in humanitate, vnióque animæ rationalis in materia, & huius vnio in forma ſuſtentantur: vnio autem in extremo, in quo non recipitur immediatè, nec poterit mediatè recipi, propterea quod inter vnionem, & extremum vnitum nihil mediet: vnde vnio extremum, à quo immediatè non educitur, nullo modo perficiet.

35 Hæc tamen euaſio facilè præcludi poteſt: etenim primò Verbum humanitatem perficit; nec mirum, cum vnio Verbi, ſine qua Verbum etiam naturaliter eſſe potuit, in humanitate ſuſtentetur: à fortiori ergo materializatio formam perficiet, cum informatio, ſine qua materializatio ne diuinitus eſſe poteſt, in forma ſuſtentetur. Secundò ad homines: vnio hominis de plurium aduerſariorum ſententia miraculosè creari poteſt: at eo in euentu forma hominis materiam, & & materia formam complerent, perficeréntque: ad id igitur, vt vnum extremum aliud compleat, ac perficiat, neceſſarium non eſt, vt in illo etiam mediatè, ſiue media vnione ſuſtentetur. Maior probatur: quia in ea hypotheſi ex materia, & forma coaleſceret homo, quod inintelligibile eſt abſque eo, quod partes hominis ſeſe inuicem compleant, & perficiant: qua enim ratione fieri poteſt, vt materia prima ſuaptè natura non magis homo, quam lapis ab anima tamen rationali ſortiatur, quod homo ſit, quin ab ea perficiatur? Aut quid eſt, materiam per animam rationalem compleri, & è diuerſo, quam ex vtroque hominem coaleſcere? Aut cur alioqui anima ſciens, & volens denominari nequeat volitione, & ſcientia, per quas ſibi vnitas non perficiatur.

Adiice, quod creatio, quæ, iuxtà plures aduerſarios, 36
eſt modus intrinſecus rei creatæ, hoc ipſo eam perficiat: aliàs forma aliqua accidentalis eſſet, quæ nihil poſſet intrinſecè perficere: quo quid magis ridiculum? At creatio in re creata, nec mediatè, nec immediatè ſuſtentatur: non mediatè, quia ſupponitur modus: non immediatè, quia aliàs eſſet prior, & poſterior, quam res creata. Tandem eſſentia diuina relationes diuinas, vt fert verior, communiorque Theologorum opinio, infinitè quidem perficit: at in iis verè non recipitur, nec ab illis materialiter cauſatur: id enim eſſet, aliquid in ſe ipſo recipi; & etiam in Deo admitti potentialitatem: ſimiliter ergo in creatis ad perfectionem vnius extremi per aliud haud opus eſt, vnum in alio recipi.

Vlterius principaliter probatur tertia aſſertio no- 37
ſtra, in hunc modum. Si vnio hominis foret realiter duplex, altera ſanè eſſet ſpiritualis, altera materialis, vt omnes fatentur aduerſarij: ſed nulla vnio hominis omnino ſpiritualis eſſe poteſt: ergo, &c. Id ſuadetur: tum, quia quidquid recipitur in materia, materiale eo ipſo eſt: atqui nulla vnio humana eſt, quæ in vtroque extremo, atque adeò in materia recipi non debeat: tum etiam, quia eſto vnio aliqua hominis permittatur recipi in ſola eius forma, adhuc materialis eſſe debet: primò, quia materiæ ita intrinſecè annexa eſt, vt ſine ea eſſe, aut conſeruari nequeat: materialis ergo eſt; haud aliter ac forma equi eodem nomine materialis cenſetur: ſecundò, quia creatio materiæ, ſi fortè modus eius intrinſecus eſt, nequit non eſſe materialis: & tamen in materia non recipitur, neque inhæret, ſed ſolum adhæret; quamuis igitur vnio aliqua hominis, nimirum informatio, dicatur ſolum adhærere materiæ, in eaque minimè ſuſtentari, nihilominus eſſe poterit materialis.

Enimuero dices cum P. Hurtado, conceptum rei 38
omninò materialis in eo conſiſtere, quod partes inuicem diſtinctas, extenſáſque fortiatur, quibus cum informatio careat, mirum non eſſe, ſi, quantumuis materia fixa ſit, tamen non materialis, ſed prorſus ſpiritualis cenſeatur. Verum eſto admittamus, conceptum rei materialis, & eius à ſpiritu diſtinctionem ſitam eſſe in extenſione partium, adhuc vnio animæ rationalis cum materia, ſiue informatio, materialis eſſe poterit: ſiquidem partibus extenſis, & quarum aliæ extra aliàs ſint, neceſſario gaudet. Quod ſic oſtendo. Primò quia aliàs cum vi caloris naturalis aliqua particula materiæ deperditur, tota vnio ſe tenens ex parte animæ deperderetur, nec cum partibus, quas homo retinet, eadem vnione qua antea, vniretur anima, ſed potius diuerſa; hæcque diuerſitas & mutatio ſingulis

momentis

momentis contingeret, cum per omnia momenta, hominis materia dispendium aliquod patiatur.

39 Aliter etiam ostēdi potest, ac probari id ipsum: quia pro priori naturæ, quo anima intelligitur potens ad actionem nutritiuam, etiā intelligitur vnita materiæ, materiámque intrinsecè informans: neque non pro posteriori naturæ intelligitur alia vnio animæ cum materia, siue alia informatio per nutritionem producta: quandoquidem ergo prius, & posterius naturæ in eodem instanti reali semper continentur, sanè homo necessariò gaudet, simul, vt aiunt, & semel duplici informatione: ac proinde hæc in homine non minus quā in cæteris animantibus extensionem partium sortitur. Antecedens perspicuum est: nam pro illo priori anima est perfectè vnita corpori: sicut enim exercere nō potest nutritionem, nisi vt vnita, ita similiter nisi vt perfectè vnita: sed anima cum corpore non nisi per materializationem & informationem perfectè, & completè vnitur; ambæ ergò, & non vna sola pro priori ad actionem nutritiuam præsupponuntur: quo pacto, si homo duplici subsistentia inadequata polleret, neutra se sola hominem constitueret expeditum ad operandum, sed potius ambę pro priori ad operationes hominis necessario intelligerentur. Aliam porrò informationem existere pro posteriori ad nutritionem, per eāque abanima produci, tam certum est, quam quod anima partibus nutritione acquisitis perfectè vniatur.

40 At dices iterum cum eodem P. Hurt. vbi infrà, vnionem spiritualem hominis aliquibus partibus cōstare, nec quouis momēto totā mutari, quia in homine sunt plura minima naturalia, hoc est, plures partes, quarum singulæ sufficiunt, & requirūtur, ad hoc vt anima corpori possit infundi: pro numero ergo harum partium, siue minimorum naturalium multiplicantur in homine vniones spirituales: quæ quidē spirituales esse possunt, eo quod neq; inter se vniantur, nec tot sint, quot sunt partes materiæ quas respiciunt, sicut eueniret, si materiales forent: quo fit, vt vnio spiritualis extēsione partium vnitarū destituta sit: ex alia verò parte anima rationalis pro priori naturæ ad actionem nutritiuam per informationem, & materializationem perfectè vnita corpori intelligitur; & singulis momentis tota vnio spiritualis non mutatur, sed præcisè aliqua eius portio, ea nimirum, quæ respicit minimum illud naturale, cuius particula vi natiui caloris assumitur.

41 Cęterùm ne hæc satisfaciunt. Primò enim nō est, cur partes informationis inuicē non vniantur, aut cur eius spiritualitati magis obstet, vt partiū distinctarū vnio, quàm earundem cum distinctione coniuncta expenetratio, quam tamen aduersarij admittunt. Deinde eadē ratione dici posset, pro numero indiuisibiliū materiæ, qui quidem innumerabilis est, multiplicari in homine vniones spirituales, absq; præiudicio tamen spiritualitatis, eo quod inuicem non vniantur, ac proinde propriè non sint extensæ: vnde partes informationis non finitæ, ac paucæ numero erūt, vt putant aduersarij, sed potius infinitæ. Denique quid absurdius, quam non mutatis extremis nihilominus eorum vnionem singulis momentis subito variari? At iuxta eos, quibuscum disceptamus, non mutata forma spirituali, nec minimi naturalis bona parte, adhuc earum variaretur vnio, ob particulam scilicet eius minimi, quam noxius, ac vitæ contrarius calor absumit.

42 Assertio quarta sit: in corpore naturali, atque completo est de facto inter eius partes essentiales vnio virtualiter multiplex, siue, vt alij loquuntur, ratione ratiocinata distincta. Huius assertionis probatio non est operosa, sed potius facilis, iis suppositis, quę assertione secunda statui: ibi enim demonstratum manet informationem, & materializationem virtualiter inter se distingui: at in corpore quouis naturali est informatio, & materializatio, ac neutra sola, aut sine altera.

Caput V.

Dissoluuntur argumenta quædam contra simplicitatem vnionis essentialis in corpore naturali.

43 VNionem corporis naturalis, atque completi realiter simplicem non esse, sed compositam ex duabus distinctis, quarum alia se teneat ex parte materiæ, & alia, ex parte formæ censent Duran. in tert. disp. 15. q. 3. Cabrera 3. p. q. 21. a. 4. disp. 8. Montesinos 1. 2. q. 1. disp. 1. fine, Paulus Aresius lib. de gener. q. 16. s. 1. nosterque Valentin. de Herice in manuscriptis philosophicis, ac Hurtad. de Mendoza d. 5. phys. s. 7. qui plus cæteris opinionem hāc illustrauit, ac locupletauit. Pro qua prima, & potissima ratio sic habet. Vnio compositi substantialis, & naturalis in vtroque extremo recipitur, & sustentatur: at vna realiter recipi nequit, aut sustentari in duobus extremis: ergo, &c.

44 Maior argumenti probatur, tum quia non est potior ratio, cur in vno, quam in alio extremorum recipiatur vnio; siquidem vtrumq; verè vnit, & afficit: tum etiam, quia alias vtrumque extremum non perficeret: qua ratione vnio hypostatica Verbum non perficit, quia in eo non recipitur, nec sustētatur. Minor suadetur, quia vnum duntaxat extremum est sufficiēs causa materialis vnius vnionis, vt cernere est in mysterio incarnationis, vbi vnio hypostatica in solo vno extremo, nimirum humanitate, tanquam in causa materiali sufficienti, & adæquata suscipitur; in Verbo verò nequaquam, quod tam exploratum est, quam quod Verbum non possit in tempore pati; aut mutari: vna igitur vnio in vtroque extremo simul, & semel suscipi nequit; aliàs duas causas materiales adæquatas sibi vēdicaret, haud aliter, ac si idem candor duos parietes afficeret.

45 Respondeo: vna, eademq; vnio in vtroque extremo corporis naturalis simul recipitur, vt ostensum est, capite præcedenti: cæterùm ob id ea sibi non vendicat duplicem causam materialem adæquatam, quia ita ab vtraque per se ipsam essentialiter in genere causę materialis pendet, vt sine alterutra esse nequeat etiam diuinitus: quod arguit, alterutram earum causarum materialium non esse adæquatam, ac per se sufficientem, sed potius inadæquatam, & partialem. Exemplum autem vnionis hypostaticæ solum conuincit, quodlibet extremorum causam adæquatam, & sufficientē vnionis alicuius esse posse; nimirum si vnio talis sit, quæ ab vno solum extremo in genere causæ materialis essentialiter pendeat; qualis suapte natura est vnio hypostatica; secus vero cuiuscumque vnionis, cum plures, immò pleræque vniones ab vtroque extremo in genere causæ materialis essentialiter pendeant.

46 Roges, cur potius vnio hypostatica ab vno solo extremo in genere causæ materialis essētialiter pēdeat, potius quā vnio compositi substantialis naturalis? Respōdeo, rationem iuxtà nostra principia esse in promptu, ac satis perspicuam: namque vnio compositi substātialis naturalis ita intrinsecè afficit, & perficit vtrūque extremum, vt sine iis nullatenus fieri, aut conseruari possit: quid mirum ergo, si in vtroq; sustentetur? At vnio hypostatica solum humanitatem perficit, eo quod humanitas sola perfectibilis sit: Verbum autem non perficit, eo quod ratione suæ infinitatis extrinsecus perfectibile non sit: qua ratione intellectio constituta in lapide eum intelligentem non denominaret, eo quod lapis intelligentiæ incapax sit: Vnde vnio hypostatica in sola humanitate, non verò in hypostasi Verbi sustentatur.

47 Recentiores autem aliqui vbi explicant vnionem hypostaticam Verbum non perficere, quia in eo recipitur, sanè rem potius implicant, & clarius per obscurius exponunt: quid enim sit vnionem hypostaticam non perficere Verbum, aut cur illud non perficiat, clarissimum est, vt patet ex dictis. At cur vnio hypostatica in Verbo non recipiatur obscurissimũ & ignotissimum est in sentẽtia horum Authorum: quippe qui receptionem in eo collocant, quod actio productiua formæ, aut quasi formæ receptæ sit per semet ipsam essentialiter vnio sui ad extremum, in quo forma recipitur, cuive vnitur: quo dato non video, cur actio productiua vnionis hypostaticæ, si supponatur omnino distincta à voluntate rei non vniatur se ipsa Verbo, aut certè ei vniri non possit, ac proinde cur vnio hypostatica in Verbo non recipiatur. Quare lõgè melius econuerso explicatur vnionem non recipi in Verbo, quia illud non perficit, nec potest.

48 Hactenus prima solutio primi, ac principalis argumenti, quod fateor etiam aliter solui posse. Probabile namque censeo vnionem corporis naturalis præsertim omnino materialis in vno tantum extremorum nempe in materia recipi, non verò in forma: at hoc qua ratione defẽdi possit, cõmodius explicabo inferius libro quarto inter agendum de causa materiali, eiusque causalitate. Interim hoc solum animaduerto Authores eius, in quo versamur, argumẽti, sin minus omnes, saltem non paucos censere receptionem vnionis realiter distingui ab ipsa vnione, non verò cum ea eãdẽ esse, vt nos sentimus: quo posito falso censent vnionem perficere non posse extremum, in quo non recipitur; & quidem posse satis ostẽsum manet capite præcedenti: quidni ergo vnio compositi substantialis, atq; corporei in vno solo eius extremo recipi possit, quantumuis non vnum eius extremũ, sed vtrumq; perficiat.

49 Secundum argumentum aduersariorum est huiusmodi. Vnio hominis realiter duplex est, altera materialis, altera spiritualis: ergo etiam in quouis alio composito substantiali realiter duplex erit, atque composita. Consequentia videtur proba. Probatur antecedẽs primò, quia vnio hominis in materia, & forma simul, & semel recipitur, vt nos etiam nuper admisimus, quamuis etiam oppositum falsi simus esse non improbabile: at vnio recepta in materia materialis est, non secus ac formæ in materia receptæ eo ipso materiales sunt: & vnio recepta in forma spirituali spiritualis est: sicut enim nihil spirituale in materia recipi, aut sustẽtari potest, ita econuerso fieri nequit, vt aliquid materiale in forma immateriali, seu spirituali recipiatur. Secundò probatur idem antecedens, quia datur in primis vnio aliqua materialis in homine: quid exploratius? Deinde etiam in eo datur vnio spiritualis; aliqua enim in eo datur vnio, aut solam animam intrinsecè respiciens; & hæc haud dubiè erit spiritualis, aut certè respiciens intrinsecè vtrumque extremum, videlicet corpus, & animam rationalẽ. Et quod huiusmodi vnio sit spiritualis facilè probatur: quia omnis effectus sequitur conditionẽ nobilioris causæ, vt cernere in conclusione Theologica, quæ supernaturalis euadit etiãsi ex vna præmissa naturali, & alia supernaturali deducatur: necnon in actu charitatis, qui immediatè procedẽs ab habitu supernaturali, & potentia naturali, non naturalis est, sed supernaturalis: similiter ergo vnio intrinsecè, & immediatè respiciens corpus animámq; & vtroq; posterior, spiritualis tamen, nõ corporea euadit.

50 Respondeo: inprimis permisso antecedenti, consequentia fortassis est nulla: atque esto in homine vnio realiter composita sit, non propterea in aliis compositis substantialibus id admittere cogimur: cum ratio disparitatis vtrinque manifesta sit, si cuius momenti est argumentum positum. Sic vnio hypostatica, iuxta aduersarios, simplex est, & non composita; reliquæ contrà compositæ, & non simplices ob specialem rationẽ discriminis, quam inter has, & illam adinueniunt, & quam in eo positam putãt, quod vnio hypostatica nec possit, nec debeat vttumque extremum perficere, aut aut in vtroque recipi, cum interim cuiuis alij vnioni essentiale sit, vt duo extrema ex æquo perficiat, & in duobus recipiatur: quidni ergo similiter, ob rationem disparitatis in argumento positam, nobis liceat vnionem hominis compositam multiplicémque permittere, & tamen cæteras omnes adstruere simplices, ac nullo modo compositas?

Deinde respondeo absolutè negato antecedenti. Ad 51
primam eius probationem dicẽdum est, omnem vnionem hominis materialem esse, cum in materia necessariò recipiatur: quod verò in anima immateriali etiam inadæquatè recipiatur, eam spiritualẽ esse non arguit: quia aliquid materiale in subiecto inadæquatè spirituali recipi potest, vt cernere est in sensionibus materialibus, quas anima rationalis recipit, aliàs per eas fortasse non sensura. Ratio à priori est, quia spiritualitas siue immaterialitas in independentia à materia sita est, vel certè eam tanquam passionem postulat, vt fatentur omnes: atqui materialitas econuerso in indepẽdentia spiritus sita non est: alioqui spiritualitas in ordine ad materiam, & materialitas in ordine ad spiritũ, non sine vitioso circulo explicarentur: & quidem vti creaturæ non sunt independentes à primo, & perfectissimo ente nempè Deo, ita non est cur materialitas independentiã à spiritu se perfectiori velut essentiam, aut passionem sibi vendicet. Quæ cum ita sint, etsi nihil spirituale in materia recipi, vel ab ea pendere possit: cæterùm èconuerso aliquid materiale recipi poterit in spiritu, atque ab eo pendere.

Ad alteram probationem contrariam negati ante- 52
cedentis dicendum est, vnionem humanam, esto intrinsece respiciat, non solum materiam hominis, sed etiam animam spiritualem, non propterea huius conditionem debere sequi, neque spiritualem euadere: quantumcunque conclusio Theologica, sit non naturalis, ad instar præmissæ naturalis, ex qua sequitur, sed supernaturalis more alterius præmissæ suæ supernaturalis. Ratio discriminis est, quia spiritualitas postulat, vt dictũ est, indepẽdentiam à corpore, & per eam non verò per contrariam dependentiam explicatur: quanquam autem vnio humana dependeat intrinsecè à spiritu, nihilominus simul dependet à corpore humano, tanquam à causa materiali, ac proinde huius dependẽtiæ titulo materialis censeri debet, non verò spiritualis: cæterùm supernaturalitas in eo posita est, quod aliquid sit suprà naturæ vires nullæq; huius ordinis per se solas ad illud sufficiant, cõclusio autẽ Theologica licet procedat ex vna premissa naturali, tamẽ hæc sola ad eã non sufficit, sed alterũ lumẽ superius ad omne naturale, nempe lumen præmissæ supernaturalis, ac reuelatæ ad eã requiritur inferendam: quapropter haud poterit esse naturalis, sed potiꝰ magis est, vt sit supernaturalis.

Porrò quod statuitur in argumento, effectum sequi 53
debere conditionem nobilioris causæ, licèt aliquando verum sit, vt patet in conclusione Theologica, & aliis quibusdam effectis; semper tamen verum esse non potest, sed multoties est falsum, vt si quid vnquam: quẽadmodum videre est in conclusione naturali deducta ex duabus præmissis, altera probabili, euidenti altera, & non vnius euidentiam sequente, aut sibi vendicante, sed potius alterius probabilitatem, & ineuidentiam, vt fatentur omnes. Id ipsum multis aliis confirmari posset exemplis; quæ tamen prætermitto, ne longum faciam.

CAPVT

Caput VI.

Solutio cæterorum argumentorum aduersùs simplicitatem vnionis essentialis in corpore naturali.

54 Arguunt tertiò aduersarij. Vnio continuatiua est realiter duplex: ergo & talis est vnio essentialis, qua materia, & forma nectuntur. Consequentia videtur perspicua. Suadetur antecedens, quia vnio continuatiua partium materiæ v.g. in vtraque ex æquo recipitur: non est enim potior ratio, cur in vna potius, quam in alia recipiatur, nec vna habet aliquid præ alia, ratione cuius subiectum vnionis esse debeat. Atqui eadem indiuisibilis vnio materialis in vtraque parte materiæ esse non potest; alias in diuersis locis esset, quod tamen solorum spirituum perfectio est, & rerum materialium conditionem exuperat: vnio igitur partium materiæ nequit esse simplex, ac realiter indiuisibilis.

55 Respondeo in primis; quamuis permittatur vnio continuatiua realiter duplex, & composita, inde tamen perperam argui ad reliquas vniones, videlicet ob rationem disparitatis in argumento adductam. Deinde respondeo, vnionem continuatiuam esse posse simplicem, & indiuisibilem. Ad rationem verò oppositam dicendum est, eiusmodi vnionem in vno solo extremo eorum, quæ continuantur recipi, in eo nimirum, cum quo penetratur, in alio verò cuius locum non occupat, haud recipi, sed eum velut terminum merè extrinsecum respicere: nec mirum, quia vt vnio se ipsa in aliquo recipiatur extremo, non tantum opus est ei ita illam affigi, vt sine eo fieri, aut conseruari nequeat, sed vlterius requiritur, vt extra eius locum non sit, aut certè naturaliter esse non possit. Porrò cum possibilis sit vnio partium materiæ, quæ in parte A. v.g. recipiatur, eique penetretur, & partem B. tantum extrinsecè respiciat: necnon alia vnio, quæ easdem partes non eodem, sed diuerso, & contrario ordine respiciat, certè qualis earum vnionum de facto existat à determinatione, & arbitrio solius causæ primæ dependebit.

56 Rursus in sententia asserente formas materiales viuentium saltem perfectorum indiuisibiles esse, & indiuisibiliter omnes materiæ partes à se animatas informare, & cum iis penetrari, dicendum est ad rationem oppositam, in qua versamur, non esse similiter, cur vnio partium materiæ occupare non possit vtriusque locum ac proinde maiorem, quam alterutra, sicut oportet ad eius receptionem in vtroque, vtvt ad instar vtriusque sit materialis. Præterea in eorum opinione, qui continuum ex punctis, siue indiuisibilibus extensis quoad locum constitui docent, quid vetat, vnionem continuatiuam in vtroque puncto continuato receptam cum vtroque penetrari posse? Quamuis enim ita cum iis penetretur, non propterea maiorem, quam alterutrum eorum, locum obtinebit; quia scilicet non totum vtriusque spatium, sed eius dimidium occupabit.

57 Hactenus dicta ad rationem contrariam supponunt, vnionem continuatiuam in aliquo saltem extremorum oportere recipi. Enimverò si præfata vnio sit punctum, aut aliud indiuisibile, vt communius existimant Philosophi, non vero forma modalis extensa pro extensione partium, quas vnit, longè quidem verius est, cum neutro suorum extremorum eam penetrari, sed vtrumque localiter interiacere, ac proinde, nec in vno, nec in altero illam recipi: quippe, quæ pars quædam est continui: de quo inferius libro sequenti. Itaque tantum abest, vt in vnione continuatiua sit specialis ratio, ob quam realiter duplex sit, vt potius sit specialis ratio, ob quam ea præ reliquis sit simplex, si (quod suppositis plurium Philosophorum principiis, necessario sequitur) in extremis ea non recipitur, more reliquarum vnionum: ex receptione enim vnionis in extremis colligi solet eius duplicitas, & ex non receptione simplicitas. Quæ, cum ita sint, patet quam imbelle sit argumentum ab vnione continuatiua ad alias, quæ dici consueuere essentiales, & informatiuæ.

Quartò argumentantur aduersarij hoc pacto. In 58
sententia distinguente relationē prædicamentalem à fundamento, & termino, vnicus modus vtrumque extremum mutuo, & reciprocè referre nequit, duoque realiter distincti requiruntur: cum igitur relatio vnionis essentialis partium corporis naturalis ab iis realiter adæquatè distinguatur, sanè non vna, sed multiplex realiter esse debet. Respondeo admisso antecedenti, & negata consequentia: quia extrema relationis prædicamentalis loco, & tempore distare possunt: aliunde verò modus prædicamentalis, per quem referuntur inuicem in opposita sententia vtrique intrinsecus esse debet: eo autem ipso, quod vnus, & indiuisibilis esset, intrinsecus esse nequiret simul, & semel extremis tempore, & loco distantibus: quare realiter multiplex esse debet: quæ ratio in vnione, physica non procedit, quippe quæ inter extrema loco, & tempore indistantia, necessario versatur.

Quod si extrema relationis prædicamentalis tem- 59
pore, & loco seiungi non possent, sed potius vtraque ratione sint necessariò indistantia, vt cum modus aliquis v.g. vbicatio pro eo, ac aliqui putant, ad rem cuius est modus: prædicamentaliter refertur, & econtrario; tunc sanè non video, cur relati prædicamentalis, quamuis ab vtroque extremo realiter adæquatè distinguatur, ob id realiter multiplex, & composita esse debeat, aut simplex esse non possit. Dici etiam potest, & non improbabiliter nec in hoc posteriori euentu modum relationis prædicamentalis realiter simplicem esse non posse, quia alias esset vnio extremorum, vtpote qui vtrique extremo per se ipsum intrinsecè vniretur: at relationem prædicamentalem esse vnionem rei, & modi, siue rem, & modum alia vnione distincta vniri nullo modo sustineri potest.

Arguunt aduersarij quintò. Plus, aut certè non 60
minus requiritur, vt duæ res absolutæ vniantur quam ad hoc vt vniantur res, & modus: cum illæ seipsis sint inuicem affixæ, atque annexæ, res verò & modus ita comparentur, vt altera alteri essentialiter non affigatur, neque annectatur, sed potius ab altero sit separabilis. Atqui res & modus duplici vnione vniuntur: ergo à fortiori duæ res absolutæ, quales sunt materia, & forma, cui subiacet, geminam, vt vniantur, vnionem postulant. Maior est in aperto. Minor probatur: quia inprimis modus seipso rei vnitur, quæ est natura & conditio modi: deinde res vnitur modo per vnionem à modo distinctam: siquidem per ipsum modum modo nequit vniri, aliàs per modum ad ipsum modum realiter referretur, cum vniri realiter alteri sit ad illud realiter referri: ac proinde relatio realis à termino suo minimè distingueretur realiter, quod tamen est planè falsum.

Verum nè in hoc argumento plus est quam in præ- 61
cedentibus momenti: aut enim nihil probat, aut certè quod detur in vnionib. processus in infinitū: nāq; vnio illa rei cum modo, v.g. intellectus cum intellectione, (quam demus esse entitatem modalem) modus rei est: alia ergò vnione ei vnitur: deinde & tertia vnio modus etiam

etiam rei eſt : indiget ergò alia quarta vnione : & ſic vel ibitur in infinitum , vel ſiſtere erit in aliqua vnione,quæ per ſeipſam ſine alia vniatur;in qua quidem tota vis contrarij infringitur argumenti. Ad quod abſolutè reſpondeo,rem non vniri realiter modo per aliam vnionem,ſed per ipſum modum. Quod autem relatio realis propterea indiſtincta ſit à ſuo termino, non eſt abſurdum : quia relatio realis non in eo differt à relatione rationis, quod altera à termino realiter, altera ſolùm ratione diſtinguatur , ſed in hoc quod vna referat inuicem extrema realiter diſtincta ; alia verò referre non habeat, niſi extrema tantum ratione diſtincta.

62 Demum argui poteſt pro contraria ſentẽtia,in hunc modum. Verbum vnitur intrinſecè humanitati : non autem per vnionem creatam,& modalem ſe tenentem ex parte humanitatis eamque Verbo intrinſecè vniẽtem:ergo per vnionẽ increatam ſe habentem ex parte Verbi, videlicet per formalitatẽ aliquam ipſius Verbi cum eo realiter indentificatam,& virtualiter tantum ab eo diſtinctam,eique quoad entitatẽ perfectionémque ab æterno inexiſtentem,quoad denominationem vero vniti, ſiue vnientis, in tempore ei aduenientem: iam igitur vnio hypoſtatica eſt realiter multiplex; altera ſcilicet creata,& altera increata:quidni ergo quæuis alia vnio eandem habeat à fortiori multiplicitatem realem. Antecedens argumenti , quoad primam eius partem,eſt perſpicuum. Quoad alteram ſuadetur,quia aliàs Verbum intrinſece aliter ſe haberet,quam antea, ac proinde intrinſecè mutaretur.

63 Sed in primis quod attinet ad ſententiam conſtituentem vel omnem, vel aliquam vnionem hypoſtaticam in formalitate Verbo intrinſeca, eique identificata, ſanè eam docet eſſe improbabilem, & contra omnes vſque ad ſua tempora Theologos P. Suarez tom. 1. in 3. p. diſp. 8. ſect. 4. §. *Addunt aliqui*. Rurſus,ſi,quod aliqui Recentiores putant, Verbum vnitur humanitati per formalitatem aliquam ipſius Verbi , ſanè ea formalitas,econuerſo vniet humanitatem Verbo,nec alterius vnionis creatæ vlla neceſſitas,aut vtilitas erit. Deinde probabilius eſt , per vnum, eundémque modum creatum vniri intrinſecè,tum humanitatem Verbo,tum etiam Verbum humanitati. Ita P. Bernal. diſp. 11. de incarnat. ſect. 5. n. 49. Hurtadus diſp. 21. de incarnat. ſect. 2. ſubſ. 2. §. 46. &(ſi quoſdam Recentiores apud Hurtadum citata ſect. 2. ſubſ. 1. §. 39. excipias) cæteri omnes Theologi. Nec verò ob id mutatur intrinſecè Verbum,aut aliter ſe habet.

64 Ratio eſt, quia ad mutationem Verbi ſatis non eſt, habere aliquid intrinſecè,quo antea carebat: alioqui, cum in tempore incæperit eſſe intrinſecè homo , hoc ipſo mutabitur : & ſic abſque mutatione,& imperfectione Verbi repugnabit myſterium incarnationis: quo quid ſtultitius, ac fidei , & rationi magis oppoſitum? Quocirca, vt mutetur Verbum,requiritur, vt aliquid intrinſecè habeat , quod antea in ipſo nec formaliter, nec æquiualenter extiterit : quidquid autem perfectionis eſt in vnione creata , & modali in tempore Verbum intrinſecè afficiente, totum id præextitit in Verbo ſin minus formaliter, ſaltem æquiualenter ; quia nimirum perfectio ſolius Verbi tanta eſt, quanta cenſetur perfectio tum Verbi,tum etiam eius vnionis ſimul ſumptorum. Atque hactenus diſſoluta ſunt argumenta contra ſimplicitatem realem vnionis eſſentialis potiſſimè in controuerſia poſitam : quæ autem procedunt contra eius multiplicitatem virtualem , commodius diſſoluentur in Metaphyſica inter agendum de diſtinctione virtuali intrinſeca.

TRACTATVS IX.

De toto reſultante ex compoſitione eſſentiali partium corporis naturalis?

CAPVT PRIMVM.

Totum ſubſtantiale,& per ſe reſultans ex partibus eſſentialibus corporis naturalis ab ijs realiter adæquatè diſtingui,verius eſt.

ITA Scotus 8. Metaph. q. 4. & in 3. diſt. 2. q. 2. & cum eo Antonius Andreas, Lychetus, Mayron, ac cæteri communiter aſſeclæ. Ita etiam ex Thomiſtis Caietanus 3. p. q. 6. art. 5. ad primum, Capreolus in 3. diſt. 2. art. 1. Ferrara 4. contra gentes cap. 81. Iauellus, Heruæus, Socinas & alij. In eadem ſententia ſunt Auicenna lib. 3. Metaphyſic. cap. 4. Cimara Theorem. 75. neque non ex noſtris Conimbr. 1. phyſ. c. 2. q. 1. art. 3. Pereira lib. 7. c. 18. Fonſeca 5. Metaph. c. 2. q. 2. ſect. 2. & Metaph. c. 17. q. vnicâ ſect. 3. Vaſquez 3. p. diſp. 19. c. 2. & Clauius in prolegomen. Mathem. diſciplinæ. Et, quod caput eſt, eidem opinioni fauent B. Thomas in 3. diſt. 2. q. 1. art. 3. quæſt. 3. ad 3. Et in 4. diſt. 16. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 3. ad 2. Et Ariſtoteles 1. phyſ. text. 16. & 8. met. cap. 6. text. 15. & 2. de anima circa initium,& alibi ſæpè. 1

Miſſis autem pro hac ſententia aliorum rationibus, quippe quibus parum fido , & quarum non paucis ſatisfaciam inferius in ſimili ; potiſſima , qua moueor, ſic habet. Suppoſitalitas , ſiue ſubſiſtentia corporis naturalis eſt totum illud ſubſtantiale , & per ſe, quod ex eius partibus eſſentialibus, materia ſcilicet,& forma reſultat. Atqui ſuppoſitalitas , ſiue ſubſiſtentia corporis naturalis diſtinguitur realiter adæquatè à præfatis eius partibus. Ergo & totum ſubſtantiale,ac per ſe,quod ex eis reſultat. Minor eſt perſpicua:nam Verbum diuinum aſſumpſit partes eſſentiales hominis v. g. nimirum materiam , & formam rationalem, qua conſtat, eaque aſſumptione homo factus eſt : ſed non aſſumpſit ſubſiſtentiam, ſeu perſonalitatem, hominis : alioqui eſſent in Chriſto duæ perſonæ , quod eſt hæreticum : ſubſiſtentia igitur hominis , adeoque cuiuſcumque alterius corporis naturalis ab eius partibus eſſentialibus ſimul ſumptis, & vnitis omnino diſtinguitur. 2

Porrò maior argumenti probatur: namque ſubſiſtentia hominis, v. g. haud conſiſtit in negatione dependentiæ actualis , aptitudinaliſque ab alio ſuppoſito,vt volunt Scotiſtæ:ſiquidem in Deo ſunt tres ſubſiſtentiæ , quarum tamen nulla eſt conceptus negatiuus,ſed potius quælibet,quid poſitiuum,& veriſſima, actualiſſimáque perfectio : quì ergo fieri poteſt , vt ſubſiſtentia creata in negatione conſiſtat? Rurſus ſubſiſtentia corporis naturalis haud eſt exiſtentia , haud item natura cum differentiis indiuiduantibus, vt alij, aliique Thomiſtæ exiſtimant : etenim Verbum humanitatem tum exiſtentem,tum etiam in atomo,vt aiũt, ſiue in indiuiduo ſumptam aſſumpſit , cũ interim eius non aſſumpſerit ſubſiſtentiam,ſiue perſonalitatem. 3

Præterea ſubſiſtentia corporis naturalis haud eſt entitas aliqua incompleta vltimo complens eius partes: alioqui namque harum eſſet forma ſubſtantialis ; & & per conſequens in materia eſſet duplex forma ſubſtantialis , & vna forma ſubſtantialis foret alterius ſubiectum , quæ tamen ſunt abſurdiſſima. Subſiſtentiam, 4

stentiam futuram esse formam substantialem, si esset entitas incompleta liquet; siquidem generaretur dependenter à natura, in eaque reciperetur, illamque pro posteriori perficeret intrinsecè, veramque compositionem per se cum illa faceret: quidni ergo esset forma? Quæ omnia cum ita sint, nihil restat in quo consistere possit subsistentia, nisi totum substantiale, & per se resultans ex partibus essentialibus corporis naturalis: id ergo totum, seu compositum est subsistentia, ac proinde huius more à partibus suis realiter adæquatè distinguitur. Et quidem non solum discursu facto, & in metaphysica latius instaurando constat, subsistentiam idem esse cum toto, quo de agimus, verum etiam id ipsum ex professo ostenderetur tract. sequenti.

5 At dices, totam quæstionem de distinctione totius substantialis, & per se à partibus fieri à nobis controuersiam de solo nomine. Nihil enim à nobis conceditur in homine v.g. quam materia, forma, & vnio, ac subsistentia: at hæc omnia admittunt in homine, & quouis toto substantiali, qui illud à partibus suis non distingunt: ab iis ergo, qui alem reiiciunt distinctionem, solò nomine, ac vocum vsu discrepamus.

6 Respondeo, nos censere subsistentiam, cui rationem totius à partibus distincti attribuimus, esse quid completũ, eamque, quæ si per impossibile existeret sine partibus, esset tamen homo v. g. Aduersarij autem censent eam esse quid incompletũ, & non fore hominẽ, si per impossibile existeret sine partibus hominis, materia, scilicet, & forma vnitis: quin etiã aliqui illorum putant, eam absq; vlla cõtradictione terminorum posse sine prędictis partib. conseruari separatã: quod si cõseruaretur, tum haud habiturã rationem hominis. Rursus nos existimamus, subsistentiã nõ facere compositionem per se cum natura, siue partib. corporis naturalis, sed solã per accidẽs, vt patebit infra: aſt aduersarij compositionẽ per se ex subsistentia, & natura adstruunt. Ex quib. manifestũ videtur, nõ de solo nomine cum Authoribus, qui minimè distingunt totũ substãtiale physicũ à suis partibus nos in præsenti disputare.

7 Declaratur exemplis. Aristoteles nihil aliud agnoscit in homine, nisi corpus, & animam, & vnionem vtriusque vt aduersarij putant: Plato autem totum hoc etiam in homine admittit: an ergo solũ de nomine disputant vterq; dum alter ait, solam animã esse quidditatem hominis, alter verò, corpus simul, & animã vnitam? Vlterius qui Angelos, & animos spirituales eiusdem esse inter se speciei cum Origene docẽt, & ij qui Catholicè negant talem identitatẽ, haud de vocabulo cernunt: non alia de causa, nisi quia Catholici docent Angelos esse entia spiritualia completa, & animos entia spiritualia incompleta; contra verò hæretici Angelos, & animos ex æquo esse entia spiritualia completa, vel incompleta propugnant. Qui ergo tueor in præsenti, subsistentiam esse ens completũ, haud de vocibus disputo cum iis, qui illam esse entitatem incompletam, aut quid simile adstruunt.

8 Præterea an Thomistæ, & Scotistæ de vocibus quæstionem habent, dum hi beatitudinem in amore Dei fruitiuo, illi verò in eius visione clara, & intuitiua eam collocant? Minimè quidem: quod ne ipsi diffitebuntur aduersarij; & tamen in eo, qui beatur nihil amplius adstruũt hi, quam illi: vtriq; enim videri, & amari Deum à beato, nec sine vtroque actu beatitudinẽ stare tuentur. Quanquam ergo non plures entitates in homine adstruam, quam hi, quibuscũ in præsenti disputo, non propterea tota vtrinq; disputatio censenda erit de nominum, ac vocũ vsu. Idem denique, vt aliis exemplis supersedeam, patet ex celebri inter Theologos controuersia de constitutione diuinæ essentiæ: alij namq; essentiã Dei in sola intellectione, alij in intellectione simul, & volitione constituunt; & ita constituunt, vt vtrique Deum simul intellectiuum, & volitiuum censeant, quin plura in eo prædicata, aut perfectiones ab his quam ab illis reuera concedantur. Quis tamen eos propterea logomachiæ incusет? Similiter ergo in præsenti, &c.

Caput II.

Alia etiam nostræ, ac verioris sententiæ probatio.

9 Qva, quamuis alios ad probandam distinctionem totius à partibus vti non videam, satis tamẽ firmam arbitror. Ea sic habet. Si Petrus v.g. in eius materia, forma, & vnione formaliter consisteret, Petrus esset diuersæ speciei à Paulo. Consequens est manifestè falsum, ergo &c. Sequela probatur, quia vnio Petri, & Pauli sunt diuersæ speciei: ergo si Petrus formaliter includit vnionem qua eius partes essentiales inuicem copulantur, & Paulus eadem ratione suam, certè alteruter intrinsecè, & essentialiter aliquid includet speciei diuersum ab eo, quod est in altero similiter inclusum, ac proinde ambo diuersę speciei erunt: siquidem, vt duo specificè differant, non oportet, vt penes omnia eorum prædicata essentialia specie diuersa sint; (aliàs homo, & equus diuersæ speciei nõ essent,) sed satis est quod penes aliqua specie differant. Porrò antecedens probatur: quia ab hac, & illa vnione Petri ratio cõmunis vnionis Petri abstrahi potest; quę cum de pluribus, solo numero differentibus prædicetur in quid, sanè species erit: vnio etiam Pauli eadem ratione species erit: ac proinde vnio Petri, & vnio Pauli duæ species erunt: quare specie different, sicut homo, & leo vt sic specie differũt. Et quidem ea ratio communis vnionis Petri ad has, & illas non est genus, nec differentia, & si esset, res eodem rediret, neque proprium, aut accidens, vt manifestum est: quid ergo esse potest, nisi species, vt dictum est?

10 Huic argumento responderi potest primò, Petrum, & Paulum absolutè, & simpliciter dici posse, & debere eiusdem speciei, quia partes omnes vtriusque, nimirũ materia, & forma eiusdem sunt speciei: secundũ quid tamen eos esse diuersæ speciei, propterea quod constitutiuum aliquod minus principale, nimirum vnio non idem in vtroque sit, sed potius specificè diuersum. Sed in primis incredibile planè videtur, Deum creare nõ posse duos homines omnino, & adæquatè eiusdẽ speciei: sicut de aduersariorum sententia duos Angelos omnino, & adæquatè vnius speciei creare potest. Deinde iuxta hos, quibuscum disceptamus, homo absolutè, & simpliciter generatur, eo quod sola eius vnio generetur, esto materia, & forma creentur: similiter ergo homo diuersæ speciei ab alio homine absolutè, & simpliciter censendus est, eo quod sola eius vnio ab alterius vnione diuersæ speciei sit, esto vtriusque partes eiusdem speciei sint; si fortè ambo vnionem, & partes formaliter includunt.

11 Secundò ex doctrina cõmuni Recentiorum responderi potest, specie esse, quæ de omnibus solo numero differentibus prædicatur in quid: vnionem autẽ Petri non prædicari de omnibus solo numero differentibus, sed de aliquibus, cum non prędicetur de vnione Pauli, Ignatij, &c. quæ tamen ab vnione Petri solo numero differunt, sicut tantundem, & non amplius dissident extrema per eas vnita, vltrò, citróque comparata. Verum ne hæc solutio satisfacit, quia dum vniones Pauli ab vnionibus Petri solo numero differre supponit,

principium repetit,& concluſionem ſupponit, cum argumentum noſtrum contendat eas ſpecie differre.

12 Ad hoc: ea,quæ ſolo numero differunt,eorundem prædicatorum communium capacia ſunt, vt cernere eſt in duplici candore: at vniones Petri, & vniones Pauli iiſdem prædicatis communibus non ſubſunt, nec ſubeſſe poſſunt, ſed potius aliqua ratio communis de illis prædicatur, quæ de his nequit prædicari. Tandem: ſi vnio Petri, & vnio Pauli ſolo numero differunt, certè vnio humana erit ſpecies de vtraque prædicabilis: vnio ergo Petri erit ratio indiuidualis: primam conſequentiam dant aduerſarij: ſecundam inſinuant,& ex prima aperte ſequitur: ſiquidem ratio indiuidualis eſt immediatum correlatiuum rationis ſpecificæ: vnio autem Petri eſt immediatum correlatiuum vnionis humanæ: ergo ſi vnio humana eſt ſpecies, eo ipſo vnio Petri erit indiuiduum: hoc autem conſequens eſt euidenter falſum: námque indiuiduum de vno ſolo prædicatur, éſtque indiuiſum in ſe, iuxta aliam, aliámque eius definitionem: aſt hæc indiuiſio, & prædicabilitas de vno ſolo vnioni Petreiæ vt ſic neutiquam conuenit.

13 Tertiò Alij exiſtimant, vnionem Petri eſſe quidem ſpeciem; indè tamen minimè inferri Petrum,& Paulum vltatenus ſpecie differre: quin potius ita eos conuenire poſſe, vt nuſquam dari queat maior conuenientia ſpecifica: quia, inquiunt, homo huius ſpeciei eſt præter corpus, & animam rationalem vnio huius,aut illius ſpeciei. Quod tribus exemplis confirmant. Primum deſumitur ab ente artificiali: nam hæc numero cathedra v. g. includit materiam lignorum, & inſuper tales vbicationes cum aliarum negatione: at non includit has numero vbicationes:alioqui,quoties de loco in locum transfertur, diuerſa numero cathedra euaderet: ergo has, vel illas numero vbicationes: Similiter ergo in præſenti, &c.

14 Alterum exemplum, quo vtuntur, Theologicum eſt, & in hunc modum ſe habet. Chriſtus Dominus dicitur nobiſcum vniuocè homo, & in ratione hominis non alterius,ſed eiuſdem ſpeciei,vt contra Nominales ſupponunt & pro explorato habent reliqui Theologi, vtque ſatis colligitur ex illo Pauli ad Philippen. 2. *in ſimilitudinem hominum factus*: Atqui homo inuoluit in ſuo conceptu ſubſiſtentiam, quæ quidem in Chriſto, & nobis eſt diuerſæ ſpeciei, & diſſimillima: ſicut ergo homo eſt ſubſiſtentia huius, aut illius ſpeciei, connotans includenſve, vt homo eſt, materiam,& formam huius ſpeciei determinatæ, & non alterius; ita ſimiliter in præſenti vſu venire credendum eſt. Tertium Neothericorum exemplum etiam Theologicum eſt, & ſic ſe habet. Pater, filius, & Spiritus-ſanctus ſunt vnus numero Deus: ergo hic numero Deus eſt hæc numero natura diuina, & hæc vel illa ſubſiſtentia numero diuerſa: quippe, ſi hic numero Deus hanc numero ſubſiſtentiam determinatè inuoluerit, tres Perſonæ diuinæ non eſſent vnus numero Deus, cum certo certius ſit, eas diſtinctis ſubſiſtentiis gaudere, & conſtitui.

15 Contra tamen eſt in primis: quia eadem ratione dici poſſet, hominem, & equum eſſe eiuſdem ſpeciei, videlicet, ſi animal huius ſpeciei ſit materia huius ſpeciei; & forma huius, vel illius ſpeciei nempe humanæ,vel equinæ. Contra ſecundo eſt, quia eadem ratione ſuſtineri poſſet commentum Parmenidis, qui omnia entia vnum numero eſſe ſomniatus eſt: ſicut enim hæc numero cathedra iuxta aduerſarios eſt hæc, aut illa aggregatio vbicationum lignum afficiens,ita ſimiliter fingi poterit,hanc numero ſubſtantiam eſſe vel Deum, vel hominem,vel Angelum, vel candorem, &c. Quo fiet nihil in rebus diſtingui. Contra tertio eſt,quia repugnat,aliquid eſſe omnino, & adæquatè ſingulare, quin omnis pars ei eſſentialis ſingularis ſit,aut eſſe creaturam, aut ſubſtantiam ſimiliter adæquatè,quin omnis eius pars creata,& ſubſtantialis ſit, Pari ergo ratione repugnabit, aliquid eſſe omnino determinatum numero,aut ſpecie, quin quæuis eius pars numero, aut ſpecie determinata ſit, nullàque indeterminata.

Ad primum exemplum aduerſariorum dicendum 16
eſt, formam artificialem cathedræ in eius vbicationibus ſitam non eſſe, ſed eſſe figuram partium cathedræ certis earum vbicationibus anteriorem, illarumque radicem, vt oſtendetur in metaphyſica: Hæc autem numero figura de huius numero cathedræ eſſentia eſt, nec, ea tranſlocata,variatur. Alterum aduerſariorum exemplum momenti non eſt. Quod enim communiter dici, & credi conſueuit, Chriſtum eſſe hominem eiuſdem ſpeciei nobiſcum, intelligendum eſt de ſola eius natura humana, materia videlicet,& forma;quæ quidem in Chriſto,& reliquis hominibus ſunt proculdubio eiuſdem ſpeciei: at hoc quid aduerſariis prodeſt? Verum de hoc exemplo plura inferius. Ad tertium,quo aduerſarij vtuntur, dicendum eſt, tres perſonas diuinas eſſe vnum numero Deum; vel quia particula, *Deus*,non ſupponit in ea prædicatione adæquatè pro omni eo, quod ſignificat,ſed pro ſola natura diuina,quam hæc vox, *Deus*, ſolam exprimit: vel quia totæ tres eandem numero naturam diuinam, eandémq; numero ſubſiſtentiam abſolutam ſibi vendicant, ac proinde idem numero conſtitutiuum ſufficiés huius concreti, quod Deus appellatur. Maneat ergo Petrum v.g. eſſe hominem omnino eiuſdem ſpeciei cum Paulo, quia vterque realiter adæquatè diſtinguitur à ſuis partibus vnitis, adeóque neuter vniones diuerſæ ſpeciei ab vnionibus alterius intrinſecè, & per identitatem inuoluit.

Caput III.

Duæ aliorum ſolutiones ſuperioris probationis noſtræ, totidémque eius inſtantiæ reiiciuntur?

17 QVarto reſpondent Neotherici ad ſuperius noſtrum argumentum,vniones quidem Pauli v. g. eſſe diuerſæ ſpeciei ab vnionibus Petreiis;inde tamen non ſequi,quod Petrus,& Paulus iis per identitatem conſtituti diuerſæ ſint ſpeciei: oportet enim, inquiunt, ſpeciem, & eſſentiam logicam explicari, atque conſtitui independenter ab indiuiduatione rei, cuius eſt eſſentia: quod ſi eſſentia Logica Petri,ſpeciéſque hominis ei conueniens inuolueret identicè vnionem ipſius Petri, & non rationem communem vnionis humanæ abſtrahentem ab vnione Petreia,& Paulina, haud abſtraheretur eſſentia Logica Petri, ſpeciéſque hominis eam comprehendens ab eius indiuiduatione, vtpote quam vnio Petreia eſſentialiter connotat: quare non includit id genus vnionem,ſed potius vnionem humanam latiſſimè ſumptam. Proinde eſſentia Logica Petri,ſpeciéſque hominis ei conueniens non poteſt eſſe alia, ab eſſentia Logica, & ſpecie hominis in Paulo reperta: vt enim eſſent alia, & alia, oporteret alteram includere intrinſecè vnionem Petreiam, & alteram ſimiliter includere vnionem

nem Paulinam, quæ à priori specificè dissidet: cum ergo eas vniones non includant, sed rationem communem vnionis humanæ, vt dictum est, certè nulli mirum esse debet, quod vtriusque species, & essentia Logica non sit diuersa, adeóque ambo specie non discriminentur inuicem.

18 Confutatur tamen primo hæc solutio; quia omnis species partialis, constituit speciem aliquam totalem, & completam: sic omne indiuiduum partiale constituit aliquod indiuiduum totale, & completum v. g. hæc materia, aut hæc anima rationalis hunc hominem: sic, & eodem redit, haud potest intelligi existentia vlla partialis, & incompleta, nisi respectu alicuius existentiæ completæ. Atqui vnio Petreia est species quædã distincta ab vnione Paulina iuxta aduersarios: cum ergo non sit species totalis, & completa, vt luce clarius est, relinquitur, vt sit species partialis, & incompleta: constituit ergo aliquam speciem aliquam totalem, & completam; sed non aliam, quam hominis: ergo speciem aliquam completam hominis constituit: perperam ergo dicitur ab aduersariis, speciem completam hominis, eiúsque essentiam Logicam, inuentam in Petro constitui non posse per vnionem Petreiam, siue respectum aliquem ad ipsum Petrum: neque non etiam perperam, & absque fundamẽto ab iis dicitur, Petrũ non debere esse diuersę speciei à Paulo, tametsi vterq; intrinsecè, & per idẽtitatem includat vniones, specie diuersas: qua enim ratione vnio Petreia constituit speciem aliquam completam hominis, vnio etiam Paulina aliam speciem hominis constituit: adeóque ex illis vnionibus duæ hominis species diuersæ emergunt; quæ cum ambæ de solo vno homine dici nequeant, reliquum est, vt vna de Petro, & alia de Paulo dicatur, sicut ad horum diuersitatem specificam oportet.

19 Confutatur secundò eadem solutio, quia indiuiduum etiam logicum, & secundo intentionale siue prædicabile, siuè subiicibile sit, explicatur in ordine ad speciem: quídni ergo & hæc, in ordine ad indiuiduum? Consequentia liquet. Antecedens suadetur de indiuiduo subiicibili, cuius definitio est, illud esse, quod subiicitur speciei: necnon de indiuiduo prædicabili: nam cum profertur in mente, *Petrus est hic homo*, terminus ille, *hic homo*, est indiuiduum prædicabile: & tamen in ordine ad hominem, quem inuoluit, adeóque quodammodo ad speciem concipitur, & explicatur. Tertiò, & eodem ferè recidit hæc prædicatio, *Petrus est homo*, est speciei de indiuiduo: at prædicatum haud sine ordine ad subiectum de eo dicitur. Malè ergo docent aduersarij speciem Logicam, & essentiam rei completam haud debere explicari per respectum ad indiuiduum, de quo dicitur, atque hac de causa speciem hominis in Petro repertam inuoluere nequire rationem communem, & specificam vnionis ipsius Petri, sicut ad eius diuersitatem specificam à Paulo opus est.

20 Quartò reiicitur illa eadem solutio. Namque, tametsi species Logica abstractionem omnem ab indiuiduo, & quouis respectu ad illud, postulet, propterea tamen non sequitur vnionem Petri vt sic non constituere speciem hominis diuersam à specie, in qua est Paulus. Ratio est, quia Petrus non erit in contraria sententia, quam impugnamus, indiuiduum, sed species quædam hominis abstracta ab hoc Petro, qui per identitatem inuoluit hanc numero vnionem Petreiam, & ab alio Petro inadæquatè distincto, & inuoluente aliam vnionem Petreiam numericè distinctam à priori; & sic in infinitum. Species ergo hominis constituta per vnionem Petreiam vt sic, quamuis ratione talis constitutionis haud possit abstrahere à Petro vt sic etiam sumpto, nihilominus abstrahet ab omni indiuiduo stricte tali: vnde propter huius abstractionis necessitatem, non est negandum, quin species hominis, quæ conuenit Petro diuersa à Paulo inuoluat identicè vnionem Petri vt sic, aut in communi.

21 Quintò impugnatur illamet solutio, in hunc modum. Animal in atomo, siue in indiuiduo formam substantialem, non quamcunque, sed hanc numero, & in indiuiduo talem includit, perque eam explicatur. Rursus animal in specie, homo v. g. hanc specie formam, nempe animam rationalem, quidditatiuè includit, & per eam definitur. Item animal in genere hanc etiam genere, huiúsve generis formam inuoluit, & per eam essentialiter constituitur, & explicatur. Pari ergo ratione, cum animal in indiuiduo per hanc numero, siue in indiuiduo vnionem constituatur, vel iuxta aduersarios, & animal in genere per vnionem etiam in genere; consequenter etiam dici debebit quod animalia specie per vnionem specie, siue per hanc specie vnionem intrinsecè constituitur, & quidditatiuè definitur. Cur enim vnio substantialis, quoad triplicem constituendi modum, suo modo non æmulabitur formam? aut cur, sicut eam imitatur quoad constitutionem genericam; & indiuidualem, non etiam eam sequatur, quoad specificam? ita vt quemadmodum animal in specie id est homo hanc specie formam quidditatiuè & essentialiter in se claudit, & per eam definitur, sic etiam hanc specie vnionem, videlicet Petreiam essentialiter includat, eámque per explicetur, & definiatur.

22 Sextò: nè inhæreamus nominibus speciei siue essentiæ Logicæ, aliud est, duo distingui, aliud illa esse rigorosè dissimilia: duo enim oua v. g. distincta inuicem, non dissimilia esse dicimus: quare indiuiduis omnibus eiusdem speciei, cuiusmodi haud dubiè sunt Petrus, & Paulus, distinctio, non dissimilitudo conuenire potest: at conueniret hæc non minus quam illa, si vnio Petreia esset diuersæ speciei ab vnione Paulina, & ambæ per identitatem alterum, alterúmque constituerent: namque omnis species est verè dissimilis alteri speciei: aliàs hominem equo dissimilem negare potero: vnio ergo Petreia, & vnio Paulina dissimiles sunt; cum iuxta aduersarios sint duæ species vnionis humanæ: quando ergo Petrus intrinsecè, & per identitatem claudit vnionem Petreiam, & Paulus vnionem Paulinam, sanè alteruter habet per identitatem prædicatum aliquod, per quod alteri dissimilatur. Quidquid ergo sit, an Petrus, & Paulus ex diuersitate specifica suarum vnionum, diuersitatem etiam specificam inter se inuicem trahant, (vocis enim hæc quæstio esse potest) tamen veram vtrinque dissimilitudinem ex suarum dissimilitudine vnionum sortientur: quod tamen omninò absurdum esse constat.

23 Septimò sic argumentor. Quidquid sit, an Petrus, & Paulus dissimiles verè, ac proprie esse queant (fortassis enim erit, qui id contendat) cæterum solam dissimilitudinem indiuidualem inter se ad summum adipisci poterunt: quod meo iudicio manifestius est, quam vt negari queat, aut probari postulet. At iuxta aduersarios Petrus, & Paulus, habent dissimilitudinem aliquam non indiuidualem tantum, sed ea maiorem: nimirum dissimilitudinem in ratione aliqua non numerica, sed potius communi, & specifica, videlicet vnionis Petreiæ, & Paulinæ. Ergo &c.

24 Ad extremum sic arguo. Si nullus homo verbi gratia, præter solum Petrum, & nullus equus præter

ſolum Bucephalum eſſent poſſibiles, certè Petrus, & Bucephalus non differrent ſpecie prædicabili & Logica : ſi qua enim differrent, maximè quoad ſpeciem hominis, & ſpeciem equi : tum autem homo defectu inferiorum ſpecies prædicabilis non foret ; & equus eadem de cauſa dici non poſſet ſpecies prædicabilis. Nihilominus Petrus & Bucephalus tum differrent ſpecie ſubiicibili, aut alia : atque ſi res ipſa, non verò intellectus noſtri fictio, aut abſtractio penſetur, profectò tam diuerſi in eo eſſent euentu, ac modo ſunt. Similiter ergo quamuis vnio Petreia eum non conſtituat ſpecie Logica, & prædicabili diuerſum à Paulo, propterea nimirum quod eſſentiam Petri ab eius indiuiduatione abſtractam conſtituere nequeat, tamen ſpecie, aut ſubiicibili, aut alia innominata alterum ab altero diuerſum conſtituet, atque non minus, quam ſi ambo ſpecie prædicabili & Logica diſſiderent. Conſequens autem eſt apertè falſum.

25 Reſpondent iterum Recentiores, quos hactenus hoc capite impugnauimus, vnionem Petreiam non eſſe ſpeciem quandam vnionis ab vnione Paulina diuerſam, adeoque ambas differre non poſſe ſpecie, nec refundere diuerſitatem ſpecificam in Petrum, & Paulum. Rationem huius hanc exhibent: vt aliqua ratio communis reſpectu inferiorum ſuorum ſpecies quædam ſit, oportet vt inferiora reſpectu illius habeant ſimilitudinem ſummã, & non adæquabilem per aliam ſimilitudinem, qua aliquod eorum conueniat cum alio non contento ſub ea ratione communi, ſed potius extra illam collocato: qua ratione homo eſt ſpecies quædam reſpectu Petri, & Pauli, & cæterorum hominum, quoniam hi ſummam in homine ſimilitudinem habent, & nullus eorum, quantum cum reliquis conuenit in ratione hominis, tantundem poteſt conuenire cum aliquo alio ſuppoſito, quod ſub ratione communi hominis non contineatur, equo verbi gratia, aut leone.

26 Cæterùm, *homo ſimilis Petro*, non eſt ſpecies quædam hominis, omnibus, & ſolis præter Petrum communis, licèt alioqui de illis, veluti de pluribus ſolo numero differentibus, dicatur : quoniam ſcilicet homines omnes, præter Petrum, non habent ſummam & inæquabilem in ea ratione ſimilitudinem, talémque cui æqualis non ſit ſimilitudo, quam fortiuntur reſpectu Petri, qui ſub ea ratione communi non continetur nec eſt homo ſibimetipſi ſimilis. Etenim, vt quiuis reliquorum hominum præter Petrum eſt ſimilis alteri in ratione hominis, & in ratione *hominis ſimilis Petro*, cum tamen in hoc ſecundo non ſit ſimilis Petro, eo quod hic ſibi ſimilis non ſit, ita etiam quiuis eorum, Paulus, v.g. eſt ſimilis Petro in ratione hominis, & etiam in ratione hominis ſimilis Ioanni, cum tamen in hoc ſecundo cum Ioanne conuenire nequeat Paulus, ne Ioannes ſibi ſimilis dicatur. Tantam ergo ſimilitudinem habent Petrus, & Paulus, quantam habent Paulus, & Ioannes, eſto hi infrà rationem illam communem *hominis ſimilis Petro*, contineantur, ſecus verò illi ; quia nimirum vna ſimilitudo per aliam compenſatur. Propter hanc igitur cauſam, *homo ſimilis Petro*, non eſt ſpecies quædam, nec reliqui homines ſub aliqua ſpecie continentur cui Petrus non ſubiiciatur.

27 Quod ſi hæc ratio quidquam valet ; iuxta eam neceſſe eſt, vt vnio Petreia ſpecies non ſit, vnioque Paulina ſpeciei etiam ratione careat, adeoque, vt ambæ ſpecie non differant. Etenim, tametſi vniones Petri conueniant in ratione communi vnionis Petreiæ, & eas præter aliæ nullæ in ea ratione conueniant, tamen hæc ſimilitudo, & conuenientia penſatur, per hoc quod earum quælibet conueniat cum vnionibus Pauli in ratione vnionis potentis videri vnica intuitione, aut coëxiſtentis alteri, aut exiſtentis in loco diſtanti, ab eo quem alia occupat. Poſſunt enim inuicem coëxiſtere duæ vniones adæquatæ, altera Petri, altera Pauli propria : poſſuntque inuicem diſtare ; neque non vna intuitione videri. Cæterùm ita ad ſe inuicem referri nequeunt duæ vniones Petreiæ, ſi ſint adæquatæ : haud namque coëxiſtere poſſunt, haud conſequenter vno intuitu conſpici, haud demum inuicem diſtare, tametſi etiam naturaliter coëxiſtere permittantur. Quocirca non conueniunt in ratione communi vnionis potentis alteri coëxiſtere, aut diſtare, vel vnica intuitione videri : non habent ergo inter ſe maiorem ſimilitudinem inuicem ſumptæ, quam quæuis earum habet reſpectu vnionum Pauli, quæ ſub ratione communi vnionis Petreiæ non continentur : ſicut enim vniones Petreiæ conueniunt inuicem in ratione communi vnionis humanæ, & etiam vnionis Petreiæ ; ita etiam vnio Petri, & vnio Pauli conueniunt in ratione communi vnionis humanæ, necnon etiam vnionis potentis alteri coëxiſtere, &c. & ſicuti hæ poſteriores non conueniunt in ratione vnionis Petreiæ, ita illæ priores, haud etiam conueniuut in ratione vnionis coëxiſtentis diſtantis, aut ſimul viſibilis in ſenſu, quem expoſuimus. Quantam ergo ſimilitudinem habent inuicem vniones Petri in ratione communi vnionis Petreiæ, tantam habent ſimilitudinem, & conuenientiam cum vnionibus Pauli, quæ ſub ea ratione communi non continentur, adeoque nec ea, nec ratio communis vnionis Paulinæ ſpecies eſſe poteſt.

Hæc etiam ſolutio haud magno opere poteſt euerti. 28
Primò enim non ſoluit noſtrum argumentum, quatenus eo probatur, vnionem Petreiam eſſe ſpeciem quandam vnionis humanæ, vnionémque Paulinam, aliam vionis humanæ ſpeciem, ſed aliud argumentum affert ad probationem contrarij. Aliud autem eſt, argumentum aliquod ſoluere, aliud, & longè diuerſum, vim alterius argumenti ei opponere : Illud enim prius perinde eſt, ac vulnus tibi impoſitum ſanare, aut, ne imponatur, cauere : hoc poſterius idem eſt, ac vulnere tibi inflicto, & non ſanato aliud aduerſario infligere, ac vicem ei rependere. Quod autem ij quibuſcum agimus, argumentum noſtrum non diſſoluant, in propatulo eſt : nam tota eius vis in eo ſita eſt, quod ratio communis vnionis Petreiæ non ſit genus, vt conſtat ; nec differentia, nec proprium, nec accidens reſpectu huius, & illius vnionis Petri : ſupereſt ergo tantum, vt ſit ſpecies : pari autem ratione vnio Paulina ſpecies erit : ambæ ergo duæ ſpecies ſunt : ac proinde ſpecie diſſident. Quid autem afferunt contrarij, quod huic difficultati ſatisfacere videtur?

Et quidem eſto non deſint, qui extra quinque illa 29
prædicabilia adſtruere non dubitent alia, nemo tamen non ad ea quinque reduci poſſe cætera omnia exiſtimat : ea ergo ratio vnionis Petreiæ, cum de hac, & illa vnione Petri ſolo numero differentibus in quid prædicetur, in quo definitio ſpeciei ſita eſt, haud ſpecies erit, aut certè ad ſpeciem reducetur ; neque non etiam vnio Paulina in communi : Ambæ ergo ſpecie differrent, ſin minus formali, ſaltem æquiualenti, & reductiua : ſicuti perſonæ diuinæ iuxtà complures non ſpecie, aut genere formaliter, ſed ad ſummum æquiualenter differunt : quod ſi vniones Petri, & Pauli adeoque hos ipſos inter ſe ea ratione differre, ac diſſimiles eſſe nobis dent aduerſarij, qua quidem perſonæ diuinæ differunt, ac diſſimilantur, certè intento potiemur,

tiemur, deque alio maiori absurdo contrà aduersarios colligendo parum erimus solliciti.

30 Illo etiam nomine displicet eadem solutio: quoniam immerito supponit, eam similitudinem, quæ est inter vniones Petri proprias compẽsari, & æquari per eam, quæ quamuis illarum vnionibus Paulinis assimilat. Etenim vnionem aliquam esse coëxistentem alteri, ab ea distantem, aut vna intuitione visibilem, est denominatio quadãtenus extrinseca, & accidentaria, adeoque similitudo in ea ratione est similitudo accidentaria; ea vero similitudo, qua hæc, & illa vnio Petri conueniunt in ratione vnionis Petreiæ est essentialis, & omnino intrinseca: huic ergo illa prior æquari, eive compensandæ par esse nequit: quemadmodum, quod Æthiops in siluis nutritus quoad colorem, & aliqua alia accidentia ferè similior sit simiæ, quam infanti Europæo recens nato, haud tamen hoc arguit, accidentariam illam Æthiopis cum simia conuenientiam, & similitudinem compensare, aut æquare posse eam substantialem similitudinem, quam habet cum infante recèns nostro in orbe, genito: aut quemadmodum, si omnia accidentia ligni in lapidem diuinitus congerantur, nunquam tamen fiet, vt propterea lignum lapidi accidentaliter simile tantam habeat cum eo conuenientiam, quantam cum alio ligno: scilicet, quia hæc similitudo est essentialis, illa verò accidentalis.

31 Rursus tertio: ecquis non videat, cum dicunt aduersarij vnionem Petreiam, & vnionem Paulinam sibi inuicem coëxistere, à séve hoc distare, aut vna eas intuitione videri posse, nullam illos rationem vtrique communem assignare, sed potius rationem æquiuocam, & particularem ambas sigillatim, & distinctè complectentem: coexistentia enim, distantia, & simultanea visibilitas vnionum pluralitatem, ac diuersitatem expressè inuoluit: vbi ergo illa ratio communis, & abstracta? cuius similitudo compensat, & adæquat eam, qua vniones omnes Petri in ratione communi vnionis Petreiæ conueniunt.

32 Præterea quartò, vtvt ea ratio, quam aduersarij cõfingunt, communis sit, atque etiam non accidentaria, & extrinseca, sed essentialis, & omninò intrinseca: profecto ea non species, sed genus erit: nam prædicatur de vnione Petreia, & vnione Paulina, atque adeo de pluribus speciebus in quid: genus igitur erit, & similitudo ab ea desumpta non nisi generica: similitudo autem, quæ est inter vniones Petreias, vel aduersariorum confessione, est specifica. Porrò autem similitudo generica compensare, aut æquare nequit similitudinem specificam: aliàs homo, & equus tam similes erunt, quam duo homines, eo quod, sicut hi in ratione specifica hominis, ita etiam illi in ratione generica animalis conueniant. Quî ergo fieri potest, vt similitudo inter vnionem Petri, & vnionem Pauli, quæ generica est, vt dictum manet, eam æquare possit, quæ est inter vniones Petreias maior, quam generica, ac re vera specifica.

33 Item quintò: vt vnio Petreia sit species quædam vnionis tantum requiritur, omnes vniones Petri, quæ solæ ei inferiores sunt, summam in ea similitudinem habere, præter eas autem nullas alias in ea ratione similitudinem aliquam, nedum summam, aut æqualem sibi vendicare. Absque vllo quidem fundamento aliud quidpiam exposcitur; & neque ex definitione speciei, neque ex vllius probati Auctoris testimonio colligitur: At in ratione communi vnionis Petreiæ omnes eius inferiores summè similes sunt, & nullæ aliæ vllatenus, ne dicam summè, aut æqualiter in ea conueniunt: quidni ergo ea dicatur species? Profectò, si super prædicari de pluribus solo numero differentibus in quid, qua ratione constat vnionem Petreiam prædicari, aliud amplius ad speciem requiratur, pari licentia quiuis poterit alias speciei conditiones pro libito confingere, & earum defectu species negare non paucas, earum, quæ veluti species hactenus ab omnibus sunt receptæ.

Postremo mirari satis non possum aduersarios vti 34
parilitate hominis similis Petro, vnionísque alteri coexistere, distare, aut simul cum ea videri potentis: quasi si vnio Petreia sit species, sub qua vniones omnes Petri, non verò Pauli continentur, hoc ipso sequatur, *hominem similem Petro* fore speciem hominis, sub qua non Petrus, sed reliqui homines contineantur; & vnionem coëxistere, distare, aut cerni simul cum alia potentem fore etiam speciem vnionis, sub qua vniones Perri; & Pauli, non verò duæ vniones Petri cohibeantur; miror, inquam, cum aliquos ita disputare video: rationes enim communes ab eis assignatæ sunt quædam relationes prædicamentales quadantenus extrinsecæ, & accidentariæ: vnio verò Petreia est omninò intrinseca, & essentialis suis inferioribus; & par est conditio vnionis Paulinæ: species autem suis inferioribus essentialis, & intrinseca esse debet: hanc namque vim habet vocula, *in quid*, eius definitionem claudens: mirum ergo non est, quod hæ rationes communes non verò illæ dicendæ, ac censendæ sint species. Quod si aduersarij de relatione similis, coëxistentis, distantis, aliáve eiusmodi non formaliter, & in actu secundo, sed radicaliter, & in actu primo sumpta loqui se dicant, & hoc modo sumptam contendant esse omninò intrinsecam, & reapse essentialem, adeoque eam, quæ species esse queat, vbi semel vnio Petreia, aut Paulina inter species reponatur, haud propterea audiendi sunt: nam etiam posse esse similem, distantem, coëxistentémve fortassis est denominatio extrinseca, vti suo loco constabit: aut licet non sit extrinseca physicè, & simpliciter, at saltem est logice extrinseca, & accidentaria ad instar visibilis v.g. quod ita est, iuxta aduersarios, de essentia physica hominis, cumque eo realiter identificatum, vt à Deo ratione nostra sit distinctum, eiusque accidens logicum.

Hactenus reiectæ solutiones superioris probatio- 35
nis nostræ; reliquum est, vt vnam, aut alteram instantiam aduersùs illam proponamus, & diluamus pro eo, ac ad initium huius capitis polliciti sumus. Primò igitur ita illam Recentiores instant. Diuersitas specifica formæ substantialis arguit diuersitatem specificam totius ex ea, & materia resultantis, & ab vtraque iuxta nos realiter, & adæquatè distincti: quis enim neget, equum ab homine specie diuersum esse, ratione formæ aquinæ diuersæ ab humana, idque siue totum à suis partibus distinguatur, siue secus? similiter ergo diuersitas specifica vnionis sufficiens erit ad inferendam diuersitatem specificam totius ab alio toto, esto alterutrum à suis partibus distinguatur: cum igitur Petrus, & Paulus iuxta nos fortiantur vniones specie diuersas, quidni inter se differant specifice ambo, vtvt à partibus suis vnitis realiter, & adæquatè distinguantur? distinctio ergo realis totius à partibus à nobis statuta nullatenus prodest ad tuendam specificam vnitatem, & identitatem Petri, & Pauli, cæterorúmque hominum.

Respondeo, hominem definiri compositum ex cor- 36
pore, & anima rationali, equum itidem compositum ex corpore, & anima equina, & sic de reliquis entibus completis: quare, vt hæ definitiones constent, ac veræ sint, oportet, vt homo (par autem est ratio aliorum compositorum) aut includat per identitatem corpus,

&

& animam rationalem, aut vtrumque eſſentialiter connotet: proinde ſublato primo ſecundum tenendum eſt, eoque ſuppoſito fieri nequit, vt totum illud diſtinctum à ſuis partibus, quod hominem vocamus, ex alia forma, quam rationali coaleſcat: ideoque per reſpectum eſſentialem ad illam ab omni alio toto ſpecie diuerſum euadit. Cæterùm hæc ratio in vnionibus non militat: namque Petrus v.g. eſt hæc numero totalitas à ſuis partibus vnitis realiter diſtincta, & non reſpicit eſſentialiter magis hanc vnionem ſpecificam, quam aliam: haud enim totalitas petit magis has partes, quam alias eiuſdem ſpeciei: quando igitur vnionum diuerſitas tota prouenit ex eo, quod hæ has numero partes, aliæ verò alias numero connotent: profectò totalitas, quam Petrum vocamus, haud magis petit hanc, quam illam vnionem, & quod ad aliquem eſſentialiter determinata ſit, nullo colligitur argumento: vnde defectu talis determinationis, & exigentiæ ea totalitas non diſtinguitur ſpecie ab vlla alia humana, adeoque apertè à nobis vitatur abſurdum, quod aduerſariis obiicimus. Nec verò cuiquam mirum eſſe debet, quod hæc numero totalitas, Petrus v.g. poſſit diuinitus eſſe ſine hac numero, materia, & forma: nam econuerſo in aduerſariorum ſententia hęc numero materia, & forma Petri poſſunt diuinitus eſſe, quin ſint Petrus, ſed alius homo, ſi nimirum aliam ſubſiſtentiam creatam, aut increatam terminarent. Sed de hoc infrà.

Aliter etiam inſtari poteſt noſtrum argumentum, 37
hoc ſcilicet pacto, ſi vniones humanæ Petri, v.g. & Pauli diſtinguntur ſpecie per reſpectum ad animas rationales ſolùm numero diſtinctas, cur à fortiori hæ animæ, quas dicimus ſolùm numero diſtinctas, non ſint potius ſpecie diuerſæ, nimirum in ordine ad vniones non numero, ſed quod plus eſt, ſpecie diuerſas. Reſpondeo, vniones, de quibus agimus, non eſſe diuerſæ ſpeciei immediatè propter reſpectum ad animas numero diuerſas, ſed mediatè tantum, & quaſi occaſionaliter: proximè verò, & per ſe eſſe ſpecie diuerſas ob duplicem rationem communem vnionis Petreiæ v.g. & Paulinæ: quatum vtraque nequit non eſſe ſpecies. At quamuis anima Petri, & anima Pauli reſpiciant vniones ſpecie diuerſas, non propterea ſunt duæ rationes communes animarum, quarum quæuis de inferioribus ſolo numero diſtinctis in quid prædicetur, quemadmodum de vnionibus philoſophabamur: nec etiam aſſignari poteſt propter talem reſpectum vlla ratio communis, quidditatiua, ſub qua vna anima, & non alia contineatur: quæ enim, aut qualis eſt ea ratio? Vnde diuerſitas ſpecifica animarum ex vnionum diuerſitate minimè colligitur.

Adiice vlterius, propterea animas Petri, & Pauli 38
v.g. merito vnionum non differre ſpecie, quia aliàs ſequeretur nihil non differre ſpecie à quouis alio: nihil enim inueniri poteſt, quod modos ſpecie diuerſos ſibi proprios, & alteri rei non communes non ſortiatur: hæc autem ratio non militat in vnionibus, vt perſpicuum eſt. Tandem tota diuerſitas ſpecifica vnionum deuoluitur vltimò, ac mediatè ad reſpectum, quem habent ad animas ipſas numericè, & in indiuiduo, vt aiunt diſtinctas: quocirca hæ in ordine ad illas non niſi numericè, & indiuidualiter diſtinguentur: ſunt enim tales vniones ſpecie diuerſæ ea diuerſitate, quæ ab indiuiduatione animarum ſumitur, ac proinde harum ſunt veluti proprietates dumtaxat indiuiduales, de quibus vulgo dialectici cum Porphyrio dicunt, earum collectionem vnam, eandémque duobus indiuiduis communem eſſe non poſſe. At econtrario quis dicat, vnionem Petreiam vt ſic reſpicere velut proprietates indiuiduales hanc, & illam vnionem Petri, à quibus præſcindit, & cum quibus ita comparatur, vt homo cum Petro, & Paulo: per reſpectum ergo ad eas vnio Petreia erit ſpecies, ſpeciéque diuerſa ab vnione Pauli propria, & quauis alia.

Caput IV.

Vlterior noſtræ, ac verioris ſententiæ probatio.

Qvæ talis eſt. Si totum per ſe, homo v.g. in ma- 39
teria, forma, & vnione realiter conſiſteret, & non potius ab iis realiter abſolutè diſtingueretur, ſicuti ſuperius expoſuimus; ſanè deficiente hac numero materia, hic numero homo, qui antea erat, poſtea perſiſtere, & manere omninò non poſſet. Conſequens eſt apertè falſum. Ergo, &c. Sequela probatur primò: quia idem numero homo, qui antea puer erat, modò ſenex eſt: at in ſenectute eadem numero materia non remanet, qua quis in pueritia vigebat, cum per nutritionem, & diminutionem plures materiæ partes alternatim adquirantur, & deperdantur. Secundò, quia idem numero homo, qui antea vixerat, reſurrecturus eſt, vt fide ſanctum eſt: ſed non cum omnino eadem numero materia, qua in hac vita potiebatur: ergo, &c. Id ſuadetur, quia materia vnius hominis interdum eſt ex parte materia alterius hominis ita, vt cum eo vterque moriatur: haud ergo cum eadem numero materia omnino, & adæquata reſurrecturi ſumus: alioqui erit, vt eandem numero portionem materiæ diuerſa ſuppoſita ſimul, & ſemel ſortiantur in tempore vniuerſali reſurrectionis: quo nihil magis irrationabile, & falſius. Antecedens autem perſpicuum eſt: quia corpus hominis mortui decurſu temporis in olera, herbas, alioſque cibos conuerti ſolet: mediatè ergo in ſubſtantiam alterius hominis conuerti poteſt: immò immediatè in eam ſæpè conuertitur, vt cum apud Barbaros alij aliorum carnibus ſaturantur: vbi autem materia vnius hominis in alterius ſubſtantiam conuertitur, cum ea confeſtim decedere poteſt. Et quidem eandem numero materiam eſſe ſucceſſiuè in duobus hominibus quid mirum eſt? cum eandem contingat eſſe ſucceſſiuè in hominibus, & belluis, vt belle explicat Lucretius lib. 2. de rerum nat. ibi:

Præterea cunctas itidem res vertere ſeſe
Vertunt ſe fluuij, frondes, & pabula læta,
In pecudes vertunt pecudes in corpora noſtra,
Naturam, & noſtro de corpore ſæpè ferarum
Augeſcunt vires, & corpora pennipotentum.

Ad hoc argumentum, quo etiam primus vtor, ad 40
probandam diſtinctionem realem totius phyſici, & naturalis à ſuis partibus, reſpondebunt Platonici animam eſſe totam quidditatem hominis: corpus autem animæ, ac proinde totius hominis merum eſſe vehiculum, & ad eius quidditatem non attinere: cum ergo homo in pueritia, & ſenectute ante, & poſt reſurrectionem eadem numero anima rationali gaudeat, certè in quouis ſtatu idem numero homo erit, quantumlibet diuerſa numero materia potiatur.

Cæterùm Platonicorum opinio, quæ compoſitum ſubſtantiale humanum non tam in collectione partium quam in earum altera conſtituit, impoſſibilis eſt: quid ergo probabilitatis habere poteſt ſolutio ei doctrinæ innitens? Id ſuadetur: tum quia homo generatur, & corrumpitur: at anima rationalis nec generatur, nec corrumpitur: tum etiam, quia homo aut conſiſtit partialiter in materia, aut ex ea, velut cauſa intrinſeca reſultat, iuxta illud Athanaſij in ſymbolo,

ſicut

ſicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo. Atqui anima hominis, nec in materia conſiſtit, nec ex ea velut cauſa ſui reſultat, alias materialis foret: ergo ſola illa homo, non eſt. Denique, quia equus ante, & poſt annos decem eſt idem numero: hoc autem ab aduerſariis explicari nequit per hoc, quod eadem numero forma gaudeat, cum iuxtà eorum non paucos forma equina diuiſibilis ſit, illiúſque partes fluxæ, & caducæ ſint, ac vi caloris naturalis ſenſim abſumantur.

41 Reſpondebis ſecundò ex doctrina Magiſtri ſentent. in 2. diſt. 30. eas ſolas materiæ partes, quas quiſque in primo inſtanti ſuæ generationis habuit, communiter ſpermaticas, ſeu primigenias nuncupatas, ad eſſentiam hominis ſpectare, in iiſque ſimul cum forma rationali, & vnione hominem formaliter conſiſtere: reliquas verò naturam fouere, non conſtituere: cum ergo homo, ſiue puer, ſiue ſenex, ſiue viuus, ſiue rediuiuus, eaſdem partes primigenias ſemper retineat, neque partes aliæ niſi quæ per nutritionem ſunt acquiſitæ vi caloris naturalis abſumantur, ſane in quouis ſtatu idem numero homo quiuis remanebit, quantumlibet in collectione partium ſuarum conſiſtat.

42 Contra tamen primo ſic inſurgo. Licèt oſſa, aliæquæ partes duriores corporis in primo inſtanti generationis habitæ poſtea ſemper indemnes maneant, nec vi caloris naturalis abſumantur, improbabile tamen eſt, carnem aliaſque partes teneras corporis, quātumuis primigenias, vi & efficacitate præfati caloris non abſumi, cum nec magis ſuapte natura reſiſtant, nec arctiori vinculo glutinóve vniantur animæ, quam partes, quæ per nutritionem comparantur. Et quidem non tantum aliquas, ſed omnes partes primigenias amitti, earumque nihil ſiue tenerum, ſiue etiam durum in extrema ætate reliquum fieri, docet noſter Pereira lib. 3. de diuinat. Aſtrolog. c. 3. §. 23. vbi id multis, & magnis Philoſophis, atque inter eos B. Thomæ 1. p. quæſt vlt. art. 1. placere teſtatur. Deinde ſecundò tametſi hac ratione intelligatur, quatenus ſit idem numero homo, qui modò ſenex eſt, & ante puer erat, adhuc non conſpicio, qua ratione à Magiſtro, & ſequacibus defendi poſſit, eundem numero hominem, qui antea vixerat, poſtea reſurrecturum: ſiquidem duo homines in eadem materia primigenia coincidere poſſunt, & partes ſpermaticæ vnius hominis decurſu plurium annorum, aut ſi mauis ſæculorum, ad alterius primam generationem ſpectare poſſunt.

43 Occurres tamen duabus difficultatibus proximè poſitis, ex doctrina quorumdam Recentiorum, quibus ſententiam Magiſtri omninò non diſplicere video; diceſque, cum calor naturalis per omnes partes corporis ex æquo diffuſus ſit, non eſſe, cur hæ potius, quam illę eius vi abſumantur; atque adeò quales amittendæ ſint, ex determinatione, & arbitrio cauſæ primæ pendere. Quare Deus efficere poterit, vt nunquam partes ſpermaticæ abſumantur, &, vt quoties partes ſpermaticæ, aut aliæ quæuis vnius hominis in alterius ſubſtantiam fortè conuerſæ ſint, eæ præcipuè abſumantur: quo fiet, vt nunquam vnus homo cum materia ſpermatica, aut non ſpermatica alterius ex hac vita decedat, nec corpus vllius beati ab aliquo condemnato, aut contra, die reſurrectionis vllatenus auferri. Ità nonnulli.

44 Verum vti quod flamma per ædes ſparſa has & non illas, aut has prius, quam illas abſumat, non ex determinatione ſolius cauſæ primæ dependet, ſed ex intenſione, propinquitate, reſiſtentia, & aliis diſpoſitionibus agentis, & paſſi, vt compertiſſimum eſt; ita ſimiliter quod calor naturalis per partes omnes corporis fuſus has, & non illas, aut has prius, quam illas hauriat, non niſi parum philoſophicè in arbitrium, ac libitum ſolius cauſæ primæ refunditur. Eo vel maximè quod aduerſarij vtrumque continui extremum vnionis continuatiuæ ſubiectum potius debere eſſe, quam quale debeat eſſe, ad arbitrium cauſæ primæ reuocandum cenſent.

Duabus difficultatibus ſuperioribus ab inſtantia 45
neotericorum proximè vindicatis, aliam ordine tertiam aduersùs ſolutionem noſtri argumenti ex magiſtro propoſitam, aliam inquam adhuc difficultatem: quæ ſic habet. Partes materiæ per nutritionem acquiſitæ aliquod cum anima rationali compoſitum conſtituunt: at non aliud quam hominem: homo igitur iis partibus eſſentialiter conſtat: hoc autem ipſo quod ita ex iis coaleſcat, ſane noſtrum pro diſtinctione totius à partibus argumentum redit. Maior autem oſtenditur: ſi quidem eæ partes per nutritionem vniuntur animæ rationali: aliquod igitur cum ea compoſitum conſtituunt. Antecedens eſt perſpicuum: quia terminus nutritionis aliquis eſſe debet: non materia, aut anima rationalis: quippè, quæ ab agente naturali, nec per actionem nutritiuam, nec per aliam vllam ſunt producibiles: ergo ſola earum vnio.

Reſpondebis tertiò cum aliquibus Thomiſtis, ho- 46
minem conſiſtere formaliter, & per identitatem in anima rationali, vnione & materia: cæterùm non magis in hac materia quam illa: quia, cum materia de ſe ſit pura potentia, & nullum eſſe habeat, quod à forma ſubſtantiali non ſit, ſanè quod hæc numero materia ſit, ab hac numero forma habet: quare quæcunque materia ſit, ſemper hæc numero erit; vbi hac numero forma informetur: homo autem eadem numero anima rationali gaudet, ſiue ſenex ſit, ſiue puer, ſiuéque ante, ſiue poſt reſurrectionē: quid mirum ergo, ſi idem numero homo in quocumque ſtatu ſit? vtvt à ſuis partibus realiter adæquatè non diſtinguatur? Nec verò in hac doctrina contradictio vlla inuoluitur, vt aliqui exiſtimant: vbi enim hæc numero materia de eſſentia hominis aſſeritur; de materia hac numero in actu ſecundo ſermo eſt: cum verò hæc, vel illa materia indeterminatè de eſſentia hominis adſtruitur, de materia hac, vel illa numero ſolum in actu primo, & radicali ſermo eſt, quæ certè ſibi cohærent.

At ne hæc ſolutio placet: tum, quia materiam pri- 47
mam eſſe puram potentiam falsò ſupponit: tum etiam, quia hunc numero hominem aliquo indeterminato conſtitui, nimirum hac, vel illa pura potentia, ſiue hac, vel illa materia in actu primo falſum planè eſt, vt conſtat ex dictis ſupra hoc ipſo tract. cap. 2. & ſequent. Denique, quia non explicatur, nec poteſt, quo pacto maneat idem numero equus v. g. antè, & poſt annos decem: ſiquidem eadem numero forma equi toto eo ſpatio non perſeuerat, ſi, quod aliqui aduerſariorum cenſent, forma equi non eſt indiuiſibilis, ſed potiùs pro extenſione partium materiæ, quas informat, extenſa, & partibilis, adeoque accretioni, & diminutioni ſubiecta.

Reſpondebis quartò, cum nonnullis neotericis, ho- 48
minem conſiſtere reuera in materia, forma, & vnione, nec eſſe totum aliquod ab iis realiter diſtinctum: cæterùm materiam primam determinatam in primo inſtanti generationis ad eſſentiam huius hominis attinere: hanc verò, aut illam numero materiam indeterminatè ſumptam pro reliquis inſtantibus ad eam ſpectare (de materia autem hac, vel illa numero in actu ſecundo iis ſermo eſt, eo quod materiam primam puram potentiam non eſſe nobiſcum ſupponant) cum ergo homo ſiue puer, ſiue ſenex ſit, & ſiue antè, ſiue poſt reſurrectionem hac numero forma

gaudeat,

gaudeat, & in primo instanti suæ generationis hanc numero materiam à materia alterius distinctam habuerit; in reliquis verò instantibus hanc, aut illam numero materiam indeterminatè sortiatur, inde est, quod homo in quouis statu semper sit idem numero.

49 Displicet etiam hæc responsio. Primum, quia materia principalius constitutiuum hominis est, quam vnio: at hic numero homo in hac, vel illa vnione indeterminatè sumpta formaliter consistere nequit, vt suprà latè ostendi; à fortiori ergo, &c. Tum etiam, quia si hic numero homo ex hac numero materia præterita, siue pro generationis instanti & ex hac, vel illa materia pro sequenti coalesceret; sanè homo esset quid morale, & non physicum; sicut v.g. obligatio legis ex voluntate legislatoris præterita, & præsenti non retractatione coalescens ens morale dici consueuit. Consequens autem est apertè absurdum. Tertiò eadem ratione dici posset, hunc numero hominem in hac numero forma pro primo instãti, & in hac, vel illa forma indeterminatè prosequenti simul cum materia, & vnione formaliter cõsistere: quo quid falsius? Denique iuxtà aduersarios idem numero equus manet post decennium, aut vltra: ast de eorum sententia non manet eadem numero forma equi toto eo spatio: ergo hic numero equus hanc numero formam essentialiter non postulat: quam tamen eum postulare, & ipsi fatentur, & ex identitate totius cum partibus perspicuè sequitur.

50 Postremò respondebis cum aliis, hominem in materia, forma, & vnione ita formaliter consistere, vt, variata numero materia, hic numero homo physice non remaneat, sed tantum moraliter: Quare non eundem hominem physicè puerum, & senem esse, cum in senectute, & pueritia diuersa numero materia constet; eundem tamen moraliter hominem in vtraque ætate eum esse, propterea quod eius materia, quamuis successiuè mutata, semper tamen sit moraliter eadem: eo pacto, quo v.g. aquæ fluminis successiuè labentis moraliter eædem semper censentur.

51 Et quidem hominem, cum puer est, cumque postea senex, eundem esse non physicè, sed tantum moraliter sententia fuisse videtur Alpheni in l. proponebatur 76. ff. de iudiciis vbi statuit, *non modo si vnus, aut alter, sed etsi omnes iudices mutati essent, tamen & rem eandem & iudicium idem, quod antea fuisset, permanere: neque in hoc solum euenire, vt partibus commutatis eadem res esse existimaretur, sed & in multis cæteris rebus. Nam & legionem eandem haberi, ex qua multi decessissent, quorum in locum alij subiecti essent: & populum eundem hoc tempore putari, qui abhinc centum annis fuissent, cum ex illis nemo nunc viueret: itémque nauem si adeo sæpe refecta esset, vt nulla tabula eadem permaneret, quæ non noua fuisset, nihilominus eandem nauem esse existimari. Quod si quis putaret, partibus commutatis aliam rem fieri: fore vt ex eius ratione nos ipsi non idem essemus, qui ab hinc anno fuissemus: propterea quod, vt philosophi dicerent, ex quibus particulis minimis consisteremus, hæ quotidie ex nostro corpore decederent, aliæque extrinsecus in earum locum accederent.* En exemplo eius identitatis, & vnitatis, quam homo secum habet pro diuersis temporibus, explicat Iureconsultus identitatem iudicij, legionis, populi, & nauis, cum successiuè fit mutatio in earum partibus, & constitutiuis: talémque existimat hãc posteriorem identitatem, qualem illam priorem, & è conuerso: liquet autem, identitatem iudicij, legionis, &c. eorum partibus decursu temporis mutatis, haud esse physicam, sed tantum moralem, & magis penes interpretationem quandam iuris, quam secundum rerum ipsarum naturam, presse & scholasticè sumptam. Pari ergo ratione homo alio, atque alio tempore, aut ætate, non idem numero physicè, sed tantum moraliter erit: aut certè nullum erit exemplum, quo Alphenus, & passim alij Iureconsulti vtuntur.

Consequenter autem ad hanc doctrinam, quod ad 52
resurrectionem attinet, dices cum Recentioribus, eũdem omnino hominem physicè non resurrecturum, sed tantum eundem moraliter: propterea quod materiæ cum qua vixit, & quæ ex parte fuit alterius hominis, substituatur alia, ab ea, quam habuit cum decessit, moraliter non diuersa, sed potius eadem. Quæ identitas moralis vnius materiæ cum alia physice diuersa facilius etiam, quam aliæ identitates morales potest intelligi: nimirum quia physica diuersitas vtriusque materiæ est exigua; & quiuis homo in die resurrectionis eandem physice materiam, cum qua obiit, eandem, inquam, maiori ex parte, & penè adæquatè recuperaturus est. Quod ita ostendunt Neotherici.

Etenim naturaliter repugnat, vt vnus homo in ea- 53
dem numero materia adæquatè, aut fermè adæquatè sumpta cum alio homine in instanti mortis coincidat: quia, esto aliquis homo ab humanitate vsque adeò alienus sit, vt alium hominem integrum deuoret, non ob id omnes eius partes in suam conuertet substantiam, sed subtiliores tantum, & ne ex octoginta partibus vnam quidem: reliquæ autem partes non nisi longo post tempore in cibum conuertentur: & nec omnes in eum conuertentur: quare in substantiam hominis illius omnes conuerti non poterunt; & si quas conuerti contingat, interim quæ ante conuersæ erant, vi caloris naturalis magna ex parte supponentur absumptæ: naturaliter ergò fieri nequit, vt duo homines in eadem numero materia adæquatè sumpta decedant: vnde materia vnius hominis à materia alterius in articulo mortis maiori ex parte diuersa erit, physice loquendo: & sic quiuis eandem physice materiam, cum qua decessit, recuperabit maiori ex parte: cum nihil sit, quapropter portio vlla considerabilis materiæ suæ ei sit adimenda, aut alteri conferenda: si quid enim maximè coincidentia vtriusque eorum in multis partibus materiæ, cum decedunt: at quod commentitia sit eiusmodi coincidentia, satis superque videtur probatum.

Verum, vt ab hoc vltimo incipiam, eundem nume- 54
ro hominem non solum moraliter, verum etiam physicè resurrecturum, sacris litteris magis conforme est, vt constat ex cap. 16. Iob ibi, *in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem, quem visurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt.* Quæ verba identitatem, quanta maior esse nequit, ac proinde physicam, & non moralem indicant. Deinde resurrectio Christi nostræ resurrectionis typus, atque exemplar fuit, iuxtà illud Pauli epist. 1. de Corinthios cap. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita etiam in Christo omnes viuificabuntur*: quod etiam cum Diuo Thoma 3. p. q. 56. art. 1. & 2. omnes Theologi profitentur. At idem numero Christus etiam physicè, qui vixerat, & in terris conuersatus est, resurrexit: ergo & idem numero homo physicè qui vixerat, resurrecturus est.

Hinc, & ad primum regrediar, ostendo eundem 55
physicè hominem senem, & puerum esse: quia etiam in resurrectione eorum, qui in ætate infantili decesserunt, magna iis portio materiæ addenda est: propterea quod omnes resurrecturi sint in mensura

ætatis

ætatis plenitudinis Christi, hoc est, viri perfecti, vt communi Patrum sententia tradit Suarez tom. 2. in 3. p.d. 50. sect. 5. §. 30. Ast hoc non obstante idem numero homo, qui ante vixerat, idem, inquam, physicè resurrecturus est, vt numero superiore exposui. Quãtumuis ergò puer in virili ætate, aut senectute plus acquisierit materiæ, quam antea habuerit, tamen idem numero homo etiam physicè permanebit.

56 Quod verò attinet ad locum ex Alpheno adductum, fateor identitatem ibi allegatam iudicij, legionis, populi, & nauis esse tantum moralem, ac per solam interpretationem, seu fictionem iuris, secus verò physicam, & rigorosam. Id quod egregie declarat Alexander ab Alexandro lib. 3. dier genial. c. 1. occasione scilicet eius quæstiunculæ, an nauis, qua Theseus fertur in Cretam delatus, quæque Athenis vsq; ad tempora Demetrij Phalerei seruatur, esset eadem, cum semper nauis Thesei diceretur, vel diuersa, eo quod pristina materia non constaret, sed alia in eius locum per varias ætates suffecta. Doctissimus etiam Salianus noster tom. 6. Annal. anno mundi 4035. vers. *Verum instamus*, docet tẽplum à Zorobabele ædificatum ita fuisse, cum templo Salomonico, cui substitutũ est, moraliter idem (iuxta illud Aggæi c. 2. ibi: *quis vidit domum istam in gloria sua prima*) vt alterutrum eorum ab altero numericè, ac realiter, seu physicè distingueretur. *Dicatur*, inquit, *eo loci vna domus, aut templum successiuè, aut æquiualenter: re tamen ipsa constat, esse plures domus, & plura numero templa, quando vno funditus euerso, alterum à fundamentis excitatum est: sicut plures sunt numero homines Filius, & Pater, licet legamus in scriptura* (Eccl. c. 30.) *mortuus est Pater eius, & quasi non est mortuus; similem enim reliquit sibi post se*, &c. Et verò res est per se clara, & manifesta, vtvt ab antiquis Sophistis fuerit in vtramque partem prolixè disputata.

57 His constitutis admitto, per identitatem hominis secum ipso pro diuersis temporibus explicari ab Alpheno, & aliis Iureconsultis identitatem iudicij, legionis, populi, & nauis. Hinc tamen haud sequitur, priorem illam identitatem ad instar huius posterioris esse debere tantum moralem, & non omnino physicam. Haud enim oportet exemplum indefectiuè assimilari, haud, quod perinde est, in omnibus proportionari ei, pro cuius adducitur explicatione: alias non esset exemplum, aut simile, sed idem, vt notant B. Tho. 3 p. q. 2. art. 6. ad. 1. & Damasc. lib. 3. fid. c. 26. ad fin.

Caput V.

Proponuntur, ac soluuntur communia aduersus nostram sententiam argumenta.

58 TOtum substantiale, & per se resultans ex partibus essentialibus corporis naturalis realiter adæquatè ab iis non distingui, contràquam hactenus probare conati sumus, censent Auerroes comm. 17. Boëtius de Trin. c. 3. & Alexand. Simplicius, Themistius, Philoponus, & Niphus. Item Greg. in 1. dist. 24. q. 1. art. 1. Durandus in 3. dist. 2. q. 2. Paludanus ibid. dist. 1. q. 1. Ioannes à S. Thoma q. 6. Phys. art. 2. & ex nostris Suarez disp. 36. Met. sect. 3. n. 9. & seq. Tolet. lib. 1. Phys. q. 6. Rubius lib. 1. phys. c. 3. q. 1. num. 66. Hurtad. d. 6. phys. sect. 1. Tellez disputat. 20. phys. sect. 3. Ouiedo contro. 5. punct. 1. Arriaga disp. 4. sect. 1. Franciscus Alphons. disp. 6. sect. 2. Eandem sententiam problematicè tuentur Conimb. & Pereira superius citati.

59 Pro ea autem, & aduersus nostram, verioremque argui solet primò, in hunc modum. Si totum substantiale, & per se, homo v. g. esset quid realiter adæquatè distinctum à suis partibus, in iisque formaliter non consisteret, profectò esset quid simplex, & non compositum: at homo non est quid simplex, sed ex anima, & corpore compositus, vt per se manifestum est, vtque nos etiam fassi sumus: Ergo &c. Sequela probatur: quia illud est simplex, quod formaliter nullas habet partes: homo autem, qualis à nobis adstruitur, nullas habet formaliter partes; siquidem à quibusuis partibus realiter distinguitur: qui ergo fieri potest, vt non sit quid simplex. Et quidem ea ratione Angelus simplex est, quia ab omni collectione partium realiter distinguitur. Respondeo, simplex id dici, quod nullas habet partes, vel ex quibus resultet, vel in quibus consistat: qua ratione Angelus simplex est, quia vtroque modo partium expers est; & qua ratione iuxtà plerosque aduersarios punctum materiale est, non quia partes continuas formaliter, & per identitatem includit, sed quia eas respicit, atq; intrinsecè cõnotat. Quandoquidem igitur homo, quantũlibet à partibus suis realiter distinctus, ex iis resultat, sanè cõpositus, & non simplex censendus, atque appellandus est.

Argues secũdò. Illud est totum substantiale, & per 60
se ex animo rationali, corpore, & vnione coalescens, quod est principium sentiendi, & discurrendi, siue animal rationale: sed huiusmodi principium est præcisè anima, corpus, & vnio: circunscripto enim quouis alio, eo ipso quod materia, & anima rationalis inuicem vniantur, intelligitur principium sufficiens sentiendi, & discurrendi, cum anima sensiones efficere, & materia eas recipere possit; eademque anima dependenter à sensibus per se, vel per intellectum sibi cognatum intelligere, siue discurrere possit. Respondeo, totum substantiale, ac per se ex collectione partium hominis consurgens est principium sentienti, & discurrendi, *vtquod*, non verò *vtquo*: at collectio partium hominis non est principium sentiendi, & discurrendi, *vtquod*, sed præcisè, *vtquo*: siquidem, vt fert communis paræmia, actiones sunt suppositorum, solaque hæc, *vtquod*, operantur: atqui collectio partium hominis, etiam iuxta aduersarios, suppositum non est. Quod autem non omne principium sentiendi & discurrendi debeat eo ipso esse homo, ad homines ita ostendo: quia potentiæ hominis sunt principium sentiendi, & discurrendi; & tamen iuxta non paucos aduersarios haudquaquam sunt homo, sed eius accidentia, & proprietates: quamuis ergò in præsenti, &c.

Argues tertiò: si homo distingueretur realiter adæ- 61
quatè à suis partibus collectim sumptis, & è conuerso; partes hominis de eius essentia non essent: siquidem nihil potest esse de essentia eius, à quo realiter distinguitur: alias lapis de essentia Angeli esse posset: quare, si partes hominis ab eo realiter distinguuntur, ei essentiales esse non poterunt. Respondeo, essentiam metaphysicam rei ab ea realiter distingui non posse; secus verò essentiam physicam: quod ad homines contra aduersarios ostendo: nam partes essentiales metaphysicæ, seu logicæ, sicut inter se ratione distinguuntur, sic etiã à toto ratione saltem ratiocinante. distinguuntur: ergo partes essentiales physicæ, sicut inter se realiter distinctæ sunt, ita etiam à toto realiter distingui poterunt. At in præsenti sermo èst de partibus physicis hominis, & cuiusuis alterius compositi naturalis, non verò de metaphysicis, aut logicis, adeóque de essentia non hoc posteriori, sed tantum priori modo sumpta. Proinde, &c.

Paulo aliter etiam responderi potest, in hunc scili- 62
cet modum. Aliud est esse essentiam rei, aliud esse de essentia rei, si cum rigore, & proprietate loquamur;

quod eſt eſſentia rei, ab ea quidem realiter nequit diſtingui: at verò quod eſt de eſſentia rei, ſiue quod perinde eſt id, ex quo eſſentia rei realiter reſultat, à re realiter adæquatè diſtingui poteſt; vt vel ex contraria ſententia demóſtrari poteſt: ſiquidem quæuis pars eſt de eſſentia totius, & tamen quæuis ſeorſim ab alia diſtinguitur realiter à toto, & cum eo nequit realiter adæquatè identificari: cum ergo partes phyſicæ ſimul ſumptæ non eſſentia compoſiti, ſed ſolum de illius eſſentia ſint, mirandum non eſt, ſi à toto ſuo realiter adæquatè diſtingui poſſint. Aut, ſi mauis, reſponde, quod eſt de eſſentia alicuius in recto ſumpti, id ab eo diſtingui non poſſe, ſecus verò, ſi ſumatur in obliquo: partes autem hominis ei non in recto, ſed quaſi in obliquo ſumpto dici poſſe, & debere eſſentiales.

63 Argues quartò: compoſitum includit formaliſſimè compoſitionem; ſicut album albedinem: at compoſitio eſt vnio partium: ergo compoſitum omne includit formaliſſimè vnionem partium, ac proinde partes ipſas, quæ homini, & cuiuis alij compoſito, non minus ſaltem quam vnio, ſunt intrinſecæ. Reſpondeo: compoſitum eſt, quod habet compoſitionem, ſiue in ea conſiſtat, ſiue ſolum ex illa reſultet, eamque eſſentialiter connotet: ſicut viuens eſt, vel quod in vita conſiſtit, eamque formaliter includit, vel quod vitam in obliquo tantum connotat, eamque eſſentialiter reſpicit: qua ratione viuens aliud eſt in actu primo, aliud in actu ſecundo: vnde compoſitum vt ſic non ſe habet ad compoſitionem, vti album ad albedinem, aut veluti vnitum ad vnionem, ſed ſolius compoſiti per accidens ea proportio propria eſt. Erit etiam, qui dicat, compoſitum vt ſic includere formaliter compoſitionem, ſiue vnionem: cæterùm hominem v.g. non eſſe compoſitum formaliter, ſed plerumque reſultanter aut cauſaliter: de quo infrà.

64 Argues quintò. Quæcunque iiſdem partibus conſtant, eo ipſo ſunt realiter idem: ſicut è cõtrario quæcunque diuerſis realiter partibus conſtant, nequeunt non eſſe realiter diuerſa: qua ratione homo, & equus realiter diſtinguntur, ac differunt inuicem. At hinc collectio materiæ, animæ rationalis, & vnionis, & illinc homo ex iis coaleſcens proculdubio conſtant iiſdem partibus: homo igitur, & ea collectio erunt realiter idem. Reſpondeo: quæcunque iiſdem partibus conſtant, ſi iis cum proportione, & eodem modo conſtent, realiter ſunt idem: ſecus verò, ſi abſque proportione, & diuerſo modo ex iis coaleſcant. Quando igitur homo partibus ſuis ita conſtat, vt ex iis reſultet, non in iis formaliter conſiſtat; collectio verò partium hominis in partibus formaliter conſiſtat, & ex iis non reſultet, ſanè homo à collectione partium ſuarum diſtigui realiter poterit, ac debebit.

65 Argues ſextò, ab auctoritate Ariſt. 2. de anima c. 1. ibi: *anima, & corpus eſt animal, ſicut pupilla & viſus eſt oculus*; cui ſimilia habet quinto Met. text. 31. & 4. phyſ. text. 33. Conſentit Athan. in ſymbolo inquiens: *Sicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo*, &c. Et Aug. 7. de Trinit. c. 4. ibi, *homo nihil aliud eſt, quam anima, & corpus*: quo eodem modo loquitur lib. 9. de ciuit. Dei, c. 3. & tom. 2. epiſt. 174. c. 3. in eius principio. Verum inprimis inſtatur argumentum. Si cuius enim roboris eſt. id probat, nullo modo, & ne realiter inadæquatè diſtingui hominem à corpore & anima. Conſequens autem eſt abſurdum, vel iuxtà ipſos aduerſarios: quippe qui non renuunt, hominem in ſuo cõceptu præter corpus, & animam vlterius inuoluere ſubſiſtentiam realiter diſtinctam. Abſolutè reſpõdeo, propoſitionem illam Ariſtotelis, Athanaſij, Auguſtini, aliorumq; Patrum, & Philoſophorum, in qua dicitur, hominẽ eſſe corpus, & animam, accipiendam eſſe in ſenſu cauſali, non verò in ſenſu formali, & identico: quare eam nullum nobis negotium faceſſere.

Confirmatur & declaratur. Nam ſapientia eſt quid 66
diſtinctum à quouis affectu voluntatis, & potius ad intellectum pertinet, vt vel ex ipſo nominis eius vſu vulgari conſtat, vtq; ex ſacris litteris patet: ſiquidem cũ Sapient. c. 7. dicatur: *Optaui, & datus eſt mihi ſenſus: inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ*; ſtatim additur, *& propoſui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile eſt lumen illius*. Quis autem neſciat, lumen, lucemque ad intellectum formaliter pertinere? quocirca meritò dixit Aug. ſer. 3. de tempore; *Anima viuit, ratio ſapit, nam ſapientia ad rationem pertinet, & ratio ſola ipſam ſapientiam ſuſcepit*. Hæc quamuis ita ſint, & ſapientia ab affectu quouis noſtræ voluntatis diſtinguatur; tamen in multis propoſitionibus ſapientia de voluntatis affectibus prædicatur, & è cõuerſo; nimirum in ſenſu cauſali, eò quod pios in voluntate affectus excitet. Sic c. 28. Iob. dicitur; *ecce timor Domini ipſa eſt ſapientia*: aut iuxtà aliam verſionem, *pietas ipſa eſt ſapientia*. Sic etiã Aug. epiſt. 120. de grat. noui teſtamenti c. 20. inquit; *Sapientia eſt charitas Dei, nec diffunditur in cordibus noſtris, niſi per ſpiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*. Quemadmodum ergò hæ, & aliæ ſimiles propoſitiones, quæ paſſim habentur in ſcripturis, & Patribus, ſunt veræ, non in ſenſu formali, ſed in ſenſu cauſali; ita ſimiliter, cum dicunt Patres, & Philoſophi, hominem eſſe corpus, & animam, eiuſmodi propoſitio ſumi poterit, non in ſenſu formali, ſed tantum in ſenſu cauſali: neque neceſſe erit propterea, vt totum ſubſtantiale phyſicum ſuis cum partibus realem ſortiatur identitatem.

Confirmatur, & declaratur hoc ipſum iterũ. Nam- 67
que Ioan. 11. dicitur: *Ego ſum reſurrectio, & vita*. Et tamen in ſenſu cauſali, non formali, vt per ſe patet, vtque Patres, & interpretes ſuper eum locum docent: præſertim verò Hieron. in Iſaiam c. 26. ibi: *Qui iniquitate mortuus eſt, atque peccatis antequam viuificetur, iuſtitia, atque virtutibus per eum qui dicit, ego ſum vita, viuere non poterit?* Et Cyrillus Alex. lib. 1. Geneſ. circa finem ibi; *Quia de ſpiritu ſancto dedit nobis; ergò ipſe eſt vita noſtra, ipſe noſtra iuſtificatio*. Similiter ergo in præſenti, &c.

Rurſus 1. Pauli ad Corinth. 1. dicitur; *Ex ipſo autem* 68
vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. Quas tamen propoſitiones in ſenſu cauſali accipiendas eſſe docent Patres, & Catholici omnes: præcipuè verò Theologi ſcholaſtici, & Controuerſiſtæ ita eas intelligunt, aduerſus hæreticos noſtri temporis: vide inter alios Cardin. Bellarm. lib. 2. de iuſtificatione per totum, & P. Suarez tom. 3. de grat. lib. 6. 7. & ſeq. ac præſertim c. 7. lib. 7. Præterea cum Dauidis Pſal. 70. dicitur; *tu es patientia mea*, hæc propoſitio, in ſenſu cauſali, non verò in alio vera eſt, vt ex eodem Dauide Pſal. 61. colligit Aug. lib. 15. de Trin. c. 17.

Quid plura? Mathematici communiter definiunt, 69
lineam eſſe fluxum pũcti, vt videre eſt apud noſtrum Chriſtophorum Clauium lib. 1. elementorum Euclidis n. 2. At ea propoſitio non eſt vera, niſi in ſolo ſenſu cauſali; vt perinde dictu ſit, ac lineam eſſe veſtigiũ illud, quod punctum fluxu, ac motu ſuo cauſat, aut cauſare poteſt. Quo etiam ſenſu definiunt, ſuperficiem eſſe fluxum lineæ in tranſuerſum motę, id eſt veſtigium ex tali motione lineæ relictum, cauſatũque. Quæ omnia cum ita ſint, quid eſt, quapropter etiam propoſitio nobis obiecta accipi non poſſit, debeatque in ſenſu cauſali?

CAPVT

CAPVT VI.

Communibus aduersùs nostram, & veriorem sententiam argumentis alia quædam specialia adjcio.

70 ARgues septimò & communia argumenta superius posita confirmabis. Si totum substantiale, & per se v.g. homo à partibus suis realiter adæquatè distingueretur, & ita ex iis partibus resultaret, vt ex aliis numero partibus resultare suapte natura posset, vti suprà edocuimus; sanè idē numero homo, qui in hac vita agebat, cum alia numero materia etiam adęquatè sumpta resurgere posset. Consequēs autem absurdum est: siquidem ex eo præcisè colligitur quemuis hominem cum eodem numero corpore, quo in hac vita gaudebat, postea resurrecturum, quia idem numero homo resurrecturus est: at ea collectio nulla esset, si cum alio numero corpore posset idem homo numero resurgere.

71 Respondeo, cum iisdem numero corporibus, quibus in hac vita gauisi sumus, omnes resurrecturos: nō quia iidem numero, qui antea, futuri sumus (hæc enim causalis est falsa, cum hic mumero homo determinatum numero corpus minimè postulet) sed quia absolutè resurrecturi sumus: resurrectio autem propriè sumpta non nisi eiusdem corporis esse potest; vt explicāt Greg. in c. 19. Iobi lib. 14. c. 17. ibi: *Non rectè resurrectio dici potest, vbi non resurgit, quod cecidit.* Et Damascenus lib. 4. de fide c. 28. ibi: *Resurrectio nihil aliud est, quam secunda eius, quod cecidit, surrectio.* Ex quo efficitur, vt ipsum illud corpus, quod interit, & dissoluitur, tandem interitus expers ad vitam rediturum sit. Confirmatur: quia in verbis Iob suprà laudatis, aliisque sacri instrumenti locis expresè asseritur, omnes resurrecturos cum iisdem numero corporibus: imò expressius hoc asseritur, quam quod iidem numero etiam physicè resurrecturi sumus: cur ergo illud prius ex hoc posteriori colligatur?

72 Argues octauò ex nostra sententia sequi, sine hac materia, forma, & vnione hunc numero hominem v.g. Petrum, diuinitus esse posse. Consequens autem videtur valde absurdum. Respondeo tamen, hoc argumentum vel eodem, vel certè non absimili modo contra aduersarios militare: siquidem non magis inconueniens, aut inuerisimile est, Petrū diuinitus esse posse absque hoc numero corpore, anima, & vnione, quam vicè versa hoc numero corpus, hanc numero animam, & vnionem simul sumpta absque Petro reperiri posse: at hoc secundum aduersarij fatentur, nimirū si corpus, animam, & vnionem Petri absque illius subsistentia Deus conseruet, eamq; vel nulla subsistentia, vel certè aliena terminet: Cur ergo illud prius renuant. Quid? quod iuxtà nō paucos separabilitas realis haud sit necessariò coniuncta cum distinctione reali etiam in rebus creatis: sicut neque cum ea cohæret in diuinis, vt patet in Patre æterno, & filio realiter distinctis, & tamen inseparabilibus inuicē. Quare tametsi distinguatur realiter adæquatè Petrus v.g. à suis partibus simul sumptis, & vnitis, haud propterea consequens est, vt ab iis possit diuinitus separari, aut sine iis, ac præsertim sine anima sua reperiri.

73 Argues nonò, ex nostra opinione sequi Christum non esse hominem eiusdem speciei nobiscum: siquidē totalitas illa substantialis, & per se, siue integritas partium, in qua ratio hominis vnicè à nobis collocatur, diuersæ speciei est in Christo, nobisque: quippe in illo infinita, nec aliud, quam eius subsistentia increata, vt inferius exponemus, in nobis verò finita, vt per se manifestum est. Respondeo; vt duo sint diuersæ speciei, satis est ea in aliquo constitutiuo specie cōueniant, vt cernere est in homine, & equo, qui eadem materia, & diuersa forma substātiali constituūtur, ac propter hanc diuersitatem, non obstante illā identitate, & conuenientia, diuersæ sunt speciei. At Christus, & reliqui homines, etiā iuxtà aduersarios, in aliquo cōstitutiuo hominis specie differunt, nimirū in subsistētia: igitur aduersarij eodē argumēto, quod nobis obiiciūt, premuntur. Omnibus ergo fatendū est, Christū alioſque homines solum specie cōuenire, ratione naturæ hnæ, actiuæ, & passiuæ, videlicet corporis, & animæ rationalis; quod nos vltrò largimur. Sed de hoc fortassis plura inferius.

Argues decimo. Si totum substantiale, & per se esset realiter adæquatè distinctum à suis partibus, sanè homo v.g. esset perfectior anima rationali, & simul esset ea imperfectior. Consequens est absurdum: ergo & illud ex quo sequitur. Sequela quoad priorem contradictionis partem probatur: nam omne totum est maius, perfectiúsq; sua parte: quod est principium mathematicum, & adeo euidens, vt nihil suprà: at homo est totum substantiale, & per se ex corpore, & anima rationali vnitis, tanquam ex partibus, resultans: nequit igitur non esse perfectior qualibet earum partium, ac proinde animali rationali. Posterior autem contradictionis obiectæ pars suadetur: siquidem illud totum substantiale, & per se, quod ex partibus hominis resultat, est materiale, & corporeum, vtpote à corpore essentialiter pendens, & cum eo cohærens: anima nostra est immediatè intellectiua, & libera, immortalis, &c. quæ tamen denominationes in illud totum non cadunt. Eiusmodi ergo totum est imperfectius anima rationali, atque adeo homo in eo toto consistens, & ab eo indistinctus nequibit non esse imperfectior anima rationali, qua constituitur. 74

Respondeo, totū omne est extensiuè maius, & perfectius, quauis sua parte, quia continet plures perfectiones, quam quælibet sua pars, videlicet suam perfectionem, & partium suarum perfectiones: eius autē quælibet pars non continet perfectionem totius, eo quod pars in toto, non hoc in parte saltem eadem proprietate contineatur, nec etiam alterius compartis perfectionem continet, aliàs vtraque pars esset mutuo continens aliam, & ab ea contenta, quod tamen falsum, imò ridiculum est: quo fit, vt quæuis pars solam suam perfectionem contineat, ac proinde toto suo extensiuè minus, imperfectiúsque sit, non èconuerso. Cæterum intēsiuè totum omne quauis sua parte perfectius esse non debet, sed potius aliquando ea esse potest imperfectius. Etenim aliquod totum nempe substantiale, ac per se causatur à sua parte, eiusque effectus est: cum ergo effectus causa imperfectior esse possit, quid mirum, si præfatum totum parti alicui suæ perfectionis gradu possit decedere? Quod autem Suar. disp. 15. Met. sect. 7. à n. 6. & Caberus tom. 1. phys. tr. 1. disp. 6. dub. 2. docent, solas causas extrinsecas esse posse intēsiuè perfectiores suis effectibus, non verò causas intrinsecas id absque fundamēto, & authoritate dicitur. Tum etiam in Deo collectio trium personarum est quoddam totum, & quasi complexum respectu cuiusuis personæ seorsim sumptæ: at ea collectio intensiuè perfectior non est qualibet parte sua seorsim sumpta: nec enim tres personæ diuinæ maius quid, aut perfectius sunt, quam vna sola: ergo, &c. Quod ibi infinitas sine distinctione præstat, cur obsecro id ipsum hîc distinctio sine infinitate præstare nequeat? Deniq; etsi totum actuale logicum quauis parte sua magis perfectum sit, intensiuè loquendo; homo enim animali & rationali seorsim vsurpatis ita est perfectior; cæterùm totum potentiale logicum quauis sua parte intensiuè perfectius non est: animal enim explicitè sumptum haud adeo perfectum est, ac homo, qui eius pars subiectiua est, nedum magis perfectum. Ex quibus 75

patet, totum substantiale,& per se vno sensu esse debere perfectius quauis sua parte, & alio esse posse & debere ea imperfectius, ac proinde hominem, qui eiusmodi totius rationem obtinet,ita esse vno intellectu,nimirum extensiuè,perfectiorem anima rationali, vt alio intellectu,videlicet intẽsiuè,sit quid ea imperfectius. At in hoc,quod duorum extremorum alterutrum sit altero perfectius,& imperfectius, æquiuocè, & vt dici solet aliter, atque aliter, nulla esse potest contradictio terminorum.

76 Replicabis:ergo homo vt homo,& prout condistinctus à suis partibus erit imperfectior,intẽsiuè saltem, forma equina v.g.cum hæc se ipsa immediatè sentire, appetere,quaqua versus moueri,& mouere possit;nihil autem horum possit immediatè totum illud, quod hominem nuncupamus, sed duntaxat per denominationem quandam satis remotam à corpore,& anima à se distinctis desumptam.Consequens autem quis non videat dignitati hominis non parum derogare.

77 Respondeo: in primis ea perfectio formæ equinæ, proximè supra explicata, vtvt homini non conueniat, aliunde tamen in homine compensatur, imò superatur:per hoc videlicet, quod homo mediatè saltem eas operationes, aliásque perfectiores eliciat, cuiusmodi sunt intelligere,& velle naturaliter,ac supernaturaliter,& vtroque modo Deum,atque entia spiritualia attingere. Sic anima nostra est longè perfectior potentiis animæ equinæ,licèt hæ per se,illa verò per potentias distinctas operetur, iuxtà probabilẽ plurimorum sententiam: non alia certè ratione nisi quia nostra anima mediatè intelligit,amat &c. Deinde respondeo ad replicam,non improbabile esse animam quæcumque sit,non sentire,neque appetere cum dependentia immediata à materia, sed potius à toto corporeo, & hoc sensiones, atque appetitiones ab anima effectas simul etiam efficere, & recipere: quo fiet vt homo perfectiones illas sentiendi, & appetendi, aliasque similes æque immediatè, ac forma quæuis materialis equi, aut alterius animalis sibi vendicet: Non est ergò cur ab vlla quoad perfectionem superetur.

78 Et quidem totum physicum substantiale, & per se intensiuè esse imperfectius, ignobiliúsque vt dixi, forma substantiali,qua constituitur, sententia est Aristotelis 7. Metaph.text.7.& 8.quam cum eo sequuntur Commentator ibidem, & Zimara theoremate 10. atque apud eum Linconiensis.Verba Philosophi loco citato sic habent: *quare si species* (id est forma) *materia est prior, & magis ens, & ipso, quod ex vtrisque prior erit propter eandem rationem.* Vnde fit è conuerso,quod ex vtrisque, siue compositum, esse posterius materia,& minus ens,quam illam.

79 Respondent tamen primò Scotus in præsenti digressione licèt non in principali quæstione nobis contrarius, & Albertus Magn.ac Iauellus, sermonem esse Philosopho de prioritate causalitatis, non vero perfectionis, cum dicit formam esse priorem composito, seu toto substantiali. Contra tamen est,quia Arist. adducto loco eadem ratione docet,formam esse priorem composito,quo prior est,quã materia:ab hac enim eius prioritate ad illam priorem prioritatem arguit. At formam respectu materiæ docet esse priorẽ prioritate, non solius causalitatis,sed etiam perfectionis,vt patet ex ea particula, *magis ens*, qua vtitur comparans formam cum materia:quod autem eam non repetat postea conferens formam cum cõposito,nihil refert:haud enim nisi breuitatis causa eam ibi omittit, vt perspicuum est,vtque optimè docetP.Suar.cit.disp.15.Met. s.7.n.8.Adiice.formam non esse verè causam materię: non ergò est iuxtà Arist.prior forma quoad causalitatem vllo modo sumptam, nedum solam, sed quoad perfectionem,vt dictum est.Ergo de eadem prioritate perfectionis loquitur,præferens formam composito.

Secundò respondent Alensis,& Soncinas,Philoso- 80
phum vbi suprà, hoc tantum sibi velle formam substantialem, vt est perfectior materia, eatenusque illa prior, ita etiam perfectiorem esse composito: at non simpliciter,sed secundum quid, eo nimirum quod sit simplicior composito,minusque potentialis. Sed hæc etiam expositio reiicitur à P.Suarez,vbi suprà,mihiq; displicet:quia forma substantialis perfectior absolutè, quam materia adstruitur à Philosopho,vt ex eius contextu liquet,vtque concedunt aduersarij:quandoquidem ergò quoad prioritatem perfectionis comparat formam,& compositum inter se,nõ aliter ac formã & materiam, sanè non secundum quid, sed absolutè, & simpliciter præferre censendus est formã composito.

Tertiò respondent Simplicius,ac P.Suar.iterum,at- 81
que iterum citatus, versionem antiquam Philosophi, in qua quæ protulimus verba habentur, vel auctoris, vel certè scriptorũ imperitia in eo errare, quod ablatiuum,*ipso*,ponat pro accusatiuo, *ipsum*. Et quidẽ pro particula,*ipso*,ponendum esse accusatiuum,*ipsum*, cõstat ex versione Argiropoli,quæ talis est:*si forma prior materia est,& magis ens,illud quoque,quod ex ambobus est prius erit ob eandem rationem.* Hæc autem verba, necnon quæ ex antiqua versione producta sunt, si ad normam Argiropolitanę versionis emendentur,magis suadent,compositum esse perfectius,priusque forma, quam èconuerso.At neque hæc solutio mihi placet.A principio enim vnde colligit, errare versionem antiquam? Vnde hanc corrigendam esse ex Argiropolitana,& non è diuerso? Deinde ex aliis locis Aristotelis suprà pro distinctione totius à partibus coniũcta cum eius,prout comparati ad formam, minori perfectione intensiua, satis constat, antiquæ lectionis verba non pugnare, sed potius consentire cum mente Philosophi,adeoque illa non esse mutanda,sed retinenda.

Hactenus solutio decimi argumenti,cõtra nostram, 82
verioremque sententiam. Aduersùs quam vlterius etiam argui potest,ex eo quod Christus, sit totum substantiale,& per se,& tamen non realiter distinctum à suis partibus, humanitate scilicet assumpta, & Verbo diuino:neque non etiam ex eo,quod totum accidentale v.g. album haud possit realiter distingui à suis partibus simul sumptis,& vnitis:ac denique ex hoc,quod talis distinctionis à suis partibus incapax sit totum continuatiuum,siue integrale.Verum hæc argumenta longiorem postulant enodationem, quam vt hoc capite tradi possit,aut debeat:idcirco tribus capitibus sequentibus eam exhibere animus est.

Caput VII.

An non solum totum substantiale,& per se creati ordinis, sed etiam ordinis diuini distinguatur realiter adæquatè à suis partibus?

Censeo, posterius hoc totum substantiale non di- 83
stingui realiter adæquatè à suis partibus, more illius prioris. Quod sic probo. Christus Dominus est totum substantiale, & per se diuini ordinis:at non distinguitur realiter adæquatè à suis partibus, nempe à subsistentia Verbi,materia,& anima rationali,earumque vnione assumptis,sed potius in his omnibus formalissimè consistit: ergo,&c. Maior probatur ex decretali Alexandri Papæ III. in Concilio Lateranen- p.49. cap.20. vbi hæc habentur verba; *Cum Christus sit perfectus Deus, & perfectus homo, qua temeritate audent quidam dicere*, quod Christus secundum quod

est

est homo non est quid? Est ergo iuxtà definitionem Alexandri Christus Dominus formaliter quid, siue ens totúmve substantiale, ac per se prout est homo ex natura humana, & subsistentia diuina coalescens, ac proindè quatenus Christus. Et quidem iuxta phrasim Pontificis aliquid esse formaliter quid perinde est, atque esse quidpiam substantiale, & per se, vti ex eo patet, quod è contrario idem sit quidpiam de aliquo dici in quale, & non in quid, ac de illo per accidens prædicari, vt omnes fatentur, vtque liquet exemplo albi respectu hominis, aliisque id genus. Huc etiam faciunt verba beati Thomæ 3. part. qu. 2. art. 6. dicentis, *opinionem, quæ ponit in Christo vnionem accidentalem, non esse dicendam opinionem, sed hæresim in Concilijs ab Ecclesia damnatam.* Esset autem ea vnio quodammodo accidentalis, si Christus prout homo esset totum per accidens, & non substantiale, ac per se.

84 Porrò autem minorem argumenti nostri esse veram, & Christum haud esse aliquid realiter distinctum à collectione humanitatis, & Verbi docet expressis, conceptísque Verbis P. Suarez disp. 36. Metaphys. sect. 3. num. 12. ad finem & tom. 1. in 3. disp. & sect. ibi ab ipso citatis. Ac probatur, quia ob id totum substantiale, & per se finiti ordinis, tanquam quid distinctum pullulat à suis partibus essentialibus, vt eas pro posteriori intrinsecè perficiat, compleatque: at huic fini deseruire non potest totalitas vlla substantialis, & per se ex partibus Christi Domini resultans: talis ergo totalitas ex iis resultans & ab iis realiter distincta est planè commentitia. Id suadetur: quia aut ea totalitas ordinaretur ad perficiendam subsistentiam Christi, aut ad humanitatis Christi perfectionem. Prius dici non potest: subsistentia enim Christi, cum sit increata, & diuina, haud potest in tempore perfici per totalitatem vllam creatam sibi vnitam. Posterius etiam haud potest sustineri: namque, cum humanitas Christi infinitè perficiatur per subsistentiam Verbi, quæ in illa esse potest necessitas totalitatis eius creatæ, per quam perficiatur?

85 Aliter etiam probari potest minor principalis argumenti nostri: quia scilicet ideo superius à nobis statutum est, totum substantiale, & per se creati, ac finiti ordinis esse realiter distinctum à suis partibus vnitis, & simul sumptis, quoniam has oportet per illud subsistere: fieri autem nequit, quin subsistentia partium totius substantialis, & per se ab iis realiter distinguatur: hæc est potissima ratio distinctionis inter eiusmodi totum, ac partes suas adstruendæ: at ea non procedit in Christo, nec eius à suis partibus distinctionem probare potest, sed potius indistinctionem: haud enim per eam totalitatem resultantem ex subsistentia Verbi, & humanitate possent ambæ subsistere: tum quia aliàs in Christo essent duæ subsistentiæ siue personæ, alia increata, & alia creata, quod est hæreticum: tum etiam quia vna subsistentia resultaret ex alia, & faceret aliam, ex qua resultaret, subsistere; quo quid magis improbabile, & inauditum? Hucusque nostræ sententiæ circa quæstionem huius capitis titulo præfixam probatio. Ex qua claret, malè à nonnullis argui pro indistinctione reali totius substantialis naturalis à suis partibus, ex eo quod totum substantiale supernaturalis, ac diuini ordinis, nempe Christus à suis partibus realiter non distinguatur, sed potius in iis formaliter consistat.

Caput VIII.

Fit satis obiectionibus aduersus indistinctionem realem totius substantialis, & per se diuini ordinis à suis partibus?

Obijcies tamen primò contra nostram sententiam. Collectio humanitatis assumptæ, & Verbi diuini non est totum, vnumve per se: sed Christus est totum vnumve substantiale, & per se: ergo Christus non est formaliter, & per identitatem collectio partium suarum simul sumptarum, sed potius quidpiam ab iis realiter adæquatè distinctum. Minor paulò superius manet probata. Maior probatur, primò quia totum, vnumve per se, quale est homo v.g. suapte natura differt à toto per accidens, cuiusmodi est homo albus, aut aceruus lapidum, vt certo certius est: at non in alio ab eo differre potest, quam in eo quod totum per accidens in collectione plurium entitatum inuicem distinctarum consistat, totum verò per se in ea non consistat, sed ex ea resultet, eiusque integritas sit: Collectio ergò plurium partium, & entitatum realiter distinctarum est totum vnumve per accidens, & non per se, ac proinde eiusmodi totius per accidens, & non per se talis rationem obtinet collectio earum partium, quibus constat Christus Dominus. 86

Dices, in eo vtrumque totum differre, quod totum per accidens consistat formaliter in collectione plurium entitatum, vel quæ inter se minimè vniuntur, vel quæ, si vniuntur, altera substantia, & altera accidens est; totum verò per se in collectione plurium substantiarum, quæ inter se verè, & propriè, ac non per meram iuxtà positionem vniuntur. Cum ergò collectio partium Christi Domini haud sit substantiæ & accidentis, haud plurium substantiarum minimè vnitarum, sanè non erit, cur dicatur totum per accidens, & non potius substantiale, & per se. Verùm hæc solutio non satisfacit: tum quia non assignat rationem communem vniuocam totius per accidens ad hoc, & illud totum per accidens, sed rationem æquiuocam, & disiunctam: tum etiam, quia, si forma equi, & forma leonis inuicem physicè vnirentur, vnam per se formam, aut substantiam, siue, quod perinde est, totum per se non constituerent, sed potius totũ per accidens: perperam ergò dicitur, totũ per se in collectione plurium substantiarum inuicem vnitarum consistere. 87

Secundò probatur maior obiectionis cõtrariæ primo loco positæ. Nam collectio materiæ, formæ vniónísq; Petri v.g. & subsistentiæ, quæ ex iis resultat, haud est totum, siue vnum per se, sed per accidens. A fortiori ergò collectio materiæ, formæ, & vnionis Christi, & subsistentiæ eius diuinæ, cum sit collectio partium infinitè magis distantium, haud erit totum vnumve per se, sed per accidens. Consequentia videtur bona. Probatur antecedens: quia, si ea collectio naturæ humanæ Petri, & eius subsistentiæ, seu totalitatis resultantis, est totum, siue vnum substantiale, & per se; profectò erit homo: quid enim aliud esse potest? ac proinde Petrus nõ erit vnus homo, sed duplex: siquidem eius subsistentia, seu totalitas ex eius partibus pullulãs est homo per seipsam, ac præcisè à quouis alio, vt sæpè superius fassi sumus: deinde collectio partiũ, quibus cõstat, & subsistẽtiæ, seu totalitatis ex iis emergentis, est etiam homo, hoc ipso quod sit totum substantiale, & per se: at ea collectio, & subsistentia Petri distinguuntur realiter inadæquatè. Petrus ergò non vnus homo erit, sed duplex saltem realiter inadæquatè, siuè, vt aliis terminis vtar, sesqui homo, aut homo 88

hominísque dimidium: quemadmodum si in eodem corpore essent duæ animæ rationales, non vnus homo, sed quodammodo multiplex resultaret. Consequens autem est chimericum, & vel tergemini Geryonis fabula fabulosius.

89 Respondeo ad obiectionem hanc, negata eius maiori. Ad primam probationem contrariam dicendum est, totum vnumve substantiale, & per se non in eo differre à toto per accidens, quod hoc in collectione plurium partium, entitatúmque, secus verò illud, consistat: nec etiam in eo, quod alterum plures substantias vnitas, alterum verò, aut substantiam, & accidens inuicem vnita, aut plures substantias non vnitas formaliter, & per identitatem complectatur. Vtriusque ergò totius discrimen in eo stat, quod totum, vnumve per se excludat essentialiter, ac per se omnem à se pluralitatem intensiuam partium, hoc est eas partes, quæ simul sumptæ sint intensiuè plus aliquid, ac maius perfectiúsque quam quælibet earum seorsim sumpta: cum interim vnum non per se, sed per accidens talem pluralitatem partium non respuat, sed potius in ea formaliter consistat. Hinc est, Petrum v. g. (par autem ratio est cuiusuis alterius totius substantialis omninò finiti) esse totum, vnumve per se: quia cum distinguatur ab omni pluralitate partium iuxtà superius dicta, certè excludet à se etiam pluralitatem intensiuam proximè explicatam. Atqui collectio humanitatis assumptæ, & Verbi assumentis, quibus Christus Dominus constat, talis est, vt eius præfatæ partes simul sumptæ haud sint intensiuè perfectiores altera earum seorsim sumpta, nempe personalitate Verbi: quæ est enim huius perfectio summa, & simpliciter, atque in omni genere infinita, non patitur, Christum, aut collectionem partium Christi esse se intensiuè perfectiorem: quid enim summè perfecto potest esse magis perfectum? Proinde ea collectio essentialiter, ac per se excludit à conceptu suo pluralitatem intensiuam partium, & sic non erit totum vnumve per accidens sed per se.

90 Ad secundam probationem contrariam negatæ maioris dicendum est, collectionem humanitatis & subsistentiæ Petri haud esse totum per se, sed per accidens: alioqui, vt bene obiicitur in argumento contrario, Petrus esset non vnus, sed quodammodo multiplex homo. At ideò est, quia talis collectio non excludit, sed potius includit pluralitatem intensiuam partium, cum certum sit, intensiuè plus perfectionis esse in subsistentia Petri, & humanitate simul sumptis, quam in earum qualibet seorsim vsurpata: quæ est videlicet vtriusque finitas, & limitatio. Cæterùm hæc ratio non procedit in collectione partium Christi Domini, sed potius opposita: vnde ex eo, quod prior illa collectio sit totum, vnumve per accidens, & non per se, haud benè arguitur, idem dicendum esse de posteriori collectione, nempè ea, ex qua Christus coalescit.

91 Obiicies secundò, si Verbum assumeret plures humanitates, & consequenter non vnus, sed duo Christi existerent, sanè essent omninò similes, haud secus atque iuxtà nos duo puri homines in ratione hominis sunt omninò similes, eiusdémque speciei. At vnio vnius humanitatis cum Verbo, & vnio alterius cum illo essent dissimiles, ac diuersæ speciei. Neuter ergò Christus consisteret in collectione partium suarum vnitarum, sed potius alteruter esset totalitas quædam distincta à partibus suis inuicem vnitis, & ex iis resultans: alioqui ambo non esset omninò, & adæquatè eiusdem speciei: qua ratione superius cap. 2. & 3. huiusmet tractatus statutum est à nobis, Petrum, & Paulum non posse esse eiusdem omninò speciei, hoc ipso, quod vniones inuoluerent specie diuersas.

Respondeo, vbi reperitur identitas numerica in- 92
adæquata saltem, ibi desiderandam non esse vnitatem, aut similitudinem specificam: vt videre est in personis diuinis, Patre scilicet, filio, & spiritu sancto, quoad naturam diuinam siue deitatem numericè, & realiter identificatis, & tamen relatiuè dissimilibus, & quasi specificè diuersis. At, si existerent duo Christi (quod tamen posse etiam diuinitus contingere nonnulli negant) essent numericè idem quoad personalitatem, aut naturam diuinam: quid ergo refert, si non forent specificè omninò similes, sed ex parte diuersi? Cæterùm Petrus, & Paulus numericè non identificantur inuicem; nec habent, per quod compensetur eorum dissimilitudo specifica, si qua in iis admittatur: haud ergo censendum est, eos specificè vllatenus differre, sed potius quoad speciem esse omninò, & adæquatè similes. Hinc patet, maiorem obiectionis esse falsam, & eius probationem à paritate Petri, & Pauli omninò similium desumptam nullius esse momenti.

Obiicies tertiò. Christus est physicè idem, idque 93
omnino, & adæquatè, siue consideretur puer, siue vir triginta, vel triginta trium annorũ, & siue viuus, siue rediuiuus: quemadmodum, iuxtà nos, Petrus v. g. est physicè prorsus idem in quocunque statu. At Christus non easdem omninò partes materiæ habuit ineunte ætate, & ætatis suæ progressu: cum vi caloris naturalis necesse fuerit, plures in eo partes materiæ absumi, & alias in locum assumptarum acquiri, & substitui, vt in cæteris hominibus vsuuenit. Probabile etiam est, Christum in resurrectione haud resumpsisse omnem sanguinem, quem habuit, dum viuebat, sed aliquid eius sanguinis, licèt non sub forma sanguinis, sed sub alia diuersa mansisse in terris separatum à Verbo, tametsi prius ei fuerit vnitum. Ita P. Vasquez tom. 1. in 3. p. disp. 36. cap. 8. num. 42. & 43. Tum sic: Christus haud posset esse physicè idem omninò, in pueritia, & ætate magis prouecta, & antè, ac post resurrectionem, si formaliter, & per identitatem includeret suam materiam cum reliquis partibus: quippe eius materia in iis statibus est quadantenus diuersa, vt visum est. Ergo nequit formaliter, & identicè consistere in collectione partium suarum, sed potius est totalitas ab iis realiter distincta, & ex iis resultans; & sic totum substantiale & per se etiam diuini ordinis non poterit à suis partibus simul sumptis non distingui realiter adæquatè.

Respondeo, Christum aut formaliter, aut certè per 94
eminentissimam quandam æquiualentiam, æquiualentémque eminentiam, semper fuisse, & esse physicè eundem, idque omninò & adæquatè: nec aliud ad perfectionem Christi esse necessarium. Hoc autem optimè sustineri potest, tametsi Christus in diuersis statibus habuerit aliquam diuersitatem in materia prima: nam, cum in quolibet statu esset, sitque idem numero Deus, ac filius naturalis, & in diuinitate contineatur eminentissimè, & per supremam quandam æquiualentiam quidquid est perfectionis in materia, & quauis creatura; certè Christus non solùm habuit, habétq; in quocumque statu eandem formaliter animam, & diuinitatem, sed etiam eandem numero materiam, aut formaliter, aut per eminentiam explicatam.

Cæterùm Petrus v. g. dum crescit, non retinet for- 95
maliter eandem materiam, quam habuit, quando infans, puérve; nec etiam aliquas eius materiæ partes, cum quibus vixit, ac decessit, posteà resurgens formaliter obtinebit: alia verò ex parte, quod ei deperit materiæ formaliter, non manet in eo, nec manebit, per

emi

eminentiam illam, de qua proximè suprà: anima enim Petri non est causa materiæ Petreiæ, nec eam eminenter continet, nedum per supremam illam eminentiam suprà expositam, & diuinitatis propriam. Petrus ergo non esset formaliter, nec eminenter omninò, & adæquatè idem in diuersis statibus, si in materia, & cæteris suis partibus formaliter consisteret: quod tamen est absurdum. Hinc in forma ad argumentum dicendum est, eius maiorem esse falsam, quoad illam particulam, *quemadmodum*, & similitudinem in ea latentem: haud enim eodem modo, sed diuerso Christus, & Petrus habent identitatem numericam in omni statu, vt patet ex dictis. Atque ideo Christus potest esse omninò, & adæquatè idem in omni statu, esto materiam suam, & reliquas partes formaliter, & identicè includat: cum interim Petrus idem omninò in quocumque statu non possit esse, nisi à suis partibus realiter distinguatur. Vnde etiam fit, minorem argumenti esse falsam, & negandam.

96 Obiicies quartò. Christus, vt homo, non est materia, & anima rationalis formaliter, & per identitatem: at, si quo pacto esset vtraque illa pars formaliter, & identicè, non certè, nisi vt homo: constat enim illum, vt Deum haud posse cum eis identificari: haud ergo absolutè potest cum illis identificari, aut in iis formaliter consistere, ac proinde nec in earum, & personalitatis diuinæ collectione. Consequens ergo est, vt totum per se diuini ordinis, cuiusmodi est Christus, sit quædam integritas ex partibus suis resultans, & ab iis realiter adæquatè distincta. Probatur autem obiectionis primum, ac principale antecedens, ex P. Vasquez tom. 1. in 3. p. disp. 14. cap. 2. num. 32. quia si Christus, vt homo, esset formaliter corpus, & anima, siue spiritus, non esset potior ratio, cur in serie prædicamentali, sub corpore potius quam substantia spirituali collocaretur, vt homo est: imò potior esset ratio, ob quam sub substantia spirituali, & non sub corporea poneretur: qua ratione, cum Christus iuxtà nos sit formaliter aliquid viuens, videlicet anima, & aliquid non viuens, scilicet materia, tamen in serie prædicamentali sub viuente, & non substantia vitæ experti collocatur. Atqui in serie prædicamentali Christus, vt homo, sub corpore ponitur; in hunc modum: substantia, corpus, viuens, animal, homo, hic homo, nempè Christus. Asserendum ergò necessariò est, Christum, vt hominem, non esse idem formaliter cum corpore, & anima, sed totum quoddam ab illis adæquatè distinctum: quod, cum corpus, siuè quid corporeum, ac viuens sit, mirum non est, si sub illis tantum, & non sub oppositis generibus in serie prædicamentali constituatur.

97 Hoc argumento vtitur P. Vasquez vbi suprà ad probandam distinctionem realem, non inadæquatam, vt aliqui malè putant, sed adæquatam totius substantialis finiti, Petri, v. g. à suis partibus. Cæterùm mihi elumbe videtur. Siquidem Christus, vt homo, continetur sub corpore substantiali completo, siue animato, aut, quod perinde est, sub substantia corporea completa, & animata: quis autem non videat, eum, vt hominem, contineri posse sub tali substantia, tametsi, vt homo, non tantum materiam, sed etiam spiritum, siue animam rationalem per identitatem inuoluat? quasi verò anima spiritualis non sit verè anima, aut tollere possit ab eo, quod illam identice includit, ne sit substantia simpliciter animata. Et quidem, vt potest contineri sub viuenti, quamuis materiam primam formaliter includat, quia nimirum materia prima ita secundùm se præcisè non viuit, vt cum anima constituat viuens completum; ita similiter, tametsi includat formaliter, & identicè animam rationalem, quæ spiritus est, non corpus, poterit tamen comprehendi prædicamentaliter sub corpore completo, nimirum quia hoc potest anima quantumuis spirituali constituì. En cur Christus, vt homo, etsi formaliter, & identicè inuoluens animam spiritualem, tamen possit comprehendi in serie prædicamentali sub corpore vtique completo.

Porrò cur non possit sub spiritu, aut substantia spirituali prædicamentaliter comprehendi, facilè est ex dictis: cum enim ita comprehendatur sub substantia corporea, aut corpore, quî fieri potest, vt simul spiritui, seu substantiæ spirituali subiiciatur? nisi verò idem secundum idem possit esse sub diuersis, oppositisque generibus: quo nihil magis falsum. Adde, spiritum completum consistere in independentia à corpore, & eius exclusione, vt omnibus est in confesso? quis enim non iuxtà habet spirituale, & incorporeum? At corpus per independentiam à spiritu, eiusque exclusionem non est è conuerso explicādum: talis enim explicatio circulus vitiosus esset: cùm ergo Christus, vt homo spiritu incompleto, nempè anima rationali, formaliter, aut identicè ita consistet, vt simul includat eodem modo materiam corpúsve, sanè haud poteritpræ dicamentaliter poni sub substantia spirituali completa, quippe, vt dictum est, corporeitatem omnem à suo conceptu formaliter excludente. 98

Obiicies quintò. Christus non est totum substantiale, & per se. Quanquam ergò Christus non distinguatur à suis partibus simul sumptis, & vnitis, haud propterea consequens est, vt totum aliquod substantiale, & per se etiam diuini ordinis distingui debeat à collectione partium suarum. Antecedens suadetur primò; ex eo quod communiter dici solet; *ex duobus entibus in actu non fit vnum per se*: aut enim huius axiomatis sensus est, quem præcisè præseferunt verba, vt interpretantur Thomistæ: & sic non potest Christus esse vnum, totúmve per se: quo pacto, iuxtà præfatos Authores, si materia, & forma hominis v. g. habent proprias existentias, & sunt duo entia in actu, certè humanitas ex eis resultans non poterit esse totum, vnumve per se: Aut eius paræmiæ sensus ex parte latet, & subaudiri in ea debet aliquid, vt idem valeat, ac si dicamus, ex duobus entibus in actu completo totum, vnumve per se non posse resultare: & sic etiam videtur, Christum haud posse esse totum, vnumve per se; cum subsistentia Verbi, qua constat, sit ens actu completum, taléque etiam sit humanitas à Verbo assumpta. 99

Secundò probatur eiusdem obiectionis quintæ antecedens: quia illud totum nequit non esse per accidens, cuius vna pars se habet per accidens respectu alterius: at Christi pars quæuis se habet per accidens intuitu alterius: ergo Christus est totum per accidens, & consequenter non substantiale, & per se. Minor probatur: quia quæ ad se non ordinantur primario, ac per se nequeunt non se habere per accidens inuicem: sed partes Christi ad se non ordinantur primario, & per se: nec enim subsistentia Verbi potest habere pro fine ad quem primariò, ac per se ordinetur, humanitatem Christi, aut aliam creaturam; pro fine, inquam, *cui*, siue ad cuius perfectionem destinetur, de quo solo fine sermo est: ità enim creaturam aliquam esse finem Verbi, aut alterius personæ diuinæ, in qualibet esset maxima imperfectio: haud etiam humanitas assumpta ordinatur per se, aut ex natura sua ad Verbum, sed ad propriam subsistentiam: quippe quam solam naturaliter depoſcit, & in communionem vnius suppositi vocat. Proinde, &c. 100

101 Reſpondeo negato antecedenti. Ad primam eius probationem dicendum eſt, eius parœmiæ, *ex duobus entibus in actu, &c.* ſenſum eſſe, ex duobus entibus in actu non poſſe fieri vnum ens per ſe, quod in iis formaliter, & per identitatem conſiſtat: id tamen intelligendum eſſe, & tanquam verum admittendum, tum ſolum, quando entia in actu ſimul ſumpta excedunt intenſiuè perfectionem totius: atque hac de cauſa collectionem materiæ, & formæ vnitarum inuicem non eſſe ens vnum per ſe formaliter, ſed tantum eius principium. Cæterùm collectio partium Chriſti non excedit intenſiuè perfectionem vnius partis, qua conſtat, nempè Verbi: non eſt ergo cur talis collectio, quamuis ſit duorum entium in actu, non ſit vnum, totúmve per ſe. Adiice, collectionem partium Chriſti non eſſe duorum entium in actu vltimè completo: propterea, quod humanitas Chriſti haud ſit per ſe vltimò completa, ſed vlterius indigeat compleri per ſubſiſtentiam propriam aut alienam: vnde ex hoc etiam capite Chriſtum & collectionem partium eius excludi poſſe à ratione entis, vniúſve per accidens, & inter entia per ſe debere numerari.

102 Ad ſecundam probationem negati antecedentis dicendum eſt, vnius per ſe perfectam ſitam non eſſe in relatione vnius partis ad aliam, tanquam ad finem primarium, ſed in eo, quod vnum per ſe, excludat ſeipſo à conceptu ſuo omnem pluralitatem intenſiuam partium: talis autem excluſio reperitur in Chriſto: quid mirum ergo, ſi ſit vnum per ſe, vtvt eius partes non ordinentur ad ſe inuicem, nec pro fine principali habeant ſe mutuo perficere, aut afficere. Obiici etiam poteſt ſextò contra noſtram ſententiam hoc capite propoſitam, partes Chriſti Domini eum conſtituere: nihil autem ſeipſum poſſe conſtituere, aut intrinſecè cauſare: partes ergò Chriſti non eſſe formaliter Chriſtum, nec hunc illas, ſed totalitatem ab illis realiter adæquatè diſtinctam. Verum ad hoc argumentum in ſimili fiet ſatis cap. ſequenti.

Caput IX.

An totum accidentale diſtinguatur realiter adæquatè à ſuis partibus.

103 NOn diſtingui, à fortiori putant omnes, qui talem diſtinctionem negant inter totum ſubſtantiale, & ſuas partes. Quamquam autem aliqui eorum, qui totum ſubſtantiale, præſertim verò finitum, & omnino creatum, à ſuis partibus diſtingui putant, eandem etiam diſtinctionem adſtruant, inter totum accidentale, non ex aggregatione, ſed ex vnione phyſica reſultans, cuiuſmodi eſt album v.g. & eius partes; at longè probabilius eſt, diuerſimodè de vtroque illo toto, ſubſtantiali ſcilicet, & accidentali, quoad eorum à partibus ſuis diſtinctionem, philoſophandum eſſe, ac eſtò prius ſit capax diſtinctionis, qua de loquimur, poſterius tamen, nempè accidentale, eſſe eius omninò incapax. Ita Vaſquez citata diſp. 19. tertiæ partis c. 2. num. 26. ibi: *de effectu igitur formæ accidentariæ in ſubiecto alio modo philoſophandum exiſtimo, quam de effectu formæ ſubſtantialis in materia: nam forma accidentaria nihil aliud tribuit ſubiecto, quam ſeipſam per modum illum inhæſionis; & hac ratione album nihil aliud eſt quam albedo inhærens ſubiecto, ratione cuius inhæſionis ipſum ſubiectum redditur album abſque vllo alio effectu ab ipſa albedine deriuato.* Et inferius n. 32. ibi; *hinc etiam intelliges, qua de cauſa dicatur, ex ſubiecto, & accidenti fieri vnum per accidens; videlicet, quia non ſit tertia quædam entitas in aliquo prædicamento conſtituta, habens ſuas proprias paſſiones, & operationes, & quare ex materia, & forma fiat vnum per ſe; quia ſcilicet tertia quædam entitas conflatur conſtituta in aliquo prædicamento, habens proprias paſſiones, & operationes.* Ita etiam Fonſeca lib. 5. Metaph. c. 2. quæſt. 2. ſect. 2. ibi; *nihil aliud eſt compoſitum accidentale, quam, accidens & ſubiectum inter ſe coniuncta. At ex formis ſubſtantialibus, & materia reſultat vera eſſentia rei naturalis, quæ ponitur ſub genere ſubſtantiæ corporeæ in prædicamento ſubſtantiæ: vnde neceſſe eſt fateri, aliud eſſe compoſitum ſubſtantiale, aliud materiam, & formam copulatas inter ſe ſe.* In hac eadem ſententia ſunt plerique eorum, quos ſuprà cap. 1. citauimus pro diſtinctione reali totius ſubſtantialis phyſici, ac naturalis à ſuis partibus.

Probatur autem primò: quia totum realiter diſtinctum à partibus corporis ſubſtantialis phyſici, atque completi eſt integritas quædam, per quam tales partes ſubſiſtunt; ad idque ex iis ſimul ſumptis & vnitis reſultat, vt eas faciat ſubſiſtere. At totum accidentale, v.g. album, quatenus accidentale eſt, non eſt ſubſiſtentia, cum accidentium non tam ſit ſubſiſtere, quam inhærere. Eiuſmodi ergò totum non debet à ſuis partibus, more totius ſubſtantialis phyſici realiter diſtingui. Atque hinc liquet, malè aliquos ex totius accidentalis indiſtinctione à ſuis partibus arguere ad indiſtinctionem inter totum ſubſtantiale phyſicum, & naturale, ſuáſque partes: quæ enim ratio diſtinctionis in hoc poſteriori toto procedit, ea certè locum non habet in illo priori. Ex dicendis etiam hoc capite vlterius conſtabit, quam elumbe ſit idem argumentum. 104

Probatur ſecundò noſtra ſententia: quia relatio prædicamentalis, quæ eſt quaſi totum accidentale ex fundamento, & termino reſultans, haud diſtinguitur realiter ab illis, ſed potius in iis realiter conſiſtit, vt in Metaphyſica latè demonſtrabitur. Et quidem, ſi referri vnum ad aliud per ſimilitudinem, æqualitatem, inæqualitatem, aut alia ratione, foret modus quidam realiter diſtinctus à fundamento, & termino; ad hoc etiam, vt fundamentum referri poſſet ad ipſum modum relationis, eique ſimile, aut diſſimile, æquale aut inæquale denominari, ſanè vlteriori modo opus eſſet: & præter hunc ſecundum modum, alio tertio, eadem de cauſa: & ſic in infinitum. Quidni ergo album, & quoduis aliud totum accidentale non relatiuum, ſed abſolutum poſſit in ſuis partibus realiter conſiſtere, & cum iis identificari? Quod enim totius accidentalis abſoluti partes inter ſe phyſicè vniantur, in eoque differant à partibus relationis, fundamento ſcilicet, & termino, non refert: vt manifeſtum eſt ex Chriſto, qui non diſtinguitur à ſuis partibus, tametſi eæ verè inter ſe vniantur: necnon etiam ex eo, quod vnio phyſica, & moralis partium quarumuis ex conceptu ſuo tantum opponatur identitati partium inter ſe, quippè quas componit inuicem; non verò earum identitati cum toto compoſito, cum quo partes ſuas non vnit, neque componit. 105

Probatur tertiò noſtra ſententia: quia ſi album v.g. ex homine, & albedine inuicem vnitis reſultans foret aliquid ab iis realiter adæquatè diſtinctum, profectò eſſet, & non eſſet forma. Non eſſet quidem forma: quomodo enim ex vna forma oriri poteſt alia, tanquam à cauſa formali? an non ita eſſet procedere in infinitum? Deinde eſſet forma, quia eſſet purum putum accidens, nihilque haberet ſubſtantiæ: ergò inhæreret: nihil enim, omnium conceſſione, magis eſt de 106

de ratione accidentis, prorsus talis quam inhæsio: inhærere autem nulli, nisi formæ, potest competere, sicut è contrario subesse subiecti solius proprium est: ergo tale totum accidentale realter distinctum à suis partibus eo ipso foret vera forma.

107 Dices tamen, hoc eodem argumento probari, totum substantiale, de quo tractamus, distingui non posse à collectione partium suarum: quippè quia totalitas illa substantialis foret vera forma, quod tamen est contra conceptum totalitatis, siue compositi. At facilè occurri potest huic obiectioni, si dicatur, formam esse actum incompletum alicuius subiecti: totalitatem autem substantialem, quam ex partibus essentialibus corporis naturalis asserimus resultare, esse quidem actum, at non incompletum, sed completum: proinde, licèt pro posteriori actuet, & cõpleat partes, ex quibus resultat, non propterea esse posse formam. Enimverò, si album esset quid distinctum realiter adæquatè à subiecto, & albedine, sanè esset quid incompletum: nam, cum foret accidens, necessariò deberet inhærere: quod inhæret autem est ens incompletum: alioqui non esset, cur albedo in abstracto, quantumuis inhærens, non posset dici ens completum: tum etiam, quod subsistit aut suppositum est, nequit eo ipso non esse ens completum: ergo è diuerso quod inhæret, nequit non esse ens incompletum: ac proinde, vt dictum est, album adæquatè distinctum à suis partibus, propter inhærentiam, quam, quia accidens est, sibi vendicaret, haud posset non esse ens incompletum, sicut oportet, ad hoc vt esset vera forma eius subiecti, cui pro posteriori aduenieret. Quod ergo attinet ad rationem formæ, manifesta est inter album istiusmodi, & totum substantiale, disparitatis ratio: atque adeo instantia facta nulla est.

108 Probatur quartò nostra opinio: quia album illud, quale à partibus realiter adæquatè distinctum, comminiscuntur aliqui, aut immediatè videtur, congregatque visum, cui obiicitur; aut potiùs immediatè videri, & visum congregare est proprium solius albedinis in abstracto? si illud non videtur, nec congregat visum immediatè, sed tantum remotè: non erit ergo album formaliter: radicalis enim visibilitas non sufficit ad album formaliter tale: alioqui omnis substantia materialis, earum quæ sub lunæ cauo continentur, esset per se formaliter alba; quo nihil absurdius. Sin autem immediatè videtur, & visum dissipat, haud potuit non esse albedo: hæc enim est accidens immediatè visibile, & disgregatiuum visus in præsentia lucis: eo autem ipso, quod sit albedo, perperam dicitur esse totum accidentale distinctum adæquatè ab albedine, & ex ea subiectoque resultans: quomodo enim potest albedo ab albedine distingui, ab eaue resultare?

109 Quintò tandem suadetur nostra, ac verior sententia ex mysterio Eucharistiæ: nam post consecrationem panis omnia eius accidentia purè talia manent: vt colligitur ex verbis Ecclesiæ in festo corporis Christi desumptis ex opusculo 57. B. Thomæ ibi; *accidentia autem sine subiecto in eodem subsistunt*: at non manet post consecrationem denominatio albi resultans ex substantia panis, & albedine: id enim esset, posse dari totum sine partibus suis: talis ergò denominatio, ac totalitas non est accidens purum, & ab omni substantia distinctum; sed potius est aggregatum substantiæ, & accidentis, etsi dicatur absolutè denominatio accidentalis, eo quod denominationibus plerisque commune sit, vt sequantur debiliorem partem. Nec valet, si instes vnionem albedinis v. g. cum substantia panis esse accidens, & tamen non manere post consecrationem: haud ergo adeò vniuersè verum est, accidentia omnia panis post consecrationem manere: non inquam hoc valet: namque, si sermo sit de accidentibus absolutis, & nonmodalibus, id, quod diximus, in vniuersum verum est; nec nisi temerè negari potest: at effectus formalis albi est accidens absolutum, & non modale, vt fatentur omnes: si ergo est accidens purum, & non identificatum vllatenus cum substantia panis, sanè hac destructa haud poterit non subremanere in Eucharistiæ sacramento.

Caput X.

Repelluntur oppositiones, contrà indistinctionem totius accidentalis à suis partibus.

Obiicies primò: totum per se distinguitur realiter adæquatè à suis partibus simul sumptis, & vnitis: at totum ex subiecto, & accidenti physicè, & propriè vnitis, cuiusmodi est album v. g. est totum per se, non verò per accidens, veluti acernus lapidum: tale ergò totum haud poterit non sortiri distinctionem realem adæquatam à suis partibus. Respondeo, concessa maiori, & negata minore: quod enim compositum ex subiecto, & accidenti rationem totius per accidens sibi vendicet, & ex ipsa totius per accidens notione manifestè patet, & id tuentur B. Thomas in 3. dist. 7. q. 1. art. 1. quem sequuntur Onna lib. 1. phys. q. 6. art. 6. versu, *notandum quod*, Vasquez, & Fonseca ad huius capitis initium citati, ac cæteri communiter Doctores. 110

Obiicies secundò: duo alba eiusdem omninò speciei sunt, aut semper, aut certè quando subiecta, quæ afficiuntur albedine, specifice differunt: at non essent eiusdem prorsus speciei, si alterutrum in ratione albi inuolueret vnionem albedinis cum subiecto: quippe talis vnio in vno, & altero haud potest esse specificè eadem, vt in superioribus sæpissime dictum est: neutrum ergò vnionem partium suarum, adeóque nec partes suas vnitas per identitatẽ inuoluit, sed potius ab iis realiter adæquatè distinguitur. Maior obiectionis probatur, quia per nos duo homines sunt omninò & adæquatè eiusdem speciei: quidni ergo & duo alba? 111

Respondeo tamen negata maiori. Ad cuius probationem dicendum est, esse multas substantias completas omninò, & adæquatè similes, nempè Angelos eiusdem speciei infirmæ: hi enim vnde, quóve ex capite possunt habere diuersitatem specificam inadæquatam? non enim ex vnionibus inter eorum materiam, & formam: haud namque materia etiam spirituali, & forma constant: non etiam ex vnionibus inter eorum subsistentiam, & naturam: cùm in illis non distinguatur natura, & subsistentia. Et quidem non repugnare saltem, Angelos ex subsistentia & natura minimè compositos, mihi exploratissimum est. Quod si Angeli aliqui omninò & adæquatè eiusdem speciei existunt, aut certè possibiles sunt, mirum esse non debet, si de hominibus idem adstruatur, videlicet quod adæquatam habeant inter se identitatem specificam. Ast nulla sunt accidentia completa, siue composita accidentalia omninò, & adæquatè similia, aut saltem de quibus id constet. Negandum ergò est talem similitudinem intercedere inter duo alba, negandúmque, tametsi duo homines sint omninò, & adæquatè similes, atque eiusdem speciei. 112

Dici etiam potest ad eandem probationem negatæ maioris, in hoc conuenire debere tota substantialia, & accidentalia, quod alterutrum eorum sit omninò, 113

&c

& adæquatè ſimile alteri eiuſdem generis ſiue rationis, nimirum homo homini, & album albo, ſimile inquam, ſiue in abſtracto, ſiue in concreto: homo autem in abſtracto ſumptus, ſiue humanitas nequit eſſe omninò ſimilis alteri, quæ eſt vnionum vtriuſque diuerſitas ſpecifica, ſuperius toties inculcata: ergo homo, in concreto ſumptus, adæquatam illam ſimilitudinem, reſpectu alterius, poteſt, debétque ſortiri. Cæterum album in abſtracto, ſiue albedo reſpectu alterius adæquatam ſortitur conuenientiam, & ſimilitudinem ſpecificam: non eſt ergò, cur, prout ſumitur in concreto, & habet rationem totius accidentalis, dici debeat omninò & adæquatè eiuſdem ſpeciei cum altero. En, vt ex ſimilitudine adæquata inter homines ad eandem inter alba non benè arguatur.

114 Obiicies tertiò: forma accidentalis eſt perfectior toto, ſeu compoſito accidentali: at, ſi hoc non eſſet quid diſtinctum à ſuis partibus ſimul ſumptis, ſed potius omnes per identitatem includeret, haud poſſet vna eius pars, nempe forma, eo eſſe perfectior: quomodo enim, quod totam perfectionem vnius partis, & inſuper perfectionem alterius ſecum habet identificatas, poteſt eſſe imperfectius vna parte ſua, aut, quod perinde eſt, ſinere, vt pars aliqua ſit ipſo perfectior? Ergò &c. Maior ſuadetur ei Ariſtotele: nam 7. Methaphyſ. text. 8. docet apertè formam eſſe perfectionem compoſito, ibi: *quarè, ſi ſpecies materia eſt prior, & magis ens, & ipſo, quod ex vtriſque, prior erit, propter eandem rationem.* Quod autem loquatur, de forma, & compoſito accidentalibus, patet ex iis, quę textu 7. præmittit, ibi: *dico autem materiam quidem es, formam autem figuram ſpeciei, quod autem ex his ſtatuam totam.* Quis autem non videat, ſtatuam eſſe compoſitum accidentale, & formam eius artificialem eſſe ſimiliter non ſubſtantialem, ſed accidentalem?

115 Reſpondeo, negata obiectionis maiori. Ad eius probationem dicendum eſt, Philoſophum, dum præfert formam compoſito, ſermonem habere de forma, & compoſito, ſubſtantialibus, & per ſe: vti manifeſtè conſtat ex antecedentibus, & conſequentibus, ad verba ex eo prolata; neque non ex interpretum omnium communi conſenſione. Nec refert eum vti exemplo ſtatuæ ex ære factæ, & formæ artificialis ſtatuam componentis, quarum altera eſt compoſitum accidentale, & altera, accidentalis forma: id enim exempli ab eo ponitur, ad explicandum, quid ſit forma ſubſtantialis, & compoſitum, de quibus principaliter agit, & quorum priorem illam poſteriori præfert. Scitè Angelicus præceptor lib. illo 7. met. in textum 7. in quo verſamur. *Exemplificat autem hìc* (ſupple Philoſophus) *membra in artificialibus, in quibus æs eſt vt materia, figura, aut forma ſpeciei, id eſt dans ſpeciem. ſtatua compoſitum ex his. Quæ quidem exemplificatio non eſt accipienda ſecundum veritatem, ſed ſecundum ſimilitudinem proportionis. Figura enim, & aliæ formæ artificiales non ſunt ſubſtantiæ, ſed accidentia quædam. Sed quia hoc modo ſe habet figura ad æs in artificialibus, ſicut forma ſubſtantialis ad materiam in naturalibus, pro tanto vtitur hoc exemplo, vt demonſtret ignotum per manifeſtum.* En noſtram explicationem Philoſophi expreſsè traditam à B. Thoma.

116 Obiicies quartò: partes albi vnitæ illud verè cauſant: at nihil compertius, quam ad cauſandum requiri diſtinctionem realem inter cauſam, & effectum; nec poſſe aliquid cauſare ſeipſum, ſed potius aliud quidpiam à ſe: partes ergò albi ab illo diſtinguuntur, etiam prout inuicem vnitæ. Maior probatur: quia partes albi, qua ratione dictum eſt vſurpatæ, illud componunt, conſtituúntque: componere autem, ſiue conſtituere, eſt cauſare: ergo, &c. Id ſuadetur: tum quia componi, & conſtitui eſt dependere, & cauſari, ſiue poſterius natura eſſe: vt patet ex B. Thoma 1. p. q. 3. art. 7. corp. ibi: *omne compoſitum eſt poſterius ſuis componentibus, & dependens ex eis:* tum etiam, quia cauſa diuiditur ab omnibus Philoſophis in intrinſecam, & extrinſecam; quæ certè in eo ſolum differre poſſunt, quod cauſa intrinſeca componendo cauſet, ſecus verò extrinſeca: componere ergò eſt aliquo modo verè cauſare: tum denique, quia forma, ſiue ſubſtantialis, ſiue accidentalis, non eſt cauſa formalis ſubiecti, vt ſuperius in loco manet demonſtratum: ergo ſolius compoſiti: at cur huius, potius quam ſubiecti eſſet cauſa, niſi quia componit, & conſtituit compoſitum, non verò compoſitionis ſubiectum: componere ergò quomodocunque eſt verè cauſare.

Reſpondebit fortaſſe aliquis, non ambas partes albi inter ſe vnitas, ſed vnã ſolam, nempe albedinem, illud conſtituere, ac per conſequens cauſare: tum quia id ſolum conſtituit album, quod denominat album: ſola autem albedo propriè album denominat: tum etiam, quia quod conſtituitur album non conſtituit album: paries autem conſtituitur, ac fit verè albus per albedinem: nõ ergo poteſt eam denominationem conſtituere, aut cauſare. Ex quo fit, partes albi copulatas ab illo diſtingui non debere, quippè quæ illud non cauſant, neque conſtituunt; tantúmque albedinem, quæ eius intrinſeca, & formalis cauſa eſt, ab eo non eſſe non poſſe realiter inadæquatè diſtinctam. In toto verò ſubſtantiali, & per ſe longè aliter ſe rem habere: ſiquidem nec ſola materia hominis homo conſtituitur, aut homo dici poteſt: hæc enim propoſitio, *materia eſt homo*, vera non eſt, ſicut hæc, *paries eſt albus*; nec etiam ſola forma hominis hominem conſtituit, & denominat, vt certo certius. 117

Verum imprimis cauſa formalis, & cauſa materialis ſunt extrema correlatiua, haud ſecus ac materia, & forma: quomodo ergo poteſt albedo eſſe cauſa formalis albi, quin paries ſit eius cauſa materialis? ambæ ergo partes albi, & non vna ſola, illud cauſant. Rurſus paries communicat, ac dat ſeipſum albo: illud ergo ſimul cum albedine cauſat, conſtituítque. Nec verò parietem conſtitui album obſtat, quominus conſtituat ſe album; haud ſecus ac cognitio reflexa ſimul cognoſcit, & cognoſcitur: mille alia id genus. Nequaquam etiam intereſt, ſolam albedinem denominare album: nam conſtituere latius patet, quam denominare, inuenitúrque in quouis conceptu obiectiuo ſe per identitatem communicante alicui compoſito, ſiue ita ſe ei communicet per modum formæ denominantis, ſiue per modum ſolius ſubiecti. 118

Alij reſpondent, inter cauſas intrinſecas, & effectum ab eis reſultantem non debere dari diſtinctionem realem; ſoliuſque cauſæ extrinſecæ proprium eſſe, vt à ſuo diſtinguatur effectu: quare partes albi, eſto ſimul ſumptæ, & vnitæ illud cauſent, ab eo non diſtingui realiter: quippè quia illud non cauſant extrinſecè, ſed intrinſece duntaxat, atque inſtar componentium. Ita Pereira lib. 5. Philoſophiæ quæſt. 3. in reſponſione ad 5. Cabero tractat. 1. phyſic. dub. 3. diſputat. 6. & Dominicus Soto in 1. quæſt. 3. ad 1. & alij. 119

Enimverò difficillima mihi videtur hæc ſolutio. Quid enim difficilius intellectu, quam aliquid verè poſſe cauſare ſeipſum, eſſéve prius natura ſeipſo, idque immediatè, & proximè? An non relatio cauſæ etiam intrinſecæ ad effectum, iuxta ipſos aduerſarios, eſt relatio realis, ac prædicamentalis, ad quam requi 120

requiritur proculdubio distinctio realis? Nónne personalitates diuinæ sibi immanent, ac sunt intrinsecæ per circuminsessionem, iuxtà omnes Theologos? & tamen vna nequit esse principium reale alterius, sine reali vtrinque distinctione. Similiter ergo in præsenti, &c.

121 Præterea, si aliquid intrinsecè causare, seu constituere, aut componere seipsum potest, non video, cur Deus compositionis veræ, & realis incapax sit, aut cur natura diuina, seu Deitas in abstracto seipsam non possit componere. Quod enim collectio formalitatum, quibus Deus, aut Deitas constat, ab eo non distinguatur realiter, non obstat in aduersariorum principiis. Quod item eæ formalitates inter se non distinguantur realiter, haud etiam obesse potest: magis enim videtur esse de ratione causarum quarumuis, vt ab effectu suo distinguantur, quam vt inter se sint distinctæ: causæ autem intrinsecæ, iuxta eos quibuscum disputamus, haud distinguuntur ab effectu suo: ergo nec ita debent distingui inter seipsas: ac proinde non erit, cur formalitates Dei, aut naturę diuinæ nequeant esse alterutrius verè causæ intrinsecæ, siue partes componentes: quo tamen nihil absurdius.

122 Melius ergo respondetur cum Patribus Suarez, Rubio, Hurtado, & aliis non paucis scholasticis, partes albi v.g. collectiue sumptas, non distingui vllatenus realiter ab illo; at, si diuisiue sumantur, ab eo distingui realiter inadæquatè: hanc autem distinctionem realem sufficere ad genus causæ intrinsecæ: proinde præfatas partes albi, posteriori modo, nempe diuisim sumptas, posse & debere album intrinsecè causare; tantúmque collectim vsurpatas haud posse respectu illius eam exercere causalitatem: quod verò non exerceant, nobis non obesse: quippè qui collectionem partium solius compositi substantialis, ac per se ordinis finiti asseruimus ab illo esse realiter adæquatè distinctam, eiusque veram causam.

123 Verum contra hanc nostram solutionem dices, vnionem, & diuisionem opponi: partes ergò albi esse vnitas non est eas sumi diuisiuè, sed potius eas ita non posse sumi: at non nisi prout vnitæ causare possunt intrinsecè album ex iis compositum, & resultans: illud ergo diuisiuè sumptæ non causant intrinsecè. Respondeo, vnionem partium albi, aut cuiusuis alterius compositi, opponi quidem earum diuisioni physicæ, seu separationi reali, secus vero illarum diuisioni Logicæ, siue distributioni, qua scilicet dicatur de hac parte v. g. de albedine seorsim sumpta, quod causet intrinsecè album, & de pariete, seorsim & in alia propositione, quod similiter illud causet; in hunc modum; albedo est causa intrinseca albi, & paries est causa intrinseca albi, & vnio illorum est causa vt quò, siue causalitas actióve intrinseca albi: quin propterea verum sit vna enuntiatione dicere, albedo, & paries, & vnio sunt causa intrinseca albi: haud enim sunt eius causa, sed ipsum album. Quocirca partes albi prout vnitas, & non aliter illud intrinsecè causare, non obstat, quominus distribui possint, ac prout distributiuè, seu diuisiuè acceptæ album causare.

124 Dices iterum: nec sola albedo, nec solus paries, aut vnio causat intrinsecè album: ergo albedo, & paries, & vnio illud intrinsecè causant: omnes ergò partes illud ita causant: ac proinde collectiuè sumptæ non possunt illud non causare: haud secus ac si omnes homines, qui sunt in foro, currant, fieri nō poterit, quin eo ipso homines, qui sunt in foro, collectiuè sumpti currant. Respondeo, vt neque de sola albedine, neque de pariete solo, aut vnione dicatur causare intrinsecè album, satis est, quod omnis pars albi illud causet: omnem autem albi partem illud causare verificatur sufficienter, per descensum copulatiuum, quo non termini, sed propositiones necti solent, per eum, inquam, descensum hoc modo factum; *& albedo causat album, & paries causat album, & vnio suo modo.* Proinde non est necesse ad id, vt nulla pars albi sola illud causet, quod descensu copulato dici, & enuntiari possit; *albedo, & paries, & vnio, siue omnes partes albi illud intrinsecè causant.*

Et quidem non esse id necesse, manifesto confir- 125
matur exemplo: siquidem nec de solo instanti A. æternitatis à parte post verificabitur præteriisse aliquandò, nec de solo instanti B. nec de alio vllo: & tamen non propterea verum vnquam erit, quod omnia collectiuè sumpta præterierunt. Similiter ergo in præsenti, &c. Ob id autem replicam factam suspicor aliquos valde implicare, quia non animaduertunt ad prædictam distinctionem, inter descensum copulatiuum, & copulatum, quæ quidem est apertissima, & à nemine Dialecticorum, quod sciam, reuocata in dubium.

Dies vlterius. Datur aliqua causa adæquata in- 126
trinseca albi: at albedo non est causa eius adæquata intrinseca, nec paries est eius causa adæquata intrinseca, nec vnio: ergo albedo, & paries, & vnio illud intrinsece causant, ac proinde eiusmodi partes collectiuè sumptæ illud adæquatè causant: quo pacto Apostoli Dei collectiuè tantum sumpti sunt duodecim, quia nec de Petro dici potest esse duodecim Apostolos, nec de Andrea, nec de Iacobo, &c. tantúmque de illis vna propositione enuntiari potest esse duodecim, in hunc modum: Petrus, & Andreas, & Iacobus, &c. sunt duodecim. Maior autem replicæ suadetur, quia causa inadæquata respicit ex conceptu suo causam aliquam adæquatam, ad eamque velut eius pars essentialiter refertur: quare fieri non potest, vt Deus v.g. sit causa inadæquata caloris, & eius etiam causa inadæquata sit ignis, quin ex Deo, & igne confletur, vna causa adæquata caloris: at albedo est causa inadæquata albi, & paries etiam, vnióque est causa eius inadæquata: in illis ergò reperitur necessario causa aliqua adæquata intrinseca albi, quæ vel de singulis eorum dicatur, vel simul de omnibus. Tum etiam, album est adæquatus effectus intrinsecus suarum partium, integrúmque compositum: effectus autem adæquatus, & causa adæquata sunt correlatiua: ergo albi est aliqua causa adæquata intrinseca, vti in maiori propositione constitutum est.

Fateor hanc replicam esse satis difficilem. Ad illam 127
tamen respondeo, cum P. Hurtado in vberiori editione disp. 6. phys. sect. 1. §. 12. & sequentibus, maiorem eius propositionem (qua adstruitur, albi esse aliquam causam adæquatam intrinsecam) debere negari, ac reiici vt falsam. Verius enim est, solius compositi substantialis, & per se finiti ordinis dari causam adæquatam intrinsecam. Prior autem negatæ maioris probatio non conuincit. Etenim esse causam adæquatam ex pluribus inadæquatis coalescentem in eo positum est, quod collectio aliqua principiorum causet effectum quendam: cum igitur, iuxta dicta, & demonstrata superius non verificetur de collectione albedinis, parietis, & vnionis causare album, sed potius esse ipsum album, idque quantumuis quæuis earum partium sit causa inadæquata albi; sanè mirum non est, quod, non obstante causalitate inadæquata singulis conueniente, haud possint omnes collectiuè sumptæ album causare adæquatè intrinsecè.

Itaque

128 Itaque alterutra earum partium eſt cauſa inadæquata intrinſeca: non quia continetur in aliqua cauſa adæquata eius generis, ſed quia eſt cauſa intrinſeca, & non adæquata, tantumque abſens ab eo quod ſit cauſa intrinſeca adæquata, vt ne cum alia comparte & cauſa inadæquata poſſit cauſam intrinſecam adæquatam conſtituere. Quod autem nec Deus ſit cauſa inadæquata caloris, nec ignis, quin ambo ſint eius vna cauſa adæquata, hoc ſolum arguit, in omnibus, aut certè pleriſque cauſis extrinſecis, non poſſe plures earum eſſe inadæquatas, abſque eo quod vnam adæquatam conſtituant: cuius ratio eſt, quia nulla poteſt eſſe repugnantia, in eo quod vniantur quodāmodo ad vnam cauſam adæquatam conſtituendam: cæterùm cauſæ intrinſecæ inadęquatæ totius accidẽtalis vniri in ratione cauſæ adęquatæ intrinſecæ, haud poſſunt: ita enim eas vniri eſt collectiuè ſumptas cauſare compoſitum; quod tamen, propter earum identitatem cum illo à nobis probatam, omninò repugnat.

130 Porrò negatæ à nobis maioris poſterior probatio efficax non eſt: album enim dicitur integrum adęquatúmq; compoſitũ, aut, quod iuxta eſt, effectus intrinſecus, & adæquatus ſuarum partiũ, non quod ab iis, vt à cauſa adæquata procedat, ſed quia non aliud cõpoſitũ accidentale, aliuſve effectus intrinſecus ex iis diuiſiuè ſumptis reſultat: nouum enim, abſurdúmve non eſt, id dici adæquatè tale, quod vnice eſt tale, ſiue præter quod nihil aliud habet rationem talis: qua ratione, locus adæquatus corporis v.g. dicitur is, præter quem non occupat alium: eoque ſenſu, & ſumpta adæquatione, non poſitiuè ſed negatiuè, certum apud omnes eſt, haud poſſe corpus etiam diuinitus eſſe in duplici loco adæquato: eodemque intellectu ſeruata proportione verum eſt, haud poſſe eundem effectum eſſe à duplici cauſa adæquata, efficienti, & extrinſeca.

131 Adiice in confirmationem reſponſionis noſtræ replicam factam, eſtò difficilem, manifeſtæ tamen inſtantiæ eſſe obnoxiam; eaque aut nihil probari, aut certè quod lapides omnes acerui collectiuè ſumpti diſtinguantur ab illo realiter adæquatè; contrà quàm Ariſtoteles 8. Metaph. text. 15. & alibi ſæpè, omnéſque cum eo Doctores ſentiunt: necnon relationem prædicamentalem diſtingui etiam realiter adæquatè à fundamento, & termino collectim ſumptis, & vice verſa: quod etiam eſt contra non paucos eorum, quibuſcum diſputamus. Sequela ſuadetur: etenim diſtinctio inadæquata videtur reſpicere diſtinctionem realem adæquatam, cuius ſit pars, & in qua contineatur: quiuis autem lapidum acerui diſtinguitur realiter inadæquatè ab illo: ergo neceſſum eſt, aliquid aſſignare in aceruo, quod ſit ab illo realiter adæquatè diſtinctum: at nullus lapidum ſeorſim ſumptus ita diſtinguitur ab aceruo: talem ergo ab eo diſtinctionem realem adæquatam ſortiri debet tota lapidum collectio: quo tamen nihil abſurdius, vt dictum eſt.

132 Eadem ratione confici poteſt, contrà non paucos aduerſariorum, diſtinctio realis adæquata relationis à collectione fundamenti, & termini, vt intuenti conſtabit. Quapropter, ne alterum alterumque ſequatur inconueniens, dicendum eſt, vti de ratione diſtinctionis inadæquatæ ſingularum partium non vnitarum eſt, quod earum collectiõ ſit realiter adæquatè diſtincta à toto ſeu cumulo ex iis reſultante, atque coaleſcente; ſed potius id genus diſtinctionis inadæquatæ ſine adæquata diſtinctione, in qua contineatur, inuenitur: ita ſimiliter partes albi ſingulatim ſumptæ cauſare poterunt illud inadæquate, quin vel ipſæ ita acceptæ, vel earum collectio, aliúdve quidpiam reſpectu illius ſortiatur rationem cauſæ intrinſecæ adæquatæ.

Dices poſtremò, contrà noſtram ſolutionem prin- 133
cipalem argumento quarto adhibitam. Nulla pars compoſiti accidentalis diuiſiuè ſumpta cauſatur ab alia eodem modo ſumpta: at quod nulli parti compoſiti conuenit, haud poteſt compoſito à partibus indiſtincto conuenire, cum totum indiſtinctum à partibus hoc ipſo cum illis conſentire debeat in omnibus prædicatis: alioqui haud forent indiſtincta: totum ergo accidentale v.g. album vel eſt diſtinctum à ſuis partibus, vel certè ab iis etiam diuiſiue ſumptis haud poterit cauſari. Maioris probatio ſic habet: nam v.g. ab albedine nec cauſatur intrinſecè ipſa albedo, nec etiam paries, nec, vt multi putant, vnio, ſed potius ab vnione, & inhærentia fortaſſis cauſatur è contrario albedo: ergo, &c.

Ac profectò hanc difficultatem luculenter pro- 134
poſitam video à Platone in Parmenide his verbis: *Totum ipſum vnum ex multis eſſe oportet, cuius partes ſunt, quæ partes appetantur, qualibet enim partium, non multorum pars, ſed totius exiſtit. At quomodo iſtud? ſi quid multorum pars eſſet quibus ipſum ineſſet, & ſui ipſius quodammodo eſſet pars, quod eſt impoſſibile, & aliorum cuiuſque: ſiquidem omnium. Vnius enim non exiſtens pars, vno excepto aliorum omnium erit, atque ita vniuſcuiuſque pars non erit. Non exiſtens verò pars cuiuſque, nullius ex multis erit. Et ſi nullius eſt, eſſe quicquam iſtorum omnium, quorum nullius vel pars, vel aliud quidquam eſt, impoſſibile erit. Apparet quidem. Non ergo multorum, nec omnium pars eſt, quæcunque ſit pars, ſed vnius cuiuſdam idea, & vnius cuiuſdam, quod totum vocamus factum ex cunctis, vnum atque perfectum.* Hactenus ille.

Reſpondeo tamen iuxtà dicta ſuperius, quod nulli 135
parti ſecundum ſe conuenit, id poſſe interdum toti compoſito, vtvt à partibus indiſtincto, conuenire: quemadmodum patet, ex eo quod nullum inſtans æternitatis ſit impertranſibile aliquandò: & tamen omnia collectiuè ſunt impertranſibilia; & eiuſmodi, vt nunquam poſſit de iis dici, iam præteriiſſe. Item nulla pars numeri eſt numerus: earum tamen collectio eſt numerus. Quamobrem, etſi nulla pars albi v.g. ſecundum ſe ſumpta, intrinſecè cauſetur ab alia, totum tamen album poteſt, ac debet ab ea ita cauſari, idque licet in ea, & alia comparte, atque vtriuſque vnione per identitatem conſiſtat.

Caput XI.

Quid denique exiſtimandum de diſtinctione reali totius Mathematici, ſiue integralis à ſuis partibus?

136 Eiuſmodi etiam totum à collectione partium ſuarum realiter non diſtingui tuentur omnes, qui totum ſubſtantiale phyſicum à ſuis partibus realiter indiſtinctum putant, & eorum quoque qui non putant, aliqui: præſertim verò Ferrarienſis, Zimara, & Fonſeca ſuperius citati. Quibus ſubſcribo. Primò: quia ſi totum integrale continuum diſtingueretur realiter adæquatè à ſuis partibus, non poſſet non eſſe diſtinctũ ab omni diuiſibilitate; cum hæc niſi in partibus non reperiatur: eſſet ergo formaliter indiuiſibile: hoc autem abſurdum eſt: quis enim ſibi perſuadeat, vaſtum illud maris æquor per tot ſpatia diffuſum,

diffusum, ac toti terrarum orbi circumfluum, formaliter tamen indiuisibile esse, aut cœlum, quod infinita quadam ambitione cuncta continet, atque complectitur, instar tamen puncti esse? Nec refert, si dicas his duobus exemplis non probari nisi indistinctionem realem totius integralis homogenei à suis partibus, secus verò heterogenei: quare hoc posterius censendum esse realiter distinctum à collectione partium suarum, non verò illud prius, vt existimat Ioannes de Neapoli quodlib. 2. q. 7. Namque hoc discriminis inter vtrumque totum integrale, de quibus proximè, commentitium est, & absque vllo adstruitur fundamento. An non etiam ita liceret, distinguere inter totum substantiale physicum vitale v.g. & non vitale, sed inanimum; & illud à partibus distinctum realiter asserere, non hoc, aut vice versa? nec hoc solum, sed plura alia id genus in præsenti materia pro libito possent confingi.

137 Secundò probatur nostra, & verior opinio: quia ideo potissimè partes totius physici, ac naturalis ab eo distinguuntur, & è diuerso, quia debent habere subsistentiam, per quam suppositentur, & quæ alia esse non potest, quam totalitas ex illis resultans: quare tam indubitatum esse debet, totum confectum ex partibus essentialibus corporis naturalis ab iis distingui, quam certum est ex mysterio Eucharistiæ subsistentiam à natura, quam subsistere facit, realiter oportere distingui. Atqui partes totius integralis v.g. materiæ primæ, quatenus eius præcisè sunt, non subsistunt nec habent aliam subsistendi necessitatem, quam prout sunt in toto physico, & quatenus illud cum forma substantiali constituunt: eius enim necessitatis quod esse potest fundamentum? Non est ergo, cur præfatæ continui partes inter se vnitæ tertiam vllam entitatem, aut totalitatem pariant. Confirmatur: quia Christus Dominus non est tertia vlla entitas, aut totalitas ex vnione humanitatis, & diuinæ personalitatis resultans, vt expresè docent Suarez citata disputat. 36. Metaphysic. sect. 3. numero 22. ad finem, Auersa quæst. 19. Philosoph. section. 8. parum post medium, versu, *totum item*, necnon cæteri communiter scholastici. Non alia ratione, nisi quia ex partibus Christi Domini, personalitate scilicet Verbi, & humanitate non resultat alia personalitas, per quam subsistant, vt est fide sanctum. Similiter ergo in præsenti, &c.

138 Obiicies tamen Aristotelem 7. Metaph. text. 60. ibi: *Syllaba vero non est ipsa elementa, nec idem quod B, & A, sed aliquid aliud.* Et 5. Metaphysic. text. 19. ibi: *Numerus sex, non est qui bis ter, vel ter bis, sed qui semel sex.* Tum sic: syllaba, Ba, est totum integrale, sin permanens, saltem successiuum: distinguitur autem ab A. & B. ergo, &c. Deinde numerus totum quoddam integrale discretum est: at numerus sex non est bis ter, sed potius distinguitur à duplici numero ternario, ex quibus veluti partibus conflatur. Respondeo, Philosophum per A. & B. intelligere elementa, & per syllabam Ba corpus naturale completum, ex elementis virtualiter sumptis, siue ex materia, & forma, virtutes, atque qualitates elementorum participante coalescens, vt interpretatur Fonseca vbi suprà: quamobrem eo loco innui distinctionem realem, non totius integralis, sed physici, & naturalis à suis partibus. Præterea, cum dicitur ab Aristotele, bis tria non esse formaliter sex, hoc magis allegoricè, quam litteraliter est accipiendum, vt proximè dictum est in simili.

139 Obiicies secundò: linea bipalmaris v.g. est omninò similis alteri itidem bipalmari, & vnius cum ea speciei, si sint ambæ ex eadem materia: alterutra ergò distinguitur realiter adæquatè à suis partibus simul sumptis, & vnitis: alioqui si has, harumque, quod consequens est, vniones per identitatem includeret, sanè, quæ est, in vnionibus vtriusque, diuersitas specifica, eadem resplenderet quadantenus in vtraque. Profectò aut hic discursus valet, aut nihil valere videtur is, quem nos suprà cap. 2. confecimus, pro distinctione reali totius physici, & naturalis à suis partibus.

140 Respondeo, lineam bipalmarem duplicem esse; aliam formaliter indiuisibilem, nec nisi virtualiter extensam, & diuiduam: aliam verò, extensione, & diuisibilitate formali partium præditam: prior solum reperiri potest in alio rerum ordine; posterior de facto existit, & est propria huius ordinis, ac seriei rerum. Duæ ergò lineæ bipalmares prioris ordinis specificè conueniunt, sùntque omninò, & adæquatè similes; nec mirum, cum nullas partes, aut partium vniones, vi quarum distinguantur, inuoluant. Sin autem sint posterioris, præsentisque rerum ordinis, certè ex conceptibus suis particularibus, haud possunt esse eiusdem omninò speciei, vel adæquatè similes, quæ est diuersitas vnionum, ex quibus identicè coalescunt; sed tales esse possunt, penes rationem communem lineæ bipalmaris abstrahentem à diuisibili, & indiuisibili: hæc enim in vtraque linea de facto existenti est omninò eadem, & nullam exprimit dissimilitudinem.

141 Atque hoc pacto intelligendum est, quod dixi suprà, vnam albedinem intensam, aut extensam in abstracto sumptam esse de facto omninò similem alteri: si enim alterutra sumatur, penes conceptus particulares albedinis vtrique proprios, profectò non poterunt non aliquatenus differre specie propter vnionum, quas inuoluunt, diuersitatem specificam. Nec verò hac ratione saluari potest, hominem, aut humanitatem de facto existentem esse alteri humanitati hominiue omnino similem, esto nec homo, nec humanitas distinguantur realiter à suis partibus, partiumque vnionibus: nam aduersarij nostri tuentur, hominem, humanitatémque nec in hac, nec in alia vlla rerum serie possibili, distingui realiter à collectione partium suarum inuicem vnitarum. Hominum ergo de facto existentium similitudo omnimoda, & nullam explicans vel minimam dissimilitudinem, haud potest esse in ratione hominis secundum huius rationem communem abstrahentem ab homine huius seriei, & alterius cuiusque possibilis. Proinde, vt talis similitudo defendi possit, ad distinctionem realem hominis, & cuiusuis totius realis à suis partibus recurrendum est.

142 Hactenus solutio obiectionis secundæ. Ad quam aliter & melius dici potest, lineam bipalmarem, & quamcunque aliam sumi posse, & solere, pro extensione radicali, & in actu primo, magisque respiciente vniones specie diuersas, quam illas includente: ac proinde vnam esse posse vnius speciei omninò cum alia: suprà namque cap. 3. ad finem ostensum est, respectum essentialem ad vniones specie tantum logica diuersas haud arguere diuersitatem specificam: & alioqui nihil non futurum diuersæ speciei à quouis alio. Atque hac ratione, quod supposui, vnam albedinem esse eiusdem omninò speciei cum alia, eique prorsus similem,

verum eſſe poteſt, ſumpta vtraque albedine penes vtriuſque conceptum etiam particularem: nimirum, quia alterutra ita ſumi poteſt, vt nihil aliud, quam partes albedinis potentes petentéſque inter ſe & cum ſubiecto vniri, non verò tales partes, prout formaliter, & in actu ſecundo vnitæ.

143 Obiicies tertiò. Partes totius integralis illud conſtituunt: nihil autem poteſt à ſeipſo conſtitui, aut intrinſecè cauſari: ergo, &c. Verum huic obiectioni factum eſt ſatis cap. præcedenti in ſimili, cum ſermo eſſet de indiſtinctione totius accidentalis à partibus, per quas conſtituitur, & intrinſecè cauſatur. Obiicies denique quartò: ſi continuum v. g. materia prima non diſtingueretur à ſuis partibus, eſſet vnum per accidens, ad modum quo totum phyſicum naturalis ordinis, exempli gratia homo, iuxtà nos haud poſſet non eſſe totum per accidens, ſi conſiſteret in collectione ſuarum partium. At repugnat materiam primam, aut aliud continuum eſſe vnum per accidens; tale namque ſi eſſet, quomodò eſſe poſſet de primo, & quidditatiuo conceptu totius per ſe v.g. hominis? ergo, &c. Sed huic argumento fiet ſatis lib. ſequenti tract. & cap. 1. ibique oſtendetur continuum eſſe ens vnumque per accidens, & nihilominus primariò conſtituere poſſe ſimul cum forma vnum ſubſtantiale, & per ſe.

TRACTATVS X.

De natura, & ſubſiſtentia corporis naturalis, & partium illud eſſentialiter componentium.

CAPVT PRIMVM.

Quid ſit natura eſſentialiter componens, ac denominans corpus naturale?

1 ANTEAQVAM naturam compoſiti ſubſtantialis, & per ſe ab Ariſtotele definitam explicem, operæpretium erit, varias naturæ latiùs fuſæ acceptiones præmittere. Inprimis ergò natura pro Deo rerum omnium opifice, modóque pro rebus à Deo factis vſurpari ſolet: qua ratione natura diuiditur à philoſophis, in naturam creatricem, & creatam, ſiue in naturam naturantem, & naturatam. Secundò natura accipi conſueuit, pro eſſentia, & quidditate rei: cum hoc tamen diſcrimine, quod natura in ordine ad operationem explicitè ſumatur, & eſſentia in ordine ad exiſtentiam, per quam poſſit exiſtere, ac quidditas in reſpectu, & ordine ad definitionem, qua res aliqua explicetur.

2 Tertiò natura ſumi adſolet pro exigentia, & propenſione cauſarum naturalium: quo pacto, natura dicitur nihil fruſtrà moliri, odiſſe ſupeɾfluum, malum per ſe non intendere, &c. Quartò Theologicè vſurpari poteſt natura, & iuxtà non paucos perinde eſt, atque collectio rerum omnium exiſtentium, & poſſibilium, nullam habentium cum gratia iuſtificante, aut viſione beatifica connexionem, phyſicam, aut intentionalem, mediatam, aut immediatam, antecedentem, aut conſequentem: & hac ratione dici debet ens naturale, quod præfata connexione caret, ſupernaturale verò quod illam ſortitur. Quintò tandem natura accipi conſueuit, pro principio intrinſeco, & conſtitutiuo ſubſtantiæ materialis completæ: & hoc poſtremo ſenſu ſubſtantia materialis completa ens naturale appellatur, contrà verò ſubſtantia immaterialis completa, cuiuſmodi eſt Deus, & Angelus, nomine entis tranſnaturalis vocatur: necnon etiam facultas, quæ de priore ſubſtantia diſſerit, phyſica ſeu ſcientia naturalis, & quæ de poſteriore, metaphyſica, ſiue ſcientia tranſnaturalis nuncupantur. Vide Fonſecam, Pereiram, & Conimbricenſes de his eruditè, & copioſè diſſerentes.

Ariſtoteles igitur lib. 2. phyſic. cap. 1. naturam, ſecundum eius vltimam, & huius inſtituti propriam acceptionem, ita definit: *Eſt principium, & cauſa motus & quietis, eius in quo eſt primò, & per ſe, & non per accidens.* Principium eſt, vnde aliquid eſt quouis modo: qua ratione aurora principium diei dici ſolet. Cauſa verò eſt, vnde aliquid eſt, cum dependentia, qua cauſa eſſe in illud per ſe influat: qua ratione ſol lucis non ſolum principium, verumetiam cauſa eſt. Principium autem, & cauſa bifariam accipi poſſunt; nimirum pro principio cauſáque actiuis, aut pro principio cauſáque paſſiuis: & vtroque modo in definitione naturæ principium, & cauſa ſumuntur. Quod ſuadeo. 3

Primò: quia non eſt potior ratio, cur principium actiuum magis, quam paſſiuum, aut è conuerſo, natura ſit: vtrumque ergò natura erit, ac proinde vtrumque in definitione naturæ ex æquo clauditur. Tum etiam principium actiuum motus eſt forma, & paſſiuum materia: at tam materia, quam forma eſt natura: ergo principium tam actiuum quam paſſiuum eſt natura, atque adeò vtrumque in definitione naturæ comprehenditur, & neutrum excluditur. Minor eſt expreſſa Ariſtotelis lib. 2. phyſ. c. 1. text. 10. ibi: *Vno igitur modo natura ſic dicitur, prima, quæ cuique ſubiecta eſt, materia rerum earum, quæ mutationis, motioniſque principium in ſe habent: alio autem modo forma, & ſpecies ea, quæ vt ratio dicitur.* Et c. 2. text. 21. ibi: *Cum autem natura bifariam dicatur, tum forma, tum materia, ſic contemplari hæc debemus,* &c. Ariſtoteli conſentit B. Thomas tertia parte q. 2. art. 1. ibi: *Vlterius deriuatum eſt nomen naturæ ad ſignificandum quodlibet principium intrinſecum motus, ſecundum quod dicit Philoſophus 2. phyſ. quod natura eſt principium motus in eo, in quo eſt per ſe, & non ſecundum accidens: hoc autem principium, vel forma eſt, vel materia: vnde quandoque natura dicitur forma, quandoque materia.* In eadem ſententia eſt Damaſc. lib. 3. de fide orthodox. c. 3. ibi: *Sed quia plurimæ hominum perſonæ ſunt, omnes autem eandem naturæ rationem recipiunt, (omnes quippè ex anima, & corpore conſtant, & naturæ omnes animæ participes ſunt, ac corporis eſſentiam, communémque ſpeciem habent) id circò plurimarum, ac diuerſarum perſonarum vnam naturam dicimus; quod ſingulæ perſonæ duplicem naturam habeant, & in duabus naturis, hoc eſt anima, & corpore, cenſeantur.* Hæc ille. Noſtram etiam opinionem de indifferentia naturæ ad materiam, & formam tuentur Lorca 1. 2. ſ. 2. diſp. 3. Suar. diſp. 15. met. ſ. 11. Hurtado, Rubius, Conimbricenſes, & plurimi alij. 4

Enim verò Scot. in 2. diſt. 18. q. vnic. cenſet, materiã, ſeu principium paſſiuum ſolum eſſe naturam: quia ſolum principium intrinſecum motus eſt natura, vt conſtat ex iis verbis definitionis naturæ; *Motus, eius, in quo eſt primò, & per ſe, & non per accidens:* aſt principium intrinſecum motus eſt eius principiũ paſſiuum. Secundò: quia in tantum aliquis motus eſt 5

natu

naturalis, in quantum eius vi aliquid mouetur, à quocunque moueatur: solum autem principium passiuum moueri potest, prout moueri aptum est, & postulat. Scotum sequuntur assectæ.

6 E contrario Vasquez tom. 1. in 1. 2. disp. 25. n. 20. Cabero tr. 2. phys. disp. 1. dub. 4. Valles, aliiq; censent, solam formam, seu principium actiuum esse naturam. Primò: quia alioqui omnis motus violentus erit naturalis, siquidem in principio aliquo passiuo suscipitur. Secundò: quia Arist. lib. 2. phys. c. 2. & 3. in eo artificialia a naturalibus differre docet, quod hæc in se habeant principia suorum motuum, secus vero illa: vbi de solis principiis actiuis fatur; siquidem principia passiua suorum motuum in vtrisque reperiuntur.

7 Cæterum vtraque sententia mihi displicet ob rationes suprà positas, pro mea sententia inter vtramque media. Ad primum Scoti, & sectatorum argumẽtum respondeo, in definitione naturæ, verba illa, *in quo est primo, & per se, & non per accidens*, non appellare suprà motum, vt sensus sit, *in quo est motus primò, & per se, & non per accidens*; sed supra naturam; ita vt sensus sit, naturam esse principium motus, eius compositi, in quo ipsa natura primò, & per se, & non per accidens ineſt, vti mox explicabo. Ad secundum respondeo, motum non solum naturalem dici, cum aliquid mouetur, prout moueri aptum est, verum etiam cum mouet, & agit, prout mouere natum est: quare agentia naturalia non tantum virtutes passiuæ; sed sæpius virtutes actiuæ nuncupantur. Porrò ad primum argumentum Patris Vasquez, & sequacium satisfaciã infra, & ostendam quatenus omnis motus violentus sit non naturalis, & quodammodo etiam naturalis. Ad secundum argumentum eiusdem Auctoris dicendum est, artificialia à naturalibus iuxtà Aristotelem in eo differre, quod hæc habeãt principia suorum motuum, quæ in eo quod mouetur primò, & per se insint, illúdque substantialiter componant: illa verò habeãt principia quæ, id quod mouetur, per accidẽs componant, nimirum, quia forma artificialis merè accidẽtaria est.

8 Motus autem, & quies multifariam accipi possunt. Siquidem motus alius materialis, spiritualis alius: quamuis enim Arist. 6. phys. c. 6. solos motus materiales agnouerit, & res spirituales propriè moueri negarit; tamen res spirituales non tantum mutari, verumetiam moueri Theologis celebre est: idque præter alios exprimit Greg. in 1. dist. 7. q. 5. ar. 2. Deinde motus alius est positiũus, qualis est generatio, quę ad substantiam; alteratio, quæ ad qualitatem; accretio, quæ ad quantitatem; latio, quæ ad vbicationem producendas ordinantur: alius est priuatiuus, qui per oppositas carentias quadrifariam aut pluries dissecari potest. Rursus motus alius est naturalis, vt cum lapis in centrum descendit; alius violentus, vt cum à centro extrahitur, alius artificialis, vt cum æs aut marmor in statuam cõformantur, alius supernaturalis, vt cum homo per amorem, aut cognitionem supernaturalis ordinis, vltimo fini suo coniungitur. Quies etiam alia est positiua, quæ in acquisitione, seu possessione quamuis instantanea termini alicuius sibi congrui, & conuenientis sita est: alia verò est negatiua, quæ in carentia vlterioris motus posita est: aliis etiam modis, quibus suprà diuisa est mot⁹, & diuidi potest quies motui opposita.

9 His constitutis, censeo naturam ab Aristotele definitam esse in ordine ad motum, & quietem, qualescunque ex iis, quos nuper recensuimus. Etenim nulla species motus, aut quietis in definitione illa excluditur: quidni ergò omnes in ea comprehendantur? Tum tiam, in ordine ad eum motum eamque quietem natura definitur, per quos substantia naturalis, siue materialis completa à substantia non naturali siue immateriali distinguitur, cum de natura prout huius substantiæ constitutiua in libris physicorum Aristoteli sermo sit, vt omnibus constantissimum est: at nullus motus, nullaque quies est, qui, si sint à principio per se, & non per accidens intrinseco, ei quod mouetur, substantiam materialem completam, à quauis alia non distinguant, vt ex post dicendis constabit, vtque sponte sua est manifestum.

Dices tamen: si natura in ordine ad quemcumque motum, & quietẽ definiretur, omnis motus dici posset naturalis: omnem autem motum, siue supernaturalem, siue violentum appellare naturalem videtur absonum, atque ridiculum. Respondeo, motus violentus & supernaturalis naturalis non est, id est iuxtà propensionem, & inclinationem naturæ, sed alter suprà illam, alter contrà illam est: cæterum vterque naturalis dici potest, si motus naturalis sumatur, vt sumi potest & debet, pro motu principij per se & non per accidens intrinseci ei compositi, quod mouetur. 10

Dices iterum: negari nequit, quin cælum constet natura, videlicet materia, & forma: & nihilominus principium motus, & quietis in se non habet, sed solius motus: cum cælum irrequieto, & nunquam intermisso motu cieatur. Respondeo primò, cælum suaptè natura quiescere per centrum, polos, & axes, vt Philoponus, & Simplicius interpretantur. Respondeo secundo, cœlum suapte natura quiescere, si de quiete positiua nuper explicata sermo sit: Vbicationem enim sibi consentaneam acquirit, quamuis cum ea non perseueraturum: quod autem quies hæc positiua, sicut & ea, quæ in ordine ad idem centrum, eosdẽmque polos, & axes sumitur, impropriè quies sit, non obest: quia etiã motus priuatiuus improprie motus est: & tamen in ordine ad eum natura definitur, vt suprà ostensum, vtque fatentur duarum solutionum præcedẽtium aduersarij. Tertiò sunt, qui putent cœlũ nõ ab intrinseco moueri, sed duntaxat ab intelligentia, quæ si cœlũ rotare nollet, nihil contrà eius faceret inclinationem: in hac autem sententia, quis non videat, cœlũ esse principium passiuum non minus quietis, quam motus? 11

Quartò, cum definitur natura, *principium motus & quietis*, &c. particula *&*, cum particula, *vel*, coincidere potest, vt in aliis definitionibus interdum vsuenit: sic Porphyrius definit accidens, *Quod potest adesse & abesse, sine subiecti corruptione*. Quintò tandem, motus & quies, in definitione naturæ, nõ pro solo motu, & quiete locali, verumetiam pro quouis alio sumuntur, vt suprà edocui: sic autem cœlum non solum mouetur, verumetiam quiescit; siquidem, cum aliquando esset informe, & ornatu lucis, aliarumque qualitatum careret, à creatore suis numeris absolutum, & perfectum, est, ac proinde ad perfectionem aliquam accidentalem initio promotum fuit, in quo hactenus quiescit. Mitto alias solutiones, breuitatis causa: 12

Reliquæ definitionis particulæ, nimirũ *eius in quo est primo, & per se, & non per accidens*, denotant, vt insinuatum suprà est, principium motus, & quietis, ad hoc vt natura sit, debere componere per se & substãtialiter id quod mouetur, aut quiescit. Vnde infertur primo. Deum naturam non esse, nec natura constare, prout in præsenti natura sumitur: tum quia in Deo non est compositio substantialis: tum etiam quia in eo propriè motus non est, propterea quod motus cum mutatione coincidat, Deus autem omnis mutationis sit incapax: tum denique, quia estò diuinæ processiones immanentes, & ad intrà dicantur quodammodo motus, earum tamen principium, est in Deo non causa. Itaque, cum definitur generatio 13

tio viuentium, *origo viuentiũ à viuenti, à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ*, haud ſumitur natura in ea definitione, prout inpræſentiarum eſt ab Ariſtotele definita: aliàs generatio Verbi diuini impropriè, & metaphoricè generatio futura eſſet, vel certè minus ſtrictè quam generatio creata: cum natura ab Ariſtotele in præſenti definita in Deo propriè locum non habeat, vt iamiam conſtitutum eſt. Ergò natura, in definitione generationis viuentium, ſumitur fortaſsè pro principio operatiuo phyſicè, & realiter ad intrà; qua ratione proprietates ab eſſentia realiter productæ, eique intrinſecæ naturales dici ad-ſolent. Atque hoc ſenſu ſumpta natura, filium diuinum Patri in ſimilitudinem naturæ coniunctum eſſe, ſecus verò ſpiritum ſanctum Patri filióve; adeoque originem filij à Patre generationem eſſe poſſe, originem Spiritus ſancti à Patre filióque non generationem ſed proceſſionem, ſunt qui probabiliter exiſtiment. Verum de hoc alibi.

14 Infertur ſecundò ex dictis, Angelum etiam naturæ hic ab Ariſtotele definitæ omninò eſſe expertem. Siquidem in Angelo nulla eſt compoſitio ſubſtantialis etiam ex ſubſiſtentia, & natura, vt oſtendam inferius: quare in eo nullum erit principium motus, & quietis, eius in quo eſt primò, & per ſe, & non per accidẽs; cum particula illa, *primò, & per ſe*, ſignificet compoſitionem ſubſtantialem, in eo quod mouetur, vt iterum eſt atque iterum animaduerſum. Quod ſi cum cõmuniori ſententia Angelum ex natura, & ſubſiſtentia ſubſtantialiter componi quis cenſeat, adhuc Angelũ naturæ impræſentiarum definitæ exortem eſſe ſatis probabiliter defendere poterit: nimirum ſi particula, *primò*, dicatur ſignificare vnam compoſitionem ſubſtantialem, ex materia videlicet, & forma, quæ compoſitio ſubſtantialis primaria dici poteſt; & particula, *per ſe*, aliam compoſitionem ſubſtantialem, ex natura ſcilicet, & ſubſiſtentia, quæ compoſitio ſubſtantialis ſecundaria poteſt appellari: quando igitur Angelus vna tantum compoſitione ſubſtantiali, ſecundaria nimirum, non verò alia gaudet, quid mirum, ſi naturæ expers cenſeatur?

15 Infertur ex dictis tertiò, vnionem partium eſſentialium corporis naturalis non eſſe naturam: quia non eſt principium, & cauſa motus, & quietis, &c. ſed ſola ratio principiandi, cauſandique compoſitum. Infertur poſtremò ex dictis, compoſitum ipſum ſiue corpus ſubſtantiale completum non eſſe naturam, de qua in præſenti; quia non eſt primò, & per ſe in eo quod mouetur, ſed potius partes in eo primò, & per ſe inſunt: eò quod partes totum primò, & per ſe conſtituant, cum tamen totum ſe ipſum conſtituere nequeat: id quod Ariſtoteles perſpicuè docet hoc loco c. 1. tex. 12. vbi poſtquam ſolam materiam, & formam naturam eſſe tradidit, ſubinde ait; *quod autem ex iis eſt, naturæ quidem non eſt, ſed natura conſtat.*

CAPVT II.

Quid ſit ſubſiſtentia corporis naturalis, partiumque illud eſſentialiter componentium?

16 SVbſiſtentia quadrifariam accipi conſueuit. Primò pro exiſtentia rei, qualiſcunque ſit, vt conſtat ex Triſmegiſto in Aſclepio, vbi Deum vocat, *mentem conſeruatricem rerum omnium, in qua omnia viuunt, atque ſubſiſtunt*: & ex Gregorio 16. Moralium c. 18. ibi, *Aliud eſt eſſe, aliud principaliter eſſe; aliud mutabiliter, atque aliud immutabiliter eſſe: ſunt enim hæc omnia, ſed principaliter non ſunt, quia in ſemetipſis minimè ſubſiſtunt, & niſi gubernantis manu teneantur, eſſe nequaquam poſſunt.* Alia plura Philoſophorum, & Patrum id genus teſtimonia ſuppetunt, in quibus ſubſiſtentia, & exiſtentia ſiue eſſe pro eodem vſurpantur.

Secundò ſumi ſolet ſubſiſtentia, pro exiſtentia per 17
ſe, qua aliquid dependenter à ſubiecto inhęſionis exiſtit: qua ratione accidentia Euchariſtica ſubſiſtere dicuntur, quia per ſe, & independenter à ſubiecto inhærentiæ exiſtunt, vt patet ex B. Thoma opuſc. 57. ibi; *accidentia etiam in eodem ſine ſubiecto ſubſiſtunt.* Et hac etiam ratione exiſtentia cuiuſuis ſubſtantiæ dici ſolet ſubſiſtentia, vt colligitur ex Auguſt. lib. 7. de Trin. c. 4. ibi; *Sicut ab eo quod eſt eſſe appellatur eſſentia, ita ab eo quod eſt ſubſiſtere ſubſtantiam dicimus*: & ex Iſidoro lib. 1. different. cap. 4. ibi; *Subſtantia eſt id, quod non ab alio, ſed ſemper ex ſe eſt, id eſt quod propria in ſe virtute ſubſiſtit.*

Tertiò ſubſiſtentia pro actione ipſa, qua res aliqua 18
independenter à ſubiecto inhæſionis producitur, accipi conſueuit: ſiquidem ſubſiſtentia eodem modo ſe habet ad ſubſtantiam, quo inhærentia ad accidens; & ſubſtantiæ, tam proprium eſt ſubſiſtere, quam accidẽtis inhærere: at accidentis inhærentia in eius productione dependenter à ſubiecto conſiſtit, vt omnibus conſtantiſſimum: ergo ſubſiſtentia ſubſtantiæ etiam in eius productione independenter à ſubiecto inhæſionis ſita erit. Quartò demum ſubſiſtentia vſurpari ſolet, pro ſuppoſitalitate, qua ſuppoſitum aliquod v. g. equus, aut perſonalitate, qua perſona aliqua, homo v. g. conſtituitur. De qua, remiſſis in metaphyſicam aliorum ſententiis, quid ipſe ſententiam, in medium produco. Arbitror ergo, ſubſiſtentiam ſiue hypoſtaſim hominis v. g. ita ab eius partibus realiter diſtinctam eſſe, vt in toto ſubſtantiali, & phyſico, ac per ſe ex eis reſultanti ſita ſit, & ab illo reipſa non diſtinguatur: quæ ſententia, quamuis authoritate ſcholaſticorum deſtituta ſit, iis tamen rationibus corroborari poteſt, quæ mihi ſemper viſæ ſunt efficaces. Quarum prima ſit.

Compoſitum, ſiue totum per ſe, quod ex corpore, 19
& anima reſultat, ſeorſim à quouis alio eſt homo: at nequit eſſe homo, quin ſubſiſtat, & perſona ſit, vt omnium confeſſione euidens eſt: compoſitum igitur illud ſeorſim à quouis alio per ſe ipſum ſubſiſtit, ac proinde ſubſiſtentia compoſiti in ipſo, & non alio collocanda eſt. Maior probatur: quia homo eſt formaliſſimè animal rationale, id eſt principium radicale, &, *vt quod*, ſentiendi & diſcurrendi: ſed compoſitum ex corpore, & anima noſtra ſeorſim à quouis alio eſt eiuſmodi principium: quippè compoſitum illud ſuapte natura poſtulat, quidquid ad ſentiendum, & diſcurrendum opus eſt, animam nimirum diſcurſiuam, & ſenſitiuam, & corpus dependenter à quo ſentire, & diſcurrere poſſit. Ergo, &c.

Secunda ratio, & confirmatio prioris ſit. Homo nihil 20
aliud eſt, quam totũ per ſe, quod ex corpore & anima vnitis reſultat: at, ſi ſubſiſtentia hominis ab eo toto diſtingueretur, homo vlteriꝰ eſſet aliquid aliud, præter eiuſmodi totũ per ſe, videlicet ſubſiſtentia, vt manifeſtiſſimum eſt: ergo, &c. Maior probatur: quia homo ab omnibus Philoſophis definitur, compoſitũ ex corpore, & anima: definitum autem nihil aliud eſſe poteſt, quam definitio. Huc facit illud Plat. in Phædro; *animal totum vocatur anima ſimul, corpúſque compactum, & mortale animal cognominatur*: illúdque Aug. in expoſitione Pſalmi 145. ad verſum 1. ibi: *Nihil inuenimus amplius in homine, quam carnem, & animam: totus homo hoc eſt ſpiritus, & caro.* Ex quibus teſtimoniis, aliiſque ſimilibus tr. præcedenti c. 5. allegatis manifeſtè conuinci videtur, hominem nihil aliud eſſe, quam

partes

partes eius totaliter sumptas, seu, quod perinde est, quam totum, quod ex eius partibus, anima nimirum, & corpore, efflorescit.

21 Tertia ratio sit: subsistentia compositi est illa, quæ quidquid est in composito sustentat, & in qua partes omnes compositi, tam essentiales, quam accidentales insunt, iisque subsistit, vt ex ipso vocis etymo apertum est: quapropter Psalmo 68. regius vates habet; *infixus sum in limo profundi, & non est substantia*; alij vertunt; *non est subsistentia*: id est in altissimo tot calamitatum pelago fundum despero, cui subsistere possim, ne demergar. At partes omnes substantiales compositi, eiusque accidentia omnia in composito siuè toto per se insunt & inexistunt, vt omnibus est in confesso. Compositum ergò, siuè totum per se est formaliter subsistentia, atque hypostasis.

22 Quarta ratio sit: quia in rebus corporeis ex materia, & forma concretis natura, & subsistentia realiter distinguuntur: contrà verò in Angelis natura, & subsistentia sunt realiter indistinctæ. At huius discriminis alia esse causa nequit, nisi quia in rebus corporeis natura non aliud est, quam earum partes, nimirum materia, & forma, vt cap. præterito ex Aristotele statui; earum vero subsistentia non aliud, quam compositum siuè totum per se: totum autem huiusmodi, & partes physicæ realiter distinguuntur. Cæterùm natura Angelica in partibus logicis, aut, vt alij loquuntur, metaphysicis Angeli, genere scilicet, & differentia consistit (alias enim partes non habet) & subsistentia Angelica in toto per se logico, seu metaphysico: totum autem metaphysicum siuè logicum à suis partibus realiter non distinguitur: quæ ratio discriminis sanè nulla esse potest, nisi subsistētia, siue hypostasis in toto per se formalissimè consistat: ergo in eo consistit.

23 Prior pars maioris, qua vsus sum in superiori argumento, manifesta est ex incarnationis mysterio: nisi enim natura hominis ex materia, & forma compositi distingueretur realiter ab eius subsistentia, certe Verbum diuinum assumpta natura humana humanam etiam subsistentiam non posset non assumere: vnde in Christo duæ essent personæ: cuius oppositum tamen contrà Nestorium fide sanctum est. Posterior autem eiusdem maioris pars est B. Thomæ 1.p.q.3.art.3. ibi: *In his igitur, quæ non sunt composita ex materia, & forma, in quibus indiuiduatio non est per materiam indiuidualem, id est per materiam, sed ipsæ formæ per se indiuiduantur, oportet quod ipsæ formæ sint suppositæ subsistentia: vnde in eis non differt suppositum, & natura.* Hactenus ille. Et quidem subsistentiæ Angelicæ ab eius natura realiter distinctæ nulla necessitas, vtilitas nulla est.

24 Quinta ratio sit ex Concilio Florentino sess. 18. ibi; *Porrò autem actiones, iuxtà omnem scholasticorum scholam, suppositorum esse videntur, vt in hominum genere fieri videmus: quamuis enim hic homo, hoc est persona, vel suppositum generet, eius tamen substantia generationis eiusmodi principium est.* Ex quibus verbis sic argumentor: actiones sunt suppositorum, & suppositis attribuuntur: at actiones partium toti ex iis per se resultanti attribuuntur: qua ratione Aristoteles lib. 1. de anim. text. 64. ait ibi; *Melius dici animam non misereri, aut discere, aut ratiocinari, sed hominem anima*: totum igitur per se, suppositum, siue subsistentia est.

25 Sexta ratio est ex iis verbis Boëtij in lib. de duabus naturis; *persona est rationalis naturæ indiuidua substantia*: Quam definitionem personæ amplectuntur vnanimi cōsensu omnes Theologi, & Philosophi:

at hoc numero totum per se, quod ex anima rationali, & corpore resultat, seorsim à quouis alio est rationalis naturæ indiuidua substantia. Quidni ergò totum illud, circumscripto quouis alio, sit subsistentia siue hypostasis.

Septimò, ac postremò ostendo à nobis stare B. Th. 26
1.p.q 75.art.2.ad 1. ibi; *Hoc aliquid potest accipi dupliciter: vno modo, pro quocunque subsistente: alio modo, pro subsistente completo in natura alicuius speciei: primo modo excludit inhærentiam accidentis, & formæ materialis: secundo modo excludit imperfectionem partis: vnde manus posset dici aliquid primo modo, sed non secundo: & idem est de anima.* Quibus verbis per hoc aliquid subsistentiam intelligit, vt docet P. Suar. disp. 36. Met. sect. 5. & vno modo subsistentiam pro existentia, siue existente per se vsurpat, iuxtà ea quæ ad huius initium capitis edocui: alio verò modo subsistentiam, pro eo quod excludit imperfectionem partis, accipit: omne autem excludens imperfectionem partis est totum: subsistentia igitur siue hypostasis, iuxtà B. Thomam, est ipsum totum, quod à partibus realiter distinguitur, earumque imperfectionem formaliter excludit.

Fauet etiam Angelicus præceptor in secundum 27
sent. dist. 3. q. 1. art. 1. corp. fauétque, non solū quoad identitatem subsistentiæ cum composito physico, & per se, sed etiam quoad huius à partibus suis distinctionem realem, de qua tract. præced. necnon quoad indistinctionem subsistentiæ, & naturæ in Angelis paulò supra à nobis constitutam, dum quarto loco argumētaremur. Verba S. Doctoris sunt; *Sed cum quidditas, quæ sequitur compositionem, dependeat ex partibus, oportet quod ipsa non sit subsistens in esse, quod sibi acquiritur, sed ipsum compositum, quod suppositum dicitur: & ideo quidditas compositi non est ipsum quod est, sed est hoc quo aliquid est, vt humanitate est homo: sed quidditas simplex, cum non fundetur in aliquibus partibus, subsistit in esse, quod sibi à Deo acquiritur, & ideo ipsa quidditas Angeli est, quo subsistit ipsum suum esse.* Hactenus ille.

Vbi, cum docet, quidditatem alicuius rei substan- 28
tiæve materialis compositæ, siue, quod perinde est, partes quidditatiuas, & essentiales non subsistere se ipsis, solúmve compositum se ipso subsistere; an non totum cōpositum à partibus realiter distinguit? Rursus, cum ait, quidditatem compositi, siue hoc quo est, aut, quod perinde est, partes compositi non esse compositum, vel ipsum quod est, nónne eandem distinctionem totius compositi à partibus repetit. Præterea verba illa, *Ipsum compositum quod suppositum dicitur*, quid nisi subsistentiam in composito, ac toto per se consistere denotant? Tandem illa clausula, *Et ideò ipsa quidditas Angeli est, quo subsistit ipsum suum esse*, adeò manifestè significat, naturam Angeli, & eius subsistentiam realiter non distingui, vt nihil esse possit manifestius.

Caput III.

Vlterior superioris doctrinæ explicatio, & ab argumentis contrarijs vindicatio.

Arbitrabitur fortasse aliquis, nostram de hypo- 29
stasi sententiam parum, aut nihil abesse ab opinione Durandi: quam tamen P. Suarez disp. 36. Met. sect. 1. suppotis mysteriis fidei nullo modo defendi posse merito pronuntiat. Quare operepretium erit, nostram sententiam amplius explicare, & eius ab exosa, & exoleta iam sententia discrimen statuere.

Durandus ergo in 1. dist. 34. quæst. 1. docet, subsistentiam humanam à natura humana sola consideratione differre; quo fiet, vt Verbum assumpta natura humana subsistentiam, siue personam humanam assumpserit, quod Nestorianum, & hæreticum est. At in nostra sententia subsistentia humana à natura humana manifestè distinguitur realiter: siquidem natura humana propriè sumpta est sola materia, & forma hominis; totum autem ex iis resultans propriè natura non est, sed natura constat, vt expressis, & conceptis verbis docet Aristoteles c. 1. huiusmet tractatus: subsistentia verò humana est totum, quod ex partibus resultat. Cum ergo totum à partibus simul sumptis realiter distinguatur, sanè subsistentia hominis ab eius natura realiter distinguitur, ac proinde Verbum assumere potuit naturam humanam, quin subsistentiam humanam assumpserit. Præterea, & eodem redit: Durandus totum à partibus simul sumptis realiter non distinguit: quare cum Christus Dominus partes humanitatis simul sumptas assumpserit, totum ex iis resultans non potuit non assumere; id quod ipse Durandus disertè fatetur: quando ergò subsistentia in toto sita est, Christum Dominum subsistentiam humanam assumpsisse ei necessario fatendum est. At in nostra sententia, in qua partes à toto distinctæ, & quodammodò separabiles sunt, Christus potuit assumere partes naturæ humanæ, quin earum totalitatem siue integritatem assumpserit, ac per consequens nec subsistentiam. Hactenus primum argumentum contra nostram sententiam cap. præcedenti propositam, necnon eius solutio.

30 Argumentaberis aduersùs eam secundo: Verbum assumpsit totum illud per se, quod ex corpore, & anima rationali Christi Domini resultat: atqui non assumpsit subsistentiam vllam, vt fide cautum est: subsistentia igitur à toto distinguitur. Maior probatur: primò quia Verbum assumpsit humanitatem; aliàs qua ratione homo factus esset? sed humanitas in toto ex corpore, & anima resultanti tota posita est. Secundò, & recidit in idem, quia Verbum diuinum totam essentiam hominis assumpsit (essentia enim hominis à natura humana non differt, totam autem naturam humanam assumpsit, vt de fide est:) at essentia hominis in toto, quod ex eius partibus resultat: formalissimè sita est.

31 Respondeo Verbum diuinum non assumpsit totum per se, siue totalitatem, & integritatem illam, quæ ex corpore, & anima sibi vnitis resultasset, si non vnirentur: aliàs aliquam substantiam non solum partialem, & incompletam, verumetiam completam assumpsisset, quam postea missam faceret; contrà illud à nemine non receptum principium, *Verbum, quod semel assumpsit, nunquam demisit*: siquidem integritas & totalitas illa, quæ ex corpore, & anima vnitis iuxtà aduersarios resultat, in triduo mortis Christi ei non deesse non potuit. Quocircà maior argumenti falsa est, ac neganda.

32 Ad primam autem negatæ maioris probationem dicendum est, Verbum assumpsisse quidem humanitatem; at hanc non consistere realiter, & per identitatem veram, in totalitate, de qua agimus, sed potius in sola materia, & forma hominis. Quod suadeo, quoniam ea totalitas est homo: at humanitas non est omninò idem ac homo: ergò nec idem atque præfata totalitas: id patet, quia aliàs Verbum assumens humanitatem assumpsisset hominem, cuius contrarium docent contrà Ludouicum Viues omnes scholastici, vt testatur P. Vasquez tom. 1. in 3. part. disp. 35. cap. 1. num. 1. Rursus humanitas perinde est, ac natura humana: hæc autem consistit formaliter, non in toto resultante ex partibus hominis, nempè materia, & forma, sed in his ipsis, vt capite primo huius tractatus demonstratum est: in earumdem ergò partium collectione, non verò in toto, quod constituunt, collocanda est humanitas. Denique quod humanitas non sit integritas realiter distincta à partibus est sententia B. Thomæ lib. 4. contra gentes cap. 81. ad 3. vbi sic inquit: *De humanitate non intelligendum, quod sit quædam forma consurgens ex coniunctione formæ ad materiam, quasi realiter sit ab vtroque: quia cum per animam fiat materia hoc aliquid actu, vt dicitur secundo de anima, illa tertia forma consequens non esset substantia, sed accidens.*

Rectè autem Angelicus præceptor de humanitate 33
colligit fore accidens, si distingueretur realiter à partibus hominis: haud enim esset materia, forma substantialis, aut earum vnio, vel subsistentia: quid ergo nisi accidens esset? At de homine non potest similiter inferri, quod sit accidens, esto iuxtà nos distinguatur à partibus suis simul sumptis: nam, quamuis non sit earum aliqua, est tamen subsistentia; quod ei sufficit, ad hoc vt sit substantia, non accidens. Ad alteram porrò negatæ maioris probationem dicendum est, essentiam hominis aliam esse constitutiuam, aliam constitutam, siue completam: Verbum autem totam essentiam constitutiuam hominis, non vero totam eius essentiam constitutam siue completam assumpsit; id enim fuisset assumere hominem, quod nequit admitti: quare, cum totum, de quo loquimur, non in essentia constitutiua siue natura humana, sed in essentia constituta atque completa formaliter consistat, non est, cur Verbum assumpsisse debuerit eiusmodi totum.

Argumentaberis tertiò: subsistentia Angeli ab es- 34
sentia singulari completa Angeli realiter distinguitur: ergo & subsistentia hominis ab essentia singulari completa, quæ ex corpore & anima rationali resultat. Consequentia videtur proba. Probatur antecedens: primò, quia quæ in Deo virtualiter distinguuntur, ea realiter distinguuntur in rebus creatis: quo pacto intellectio, & volitio, vt in Deo virtualiter, sic in nobis sunt realiter distinctæ: sed essentia singularis completa Dei siue deitas à subsistentia diuina virtualiter distinguitur: ergo essentia singularis completa Angeli, & cuiusuis alterius creaturæ à subsistentia sua non poterit non realiter distingui. Secundò, quia nulla substantia creata possibilis est, quæ alicuius compositionis accidentalis capax non sit: ergò nec quæ alicuius substantialis capax non sit: at nisi in Angelo subsistentia ab eius essentia realiter distingueretur, & cum ea compositionem substantialem efficeret, sanè Angelus omnis compositionis substantialis esset expers. Tertiò denique, quia Verbum assumere potuit essentiam singularem completam Angeli: at non potuit assumere subsistentiam siue personalitatem Angeli: aliàs in Verbo sic vnito, & Angelo, in tempore, facto, duæ personæ esse possent: atque adeò non esset cur in Christo, siue Deo homine eæ similiter esse non possent: igitur essentia singularis Angeli ab eius subsistentia realiter distinguitur. Maior perspicua est ex illo Pauli ad Hæbreos 2. *Nusquam Angelos apprehendit*: vbi Paulus supponit, Deum assumere potuisse naturam Angelicam, non minus quam humanam: at noluisse propter specialem erga homines, & maiorem quam erga Angelos, beneuolentiam, vt plerique Patres præsertim Latini interpretantur.

Respon

35 Respondeo, negato antecedenti: Ad primam eius probationem dicendum est, non semper quæ in Deo virtualiter distinguuntur, oportere realiter distingui: siquidem in Deo gradus metaphysici superiores, & inferiores sunt virtualiter distincti, tantundémque, & non amplius distinguuntur in rebus creatis: quare quamuis, &c. Deinde natura diuina, iuxtà non paucos Theologos, præter subsistentias relatiuas habet subsistentiam quandam absolutam à se virtualiter indistinctam: non est ergo, cur subsistentia Angeli, quę quidē absoluta est, ab eius natura siue essentia realiter distinguatur. Quod autem subsistentiæ relatiuæ virtualiter distinctæ sint à natura diuina, non obest: tum quia relatiuæ sunt, & non absolutæ, ad instar subsistentiæ Angelicæ: tum etiam, quia earum virtualis à deitate distinctio, coniuncta cum earum inter se reali distinctione, proficiscitur ab infinita Dei fœcunditate, quæ in creatis locum non habet: tum denique, quia alias, sicut natura diuina tribus illis subsistentiis relatiuis virtualiter à se distinctis subsistit, ita natura Angelica tribus similiter subsistentiis à se realiter distinctis denominari posset, & deberet subsistens.

36 Ad secundam probationem eiusdem antecedentis dicendum est, fortassis non repugnare in alia rerum serie substantiam creatam, quæ se ipsa vbicata, durans, quanta, & qualis, omnisque compositionis accidentalis expers sit: vnde non est cur, &c. Et quidem P. Suarez disputat. 31. Metaphys. sect. 13. num. 26. post. quam dixit; *probabile est, nullum esse possibile ens creatum, quod in re ipsa non habeat compositionem aliquam ex subiecto, & accidente*; paucis interciſis ibidem addit; *An verò hoc sit necessarium in omni substantia creata, vel creabili, non satis constat, nec videtur posse demonstrari ex sola ratione entis creati vt sic, quamuis probabilior sit sententia, quæ hoc affirmat.* Vbi satis indicat probabilitatem sententiæ affirmantis, non repugnare substantiam creatam, finitámve nulla compositione accidentali præditam. Sed ea sententia falsa esto, si libet: certè à compositione accidentali Angeli ad substantialem eius compositionem perperam arguitur: aliàs sicut multiplici compositioni accidentali subest, ita etiam non vnam compositionem substantialem ex natura, & subsistentia, sed longè plures poterit suscipere: quod tamen adeò est absurdum, vt nihil suprà.

37 Ad tertiam eiusdem etiam antecedentis probationem dicendum est, locum illum Pauli ad Hebræos 2. superius obiectum, non de assumptione per vnionem hypostaticam, sed de cura Angelos redimendi, à P. Ribera & aliis intelligi: quasi diceret Apostolus; nusquam Deus Angelos redimendos suscepit, post eorum lapsum, pro eo ac potuit. Rursus Verbum diuinum subsistentiam Angelicam, & quamuis aliam creatam sibi hypostaticè vnire valuit; idque Paulus vbi suprà fortassis supposuit: quod autem hinc sequatur in Christo duas personas esse posse, iuxtà aliam vtique prouidentiam ac rerum seriem, nullatenus absurdum est: cum Ecclesia contra Nestorium, & alios tantum damnarit, eas actu Christo inesse, siue eas inesse Christo, qui modò est, non qui esse posset.

38 Argumentaberis quartò: si subsistentia seu personalitas hominis v.g. esset formaliter totalitas ex eius partibus resultans, haud posset explicari de eiusmodi personalitate, & totalitate, in qua ponitur, an esset spiritualis, vel materialis, vt obiicit P. Suarez citata disputat. 36. Metaphys. section. 3. num. 10. parum ante finem: cur enim sit potius materialis, ratione corporis, quod connotat, quam spiritualis, beneficio animæ rationalis, quam æquali necessitate præsupponit? At quod sit, vel materialis, vel spiritualis, est prorsus necessarium. Respondeo, vti, in sententia P. Suarez, & communiori Doctorum, non est inexplicabile de vnione corporis, & animæ rationalis, an sit spiritualis, vel materialis, sed potius ea materialis euadit, denominatione sequente debiliorem partem, de quo suprà tractat. 8. cap. 5. ita similiter magis erit, vt subsistentia hominis, & integritas in qua consistit, materialis sit, à corpore cui affigitur, quam spiritualis, ab anima rationali, quam corpori vnitam necessario postulat.

39 Argumentaberis quintò: homo est personalitas hominis: homo autem non consistit in integritate, seu totalitate ex partibus suis, nimirum materia, & forma vnitis, distincta, & resultante: ergo nec in ea consistet personalitas, siue subsistentia humana. Maior est à nobis suprà sæpissimè concessa, nec concessa solum, sed ex professo probata. Minor suadetur: quia in morte hominis nequit non perire totalitas ex vnione partium hominis necessariò dependens, ac resultans: ergo, si in ea totalitate consistit formaliter, & per identitatem homo, non poterit hic, dum moritur, non perire ac destrui secundum suam substantiam, & prædicata quidditatiua atque essentialia. Consequens autem est contrà Dionysium de Cœlesti Hierarchia, vbi sic inquit: *Mors in nobis non est substantiæ consumptio, sed vnitorum separatio.* Respondeo, Dionysium loco citato intelligere nomine substantiæ naturam, ac non aliud asserere, quam quod homine moriente haud pereat eius natura strictè sumpta, id est materia, & forma rationalis: at cum hoc cohæret, quod, præter vnionem partium hominis, pereat huius substantia completa, & personalis, quatenus à natura distinguitur: nihil ergo asseruimus, quod possit ex Dionysio, aut aliis Patribus refelli.

40 Argumentaberis sextò ex Aristotele 7. Metaph. text. 60. vbi sit ait; *Et caro non solum ignis & terra, sed etiam aliquid aliud:* quo loci caro sumitur pro carne completa, totoque animali: ad modum, quo Genes. cap. 6. cum dicitur; *Omnis quippè caro corruperat viam suam, super terram*; Sanè particula illa, *caro*, per synechdochen significat totum hominem, vt notant super eum locum noster Cornelius à Lapide, & communiter alij expositores. Tum sic: caro completa, siuè animal est suppositum: at iuxtà Philosophum caro completa animálve præter partes inuoluit aliud quidpiam, nempe integritatem ex partibus resultantem: suppositum ergo, aut subsistentia creata non est sola integritas partium, vti nos adstruximus suprà, sed simul integritas partium, & hæ ipsæ, siue harum, & illius complexum. Respondeo, suppositum includere quidem iuxtà Aristotelem tam partes, quam partium totalitatem; sed aliter, & aliter: nam est totalitas formaliter, & per identitatem; contrà verò de partibus ipsis dicitur non formaliter sed causaliter, vt constat ex dictis tract. præcedenti capite quinto.

41 Argumentaberis denique septimò: si homo, seu subsistentia personáve hominis esset integritas ex natura humana, aut humanitate, materia scilicet, & forma rationali, resultans; non posset homo non distingui realiter adæquatè ab humanitate, & hæc adæquatè esse extra conceptum illius. Consequens autem est absurdum: quid enim intimius, aut identificatius alteri esse potest, quam

humanitas homini? Certè Deus non diſtinguitur realiter adæquatè à Deitate, nec res à realitate, énſve ab entitate; nec album ab albedine; nec hic homo, qui eſt Chriſtus, à ſua humanitate, materiaque, & forma rationali aſſumptis: idem reperire eſt in cæteris concretis, & abſtractis: ſimiliter ergo in præſenti, &c.

42 Reſpondeo conceſſa ſequela, & negata conſequentis abſurditate. Ad inductionem autem contrariam dicendum eſt, ea haud benè probari humanitatis cum homine puro identitatem realem adæquatam. Namque inprimis, quod Deus, & Deitas nullatenus diſtinguantur realiter, oritur ab vtriuſque infinitate; quæ ratio in nobis non procedit: ſic etiam in Deo ſapiens, & ſapientia non diſtinguuntur realiter; & tamen in creaturis diſtinctionem habent realem. Rurſus ens, & res ob id non diſtinguuntur realiter ab entitate, & realitate, quia ſunt termini tranſcendentes, de quorum ratione eſt, imbibi in quibuſuis conceptibus obiectiuis, adeóque in ſuiſmet abſtractis, at quis videat, hominem non eſſe terminum tranſcendentem? Præterea album ideo non diſtinguitur realiter ab albedine, ſed eam, & parietem per identitatem includit, quia eſt ens per accidens: homo autem eſt ens, vnumque per ſe, vt dictum eſt. Vlterius ea de cauſa hic homo, qui dicitur de Chriſto, intime, & per veram identitatem includit corpus, & animam, adeoque humanitatem, quia quamuis eam ita includat, poteſt eſſe ens per ſe, vt ſupra demonſtratum eſt tractat. 9. cap. 7. At ſi homo purus, quem ab eius perſonalitate non diſtinguimus, inuolueret identicè ac formaliter collectionem partium ſuarum, non poſſet eſſe ens per ſe, non niſi per accidens tale: proinde, &c.

Inſuper, iuxtà non paucos aduerſariorum haud 43
poteſt eſſe verum, cætera omnia concreta debere aliquo modo identificari cum abſtractis à quibus dicuntur. Siquidem ens, & eſſentia ſunt quaſi concreta, & denominatiua ab eſſe, ſiue exiſtentia, à qua tamen iuxtà Thomiſtas pleroſque realiter diſtinguuntur. Iuxtà eiuſdem etiam ſcholæ nonnullos eſſe cognitum eſt ens rationis, adeoque realiter adæquatè diſtinctum à cognitione, quippe quæ eſt proculdubio ens reale: & tamen cognitio, & cognitum inſtar concreti, & abſtracti comparantur inuicem. Denique, tametſi in cæteris concretis, & abſtractis repugnaret diſtinctio realis adæquata inter illa, quod nihilominus non poſſit repugnare, ſed potius ſit neceſſaria inter concreta ſubſtantialia, & per ſe finiti omnino ordinis, eorumque abſtracta, cuiuſmodi ſunt homo, & humanitas, equus, & equinitas, &c. abundè à nobis eſt in ſuperioribus probatum.

LIBER

LIBER TERTIVS

DE

Compositione continua corporis naturalis.

TRACTATVS PRIMVS.

Quousque compositio continua de conceptu corporis naturalis sit.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit compositio continua, & an totum continuum ex ea resultans sit vnum per se.

1 EXPLICATA compositione essentiali corporis naturalis, eius compositionem continuam aggredimur, tot punctis interpunctam, tot lineis delineatam, tot superficiebus contentam, ac tot diuisionibus sectilem, vt vix aut ne vix quidem comprehendi, aut explicari possint. Quis enim partes infinitas definire, indeterminatas determinare, aut inæquales disputando æquare possit? Et cum tot difficultates quot partes occurrant, quis omnibus par esse possit? Hic quidem labyrinthus ille nulli remeabilis, nulli non imperuius, à summo artifice per innumeros anfractus, per infinitos Mœandros flexus atque reflexus: credo equidem, vt humani ingenij vel in vnguis compositione cœcutientis elatio detumescat. Communis & Peripateticæ doctrinæ filo regar: non quod exitum inter tot ambages sperem; sed quod ambigere cum plerisque, quam errare cum paucis malim.

2 Primò autem, vt à facilioribus incipiam, compositio continua est, qua partes aliquæ inter se, & non per modum subiecti, & formæ, vniuntur: quo pacto collum v.g. cum capite vnitur, quin alterum sit alterius subiectum, aut forma: quid autem sit, vnam partem esse alterius subiectum, & è contrario alteram prioris esse formam, liquet ex dictis supra lib. 2. tract. 2. cap. 5. Porrò compositio continua interdum est partium impenetratarum, vt in adducto exemplo cernere est; interdum verò partium penetratarum, vt cum gradus intensionis vniuntur, & subiectum aliquod secundum idem calescit, aut penes quamcumque aliam qualitatem sensim augetur. Cæterum compositio essentialis semper partes penetratas, & in eodem existentes loco postulat.

3 Continuum autem totúmque Mathematicum ex præfata compositione resultans est, quantum sentio vnum per accidens, & non per se. Probatur à priori, quia, vt demonstratum est lib. præced. tract. 9. cap. 7. totum vnumve per se est, quod non identificat sibi pluralitatem intensiuam partium, talémve partium collectionem, quæ singulis earum intensiuè sit perfectior: vnum verò, seu totum per accidens est, quod eiusmodi pluralitatem siue collectionem partium habet secum identificatam: ex quo vtriusque totius vniusve discrimine fit, Christum dominum, esto partes suas, corpus scilicet, & animam rationalem, Verbique subsistentiam includat per veriſſimam identitatem, nihilominus haud esse vnum per accidens, sed per se: nimirum quia prædictarum partium collectio earum vnam, nempe Verbi personalitatem intensiuè non excedit: cum interim album v. g. sit è contrario vnum non per se, sed per accidens, quæ est eius identitas cum partibus, quæ collectim sumptæ sint perfectiores intensiuè, quam earum quælibet in singulari: necnon homo, qui de Petro v.g. prædicatur, haud alia de causa esse possit vnum per se, nisi quia omnem à se pluralitatem partium, adeoque intensiuam excludit. His constitutis, continuum minimè distinguitur à suis partibus, vt probatum manet capite postremo tractatus octaui eorum, quos continet liber præcedens iam citatus: tales autem eius partes collectim sumptæ sunt perfectiores intensiuè loquendo quauis earum seorsim vsurpata; nec mirum, cum omnes sint finiti ordinis: illud ergo identificat sibi pluralitatem intensiuam partium; ac proinde est totum, vnumque non per se, sed per accidens.

4 Enimverò continuum, præsertim substantialium partium, esse vnum per se & non per accidens tuentur Hurtado disp. 15. physic. sect. 1. §. 7. & Arriaga disp. 16. phys. sect. 1. num. 6. Pro quorum sententia aduersùs nostram obiicies primò: si omnes partes hominis v. g. inuicem abscissæ essent, & nec caput collo, nec hoc pectori, nec pectus reliquo corpori cohæreret, nec solum hæ partes determinatæ & præcipuæ, sed, quod plus est, partes materiæ hominis proportionales, & indeterminatæ forent omnes à se inuicem separatæ, sanè quantumuis anima rationalis vnita illis esset, non tam homo ex iis resultaret, quam monstrum quoddam partium discretarum hominis: ergo compositio continua vel omnium, vel certè præcipuarum partium hominis, totumque continuum immediatè ex iis coalescens est de primo, & quidditatiuo conceptu hominis, adeoque vnius per se, cum sublata ea compositione, & eius proximo termino reperiri non possit homo. At vnum per accidens haud potest esse de primo, & quidditatiuo conceptu vnius per se: quomodo enim oppositorum alterum esse potest de quidditate, & prima ratione alterius? continuum ergò resultãs ex compositione partium corpotearum hominis non est vnum per accidẽs, sed per se.

Respon

5 Reſpondeo, vnum per accidens bifariam ſumi poſſe: primò pro compoſito ex ſubiecto, & accidenti: ſecundò pro collectione plurium ſubſtantiarum finiti ordinis. Priori autem modo haud poteſt eſſe de primo, & quidditatiuo conceptu vnius ſubſtantialis, ac per ſe: id enim foret, accidens eſſe de quidditate, & eſſentia ſubſtantiæ; quo nihil omnium confeſſione falſius. Cæterùm poſteriori modo eſſe poteſt de vnius ſubſtantialis, ac per ſe quidditatiuo conceptu. Quod patet, quia aggregatum corporis, animi rationalis, & vnionis eſt eo modo vnum per accidens, vt in loco oſtenſum eſt: & tamen eſt de conceptu quidditatiuo hominis. Tum etiam ens abſolutum v.g. albedo eſt de primo, & quidditatiuo conceptu entis relatiui, ſiue relationis prædicamentalis, cum hanc ſimul cum alia albedine conſtituat, & cum ea realiter inadæquatè identificetur: quidni igitur aliquod vnum per accidens eſſe poſſit ſimiliter de quidditate vnius per ſe, quantumuis opponantur ambo? Tum denique, quod eſt vnum per ſe conſtituit quidditatiuè vnum per accidens: quiuis enim lapis acerui eſt ens, vnumque per ſe: ergo è contrario vnum aliquod per accidens tale poterit primario, & quidditatiuè conſtituere atque cauſare vnum per ſe: quanquam ergò continuum partium corporearum hominis ſit vnum per accidens, poſteriori modo eorum quos nuper explicui, nihilominus eſſe poterit de primo, & quidditatiuo conceptu hominis, qui eſt vnum ſubſtantiale, & per ſe.

6 Obiicies ſecundo: materia prima eſt ſuapte natura vnum per ſe: ſed etiam eſt continuum quoddam: ergo aliquod continuum eſt vnum per ſe. Maior probatur, quia materia prima eſt ſubſtantia: ergo ens per ſe: ergo vnum per ſe: ſicut enim vnitas eſt paſſio entis, ita & vnitas per ſe paſſio eſt entis per ſe, & hoc ſine illa nuſquam inuenitur. Minor autem probatur, quia materia prima eſt eſſentialiter diuidua in plures partes: quare, ſi omnes eius partes ſeparatentur inuicem (quod, an poſſibile ſit, diſcutietur infrà) certè in eo euentu collectio illa partium ſeparatarum materia non eſſet; ſicuti collectio partium eſſentialium hominis ſine vnione, & compoſitione homo non eſſet. At ſolum compoſitum diuidi, & diſſecari poteſt in plures partes: ergo materia prima ſponte ſua compoſitum eſt: non autem eſſentiale: ergo continuum.

7 Reſpondeo, maiorem, minoremque argumenti eſſe falſas; & nec materiam eſſe vnum per ſe, nec etiam continuum formaliter tale, de quo ſolo diſputamus. Ad probationem maioris dicendum eſt, materiam primam non eſſe ſubſtantiam, ſed ſubſtantiarum ſeu partium proportionalium, & infinitarum collectionem, ac proinde non eſſe ens per ſe, ſed entia per ſe: quare non eſt, cur ſit vnum per ſe. Dicitur autem ſubſtantia, & ens per ſe, non quod eiuſmodi ſit formaliter, & ſtricte, ſed tantum cauſaliter, propterea nimirum, quod ſimul cum forma ſubſtantiali aliquod ens per ſe, ſubſtantiámque, nempe completam conſtituat, & intrinſecè cauſet. Aut fortè in ea enuntiatione, qua ſubſtantia, & ens per ſe de ea prædicatur, ſingulare pro plurali accipitur: ea ratione, qua Ænæidos 1. *Tros Tyriuſque mihi nullo diſcrimine agetur*, perinde eſt, ac Troes, Tyriique, &c.

8 Ad probationem minoris dicendum eſt, ſi materia prima foret formaliter diuidua in plures partes, futuram haud dubiè compoſitum, formaliter, nec aliud quam continuum: diuiſio enim, ac ſeparatio non eſt niſi vnitorum inuicem in aliquo compoſito: nec rectè dixeris, poſſe formaliter diuidi, niſi quæ prius coniuncta ſunt atque vnita: quamobrem aliquid eſſe diuiſibile formaliter eſt, illud eſſe compoſitum, & habere partes vnitas: ex quo conſequens eſt, materiam primam, vt dictum eſt, fore compoſitum continuúmque, ſi eſſet formaliter diuidua. Cæterùm longè verius eſt, quod docet Arriaga, vbi ſuprà num. 3. eam non eſſe formaliter diuiduam, ſed tantum radicaliter, & remotè, quatenus ſcilicet partes, in quibus ſolis ſita eſt, habent capacitatem remotam, & aptitudinem, vt vniantur inter ſe, & vnitæ poſſint iterum diuidi, & ſeiungi. Et quidem, iuxtà aliquos eorum, quibuſcum diſputamus, compoſitum omne formaliter tale ita dicitur produci, ſicut eius producitur vnio: quare homo, inquiunt, generatur, quia eius generatur vnio, tametſi corpus eius, atque anima creentur: ergo, ſi materia prima eſt compoſitum, continuumque ex partibus materialibus vnitis formaliter conſurgens, ſanè ea non dicetur creari, ſed generari: cum vnio partium, quibus conſtat, haud dubiè generetur.

9 Obiicies tertio: vna pars materiæ petit alteri vniri; alterutra ergo per ſe reſpicit aliam: earum ergo vnio eſt per ſe: ergò continuum ex iis vt vnitis ſiue ex earum vnione coaleſcens eſt vnum per ſe: vt enim ex albedine v.g. fit album, & ex nigredine nigrum, & ſic de aliis, quidni ſimiliter ex vnione per ſe fiat vnum per ſe? Reſpondeo, vnum per ſe, ſtrictè loquendo tale, non habere pro abſtracto vnionem partium ſe inuicem exigentium, ſiue vnionem per ſe. Nam inde ſequeretur, nec Deum, nec Angelum eſſe vnum per ſe; cum neuter præfatam inuoluat vnionem, imò nec vllam vnionem, aut partes vnitas. Deinde fieret etiam inde, Chriſtum eſſe minus vnum per ſe, quam Petrum v.g. aut quoduis aliud ſuppoſitum finitum; propterea ſcilicet quod ſubſiſtentia verbi, & humanitas, quibus Chriſtus conſtat, minus ſe exigant, & hoc ſenſu minus vniantur per ſe, quam ſubſiſtentia creata, & humanitas, quæ iuxtà aduerſarios Petrum conſtituunt.

10 Itaque abſtractum vnius per ſe, à quo hoc dicitur, ac denominatur, non tam eſt vnio per ſe, quam vnitas per ſe, hoc eſt excluſio pluralitatis intenſiuæ partium ſuprà ſæpius explicatæ: vnio autem per ſe eſt abſtractum ſolius vniti, aut aggregati per ſe talis. Atque hæc propter continuum partium materiæ inter ſe vnitarum, ab earum vnione per ſe haud debet dici vnum per ſe, ſed vnitum, vel aggregatum per ſe. Quod ſi inſtes, collectionem partium materiæ inuicem vnitarum, vt vnitum per ſe ita etiam compoſitum, totumque per ſe dici poſſe; reſpondeo, ideo non poſſe, quia iuxtà communem Auctorum ſententiam, compoſitum, totumque per ſe, non cum vnito, aut aggregato per ſe, ſed cum vno per ſe ex partibus aliquibus vnitis reſultante coincidit.

11 Obiicies quartò: vnio partium materiæ non eſt accidens, ſed veriſſima ſubſtantia: eius etiam extrema ſubſtantialia ſunt, & non accidentalia: nequit autem eſſe vnum per accidens id, quod nullum inuoluit accidens: continuum ergo partium materiæ eas ſolas, earumque vnionem, adeoque ſolas ſubſtantias, & non accidens vllum inuoluens haud poteſt eſſe vnum per accidens: ergo eſt vnum per ſe. Reſpondeo tamen, collectionem plurium ſubſtantiarum omniſque accidentis expertem nihilominus eſſe poſſe vnum per accidens, vt ex huius definitione ad initium huius capitis propoſita perſpicuum eſt; vtque inde conſtat, quod duo Angeli diuinitus vniti forent vnum per accidens, & non per ſe, vt fatetur Arriaga citata ſection. 1. num. 10. Et tamen iuxtà eundem illorum vnio eſſet ſubſtantialis, ſicut ipſi tales ſunt, nihilque conſequenter in eo eſſet toto, ſiue cumulo,

quod

quod non esset substantia, nihil rationem obtinens accidentis.

12 Obiicies denique quintò: continuum partium materiæ deseruit homini ad varias functiones, & operationes: quippe sine quo nec pupilla v.g. ei constare potest ad videndum, nec aures ad audiendum, nec musculi, neruique manuum, & pedum ad motum exercendum, & sic de cæteris membris: eiusmodi ergo continuum non est vnum per accidens in homine, sed per se: quod enim vnum esse potest in homine magis per se, quam id sine quo nihil in corpore potest operari?

13 Respondeo, vnum, quatenus formaliter tale, magis connotare diuisionem, & pluralitatem, ex conceptu suo eam excludendo, quam actionem, cuius sit principium: tum, quia vnum perinde est, atque indiuisum: tum etiam, quia etiamsi præscindamus ratione nostra naturam diuinam à Trinitate personarum, & ab omni etiam respectu ad creaturas vt ab ea producibiles, nihilominus intelligitur vna: & tamen eam ita præscisam haud concipiemus principium, causámve vllius operationis ad intrà, vel ad extrà. Quapropter, vt ab vno gradum faciamus ad vnum per se, hoc formaliter sumptum non erit, quod requiritur per se ad operandum, sed quod per se excludit pluralitatem intensiuam partium, nec cum ea formaliter ac per se identificatur: proinde, licèt continuum coalescens ex vnione partium materiæ ad functiones hominis per se sit necessarium atque requisitum, cum tamen præfatam pluralitatem partium per se non excludat, sed potius per identitatem includat, magis erit, vt sit vnum per accidens, quam per se. Adiice, potentias omnes hominis, iuxtà satis communem, & non improbabilem sententiam, distingui ab illo, velut accidentia à subiecto, atque adeò cum eo constituere vnum, non per se, sed per accidens: & tamen eas homini ad operandum esse omninò necessarias.

Caput II.

An possibile sit corpus naturale, quod continue compositum non sit?

14 Corpus omne naturale sub lunæ cauo à Deo conditum integraliter, seu continuè componi, sensu, & experientia notum est: nullum enim non potest in partes dissecari, ac diuidi: impossibilis autem esset talis diuisio integralis vtique, de qua loquimur, sine pluralitate partium integrantium, atque continuatarum. Id ipsum dicendum est, de corporibus celestibus, quæ circum nos mouentur, ac properant: quomodo enim eorum vna pars continua succederet alteri, per motum cirularem, nisi partibus continuis constarent? Quod ergo difficultatem continet non modicam est, an possit Deus condere corpus naturale ex nullis partibus continuis, aut integralibus compactum. Ipse non dubito, quin eiusmodi corpus sit possibile: eiusque possibilitatem his rationibus ostendo.

15 Non est de conceptu entis corporei, & naturalis vt sic compositio continua: possibile igitur est corpus aliquod naturale completum, siue suppositum, quod eiusmodi compositionis expers sit. Consequentia perspicua est. Antecedens suadetur, ad homines contrà Thomistas: quia iuxtà eos animæ brutorum saltem perfectorum indiuisibiles sunt, atque adeo omnis continuæ compositionis expertes: & tamen materiales sunt: cur ergo repugnet suppositum aliquod materiale atque corporeum, nulla compositione continua præditum? Deinde, quidquid sit, an animæ, vel omnium, vel aliquorum brutorum de facto existentes sint indiuisibiles, de quo alibi: certè non video, cur saltem possibiles non sint animæ materiales, & à corpore dependentes, quæ eiusmodi compositionis expertes sint: ergo etiam substantia aliqua materialis completa eius expers impossibilis non erit.

Præterea ad homines, contra eos, qui puncta ma- 16
terialia physicè indiuisibilia, pluribus tamen spatiis imo infinitis versus minimum coextensa admittunt, sic argumentor. Punctum aliquod materiale plura spatia occupat, absque vlla sui diuisione, quæ diuisibili spatio correspondeat: quid ergo vetat, ne ens aliquod materiale completum absque vlla diuisione sui, aut compositione continua partium, plures spatij partes occupet? Equidem, & si eiusmodi puncta inflata, vt aiunt, actu non existant, continuumque non componant, cæterum ea impossibilia esse, nulla ratione persuaderi potest: at in iis tametsi merè possibilibus nostrum fieri potest argumentum.

Ad hæc: non est de ratione rei spiritualis indiuisi- 17
bilitas continuationem partium excludens: ergo è conuerso diuisibilitas continuationem partium inuoluens non est de conceptu rei materialis: atque adeo substantia materialis completa eius continuationis exors neutiquam impossibilis erit. Antecedens in Metaphysica fusè probandum est: interim sufficiat, præsentiam localem siue vbicationem Angeli, quantumuis spiritualem, tamen indiuisibilem non esse, sed potius in partes integrales diuiduam, vt rectè docet P. Suarez tom. 2. met. disp. 4. sect. 1. num. 11. idemque de vnione animi rationalis cum corpore, nimirum spiritualem esse, & adhuc continuè extensam, & diuisibilem pro diuisione partium corporis, non pauci arbitrantur.

Rursus, possibile est corpus substantiale comple- 18
tum, quod essentialiter compositum non sit ex materia, & forma, sed potius essentialiter simplex, vt tractatu sequenti patebit: ergo etiam possibile erit corpus substantiale completum, quod continuè compositum non sit, sed ea ratione omninò simplex, & indiuisibile. Tandem, esto aliquod corpus substantiale completum expers esset compositionis continuæ, non ob id spiritus prorsus esset: eiusmodi ergo corpus possibile est: si qua enim ratione impossibile esset, maximè quia ob indiuisionem non corpus, sed spiritus omnino foret. Antecedens probatur, quoniam corpus illud seorsim à compositione continua, aliis tamen ex capitibus secerni posset à spiritu, & substantia penitus immateriali: siquidem esset impenetrabile cum quouis alio corpore: spiritus autem ita impenetrabilis non est, vt cernere est in anima rationali cum corpore, quod animat, intimè penetrata: tum etiam illud esset, aut certè esse posset intellectus, & voluntatis expers: necnon libero arbitrio careret, Deumque clarè posset intueri: quæ etiam sufficerent ad eius distinctionem à spiritu perfectè tali; cum hic intellectu, & voluntate, libertatísque arbitrio, & facultate Deum supernaturaliter contuendi nequeat non esse præditus. Atque hactenus nostra de corpore integraliter simplici opinio: quam etsi à scholasticis, vno excepto Quiedo propugnatam non video, at neque ex professo & in terminis, vt aiunt, impugnatam.

Fateor tamen, corpus illud integraliter simplex, 19
de quo supra, nonnihil ad cõditionem spiritus accessurum,

surum, atque adeò minus corporeum futurum, quam ea corpora, quæ de facto passim existunt: sicut è contrario res spiritualis continuè composita eo ipso ad conditionem corporis accederet, neque nisi imperfectè spiritus esset. Verum hæc latius in Metaphysica explicanda sunt: vbi, sicut aliquid est sensitiuum, atque vnà discursiuum, sic etiam quidpiam esse posse simul spirituale, & materiale imperfectè tamen, hasque differentias in vnam rem non repugnare confundi, ostendam: ibidem etiam, quod obiici potest contra nostram sententiam ex eo, quod indiuisibilitas sit de ratione rei spiritualis, eiusque solius, fusè dissoluam. Id etiam ad extremum animaduerto, valde probabile mihi videri, corpus omnis compositionis continuæ expers non tantum possibile esse, sed etiam de facto existere, ac talem rationem corporis cœlo empyreo conuenire. Sed de hoc latius infra libro nono ad eius initium.

TRACTATVS II.

An corpus aliquod naturale solum continuè componi possit?

CAPVT PRIMVM.

Sententia affirmans eligitur, & probatur.

1 CORPVS substantiale completum, quod solum continuè compositum sit, & compositionis essentialis ex forma, & subiecto expers sit, vulgo nuncupari solet corpus essentialiter simplex: quod possibile esse, quantum arbitror, similius vero est: idemque arbitrantur, quotquot censent, cœlos esse corpora simplicia essentialiter, atque ex subiecto, & forma minimè coalescentia; vti commentator 8. Metaph. comm. 12. & lib. 12. com. 20. & lib. 1. de cœlo com. 20. Iandunus de subst. orbis q. 1. Zimara theorem. 107. Aureolus, Mairon, Bassolis, Durandus, Gabriel, & alij antiqui, quos P. Suarez disp. 13. Met. sect. 10. num. 10. & Conimbric. 1. de cœlo, c. 2. & Pereira lib. 5. phys. c. 10. eruditè referunt. In eadem sententia sunt Arriaga disp. 5. phys. sect. 3. Auersa tom. 2. philosoph. qu. 33. tr. 5. Compton. disp. 3. de cœl. sect. 1. & Ioan. Benedictus, Pendatius, Zabarella, Ragusæus, Contarenus, aliique, quos referre longum esset.

2 Ratione suadetur: quia in tota latitudine spirituum non repugnat substantia spiritualis completa, qualis est Angelus, & substantia spiritualis incompleta, cuiusmodi est animus rationalis: similiter ergo in tota latitudine corporum possibile erit corpus essentialiter completum, & corpus essentialiter incompletum, formaque substantiali, ad hoc vt compleatur, indigens, quorum hoc de facto existat, illud verò saltem existere possit: cur enim duplex ille essendi modus spirituum, & non corporum proprius sit? Secundò, quia Deus producere potest corpora perfectiora, & perfectiora in infinitum syncategorematicè: quidni ergo ad aliquam speciem corporis deuenire possit, quæ eius perfectionis sit, vt se ipsa, absque forma distincta substantialiter completa sit?

3 Tertiò: sicut corpus completur per formam, quam suscipit, ita natura completur per subsistentiam, quam terminat: at, quamuis de facto naturam omnem creatam compleri per subsistentiam à se realiter distinctam disputandi gratia permittatur, negandum tamen non est, quin possibilis sit natura aliqua creata subsistens per se ipsam, & subsistentiæ à se distinctæ incapax: quamuis ergo corpus omne de facto compleatur per formam substantialem à se distinctam, (quod adeò constans non est) adhuc possibile erit corpus completum per se ipsum, & formæ à se distinctæ prorsus ineptum. Maior perspicua est: nec minus talis est minor propositio: quidquid enim sit, an Angelus de facto subsistat per se ipsum, vel non, certè multis partibus probabilius est, sicut natura diuina se ipsa, & sine aliquo à se realiter distincto subsistit, ita etiam non repugnare naturam angelicam seipsa subsistentem: nec enim ob id infinitaeuaderet. Vide quæ de hoc diximus suprà lib. 2. tractat. 19. cap. 2. & 3.

4 Quartò: possibile est corpus incompletum tantæ perfectionis, vt sine forma substantiali, qua compleri capax est, naturaliter conseruari possit, eaque non indigeat: haud secus ac forma aliqua incompleta tantæ tamen perfectionis est, vt sine materia naturaliter esse possit, nimirum anima rationalis: ergo etiam corpus aliquod adeò perfectum possibile est, vt formæ qua compleatur non solum egeat, verum etiam eius incapax sit: huiusmodi autem corpus est essentialiter simplex. Antecedens ostensum est à nobis citato lib. 2. huius operis tract. 3. cap. 2. ad eius finem. Quintò: possibilis est materia quæ se ipsa, & absque præsidio vllius vbicationis distinctæ in loco sit: non aliter ac ipsa vbicatio materialis, & corporea per se ipsam essentialiter spatio loci illigata est: ergo etiam possibilis erit materia, quæ se ipsa, & sine iuuamine formæ distinctæ sit in actu substantiali completo. Tandem, in huiusmodi corpore essentialiter simplici nulla apparet repugnantia, vt inferius solutione argumentorum eluceſcet.

5 Quam ante pro prædicti corporis maiori luce, & intelligentia interrogari de eo potest, per quam actionem produci possit, executiuam, an generatiuam? Respondeo per solam creatiuam productum iri. Tum, quia compositum ex materia, & forma substantiali per creationem producitur: ergo à fortiori corpus simplex composito longè perfectius. Consequentia videtur perspicua. Antecedens patebit ex dicendis infrà lib. 5. Tum etiam, quia ideò materia prima de facto existens creatur, quoniam non habet subiectum, à quo possit educi: sed corpus completum essentialiter simplex subiecto caret, è cuius potentia educatur: cum enim completum sit, quomodo esse potest forma incompleta alicuius subiecti?

6 Rursus interrogari potest de eodem corpore essentialiter simplici, an vi agentium naturalium annihilari possit? Respondeo certum esse, quod non possit, vi agentium naturalium, quæ de facto existunt, aliorumve similium. Quando enim hæc agentia naturalia tantum destruere possunt, præuiè alterando subiectum aliquod, & in illud contrarias dispositiones imprimendo, vt ab eo formam substantialem, quam destructura sunt, abigant, aliamque cum existentia prioris incompossibilem in eo producant; sanè fieri nequit, vt aliquid destruere possint, nisi quod alicuius subiecti forma fuerit: cum ergo corpus simplex nullius subiecti forma sit, profectò horum agentium naturalium, quæ de facto existunt, aliorúmve similium vi, atque efficacitate destrui non potuit, aut in nihilum redigi.

7 Illud tamen nec imus inficias, nec possumus, agentia naturalia, alterius rationis ab iis quæ modo experimur, corpus illud simplex naturaliter posse destruere.

Si

Si enim corpus illud simplex per creationem ab aliquo agente creato valdè perfecto in alia rerum serie producatur: an non per suspensionem conuersus poterit ab eo destrui, atque in nihilum euanescere? Aut si agentia naturalia ea sint, quæ inuicem pugnent, non propter subiectum commune, sed propter locum, consequenterque sine præuia alteratione, & dispositionum inimicarum impressione colluctentur, haud secus ac de facto productio corporis Christi sub speciebus panis cum huius substantia pugnat, non propter subiectum commune, sed propter locum, & accidentia; quo fit, vt ad transsubstantiationem Eucharisticam non sit opus vlla præuia dispositione, aut alteratione: si inquam, agentia naturalia alterius ordinis ita inter se inuicem colluctentur, non conspicio cur, esto corpora simplicia sint, non possint à se mutuo naturaliter destrui.

Caput II.

Dissoluuntur argumenta quædam aduersus maiorem sententiam.

8 Corpus completum essentialiter simplex impossibile esse censent B. Thomas, & communiter eius asseclæ 1.p.q.66. art.2. Capreolus in 2. dist. 12. q. 1. Soncinas lib. 12. Metaph. q.7. Iauellus lib. 8. q. 12. Sotus q.1. phys. Scotus, & Okamus, ac vtriusque plerique sectatores. Item Bonauentura in 2. dist. 12. art. 2. q. 1. & ex nostris P. Hurtado disp. 1. de cœlo sect. 1. à §. 8. ac Suarez: & Conimbricenses ad initium capitis præcedentis citati. Quorum fundamenta sunt, quæ sequuntur.

9 Primum quidem: quia omne corpus necessariò est impenetrabile: at impenetrabilitas est effectus formalis quantitatis: ergò omne corpus, ac proinde corpus illud simplex quantitate distincta gaudet: quantitas autem est proprietas materiæ: ergò corpus illud simplex materia, ac per consequens forma substantiali (quæ cum materia reciprocatur, eiusque est correlatiua) necessario constare debet: quo fiet, vt simplex, & non simplex sed compositum sit, adeoque contradictionem implicet. Respondeo primò, quantitatis à materia prima realem distinctionem falsò supponi. Secundò, si distinguuntur, non quantitatem vt sic, sed solam quantitatem distinctam realiter à re quanta materiæ primæ proprietatē indiuiduam esse: corpus autem simplex se ipso essentialiter esse posse quantum: quare se ipso impenetrabile esse poterit absque quantitate distincta, quæ materiæ primæ incompletæ proprietas est: cur ergò tali materia, cur consequenter forma substantiali constare debeat?

10 Respondeo tertiò, corpus illud simplex non necessariò habiturum quantitatem eiusdem speciei, cum ea quæ de facto existit, vtvt quantitatem à se distinctam sortiri debeat, ad quantitatem alterius speciei, per quam impenetrabile reddatur: cum ergò illud corpus quantitate de facto existenti, quæ sola materiæ primæ proprietas, & comes est, careat; non est, cur ipsa materia prima, ac per consequens forma substantiali non possit, debeatque carere. Quid? quod tertiò responderi possit, corpus simplex, impenetrabile futurum per quantitatem eiusdem speciei, cum hac quæ de facto existit. Nihil enim vetat, quo minus vna specificè quantitas à subiecto quanto distinctione: haud aliter, ac multæ aliæ proprietates eiusdem speciei inter se essentiis tamen specie distinctis conueniunt.

Obiiciunt secundò aduersarij, corpus completum 11
simplex futurum materiale simul, & non materiale: illud quidem; quia omne corpus est materiale, vt manifestissimum est: hoc verò; quia cum materia non constet, materiale esse nequit. Rursus illud corpus fore, & non fore spirituale: spirituale quidem; quia quod materiale non est, spirituale non esse nequit: non spirituale, quia corpus, quà tale, spiritui opponitur. Respondeo, corpus illud constat materia substantialiter completa, quamuis expers sit materiæ incompletæ: id autem satis est, vt absolutè materiale, & non prorsus immateriale sit; eadem ratione omninò spirituale esse nequit, cum spiritus omni materiæ tam completæ quam incompletæ opponatur.

Obiiciunt tertiò: implicat corpus, quod non sit ca- 12
pax alicuius formæ accidentalis: similiter ergò repugnat corpus incapax omnis formæ substantialis, siue, quod perinde est, simplex substantialiter. Respondeo in primis per instantiam. Implicat spiritus creatus, qui formæ accidentalis capax non sit: & tamen non repugnat spiritus creatus incapax formæ substantialis: imò tam certum est id genus spirituum de facto existere, quam dubitari nequit, Angelos esse à Deo productos: similiter ergò in præsenti, &c. Deinde in Metaphysica fuse ostendam, si per tempus vacet, substantiam corpoream, aut etiam incorpoream omnis formæ accidentalis incapacem minimè repugnare.

Nec verò exinde poterit effici, substantiam illam 13
fore suum esse ad instar Dei optimi Maximi. Quamquam per suum esse, siue substantiam haberet omnem perfectionem sibi possibilem, nec vlla denominatio intrinseca ei accedere posset per formam à se realiter distinctam, tamen ab esse ad non esse, & tursus à non esse ad esse transferri posset; cum tamen vtrumque Deo repugnet: quod satis est, vt de ea substantia esse suum esse, sicut de Deo, affirmari non posset. Deinde nec exinde posset inferri, eiusmodi substantiam futuram summè simplicem: quia, sicut creatura aliqua semper, aut vbique existens ob id immensitatis, aut æternitatis attributum sibi non vendicaret, quoniam scilicet non à se, sed ab alio semper aut vbique esse haberet: ita similiter substantia illa simplicitatem Deo attributam sibi non arrogaret: quia, omnis compositionis expers, & incapax esset, tamen hoc non à se, sed à Deo haberet.

Obiiciunt quartò: corpus illud esset, & non esset 14
operatiuum, quæ repugnant. Esset quidem operatiuum: quia, si corpora imperfectissima ex materia, & forma substantiali coalita operari possunt, quanto magis operando erit corpus completum, & perfectissimum, quod velut tale imperfectionem compositionis excludit. Non esset operatiuum: omnis enim operatio vel est immanens seu vitalis, vel transiens: quod autem non posset operari immanenter, seu vitaliter perspicuum est, quia vitæ expers esset, cum nec per actum completum viueret, eo quod non esset Angelus nec per actum incompletum, propterea quod non esset forma substantialis vitalis. Quod etiam non posset operari transeunter haud minus est in aperto, quia cum modus operandi conformis sit modo essendi, modusque essendi talis corporis foret independens à subiecto, sane etiam in modo operandi ad extra, siue transeunter independens à subiecto esse deberet: operari autem ad extra siue transeunter absq; dependētia à subiecto, vel, quod perinde est, creare, virtutē agētis omnis creati & creabilis excedit.

Respondeo, inprimis non defuturum qui censeat, 15
necesse non esse, vt corpus illud alicuius effectus productiuum

ductiuum eſſet, ſatiſque eſſe vt aliquid ſuſtentare poſſet inſtar cauſæ materialis: quod genus potentiæ merè paſſiuæ materiei primæ non pauci, nec ignobiles Philoſophi tribuunt. Deinde corpus illud immanenter atque vitaliter operari poſſet, nec niſi inſufficienter ab aduerſariis vita aſſignatur ſoli Angelo & formæ incompletæ: cur enim, ſicut forma materialis viuit, etiam corpus ſimplex perfectionem formæ, & materiæ in ſe colligens multo perfectius viuere non poſſet? aut cur, ſicut ſpiritus completus viuit, corpus completum ſaltem imperfectius viuere nequeat? Rurſus corpus illud tranſeunter operari poſſet; aut independenter à ſubiecto, & per creationem, in quo nullam eſſe repugnantiam ſuo loco oſtendam: aut etiam dependenter à ſubiecto, & per generationem; cum modus eſſendi, & modus operandi proportionem neutiquam ſeruare debeant, quoad independentiam à ſubiecto: aliàs Angelus, qua ratione à ſubiecto in eſſe non dependet, ab eo etiam ad operandum tranſeunter dependere non poſſet, quod tamen adeo manifeſte falſum eſt, atque manifeſtum eſt, corpus ab eo localiter moueri.

16 Obiiciunt quintò: corpus illud ſimplex eſſet perfectius animo rationali, & non perfectius, quæ ſunt implicantia: perfectius quidem: quia eſſet ſubſtantia completa, cum tamen animus rationalis ſubſtantiæ incompletę gradum non excedat: non perfectius; quia animus rationalis ſpiritus eſt, nullum autem corpus ad perfectionem ſpiritus euehi, nedum eam ſuperare poteſt. Reſpondeo, corpus illud animo rationali imperfectius eſſe poſſet: cæterum neutiquam inferri poteſt, illud etiam animo perfectius fore: quia ſicut equus ſubſtantia completa eſt, quin tamen ob id perfectionem animi rationalis incompleti attingat, aut ſuperet; ita ſimiliter in præſenti &c. Ratio à priori eſt, quia complementum illius corporis cum eius ſimplicitate coniunctum aliis titulis ab animo rationali non ſolum compenſari poteſt, verum etiam ſuperari.

17 Obiiciunt ſextò: corpus illud completum ſimplex eo ipſo eſſet in actu, ergò per aliquem actum ſecum identificatum: eſſet ergò actus aliquis: non autem actus incompletus, & in alio receptus; aliàs forma eſſet: ergò eſſet actus completus, & ſubſiſtens: cum ergò ſola creatura Angelica ſit actus ſubſiſtens, & completus, ſane corpus illud Angelus eſſet: quo nihil magis chimæricum, & commentitium dici poteſt. Reſpondeo, corpus illud completum, & ſimplex futurum in actu completo, & ſubſiſtenti, ſed tamen non propterea futurum Angelum: quia Angelus vltra actualitatem completam, & ſubſiſtentem poſtulat ſpiritualitatem: quando ergò corpus illud omnino ſpirituale non eſſet, haud quidem foret Angelus, ſed intra ſubſtantiæ materialis, & corporeæ fines ſiſteret.

18 Obiiciunt ſeptimò: corpus illud ſentiret, & non ſentiret, quæ repugnantia ſunt, vt quod maximè. Sentiret quidem, quia ſi forma inſenſitiua, & materia in eodem ſimplici corpore per identitatem vniri poſſunt, cur idem de forma ſenſitiua, atque materia dici nequeat? Non ſentiret: primò, quia ad ſenſationem, & cognitionem materialem calor, ac reliquæ primæ qualitates requiruntur: eiuſmodi autem corpus calore, & reliquis primis qualitatibus careret; cum enim talia accidentia diſpoſitiones ad formam ſubſtantialem ſint, corpus ſimplex earum eſſentialiter incapax eſſet, haud ſecus ac formæ ſubſtantialis incapax eſſe deberet. Secundò, quia ſi corpus illud ſentiret nunquam à cognitione ſenſitiua ſuperſederet, eamue intermitteret, quod certè ſpiritus, quanto magis corporis, conditionem exuperat. Sequela procatur: quia accidentia ad eam ſenſationem præuiè requiſita nunquam mutarentur: omnis enim mutatio accidentalis, ſi de accidentibus materialibus ſermo ſit, ad aliquam formam ſubſtantialem diſponit: cum ergò corpus illud nullius formæ ſubſtantialis capax eſſet, certè nulla mutatio quoad accidentia corporalia in eo locum haberet, atque adeo quæ in eo ſemel exiſterent nunquam poſſent mutari, aut ceſſare: quo fieret, vt cognitio ſenſitiua ab iis accidentibus dependens nunquam etiam mutari poſſet, aut ſemel habita intermitti.

Reſpondeo: corpus illud ſimplex eſſe poſſet ſenſitiuum. 19 Ad primam rationem contrariam dicendum eſt: cognitio ſenſitiua eius corporis à primis qualitatibus penderet, haud ſecus ac noſtræ ſenſationes ab iis dependent. Eæ tamen qualitates tale corpus ad formam ſubſtantialem non diſponerent, quia eius incapax eſſet: corpus autem, quod de facto creatum eſt, ideo ad formam ſubſtantialem diſponunt, quia ad eam in illo capacitas eſt, atque aptitudo. Aut dic, cognitionem illam ſenſitiuam eius genij futuram eſſe, vt à nullis qualitatibus primis dependeret, aut etiamſi ab aliquibus dependeret, eas fore diuerſæ rationis ab iis, quas de facto cernimus, & experimur. Ad ſecundam rationem contrariam dici poteſt, corpus illud ceſſaturum à ſenſatione: aut ex ſola obiecti abſentia, ſicuti ſenſus noſtri externi propter abſentiam obiecti ab eius perceptione ſuperſedent: aut ex mutatione accidentium præuiè diſponentium; quæ certè cum forma ſubſtantiali non magis conuerterentur, quam plura accidentia Angeli, ei continuò accedentia, & recedentia. Vel ſecundò dici poteſt, corpus illud, eſto in continua obiecti ſenſatione immobiliter hæreret, non ob id perfectionem ſubſtantiæ omninò ſpiritualis aſſecuturum, eo nimirum quod ſenſatio illa aliis nominibus foret valde imperfecta.

Obiiciunt octauò, corpus omne principiis intrinſecis non conſtare non poſſe: at corpus illud principiis intrinſecis careret. Verum in primis eiuſmodi corpus principiis metaphyſicis, ſeu logicis, genere ſcilicet, & differentia conſtaret. Deinde principiis illud integraliter, ſiue continuè componentibus poſſet conſtare, tandem nonò obiiciet, fortaſſe nonnemo, ſi admittatur poſſibile corpus eſſentialiter ſimplex, atque ex materia, & forma non conſtans, eodem philoſophandi abuſu fingi etiam poſſe corpus, quod neque ex materia, & forma ſubſtantiali, neque ex partibus etiam integrantibus continuiſve coaleſceret, ſed potius tam his, quam illis ad inſtar Angeli careret. Verum ne in huiuſmodi corpore nec eſſentialiter nec integraliter compoſito vllam repugnantiam comperio: quare abſque vllo philoſophandi abuſu, aut licentia poſſibile concedi poteſt: imò probabile eſt, talis conditionis eſſe de facto cœlum empyreum 20

TRACTA

TRACTATVS III.

An corpus naturale partes continuas actu, vel solum potentia sibi vendicet?

CAPVT PRIMVM.

Corpus naturale de facto existens partes continuas actu distinctas sortitur.

1 NONNVLLI apud Algazelem lib. 1. suæ log. & Hurtadum disp. 15. Phys. sect. 1. tuentur, corpus naturale continuum, quatenus tale compositum formaliter non esse, eo quod partes actu distinctas non contineat, solumque eas in potentia complectatur. Etenim continuum, inquiunt, tum duntaxat partes actu distinctas habet, cum eas habet diuisas: quare cum eius partes non actu, sed potentia diuisæ sunt, certè non actu, sed potentia diuisæ erunt. Fundamentum huius sententiæ nullum est; tantumque conficta est, vt difficultates circa continui compositionem euadat.

2 Impugnatur tamen primò: quia realis separabilitas est euidens, & irrefragabile signum distinctionis realis: at partes continui, quantumlibet vnitæ, realiter separabiles sunt, ac diuisibiles, vt largiuntur aduersarij: ergò & distinctæ: secundò, quia partes digiti v.g. ita comparatæ sunt, vt vna flectatur, ac moueatur immota alia, vna calescat altera non calescente, vnaque manente illæsa lædatur altera: quidni ergò hæc prædicata contradictoria eas actu distinctas arguant? Tertiò quæ semel identificantur realiter, ne diuinitus distingui possunt: aliàs cur Petrus v. g. quantumuis secum ipso realiter idem, à se ipso postea distingui, & identitatem cum distinctione commutare nequeat? At partes continui iuxta aduersarios in ipso realiter identificantur: ergò ne diuinitus fieri poterit, vt etiam facta earum separatione distinguantur. Consequens est euidenter falsum: ergò & illud ex quo sequitur.

3 Quartò: vna pars continui est alterius vera causa, vt cum lignum sensim ignescit: at nihil sui ipsius esse potest vera causa: ergò vna pars continui actu non est alia, sed potius ab ea distinguitur. Quintò, partes continui, iuxta eos quibuscum disputamus, tum solum actu distinguuntur, cum separantur, atque diuiduntur: ergò qui earum diuisionem facit, earum etiam distinctionem efficit: cum ergò earum distinctio ab earum entitate diuersa non sit, eo quod constitutiuum cuiusque rei sit etiam eius distinctiuum, sanè qui earum diuisionem, & distinctionem facit, earum etiam entitatem facit: at agens creatum diuisionem, ac distinctionem actualem partium materiæ naturaliter efficiet, ac proinde creabit: hoc autem consequenti nihil absurdius.

4 Tandem vnio continuatiua partium corporis naturalis eas neutiquam identificat: tales ergò partes actu non identificantur, sed potius sunt distinctæ. Antecedens probatur, tum à priori, quia vnio compositionis, & identitas diuersæ rationis sunt: perpe-

ram ergò munus vnius adscribitur alteri: tum quia aliàs eadem ratione dici posset, vnionem essentialem partium hominis, materiæ videlicet & formæ, eas inuicem identificare, atque adeo hominem non esse essentialiter compositum, quod tamen euidenter falsum est: tum denique, quia aliàs eodem modo dici posset, & deberet, vnionem hypostaticam Verbi cum humanitate assumpta verbum cum illa identificare, & vtriusque actualem distinctionem tollere: quod quis non videat hæreticum esse, & contra illud Athanasij in symbolo ibi: *qui licet Deus sit & homo, non non duo tamen sed vnus est Christus: vnus autem, non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum: vnus omnino non confusione substantiæ, sed vnitate personæ.*

Respondent primò aduersarij, his argumentis à nobis propositis partes continui designari, atque adeo mente separari, & diuidi: vnde, esto iis concludatur, partes continui actu distingui, non tamen ea distinctione, quæ separationem earum anteuertat saltem mentalem, sed potius quæ cum ea sit coniuncta. Contra tamen sic argumentor, quia separatio mentalis tantum ratione, non verò realiter distinguere potest: at designatio partium continui eas tantum mentaliter separat: ergò tantum ratione, & mentaliter eas actu distinguit, non verò realiter: partes ergò continui, quantumlibet non designatæ, à parte rei actu distinguentur, earumque distinctio realis ab illarum designatione minime proueniet. 5

Respondent modo alij, distincta duplici identitate; alia stricta, siue primi generis; alia minus stricta, & secundi generis: argumenta autem superiora solam identitatem strictam, ac primi generis, non identitatem minus strictam, & secundi generis inter partes continui suadere: quare aliqua identitate vera, etsi non summa, & prima eas gaudere. Verum hæc, voces sine nucleo sunt: ecquid enim esse potest identitas illa secundi generis inter partes continui, quam earum vnio, & continuatio à nobis non negata? aut identitas illa primi generis, quam identitas absolutè sumpta à nobis negata? Deinde eadem ratione complures identitates comminisci quiuis posset? Petrumque v. g. habere cum Paulo identitatem tertij generis, cum equo identitatem quarti generis, cum Angelo quinti generis &c. quæ ridicula sunt. Demum, quod caput est, præfata identitas secundi generis inter partes continui ab aduersariis conficta, ne ad id propter quod confingitur deseruit: siquidem partes continui saltem identitate primi generis destitutæ sunt: ergò distinctione primi generis gaudent: at in hac distinctione difficultates omnes continui, quas effugere nituntur, quos impugnamus, procedunt. 6

CAPVT II.

Corpus naturale partes continuas actu vbicatas sibi vendicat.

7 RECentiores aliqui aliter continuum partes in potentia habere tutantur, censentque eas esse puncta infinita, quæ licet actu distincta sint, actu tamen, & simpliciter vbicata non sunt ea vbicatione, quæ propria vbicatio, iisque intrinseca sit. Pro quo supponunt, aliquid bifariam in loco esse posse: primo per intimam præsentiam: qua ratione animus in loco corporis, & Deus in spatio huius vniuersi existit: secundò per continentiam localem: qua ratione id existit

in loco,quod eatenus locum occupat,quatenus intra terminos aliquos intrinſecè locatos clauditur. Prior modus exiſtẽdi in loco eſt proprius:poſterior verò im. proprius: prior intrinſecus: poſterior verò extrinſecus.

3 Igitur in linea A, —— B, Puncta omnia inter A & B, cadentia ſunt in loco per meram continentiam localem, nullumque eorum eſt in loco per vbicationem indiuiſibilem phyſicè, hoc eſt non habentem partes, aut indiuiſibilem mathematicè, hoc eſt ſine pluralitate partium extenſam: quare puncta illa intermedia puncta potentialia appellantur, eoquod non ſint actu in loco per intimam præſentiam, in eo tamen eſſe poſſunt.Cæterũ puncta A,& B,ſunt in loco per intimam præſentiam:& quodlibet eorum habet vbicationem phyſicè & mathematicè indiuiſibilem, quæ punctum fixum à præfatis recentioribus nuncupatur; ſicut etiam puncta ipſa, A, & B, ab iis puncta actualia mobilia nuncupantur:in continuo autem nihil eſſe aiunt præter puncta actualia,puncta potentialia, & puncta fixa. Quod de linea comparatione punctorum,idem de ſuperficie, & corpore ſeruata proportione cenſent, videlicet ſuperficiem à lineis localiter contineri,& corpus à ſuperficiebus.

9 Fundamentum primum huius ſententiæ eſt: quia, ſi pũcta omnia lineæ A, —— B, quã vnius palmi eſſe fingamus,ſi,inquam,omnia eius puncta,quæ aliunde infinita non eſſe nequeunt, eſſent intimè, & propriè in loco, ſanè ordinata eſſent, vnumque eorum poſt aliud, necnon in certa diſtantia, aut indiſtantia ab alio eſſet.Conſequens eſt abſurdum: ergò &c. Maior perſpicua eſt. Minor oſtenditur:punctum A, diſtaret palmo à puncto B, & aliud punctum ſemipalmo, & aliud quarta parte palmi,aliud octaua parte,aliud decima ſexta, & ſic in infinitum ſecundum proportionem ſubduplam:quare à puncto A,incluſiuè ad punctum B, excluſiuè erunt infinita puncta ſuo ordine diſpoſita,quorum alia aliis reſpectu puncti B,diſtantiora ſint,& reſpectu puncti A, propiora. Nuncupetur ergò primum punctum A, ſicuti hactenus, & ſecundum D,tertium rurſus A,& quartum D,& ſic in infinitum, quadam alternatione punctorum A,& D, quo fiet,vt collectio punctorum A,ſit æqualis collectioni punctorum D, & etiam ea maior ſit, quæ repugnantia ſunt.

10 Prius quidem probatur, quia poſt quodlibet punctum A,ſequitur punctum aliquod D,ergò collectio punctorum A, & collectio punctorum D, ſunt inuicem æquales. Poſterius probatur:à collectione punctorum A,primum punctum A,auferatur:quo ablato eadem ratione probari poteſt, collectionem punctorum A, quæ remanent, & collectionem punctorum D, eſſe æquales: ſiquidem poſt quodlibet punctum D, eſt aliquod punctum A: ſi ergò collectioni punctorum A, primum punctum A, ab ea ablatum reſtituatur,ſanè collectio punctorum A,maior erit collectione punctorum D, cui tamen æqualis nuper probata eſt.Hoc eodem argumento probare nituntur, impoſſibile eſſe infinitum categorematicum, ſiue in actu; quia nimirum,ſi infiniti homines albi, & nigri alternatim collocentur,vnus ſcilicet poſt alium, ſanè albi plures erunt quam nigri, ſimulque iis æquales, & non plures. Fundamentum ſecundum huius ſententiæ eſt,quia iuxta illam difficultates omnes continui facile ſolui videntur.

11 Verum ea ſententia mihi tam diſplicet,quam quæ cap. præcedenti commemorata eſt, atque impugnata:ſicut enim altera diſtinctionem actualem partium continui, ſic altera actualem earum vbicationem de medio tollit:quorum quid abſurdius ſit, haud facile diiudicari poteſt. Impugnatur primo:quia puncta lineæ A, —— B, puncta inquam inter A,& B,cadentia penetrantur cum ſpatio inter A, & B, interiecto:ſunt igitur in illo ſpatio per intimam præſentiam, & vbicationem iis intrinſecam,& propriam, non vero per ſolam continentiam illam localem. Antecedens probatur, quia nihil collocari poteſt in illo ſpatio, cum quo illa non penetrentur: ſignum ergò eſt illa cum eo ſpatio penetrari. Quod autem hoc ipſo illud intimè, & propriè occupent, vti dictum eſt in conſequente,ſuadetur:quia ideò præcisè Deus eſt in ſpatio totius vniuerſi per intimam præſentiam & vbicationem ſibi propriam, quoniam cum eo penetratur. Secundò,& recidit in idẽ:ſi cum linea A, — B, alia linea æqualis penetraretur puncta, intermedia vtriuſque penetrarentur inuicem: ergò eiuſmodi puncta intermedia ſunt in loco per intimam præſentiam,& vbicationem propriam:aliàs anima penetrata cum corpore, hoc non obſtante, carere poſſet vbicatione intrinſeca,& propria,qua per intimam præſentiam in ſpatio corporis locaretur.

Tertiò confutatur eadem ſententia:quia puncta 12
intermedia lineæ ita inſtituta ſunt, vt aliqua magis, aliqua minus inuicem, & ab extremis diſtent: nihil autem ab alio diſtans, aut indiſtans eſſe poteſt, niſi ſit in loco per intimam præſentiam,ſiue vbicationem ſibi intrinſecam,& propriam:ergò, &c. Maior experimento teſtatiſſima eſt:Minor probatur:quia puncta terminatiua lineæ, quæ ab aduerſariis puncta actualia mobilia nuncupantur, ſunt in loco per intimam præſentiam ſortiunturque vbicationes mathematicè indiuiſibiles ſibi intrinſecas ſiue puncta fixa: non alia ratione,niſi quia certam inuicem diſtantiam habent, qua carere poſſent:ergò,&c. Equidem ſi diſtantia,atque diſtinctio punctorum, quæ lineam continuant, ſaluari poteſt, abſque eo quod ſint in loco per intimam præſentiam, non conſpicio, cur idem de punctis,quæ eam terminãt,non cõtinuant,dici nõ poſſit.

Quartò:ſi, quod poſſibile eſſe inferius oſtendam, 13
linea aliqua vtrinque v.g. verſus orientem, & occidentem infinitè protenſa ſit, ſanè eius puncta continuatiua locum obtinebunt, vt certo certius: at non per continentiam localem,qua duobus terminis clauſa, & carcerata ſit: ergò per intimam præſentiam: ac per conſequens idem de punctis cuiuſuis alterius lineæ dicendum eſt. Quintò puncta omnia,ſiue extrema,ſiue intermedia lineæ lapideæ v.g. ſunt homogenea,& eiuſdem ſpeciei;vt compertum eſt, vtque aduerſarij fatentur: cur ergò alia per intimam præſentiam,alia verò per ſolam continentiam localem in loco exiſtant?Nonne eadem ratione dici poſſet, homines eiuſdem ſpeciei,quotquot exiſtunt,ita comparatos eſſe, vt alij propriè, & per intimam præſentiam, alij verò impropriè, & per continentiam localem ſpatium loci obtineant?Sextò refellitur ea ſententia; quia iuxta eam facile defendi poſſet, ſolam ſuperficiem extimã primi mobilis eſſe in loco per intimam præſentiam,ſeu vbicationem propriam;reliquas verò partes vniuerſi per ſolam continentiam localem,qua ab illa ſuperficie vndique coercentur: quo quid abſurdius poteſt excogitari?Septimò tandem ea profligatur opinio: quia exiſtere in loco per continentiam localem, ſiue extrinſecè eſt impropriè tãtum exiſtere in loco, ac proinde ſimpliciter in illo non exiſtere:at quis credat, lineam ferè ſe tota, & ab vno extremo indiuiſibili ad aliud excluſiuè non exiſtere ſimpliciter in loco; aut corpus etiam fermè ſecundum ſe totum, & vſque ad extimam ſuperficiem

ciem simpliciter ac propriè non occupare locum?

14 Ad prius aduersariorum argumentum, quod alternatiuum nuncupant, dicendum est, illud imprimis instari in infinito successiuo. Siquidem durationes, quibus anima D. Petri v.g. æternum duratura est, infinitæ sunt: aliæque aliis ordinatè succedunt. Vocetur ergò prima duratio A, & secunda B, tertia rursus A, quarta B, & sic absq; fine: sanè collectio durationũ A, erit simul maior collectione durationum B, simulque ei æqualis; si cuius momenti est argumentum alternatiuum, vt eius vim expendenti constabit.

15 Respondent primò, durationem non distingui à re durante, & tempore fluente; atque adeò durationes illas infinitas syncategorematicè, sibique successiuas, repugnare. At quid inde? An non gyrationes Cœli specie diuersæ, & à Deo designabiles infinitæ esse possunt? nimirum, si Cœlum semper, ac per diuersa spatia, & diuersa orbita rotetur: in quibus gyrationibus, ecquis non videat, aduersariorum argumentum proponi posse, atque infringi?

16 Respondent secundò, quamuis durationem A, correspondere alicui durationi B. cætetum inde non fieri, collectionem durationum A, esse maiorem simul, & æqualem collectioni durationum B: quia, inquiunt, vtraque collectio est chimæra, & quid repugnans, & commentitium, atque adeo incapax, quæ relationem realem maioris, minoris, aut æqualis suscipiat. Quod autem quæuis collectio ex ambabus propositis chimæra sit, hac ratione suadent: quia chimæra est, quæ inuoluit terminos incompossibiles, & inuicem repugnantes, esto absolutè possibiles sint; vt homo hinnibilis chimæra quidem est, quoniam licet humanitas sit possibilis, & hinnibilitas similiter possibilis, ac non repugnans sit; cæterum humanitas, & humilitas inuicem incompossibiles sunt, & per identitatem realem nusquam, & nunquam coniungi sustinent: at quæuis collectio earum, de quibus sermo est, infinitas inuoluit durationes, quæ possibiles quidem sed incompossibiles sunt; & esto absolutè non repugnent, nunquam tamen possunt in eodem tempore existere: quæuis ergò earum chimæra censenda est.

17 Verum hæc solutio mihi summopere displicet. Ac primò, quia pœna damnati quid possibile est; eiusque possibilitas fidei nostræ dogma est, & quidem vnum ex præcipuis: at pœna damnati est collectio durationum successiuarum, quibus ille æternum cruciandus est: ea igitur collectio infinita possibilis est, & non chimærica, aut commentitia. Id suadetur, quia nulla pars eius collectionis est tota pœna damnati: aliàs, qua ratione quæuis pars prædictæ collectionis finiri potest aliquo instanti, ac præterire, non esset cur pœna damnati non posset finem aliquando sortiri, totaque desinere: ergò tota collectio illa eius pœna est. Secundò, tempus reale est collectio plurium durationum successiuarum, simulque existere repugnantium: at tempus reale non est chimæra: similiter ergò in præsẽti, &c. Minor manifesta est. Maior probatur, quia tempus ab Aristotele, & reliquis definitur, numerus motus secundum prius, & posterius: ergò durationes successiuas essentialiter complectitur, earumque collectio quædam est.

18 Tertiò: quod vbicationes, quibus corpus aliquod, penes alias aliasque sui partes, alias & alias loci partes occupat, tales sint, vt ne diuinitus esse possint simul, & in eodem loco, haud facit, vt earum collectio sit chimæra: aliàs vbi circũscriptiuum in eiusmodi collectione positum esset chimæra, & merum rationis commentum: ergò etiãm quod collectio infinita durationum successiuarum ea sit, vt eius partes in eodem tempore esse nequeant, efficere non poterit, vt sit chimæra. Quod si prior collectio chimæra non est, quia omnes eius partes in eodem tempore esse possunt, licet non in eodem loco, eadem ratione posterior collectio chimæra non erit, quoniam omnes eius partes in eodem loco esse possunt, licet non in eodem tempore. Quartò, hæc propositio, *Petrum durare toto hodie possibile est*, nullam habet falsitatem, sed potius est vera, vtque maximè: igitur collectio durationum hodiernarum Petri possibilis est: at eæ durationes sunt essentialiter incompossibiles in eodem tempore: similiter ergò collectio infinita durationum successiuarum possibilis, & non chimærica censenda est.

Quintò denique, ea sola collectio censeri potest 19
chimærica, quæ terminos inter se realiter distinctos identificat, siue per identitatem colligit; vt cernere est in hac chimæra, *homo inhibilis*; vbi homo ab hinnibili realiter distinctus quasi tamẽ cum eo idem apprehenditur. At collectio infinita durationum successiuarum terminos inter se distinctos neutiquam identificat, vel per identitatem colligit. Cur ergò eiusmodi collectio sit chimæra? Minor perspicua est: quia collectio illa est collectio durationum distinctarum, & quæ velut distinctæ à nobis apprehenduntur: terminos ergò distinctos nequaquam identificat. Maior verò probatur; quia aliàs omnis collectio rerũ distinctarũ chimæra esset, cum nulla sit, quæ terminos distinctos, & quodammodo incompossibiles non complectatur: ergò sola illa collectio chimærica est, quæ rebus distinctis identitatem attribuit.

Respondent tertiò, ea solum collectiuè sumi posse, 20
quæ aut simul existere in aliquo instanti in eoue præteriisse possũt, aut quorũ nomina distincta simul existere, vel aliquando præteriisse possunt: cum ergò collectio durationũ infinitarum successiuè futurarũ nec quoad ipsas durationes nec quoad earũ nomina simul existere aut aliquãdo præteriisse possint; sanè ea collectio collectiuè sumi nõ poterit, & propositio collectionem illam significans erit de subiecto nõ supponente, ac proinde nihil concludet. Verum quid magis ridiculum, quã collectionem aliquam collectiuè sumi non posse? An non eadem ratione fingi posset, neque totum aliquod totaliter, neque partes aliquas partialiter sumi posse? An non etiã fingi poterit, collectionem aliquam possibilẽ esse, quæ nullatenus sumi possit distributiuè? Deinde hæc propositio, *pœnæ cõdemnati infiniti numero erunt*, hæc inquã vera est: at vera non esset, nisi eius subiectũ collectiuè sumeretur: siquidem diuisiuè sumptũ propositionẽ illam necessario falsificat, eo quod quæuis pars pœnarũ condẽnati numero finita sit: igitur subiectũ eius propositionis, ac proinde collectio aliqua infinita successiua sumi poterit collectiuè. Hactenus prior instantia argumenti alternatiui.

Quod etiam aliter instari potest in ipsis punctis po- 21
tentialibus. Quantũuis enim in loco per vbicationes proprias, & intrinsecas non sint, certè à Deo designari, & nominari poterunt: an enim *qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat*, puncta lineolæ designare, & nominare nequibit? Aliunde verò, etsi actu in loco vnum post aliud non sint, in eo tamen ita esse possunt: vocetur ergò Deo primũ punctum potentiale A, secundum D, tertium rursus A, quartum D, & sic de reliquis: an non hic prior alternatio, & cum ea tota argumenti contrarij vis reuertitur? Dicũt ij quibuscum disputamus, vnicitatẽ rerum, ratione cuius designabiles sunt, consistere in accidentibus actualib⁹ quę ita alicui insint, vt ea aliauè eiusdẽ

ſpeciei in nullo alio reperiantur: quæ enim, tam in ſe ipſis quam in accidentibus quibus actu pollent, eiuſdem ſpeciei ſunt, certè iuxta Ariſtotelem 10. Metaph. *indiuiſibilis intelligentiæ ſunt*, & inuicem diuidi, aut ſecerni cogitatione non poſſunt: cum ergò puncta potentialia, lineæ vbicationes, aliaue accidentia ſpecie diuerſa, non ſortiantur, & in ſe ipſis homogenea ſint, atque eiuſdem ſpeciei, ſanè ne à Deo ſimul deſigari, aut ſecerni poterunt, eſto ſucceſſiuè, & ſyncategorematicè diuerſis ſpecie accidentibus ea afficere, & affecta deſignare poſſit. Verum hæc ſolutio latè à nobis impugnata eſt in dilectica lib. 9. tract. 4. cum ſermo eſſe de indiuiduo ſpeciei correlatiuo.

22 Abſolutè ergo dicendum eſt ad argumentum in quo verſamur, ex eo quod cuilibet puncto A, punctum D, poſt ſe correſpondeat, neutiquam inferri vnam collectionem alteri eſſe æqualem, &, dempto vno puncto, & poſtea reſtituto, eandem alia ſimul maiorem eſſe: videlicet quia eſſe æquale aut inæquale, maius aut minus dumtaxat ſunt proprietates numeri finiti, ſecus verò infiniti: id quod expreſſe docent Scotus in 2. diſt. 1. q. 3. Mairon in 1. diſc. 43. q. 10. Gregorius diſt. 44. q. 4. art. 2. Lichetus in quodlibeta Scoti q. 5. Baſſolis in 2. diſt. 1. q. 5. Richardus in 1. diſt. 43. q. 5. Vaſquez 1. p. diſp. 26. cap. 3. Hurtadus diſp. 13. phyſ. ſect. 1. Conimbricenſes lib. 3. phyſ. cap. 8. q. 4. art. 4. alijque innumeri, vt mirari ſatis nequeam, recentiores hos in priſcis ſcholaſticis verſatiſſimos id tamen principij impræſentiarum ſuppoſuiſſe, quod toti fermè antiquitati refragatur.

23 Dices, vna perſona diuina alteri æqualis eſt, iuxta illud Athanaſij in ſymbolo, *totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales*: & tamen quæuis perſona diuina infinitè perfecta eſt: quidni ergo vna etiam collectio infinita alteri eſſe poſſit æqualis? Verum æqualitas diuinarum perſonarum non poſitiua eſt, ſed negatiua: quæ in eo conſiſtit, quod neutra earum alia maior, aut minor ſit: ſicut Deus ens à ſe dicitur, non poſitiuè, ſed negatiuè, eo ſcilicet quod non ſit ab alio. Hac autem ratione largior, vnam collectionem infinitam alteri æqualem eſſe: ex qua rurſus earum inæqualitas neutiquam effici poterit, ſed potius negatio omnis inæqualitatis. Et quidem quod dixi, æqualitatem perſonarum ſanctiſſimæ Triados eſſe non poſitiuam, ſed negatiuam, inſinuatum videtur à B. Thoma 1. p. q. 42. art. 1. corp. ibi: *neceſſe eſt, ponere æqualitatem in diuinis perſonis: quia ſecundum Philoſophum in decimo Metaphyſicorum, æquale dicitur quaſi per negationem minoris, & maioris. Non autem poſſumus in diuinis perſonis ponere aliquid maius, & minus.* Hactenus ille. Aut dic, æqualitatem, & inæqualitatem numericam ſolius collectionis finitæ proprietates eſſe: eo quod numerus omnis propriè ſumptus ſit finitus: æqualitatem autem & inæqualitatem perfectionis non eſſe proprietates ſolius rei finitæ; propterea quod ſolæ res finitæ perfectione non gaudeant: vnde mirandum non eſſe, quod perſonæ diuinæ quantumuis infinitæ propriè tamen, & poſitiuè ſint æquales.

24 Vrgebis quæuis pars vnius collect. infinit æqualis propriè, & poſitiuè eſſe poteſt cuiuis parti alterius collectionis etiã infinitæ: tota ergò collectio infinita alteri etiam infinitæ propriè, ac poſitiuè æqualis eſſe poterit. Cõſequẽtia perſpicua eſt, ſicut perſpicuũ eſt eo ipſo quod ex duplicici collectione finita dierum v. g. tot ſint horæ cuiuſuis diei vnius collectionis, quot ſunt horæ cuiuſuis diei alterius collectionis, eo inquam ipſo omnes horas vnius collectionis totaliter ſumptæ, & omnes etiam horas alterius adæquatæ collectionis totidem eſſe, atque omninò æquales. Antecedens autem probatur: quia vna & altera collectio infinita ex infinitis binariis v. g. ſibi mutuo reſpondentibus coaleſcere poteſt: at quiuis binarius vnius collectionis æqualis eſt cuiuis numero binario alterius collectionis: ergò &c. Verum, ſicut quæuis duratio ſucceſſiua animæ D. Petri aliquo inſtanti præteritura eſt; deque ea verum erit, *nunc nullo modo eſt, ſed antea fuit*; & tamen de tota collectione durationum, quibus anima D. Petri æternum duratura eſt, id dici non poteſt, ita ſimiliter quæuis pars vnius collectionis infinitæ cuiuis parti alterius collectionis itidem infinitæ æqualis eſſe poterit, quin in ipſas collectiones ea æqualitas cadere poſſit, aut debeat.

25 Secundò dici poteſt ad principale argumentum, quod præ manibus eſt, eſto permittatur diſputandi gratia, collectionem punctorum A, & collectionem punctorum D, eſſe etiam poſitiuè æquales, perperam tamen inde inferri, collectionem punctorum A, vno ablato, & poſtea addito eſſe maiorem collectione punctorum D. Ratio eſt, quia additio illa finita eſt; infinitum autem additione finiti propriè, & ſimpliciter maius fieri nequit: qua ratione Deus, & homo maius quid non eſt, quam ſolus Deus; eo quod acceſſio hominis ad Deum re vera ſit acceſſio finiti ad infinitum.

26 Tertiò reſpondebit fortaſſe aliquis ad idem argumentum, collectionem punctorum A, eſſe maiorem collectione punctorum D, quia, licet poſt quodlibet punctum A, ſit punctum aliquod D, tamen ante quodlibet punctum A, non eſt punctum aliquod D. ſicut ante quodlibet pũctum D, eſt aliquod punctum A. Itaq; quodlibet punctũ D. interiacet duo puncta A, contra verò quodlibet punctũ A, non interiacet duo puncta D; cum primum punctum A, ea non interiaceat: quare collectio punctorum A, collectionem punctorum D, facile ſuperabit.

27 Verum hæc ſolutio, tametſi primo aſpectu plauſibilis ſit, penitius tamen introſpecta nemini ſatisfacipt. Namque collectio punctorum A, ſolo vno puncto collectionem punctorum D, ſuperat: ergò ſi punctum illud auferatur, vna & alia collectio æquales erunt. At quod neutiquam æquales eſſe poſſint, ſed vna maior alia, ſuadetur: ſiquidem ablato primo puncto A, & nulla eius ratione habita, ante omne punctum A, & etiam poſt omne punctum A, eorum quæ remanent erit aliquod punctum D, cum tamen ante omne punctum D, non ſit vllum punctum A, ex hypotheſi facta: collectio ergò punctorum D, maior erit collectione punctorum A, vno puncto A, ablato. Eluitari nequit iuxta præfatam ſolutionem, quin duæ collectiones ſimul ſint æquales, & inæquales, ſiuè vna maior alia.

28 At dices, numeri finiti inæquales ad æqualitatem reduci poſſunt, dempto eo in quo vnus alium ſuperat, & excedit; videlicet quia numerus omnis finitus æqualitatis capax non eſt: cæterùm collectio infinita cum alia collectione infinita alternatim recurrens æqualitatis cum ea eſſentialiter incapax eſt; atque adeo, exempto illo in quo vna aliam excedit, non ob id vna alteri æqualis euadet. Quod in hunc modum à paritate confirmabis: quamuis ſinitum additione finiti ſimpliciter maius euadat, tamẽ infinitũ finiti additione nequit euadere, aut fieri maius: ſimiliter ergò, quamuis finitum, inæquale alteri finito aliqua additione, vel diminutione ei poſſit æquari; cæterum in infinito ea regula locum habere non poterit.

29 Contra tamen illud facit, quod ſi numeri infiniti

non

non ſunt incapaces inequalitatis, ita nec etiam erunt incapaces oppoſitę equalitatis: cur ergò ad eam reuocari non poſſit collectio aliqua infinita, per eius, in quo erat exceſſus & inæqualitas, ablationem? Et quidem alioqui collectio infinita minor euadere poterit repente maior, eius ablatione ſolius, in quo excedebatur ab alia itidem infinita: quod tamen eſt euidenter falſum, & contra primam apprehenſionem terminorum. Atque hactenus ad primum aduerſariorum argumentum. Ad alterum verò dicendum eſt, ſine eo quod partes continui negentur actu & propriè vbicatę, earum compoſitionem apprimè explicari ac defendi poſſe, vt decurſu tractatuum ſequentium conſtabit.

TRACTATVS IV.

An corpus naturale aliquibus inuiſibilibus continuetur?

CAPVT PRIMVM.

Corpus naturale nullis indiuiſibilibus continuatiuis, aut terminatiuis conſtat.

1 ITA Okamus in tract. de Euchar. cap. 1. & 2. & quodlib. 1. q. 9. & in log. cap. de quantitate, & Gregorius, Gabriel, ac cæteri Nominales. Item Durandus in 2. diſt. 4. q. 4. Fromondus in Labyrintho a cap. 3. eandem ſententiam tuetur ex noſtris Dandinus, lib 3. de anima comment. III. digreſſione 10. Probabilemque reputat Pereira in Phyſ. lib. 10. de quantitate cap. 6. §. *Reſtabant*. Porro indiuiſibile reale triplex eſt: videlicet punctum, quod nullo modo diuiſibile eſt: linea, quæ verſus longitudinem ſolam, non verò verſus latitudinem, aut profunditatem diuiſibilis eſt: & ſuperficies, quæ verſus longitudinem, & latitudinem, non autem verſus profunditatem diuidua eſt. Indiuiſibile autem continuatiuum eſt, quo partes continui inuicem copulantur: terminatiuum, quo terminantur, & clauduntur: puncto autem partes lineæ, linea ſuperficiei partes, ſuperficie demũ partes corporis continuantur, aut terminantur, ſi eiuſmodi continuatio, aut terminatio in indiuiſibilibus ſita ſit. Talia ergò indiuiſibilia realia à parte rei nulla eſſe ſed ſola mentis apprehenſione fingi cenſent præfati Authores: quibus ſubſcribo.

2 Et quidem, nulla puncta terminatiua in rebus eſſe, ſuadetur: quia, etſi à linea abſcinderentur puncta terminatiua, non ob id ea euaderet infinita, nec vlterius protraheretur: ergò ſe ipſa abſque illis punctis quodammodo terminari, atque finiri poſſet, & deberet. Secundò: quia nulla linea abſolutè, & ſimpliciter terminatur, ſed potius quæuis linea alicui alteri continuatur: nulla ergò linea conſtat punctis, quæ merè terminatiua, & non continuatiua ſint, ſicuti aduerſarij arbitrantur. Conſequentia manifeſta eſt: probatur antecedens; quia in triangulo v. g. quantumuis tres eius lineæ terminatæ videantur, tamen re vera inter ſe continuantur in punctis angularibus: vnde, vti iamiam inferebam, puncta earum angularia dumtaxat terminatiua eſſe non poſſunt. De quibuſcumque autem aliis lineis eadem ratio eſt, vt intuenti perſpicuum erit.

Iiſdem rationibus ſuaderi facile poteſt, ſuperficiem terminari non poſſe: quamuis enim ſuperficies aliqua omni linea ſpoliaretur, non ob id vlterius protraheretur: & in ſuperficie teſſeræ v. g. nulla linea merè terminatiua eſſe poteſt; ſi quidem ſex teſſeræ ſuperficies non tam terminantur, quam verſus lineas angulares contineantur. Quod verò corpus per ſuperficies non terminetur, etiam perſpicuum eſt: quia corpus extima ſuperficie deſtitutum non propterea vlterius protenderetur, ſed ſe ipſo finiri, & coerceri deberet.

Deinde, quod nulla ſint in corpore naturali indiuiſibilia continuatiua, haud ægre probari poteſt: quia ſi punctum v. g. eſſet vnio partium lineæ ſanè hoc ipſo foret earum modus: at eſſe non poteſt illarum modus: ergò &c. Maior eſt manifeſta, quoniam idcirco vnio partium eſſentialium, videlicet materiæ, & formæ ſubſtantialis, earum modus eſt, quia eiuſmodi partes eſſentiales reperiri poſſunt abſque eo quod vniantur, ac proinde egent vnionis modo, per quem earum indifferentia determinetur: aſt partes integrales lineæ inueniri poſſunt, abſque eo quod vniantur inuicem: ergò egent modo, per quem hæc earum indifferentia ad vniendum vel non vniendum determinetur, atque adeo earum vnio modus eſt. Et quidem eſſe fatentur Rubius 6. phyſ. tract. de compoſit. continui q. 1. dub. 2. Hurtadus diſp. 15. phyſ. ſect. 3. à num. 36. Toletus 6. phyſ. cap. 2. q. 1. à concluſ. 1. 3

Iam verò, quod punctum eſſe nequeat modus partium lineę, vti conſtitutum eſt à nobis in maiori propoſitione, ſic ſuadetur: omnis modus eſt forma intrinſeca eius cuius modus eſt: qua ratione actio eſt forma modalis, & intrinſeca agentis, vel paſſi: & intellectio, ac volitio, ſi modi ponantur, eo ipſo nequeunt non eſſe formæ quædam modales intellectus, & voluntatis: taleſque etiam ſunt vbicatio, & duratio, reſpectu rerum, quas in tempore, & loco conſtituunt, hoc ſolo quod ſint illarum modi. At punctum nequit eſſe forma intrinſeca partium lineæ: forma enim, & ſubiectum in eodem loco eſſe debent, vt omnium formarum, & ſubiectorum enumeratione conſtabit: punctum autem, & pars diuiſibilis lineæ in eodem loco eſſe non poſſunt: quia vel punctum in loco diuiſibili eſſet, non minus quam linea; quod indiuiſibilitati phyſicæ, & ſimul mathematicæ puncti omninò repugnat: vel linea eiuſque pars, quod perinde eſt, in loco indiuiſibili eſſet nõ minus quã punctũ, quod tamen cum huius diuiſibilitate non cohæret. Nec ſatisfiet, ſi quis reſpondeat, punctum eſſe in loco proportionali diuiſibili, idque eius diuiſioni non obſtare: quia eſſe in loco diuiſibili quatumuis proportionali & indeterminato aliquam diuiſibilitatem ſaltem mathematicam, ſiue extenſionem aliquam vt minimum virtualem in puncto non arguere non poterit? haud ſecus ac in ipſa parte proportionali lineæ extenſionem, & diuiſibilitatem arguit formalem. Simili diſcurſu ei quem hactenus fecimus, conficitur ſuperficies continuari non poſſe lineis, nec partes corporis, quas profunditatem appellant, continuari poſſe munere ſuperficierum. 4

Alio quoque argumento, theologico quidem, ſuaderi poteſt, non eſſe, à parte rei, & ſeclusa conſideratione noſtri intellectus, indiuiſibilia vlla continuatiua, aut terminatiua. Iis enim ſemel admiſſis, Chriſtus Dominus nequit non eſſe ſub indiuiſibilibus quantitatis Euchariſticæ: ſub illis namque inerat ante conſecrationem aliquid ſubſtantiæ panis: atqui poſt conſecrationem nihil ſubſtantię panis remanet ſub 5

quantitate remanente, sed tota in substantiam corporis Christi conuertitur:ergò post consecrationem Christus sub quantitate omnibusque eius indiuisibilibus existit. Quandoquidem igitur, in opposita opinione, fracta hostia noua semper indiuisibilia resultant,terminatiua scilicet,& indiuisibilia continuatiua fractione tenus esse desinunt, sanè aut corpus Christi sub quantitate, & speciebus panis, id est sub hostiæ consecratæ iam fractæ indiuisibilibus terminatiuis,quæ innumerabilia resultant, collocabitur de nouo, absque vlla consecratione: quod quis parum tutum in fide esse non videat? aut sub præfatis indiuisibilibus re vera existet substantia panis: at quis concedat hostiam consecratam indiscriminatim expositam adorationi fidelium, aliquid tamen habere substantiæ panis,versus omnes eas partes,penes quas à sacerdote frangitur? aut denique plura erunt indiuisibilia quantitatis Eucharistiæ post eius fractionem,sub quibus nec sit corpus Christi, nec substantia panis: quod etiam est dictu chimæricum, atque commentitium. Vt ergò ex tribus absurdis superioribus nullum sequatur, tuendum nobiscum est,nulla esse indiuisibilia continuatiua, aut terminatiua in quantitate Eucharistica, ac proindè nusquam alibi.

Caput II.

Dissoluuntur argumenta quædam pro indiuisibilibus terminatiuis, & continuatiuis corporis naturalis.

7 PRo iis certe stant Toletus, Hurtadus, & Rubius circa medium capitis præcedentis à nobis citati, necnon Albertinus tom. 2. disp. 2. de quantit. q. 3. & q. 7. Conimbricenses 6. phys. cap. 1. q. 1. art. 2. Tellez disp. 35. phys. sect. 3. Cabero tract. 6. phys. dip. 1. dub. 4. Suarez in methaph. disp. 40. sect. 1 5. & apud eum B. Thomas, Alensis, Caietanus, Capreolus, Scotus, Dominicus Sotus, Hispalensis, Burlæus, & Soncinas, qui in primis obiiciunt authoritatẽ Arist. 4. phys. c. 13. text. 21. vbi sic inquit; *momentum autẽ præsens, temporis, vt dictum est, continuatio est.* Quibus verbis Aristoteles tempus continuari, ac terminari, seu diuidi momentis adseruit: ergò etiam quantitas permanens punctis terminari, & continuari debet. Aristoteli adiungunt Augustinum tom. 1. lib. de quantitate animæ cap. 11. & 12. ibi; *ab ipso incipit linea, ipso terminatur, & vndecumque lineæ secari potest per ipsum secatur, nulla linea lineæ nisi per ipsum copulatur.* Hæc ille.

8 Arguunt secundo Aduersarij: non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate: at admissis indiuisibilibus, vt admitti debent, nulla alterius terminationis, aut continuationis in corpore naturali necessitas est: sola igitur indiuisibilia id terminandi, & continuandi munus suo iure sibi vendicant. Arguunt tertio: vnio partium essentialium est essentialiter indiuisibilis, & simplex: nec enim ex materia, & forma componitur, quæ tamen compositio sola dicitur essentialis:similiter ergò vnio partium integralium integraliter indiuisibilis est, atque adeò partes continui indiuisibilibus continuantur, vniuntúrque:quidni ergò aliis etiam terminentur? Arguunt quartò: si vnio partium continui indiuisibile quid non esset, sed potius modus quidam diuisibilis, ea ratione qua partes ipsæ continui diuisibiles sunt; sanè partes eius vnionis modalis iterum alia vnione inter se vniri, siue continuari,& huius secundæ vnionis partes continuatiuæ alia rursus vnione continuari deberent, & sic in infinitum. Consequens autem absurdum est: ne ergò sequatur, tuendum est, partes corporis naturalis non per formas modales sine diuisibiles, sed per indiuisibilia connecti,atque continuari inter se inuicem:quo fit à paritate rationis, vt in corpore naturali admittenda sint etiam puncta terminatiua.

Cæterùm hæc argumenta non sunt magni momenti. Ad primum ab authoritate Aristotelis,& Augustini desumptum respondeo, puncta quidem terminare lineam, & lineas superficiem, & superficies corpus: eo quod linea inter duo puncta sit, & superficies intra plures lineas, & corpus intra plures superficies: at ea indiuisibilia non esse terminos necessarios; siquidem iis ablatis continuum terminaretur, & se ipso finiretur: nec esse terminos immediatos, sed tantum mediatos,eo modo quo etiam aliquæ partes corporis alias à se distinctas versus longum, latum, aut profundum terminant: nulla enim pars alicuius longitudinis v.g. est se tota ita immediata puncto terminatiuo,vt inter punctum, partemque illam alia pars minor interiecta non sit: nec demum esse meros terminos; eoquod corpus aliqua ratione continuent,vt cap. præcedente ostensum est. Hoc autem pacto indiuisibilia terminatiua Aristoteles, Augustinus,& alij inferius citandi adstruunt: verum aduersariis quid id prodesse, aut nobis quid obesse potest? 9

Deinde indiuisibilia continuatiua in corpore naturali inesse non negamus, si de continuatione mediata, & impropria sermo sit: qua ratione vna pars corporis aliarum continuatio est: secus verò, si sermo sit de continuatione propria, & immediata, quæ modus quidam partium continuatarum est: at in solo priori sensu,nõ verò in posteriori Aristoteles,Augustinus, & alij,de quibus infra, loquuntur:cum tamen nobis, & aduersariis, de posteriori, non verò de priori, tota controuersia sit.

Ad secundum argumentum contrarium respondeo,suprà satis,superque à me probatum esse, in continuo alterius continuationis, & terminationis opus esse,&ad id munus indiuisibilia sufficere nõ posse. Ad tertium argumentum contrarium respondeo, in primis non deesse, qui censeant, vnionem essentialem materiæ, & formæ esse quodammodo essentialiter diuisibilem,& compositam,eo quod constet, sin minus materia, & forma, saltem duabus vnionibus specie, siue essentia diuersis, id est materializatione, & informatione. Et quidem si his constaret, modum quemdam haberet, ac speciem compositionis essentialis. 10

Deinde absolutè dicendum est ad tertium illud argumentum, inter vnionem partium essentialium, eamque qua partes vniuntur integrales, latam esse discriminis rationem: Vnio enim partium integralium,cum earum forma sit, iis commensurari quoad locum debet: vnde virtualiter,aut formaliter extensa,& ex consequenti integraliter multiplex non esse non potest. Quod autem vnio partium essentialium sit earum forma quædam modalis, nullam in ea compositionem, aut diuisionem essentialem arguit, sed potius simplicitatem, & indiuisionem essentialem: cum omnis forma,qua talis, essentialiter simplex esse debeat; aliàs compositioni essentiali minimè deseruitura,vt per omnes formas discurrenti constabit. Ad quartum, & postremum aduersariorum argumentum respondeo, aut partes vnionis continuatiuæ inter se minimè vniri; quo processus ille infinitus modorum 11

realiter

realiter distinctorum euitatur : aut secundò partes præfatæ vnionis se ipsis vniri,& continuari,sicut partibus ipsius corporis per semetipsas copulantur : sic actio per se ipsam producitur : & vbicatio, atque duratio se ipsis in tempore,& loco existunt.

CAPVT III.

Corpus naturale indiuisibilibus saltem velut partibus quibusdam constat.

12 QVamquam supra capite primo statuimus, nulla in corpore naturali continuo indiuisibilia esse, quæ munus immediatè continuandi, aut terminandi exerceant;idcirco tamen omnino neganda non sunt, sed potius necessario admittenda, vt corpus naturale integraliter constituant, non se solis, sed simul cum partibus sine fine diuiduis, de quibus infrà. Continuum ergò propter partes quaquà-versus sectiles complectitur etiam puncta, lineas, & superficies, iisque quasi quibusdam fibris, segmentisque pulcherrimè variegatur. Et quidem hac saltem ratione esse in continuo indiuisibilia, nimirum puncta,lineas, & superficies,communis est scholasticorum omnium opinio si paucos ad initium capitis primi citatos,& alios quosdam ineunte capite sequenti citandos excipias.

13 In eadem sententia sunt non solum Augustinus suprà laudatus, sed etiam plures alij Ecclesiæ Patres: ac præsertim Claudianus Mamertus Viennensis Galliarum Episcopus tom.4. bibliothecæ Patrum lib. 1. de statu animæ cap.25.vbi sic inquit:*linea est, vt doctissimi, atque excellentes viri non dixere solum, sed ratiocinando probauere,longitudo simplex,quæ in corpore sola prorsus nequeat inueniri, eoquod omne corpus longitudine longum sit, non tamen ipsa sit longitudo,neque possit sic esse longum, vt non latum simul, altumque sit. Quocirca sicut aiunt, etiamsi araneæ filum cogitaueris, quia vtique corpus est, non solum longitudinem cogitasti. Habet enim pro modo suo indissociabilem longitudinis suæ latitudinem. Igitur si, vt fateri veritas cogit, aliud est longitudo quam altitudo, seposita latitudine solam longitudinem cogitemus,&c. Hæc ergò, de qua loqui institueram, longitudo, cum fuerit puncto inchoata, puncto finita, à Græcis grammę, nostris linea dicitur.* Et pauculis interpositis ; *figura enim*(id est superficies)*dicitur, cum paribus, imparibusue lineis capitibus sese contingentibus locus ambitur.*

14 Inferius etiam prosequitur idem institutum, & quidem elegantissimè B. Claudianus in hæc verba : *Punctum nempè principaliter est origo lineæ : ab ipso incipitur ; ipsoque finitur : cum punctum nec oriri à quoquam pateat, nec finiri. Hoc namque continet in figuris punctum, quod vnus in numeris. Ista ergo linea, quæ transuersim secari potest, scindi per longum non potest,quia vtique si scinditur,habet latitudinem: cum secanda est puncto cæditur, cum punctum scilicet non cædatur. Perfectio ergò longitudo latitudine, quia latitudo, (*id est superficies) *& transuersim, & directim recipit sectionem. Perfectior latitudo altitudine,quia altitudo non solum scindi, ac secari, verum & à latere cædi potest. Ergò altitudo sine latitudine, & longitudine esse non potest. Et vbi hæc tria sunt, haud dubiè corpus est. Latitudo sine longitudine esse non potest. Longitudo sine his omnibus esse potest, sed sine puncto esse non potest. Sine his verò punctum semper est,nec cuiuspiam vt sit indiget, quia vnius nullum potest esse principium.* Hactenus D. Claudianus, cuius verba transcribere libuit, quia appositissima sunt ad explicandam naturam indiuisibilium, in quibus versamur.

Ea etiam in continuo admittit B. Paulinus Aquileins. in sacrosyllabo aduersus Elipantum (qui liber est in operibus Alcuini) versiculo *ponamus*, paulo post medium, vbi sic inquit: *Nam sicut in planis, & solidis figuris linea,& in quadrangulis punctus, licet sint indissecabiles, & diuidi nequeant, & idcirco ægrè depingant dimensionum figuras,omnium tamen numerorum multitudinis summam in se sociatam retinent, & in se vsque ad finitam numerositatem procedentes, & rursus in se vsque ad vnum recurrentes indiuiduam retinere probantur vnionis censuram.* Hæc ille. Consentit B. Damascen. in Dial. c. 33. ibi, *Punctus sine quantitate est, non enim mensuratur, neque numeratur, quia non habet vllam distantiam. Linea autem habet vnam distantiam,est enim longitudo sine latitudine. Superficies habet duas distantias, longitudinem, & latitudinem.* Neque non consentiunt Augustin. ad initium cap. præcedentis citatus,& alij Patres. 15

Ac certè punctum vndequaque indiuisibile, vt ab eo auspicer,non repugnare ostendo. Quemadmodum enim res spiritualis diuisionis capax est, vti hoc ipso libro tract. 1. cap. 2. ostensum manet, alibique latius ostendetur,cur è contrario punctum materiale, & tamen omninò indiuisibile repugnet. Deinde esto res spiritules suapte natura indiuisibilis esse debeat, nihilominus indiuisibilitas puncti materialis ea esse potest, quæ compositum integrale de se constituat, cum tamen indiuisibilitas rei spiritualis, & incorporeæ expers sit omnis compositionis integralis, & continuæ : at hoc satis, superque est, vt punctum, quantumlibet indiuisibile, à re spirituali differat, & à sua materialitate non defæcetur : huiusmodi ergò punctum admitti potest. 16

Rursus globus perfectè sphæricus non repugnare videtur:at huiusmodi globus planum in solo puncto physicè, & mathematicè indiuisibili tangere potest: si enim planum tangeret in parte aut extensione aliqua siue planitie,sanè globus ipse planitiem aliquam haberet : quo enim pacto sine planitie planities tangi potest ; sed globus perfectè sphæricus nullam planitiem habere potest : quo enim magis planitiei expers est globus aliquis, eo magis sphæricus est : vt ergò perfectè sphæricus, ita omnis planitiei expers esse debet. 17

Et quidem globum tangere planum in solo puncto non tantum scholastici nostri communiter tradunt, verum etiam non pauci sacræ Scripturæ interpretes : qui propterea rotam, circulum, & sphæram symbola esse aiunt hominis iusti,& perfecti: quippe qui terram hanc in minimo, ac fermè in nihilo tangit,totusque cœlum affectat. Præclarè noster Andreas Pintus libro tertio canticorum cap. 4. §. 1. *Exprimuntur quidem iusti ex aliquorum sententia in illis Ezechialis rotis, de quibus c. 1. n. 20. Spiritus enim vitæ erat in rotis. Et cur inquis, in tam mystica visione,rota maximè exprimendæ sanctorum vitæ assumitur? Quia figura quædam perfectè sphærica in puncto tantum indiuisibili planum attingit. Meritò ergò rota vocatur iustus,qui sphæricum terræ orbem in puncto tangens tãtum,totus cœlo inhiat, quadrata iam quiete in eo commoraturus.* Hactenus ille. Concinit Gilbertus ser. 2. sic inquiens de homine iusto : *Vitalis instar rotæ spirituali ad superiora conatu attollitur, de terra vix paululum aliquid attingens.* Neque non etiam Hieronymus parum abest super Ezechielis c. 16. n. 10. verba illa : *Et circulus in auribus tuis*, siue vt habet 18

habet textus Hebraicus : *Et rotula in auribus tuis*; vbi ſic inquit : *In his enim, qui terrena pertranſeunt, & vix modicis veſtigiis contingunt terram, vox excelſorum dogmatum perſonat.* Similia habent alij Patres, & interpretes in ea Dauidis verba pſalm. 76. *Vox tonitrui in rota.*

18 Reſpondent tamen nonnulli ad ſuperius argumentum, deſumptum ex mutuo contactu globi, & plani in vno tantum puncto, non eſſe poſſibilem eiuſmodi globum omninò, & perfectè ſphæricum. Et quidem eius poſſibilitatem negant, commentitiamque eſſe dicunt Auerroes comment. 32. lib. de Cœlo. Areſius 1. de generat. diſp. 2. q. 33. ſect. 6. Alexander Piccolomeneus lib. 2. ſuæ ſphæræ c. 5. Verum quis non videat, hoc abſque vllo dici fundamento, & non niſi ad argumenti vim declinandam? An non etiam eadem licentia negari poſſent perfectus cylindrus, & perfecta planities? Quocirca alij ſecundò reſpondent, globum tangere planum in parte ſolum indeterminata, & proportionali : ſolum autem contactum in parte determinata plani obſtare poſſe, ne globus illud attingens ſit perfectè rotundus. Contrà tamen ſic argumentor: quia, ſi globus tangit planum in planitie determinata, poterit non planitiem ſaltem indeterminatam ſibi vendicare: atque in orbem perfectum, omniſque planitiei expertem conuolui nequibit: & quidem globus planitiei etiam indeterminatæ expers perfectior globus eſſet, vt manifeſtum eſt.

19 Reſpondent tertiò Ariminenſis in 2. diſt. 5. q. 2. Et noſter Albertinus in ſuis corollariis tom. 2. de prædicamento quantitatis diſp. 3. q. 7. globum perfectè ſphæricum non tangere planum immediatè, ſed medio aëre, qui, vt vtrumque corpus, ſphæricum ſcilicet & planum, immediatè attingit, ſic iis coextenditur. Porrò autem dicitur globus perfectè tangere poſſe planum, non quod illud immediatè tangat aut poſſit, ſed quod retentis iiſdem figuris ambo immediatiora, aut propiora eſſe nequeant.

20 Diſplicet etiam hæc ſolutio : primum, quia ſi corpus perfectè ſphæricum, & globoſum per vacuum in planitiem ſibi ſubiectam inſita grauitate corrueret, certè non poſſet planitiem non tangere, at non medio aëre : ergò immediatè. Secundò quia pars determinata aëris, quæ præ reliquis planum, & globum interfuſa eſt, vel diuiſibilis, vel indiuiſibilis eſt? Si ſecundum: ergo intento potiti ſumus. Si primum: ergo globus tangit partem diuiſibilem aëris immediatè: cum ergò ea pars diuiſibilis planitiei commenſa ſit, vtpote ab ea etiam tacta, ſanè globus tanget immediatè aliquid planitiei perfectè commenſum, ac proinde planitiem ipſam; cum ſola planities planitiei perfectè coëxtendi, & commenſurari poſſit.

21 Iam verò quod in continuo poſſibilis ſit linea, ſuadetur iiſdem fermè rationibus, quibus poſſibilitas puncti à nobis eſt probata. Namque cur repugnet perfectus cylindrus, ſiue columna perfectè rotunda? Sed perfectus cyclindrus planum in ſola linea tangere poteſt & debet : ſi enim in ſuperficie illud tangeret, eius participaret planitiem, nec eſſet cylindrus perfectus, omnibuſque numeris abſolutus. Deinde diuidi verſus longitudinem, & diuidi verſus latitudinem diuerſa ſunt, & vnum poteſt ſine alio reperiri : quidni ergo poſſe diuidi verſus longitudinem, & poſſe diuidi verſus latitudinem diuerſa ſint, ac mutuò ſeparabilia? Quod autem poteſt diuidi verſus longitudinem, & non poteſt diuidi verſus latitudinem linea eſt: hæc ergò poſſibilis eſt. Atque hoc eodem argumento probatur in continuo poſſibilitas ſuperficiei : ſiquidem diuidi verſus longum, latúmque; & diuidi verſus longum, latum, atque etiam profundum differunt inuicem, & vnum ſine alio poteſt reperiri : cur ergò poſſe diuidi verſus longum, & latum ſolum, & poſſe diuidi verſus longum, latum, & profundum, diuerſa, & ſeparabilia non ſint? At quod verſus longum, & latum ſolum diuidi poteſt, & verſus profundum diuidi nequit, ſuperficies eſt : hæc ergo non repugnat.

Conſtituta poſſibilitate indiuiſibilium, eorum in 22
continuo realem exiſtentiam ſuadeo. Nam, hoc ipſo quod indiuiſibilia realia poſſibilia ſint, dantur ſpatia imaginaria, quæ ab iis occupari poſſint : hæc autem ſpatia neceſſario indiuiſibilia ſunt, ſicut ſpatia partium diuiſibilium diuiſibilia ſunt. Rogo ergo, ſpatia imaginaria illa à quibus occupentur? Non enim à partibus diuiſibilibus corporis; aliàs hæ penetrarentur: quemadmodum enim indiuiſibilia ſine extenſione virtuali in ſpatiis diuiſibilibus eſſe non poſſunt; ita è contrario partes diuiſibiles in ſpatiis indiuiſibilibus ſine penetratione eſſe non ſuſtinent : Ergò vel eiuſmodi ſpatia vacua ſunt, vel certè ab indiuiſibilibus realibus occupantur : ac proinde hæc actu reperiuntur. Quod etiam vlterius ſuadetur, hoc pacto: corpus opacum, lapis v. g. lucem aliqua ſui parte recipit: niſi enim lucidum eſſet, qua ratione conſpici poſſet? At non niſi in ſola ſuperficie : ſi enim lucem ſuſciperet ima ſui parte, omnino opacum non foret, ſed aliquatenus diaphanum : eo autem ipſo quod ſuperficies de facto exiſtat, non eſt cur etiam puncta, & lineæ in continuo non concedantur exiſtere.

Tandem ſuadetur id ipſum : quia agentia naturalia 23
agunt vniformiter, difformiter, id eſt intenſius citiuſque in parte propinquiori, quam remotiori, non verò æquali intenſione, & celeritate in alterutrâ. Aſt ſublatis indiuiſibilibus, actio cauſarum naturalium non eſſet vniformis difformis, ſed æqualis intenſionis per certam aliquam, & determinatam diſtantiam. Sumo enim certam intenſionem, v. g. calorem vt quatuor; & rogo vbi recipiatur? Non in ſuperficie aliqua, cum hæc iuxtà aduerſarios non detur : non in parte indeterminata, cum intenſio determinata partem aliquam determinatam paſſi velut ſubiectum poſtulet : ergò in parte aliqua determinata paſſi. Vel igitur totus calor vt quatuor in quauis parte deſignabili determinati illius paſſi recipitur, vel non? Si ſecundum; ergo pars eius intenſionis in parte illius paſſi, & pars in alia illius parte recipietur; & ſic non tam intenſio, quam extenſio erit : ſi primum; ergo æqualis intenſio caloris in toto illo paſſo determinato quoad ſingulas eius partes recipietur, & ſic calefactio vniformis difformis eſſe non poterit : Ne igitur hoc ſequatur abſurdum, ſuperficies, & reliqua conſequenter indiuiſibilia admittenda ſunt in corpore naturali continuè compoſito.

Caput IV.

Fit ſatis argumentis arbitrantium, indiuiſibilia nulla, & nullius muneris gratia eſſe in corpore naturali continuè compoſito.

ID autem arbitrantur Okamus, Gregorius, Ga- 24
briel, Durandus, Fromondus, Dandinus, & Pereira ſuprà citati ad initium capitis primi. Id ipſum etiam tuentur auerſa tom. 1. philoſ. q. 22. ſect. 4. Paulus Areſius lib. 1. de generat. d. 2. q. 23. & Valleſius controuerſ.

trouers. 33. phys. Porrò nullam saltem esse re vera lineam, sensisse olim non paucos, atque inter eos Martium quemdam Philosophum, testis est B. Claudianus de statu animæ citato cap. 25. vbi sic inquit: *scio autem, hanc eandem* (scilicet lineam) *liquido conspici non esse multorum: quam, cum Martius quoque Philosophus negaret Mathematico Adrasto posse videre, cum lineas fabrorum minimas videret; vtique non mirum est, inquit Adrastus, quod habes oculos similes fabrorum, ingenium dissimile Pythagoræ.* Denique noster Fonseca lib. 5. metaph. cap. 16. q. 6. sect. 5. & sect. 6. conclus. 4. lineam, & puncta realia de medio tollit, nec aliud concedit indiuisibilium genus, quam superficiem, qua corporis circumscribuntur extrema.

25 Præcipuum autem fundamentum negandi indiuisibilia realia in corpore naturali continuè compositio sic habet: punctum se toto tangit partem proportionalem; siquidem in eo aliud, & aliud non est: ergò cum eiusmodi parte penetratur: ergò est in loco diuisibili, non minus quam id partis, cum qua penetratur: ergò habet aliquam extensionem virtualem, ac proinde saltem mathematicè indiuisibile non erit. Commentitium igitur est punctum nec formaliter, nec virtualiter, aut mathematicè diuiduum. Eadem ratione suaderi consueuit, superficies etiam, & lineas esse impossibiles.

26 Respondeo, ad penetrationem duorum opus esse, vt inuicem secundum se tota se tangant: qua ratione, iuxta inferius dicenda, vnum indiuisibile immediatum alteri cum eo penetratur, quia vtrumlibet se toto alterum tangit: at quamuis punctum secundum se totum partem proportionalem, siue indeterminatam tangat, tamen pars proportionalis secundum se totam è contrario punctum non tangit: atque adeò necesse non est, imo nec possibile, vt punctum quo de loquimur, penetretur cum parte proportionali, eivè coextendatur. Ita Ripalda tom. 2. d. 90. n. 97.

27 At dices: pars proportianalis A, v. g. nequit inadequatè tangere pũctum, quin eiusmodi contactus inadæquatus respectu totius partis, sit contactus adæquatus alicuius partis minoris in ea contentæ: qua ratione, qui cognoscit hominem inadæquatè, animalitatem in eo contentam adæquatè cognoscit, atquè intentionaliter attingit. Verum, quamuis signata parte proportionali A, tam ipsa, quam quæuis eius pars vlterius signabilis, à puncto sibi vnito inadæquatè tangatur, ob id deueniri non poterit ad aliquam partem, quæ ab eo adæquatè tangatur: nimirum ob infinitudinem partium, quæ infinities versus minimum diuisibiles sunt: & hoc genus contactus semper inadæquati, & nusquam adæquati est, quo aliquid dici solet tangere indiuisibiliter rem diuisibilem.

28 Rem appositissimo exemplo declaro. Quamuis transacta quauis parte temporis finiti ipsum tempus finitum adæquatè transigi debeat; tamen in tempore infinito à parte post aliter vsuenit: quippè cuius quoduis instans præteribit, nunquam tamen omnia adæquatè præteritura sunt; similiter ergò, quamuis, in sententia continuum ex indiuisibilibus finitis constituente, contactus inadæquatus duorum sine contactu adæquato aliquarum partium vtriusque esse nequeat; tamen, vbi quæuis pars continui infinita sit, optimè poterit tangere inadæquatè, quin effici possit inde contactus adæquatus. Exemplum porrò cognitionis in contrarium adductum non vrget: tum, quia, iuxta aduersarios, homo, & eius formalitates ab infinitate longe absunt: tum etiam, quia, ex eo quod cognitio aliqua inadæquata totius, partem aliquam illius secundum se totum, & adæquatè attingat, nullum sequitur inconueniens, sicuti impræsentiarum sequitur.

Vrgebis Deus videt id quod tangitur à puncto, & id quod ab eo non tangitur: at id quod à puncto tangitur, prout condistinctum ab eo, quod non tangitur, adæquatè & secundum se totum à puncto tangitur: ergò, &c. Respondeo, Deum quidem videre id quod in continuo à puncto tangitur, & quod ab eo non tangitur: cæterum id, quod non tangitur, non distingui adæquatè ab eo quod tangitur, sed in eo intimè includi, propterea quod impossibilis sit pars aliqua, quæ à puncto tangatur, quin in ea sit pars aliqua, quæ tacta non sit, aut è contrario pars aliqua puncto immediata eique vnita, quæ ita intacta sit, quin penes aliquid sui à puncto tangatur: quorum alterum & alterum, admissa infinitate partium infrà ex professo explicanda, locum habet: quare minor replicæ factæ falsa est, & de subiecto non supponente. Atque ex eius quidem, & totius argumenti positi solutione constat, quatenus linea superficiem, & superficies corpus, vnaque pars corporis aliam tangere possint, quin se penetrent: licet indiuisibilia finita, qualia à recentioribus in continuo adstruuntur, sine penetratione sese tangere, aut immediata esse non possint. 29

Arguunt secundò aduersarij, ex Aristotele in libello de quæstionibus mechanicis, vbi docet, circulum conuexa sui parte maiorem esse, plusque spatij occupare, quam concaua sui parte. At id in intelligibile est, nisi circulus versus profunditatem diuisibilis mathematicè sit, spatiumue diuisibilis occupet, ergò ita diuisibilis est: iam ergò linea circularis, & quæuis alia versus profunditatem omnino indiuisibilis repugnat: ac per consequens etiam quæcumque alia indiuisibilia prorsus talia repugnabunt. Respondeo, Aristoteli sermonem esse, non de circulo perfectè sumpto, qui certè supera, & ima sui parte æquale spatium non occupare non potest; sed de circulo imperfectè sumpto, qui moles quædam corporea in longum, tenuemque orbem circumacta est, & haud dubiè excentrica sui parte maior est, quam concentrica parte: id quod in virga in circulum flexa cernere est, quæ versus interiores partes rugas contrahit, versus extimas autem non sine aliqua discissione, aut eius periculo protrahitur, magisque extensa euadit. 30

Arguunt tertiò: vel inter punctum, & punctum est pars aliqua sine fine diuisibilis, vel non? si primum: ergò in continuo pars aliqua prorsus diuisibilis, & non tam indiuisibilibus constans, quam ea interiacens assignatur: cur ergò reliquæ continui partes, totumque continuum saltem vsque ad extimam superficiem sine indiuisibilibus esse nequeat? sin autem dicatur secũdum: ergò in continuo nulla erit pars diuisibilis, sed quicquid in eo est indiuisibile erit; quandoquidem pone se inuicem plura indiuisibilia subeunt, quin penetrentur: nihil autem esse in corpore naturali continuè compositio præter indiuisibilia, perabsurdum est. Respondeo, inter punctum, & punctum semper interiici partem, vnumque punctum alteri nunquam immediatum esse: cæterum pars illa, quæ punctum, & punctum interiicitur, sicut infinitè diuidua est, ita infinities infinita puncta complectitur: quare à nulla continui parte puncta dispungi possunt, vt aduersarij colligunt. 31

Qui vlterius quartò arguunt, hunc in modum: vel indiuisibilia sunt eiusdem rationis, & speciei, cum 32

partibus

partibus diuiſibilibus, vel diuerſæ rationis? Si primum: ergò in continuo nihil erit, quod indiuiſibile non ſit: & partes in eo ab indiuiſibilibus differre poterunt, quod partes collectionem plurium indiuiſibilium complectantur, partium verò indiuiſibilia pro ſingulis eius collectionis indiuiſibilibus ſupponant, atque accipiantur. Si ſecundum: ergò nullum continuum omninò homogeneum, & omnis heterogeneitatis expers repetiri poterit in rerum natura, quod tamen videtur abſurdum. Reſpondeo, indiuiſibilia eſſe diuerſæ rationis à partibus, ſi compoſitionem integralem ſpectes, eo quod hæ diuiſibiliter integrentur, ſecus verò illa: cæterum eſſe eiuſdem rationis multoties cum partibus, ſi compoſitionem eſſentialem ex materia, & forma ſpectes; quia, ſicut partes aquæ v.g. ex materia, & forma aquæ diuiſibili quidem, ita ſimiliter eius indiuiſibili ex materia, & forma indiuiſibili aquæ, ſiue, quod perinde eſt, ex puncto materiæ, & puncto formæ aquæ eſſentialiter coaleſcunt. At illud prius ſatis eſt, vt quidquid eſt in continuo indiuiſibile non ſit: hoc verò poſterius ſufficit, ad id vt plura continua in rebus reperiantur, quorum partes abſolutè ac ſimpliciter dicantur homogeneæ.

33 Quintò argumentantur aduerſarij. Admiſſis ſuperficiebus duæ immediatæ, & tamen non penetratæ inuicem, negari nequeunt: at hoc ipſo totum continuum ex ſuperficiebus coaleſcere poterit: ergò aut ſuperficies indiuiſibiles admittendæ non ſunt, aut ſolæ admitti poterunt, nec vlla erit partium quaqua verſus diuiſibilium neceſſitas, vel vtilitas. Minor perſpicua eſt: vbi enim duæ ſuperficies immediatæ non penetrentur, ſed magnitudinem aliquam faciant, non erit, cur ita replicari, & multiplicari non poſſint, vt magnitudinem quantæuis molis efficiant. Maior probatur: quia lignum aquæ immerſum vna ſuperficie tangit circumfluam aquam, alia verò aërem ambientem: cum enim ſuperficies aëris, & ſuperficies aquæ ſint immediatæ, & non penetratæ, ſed potius vna ſuperior alia, ſanè haud poterit lignum vtramque tangere, niſi munere duplicis ſuperficiei, quæ certè ſibi non minus eſſe debent immediatæ, quam ſuperficies aquæ, & ſuperficies aëris, quas tangit. Reſpondeo, & quidem facile, ſuperficies aquæ, & aëris aquam lambentis inuicem eſſe penetratas. Ariſtoteles enim contigua ea eſſe definit, quorum extrema ſunt ſimul, id eſt in eodem loco: cum ergò aqua, & circumfuſus aër ſint corpora contigua, & immediata; certè eorum extremæ ſuperficies in eodem loco penetrari neceſſe habebunt. Hinc igitur eſt, vt lignum, aqua & aëre circumdatum, vna ſuperficie duas ſuperficies aëris, & aquæ tangere poſſit, quin duæ immediatæ in eo aſſignari debeant, aut poſſint.

TRACTATVS V.

An corpus naturale ſolis indiuiſibilibus phyſicè, & mathematicè talibus continuetur.

CAPVT PRIMVM.

Refellitur ſententia conſtituens corpus naturale continuum ex punctis finitis, phyſicè, & mathematicè indiuiſibilibus?

1 VIDEAM eſſe phyſicè indiuiſibile eſt, nullas habere partes entitatiuas realiter diſtinctas: eſſe verò mathematicè indiuiſibile eſt non occupare plures loci partes etiam per eandem realiter entitatem. Continuum ergò conſtare ex ſolis punctis finitis tum priori, tum etiam poſteriori modo indiuiſibilibus tuentur Gerardus apud Tartaretum 6. Phyſic. q. 1. Franciſcus Patricius lib. 2. de rerum natura cap. 1. Et Sebaſtianus Baſſone in tract. contra Ariſtotelem intentione 6. toto lib. de motu. Quibus adhærent ex noſtris Balthazar Tellez parte 2. in phyſ. diſp. 35. ſect. 1. & Cornelius de S. Patricio in doctiſſimo tract. de continuo ſect. 2. num. 1. In eandem etiam ſententiam non parum inclinant, omniaque aduerſus eam argumenta conantur diſſoluere, Quiedo controu. 17 Phyſ. puncto octauo, nono & ſequentibus: neque non Ariaga diſp. 16. Phyſ. ſect. 2.

Enim verò eam omnino falſam eſſe exiſtimo, & 2
ſic ex Ariſtotele oſtendo. Si continuum punctis omnino indiuiſibilibus, iiſque finitis conſtaret, certè vnum punctum additum immediatè alteri faceret maius: conſequens falſum eſt: ergò &c. Maior perſpicua eſt: non à paritate rationis; quia eo ipſo quod numerus vnitatibus finitis conſtet, vna vnitas addita alteri efficit plus ſiue diſcretè maius: tum etiam, quia non eſt, cur puncta finita ſibi immediata, in vno numero magis quam in alio, magnitudinem efficiant: ergò in numero binario illam efficient: adeoque vnum duntaxat punctum alteri immediatè adiectum cum eo maius ſiue magnitudinem poterit efficere. Minor verò probatur: quia vnum punctum immediatè additum alteri illud ſecundum ſe totum tangit, & è contrario: haud enim in puncto prorſus indiuiſibili eſt aliud & aliud, ratione quorum tangi vel tangere, & tamen non ſe toto, ſuſtineat: ambo ergò penetrabuntur, ac proinde maius efficere non poterunt: ſicut enim vna manus aliam ſecundum ſe totam tangere nequit, quin cum ea penetretur, vt experientia manifeſtum eſt, ita ſimiliter in præſenti &c. Et quidem, ſi duo puncta penetrarentur, nihil aliud haberent, quam ſe totis inuicem tangere & tangi: cum ergò vnum punctum continui ſe toto tangat aliud, & ab alio tangatur, certè ab eo non penetrari non poterit.

Reſpondent primò aduerſarij, retorto in Ariſto- 3
telem eodem argumento: ſiquidem vna etiam pars diuiſibilis immediatè & adæquatè tangit aliam; quippe cui phyſicè vnitur: ergò cum illa penetrabitur, ac ſubindè cum ea nequibit efficere molem, aut maius quidpiam. Cæterum facilè reſponderi poteſt, contactum partium continui ſemper eſſe vltrò citróque inadæquatum; neque videri à Deo partem vllam quantumuis minimam, quæ ſe tota aliam tangat, aut è conuerſo, ſed in quauis parte ſemper aſſignari poſſe aliquid in quo tangi, aliudque in quo dicatur intacta manere: quod ex infinitudine partium profiſcicitur. Ad penetrationem autem partium, contactus adæquatus earum neceſſarius eſt: vnde &c.

Reſpondent ſecundò contrarij, duo puncta ſe im- 4
mediatè tangere contactu totali & adæquato haud eſſe ea inuicē penetrari, ſed ad hoc opus eſſe, vt ita ſe totaliter tāgant vt in eodē loco ſint, nō verò in locis cōtiguis: ideo verò duæ manus ſe totaliter tāgere nequeunt, quin exceptis vltimis ſuperficiebus penetrentur, quia manus ambæ habent partes extra partes, quarum poſteriores ad contactum accedere nequeunt quin anteriores vſque ad extimas ſuperficies penetrentur quæ ratio in duobus punctis partium omnium expertibus non militat: quarè ſe tangere totaliter abſque penetratione non poterunt.

Hæc ſolutio, quamquam multorum plauſu excep- 5
ta ſit, penitius tamen inſpecta, parum aut nihil habere

habere momenti comperietur. Ideo namque punctum corporis cum puncto loci penetratur, quia illud quodammodo tangit, eo contactu, qui adæquatus & totalis sit: ergò si vnum punctum corporis aliud etiam eiusdem corporis adæquatè & totaliter tangit, cum eo necessario penetrabitur. Nec certè conspicio, cur vnum punctum corporis adæquatè tangere possit aliud absque vlla penetratione; & non possint similiter corpus & spatium aliquod loci se adæquatè tangere, absque eo quod penetrentur, aut sint simul.

6 Deinde: eo ipso quod intellectus intentionaliter attingat aliquid secundum se totum, non potest illud obiectum non esse intentionaliter & obiectiuè in intellectu: igitur eo ipso quod punctum aliquod se toto physicè attingat aliud, non poterit vnum non esse physicè in alio, per veram vtriusque penetrationem. Quod idem argumentum iisdem neruis contendi potest etiam in volũtate aliquod obiectum affectiuè attingente. Rursus demus punctum A, cingi atque immediatè tangi à punctis B, C, D, E, certè ex omnibus quinque punctis figura aliqua resultabit, nimirum aut rotunda, aut quadrata, vel triangularis, seu pyramidalis, aliaue alterius generis: at signata quacumque, non est cur illa potius quam alia quæuis resultet, nisi punctum A, intermedium figuram habeat: eam ergò nequit non habere suppositis aduersariorum principiis: figura autem necessario cohæret cum extensione formali vel virtuali, aut, quod perinde est, cum diuisibilitate physica aut saltem mathematica: commentitium igitur est, quod aiunt hi quibuscum disceptamus, puncta finita continui sine vlla penetratione se tangere adæquatè, & tamen eorum quodlibet esse omni extensione, tum formali, tum etiam virtuali destitutum, & nec physicè, nec etiam mathematicè diuisibile. Maior procul dubio est. Minor, quantum arbitror, minus erta non est: cur enim in orbem v. g. puncta insperius descripta coalescerent, magis quam in aliam figuram, si punctum A, medium obtinens locum non esset in rotunditatem, & orbem quendam circumactum?

7 Respondebis tertiò cum aliquibus, vel potius directè obiicies contra principium à nobis assumptum. Contactus lineæ rectæ cum circulo quantitas est, vt latè demonstrat noster Clauius in scholis super lib. 3. Euclidis propos. 16. aduersus Iacobum Peletarium, cuius rationes inibi vocat fallaces, sophisticas nihil probabilitatis habentes, nullius momenti, ac homine geometra prorsus indignas. Atqui linea recta protensa super circulum, eum in solo puncto tangit, aut, quod perindè est, puncto circuli punctum suum, & nihil amplius immediatè addit: punctum ergò additum immediatè alteri facit maius, siue quantitatem. Probatio maioris, quæ quidem luce clarior est, videri potest apud Clauium loco citato. Minor est perspicua: nam, si linea recta, & circulus se tangerent plusquam in puncto prorsus indiuisibili, aut si in extensione formaliter, aut virtualiter diuisibili; haud dubiè pars illa extensa lineæ se tota tangens aliam circuli partem ei esset commensa, & è conuerso: ac proindè vel in circulo esset aliqua rectitudo, & quædam pars omni careus obliquitate, ex quo vlterius fieret, vt non esset perfectè circulus; vel è contrario in linea foret aliqua obliquitas, & sic ea non posset esse omninò & ad amussim recta. Vtrumque autem consequens est euidenter falsum, & contra hypothesim disputationis à disputantibus vtrinque admissam. Simile argumentum, certè non minus efficax, videtur duci posse, ex eo quod contactus exterior duorum circulorum sit quantitas, necnon ex eo quod eorum interior contactus quantitatem faciat: quorum alterum, & alterum à Clauio vbi supra fusè demonstratur contra Peletarium.

Vereor tamen, ne si quis sic argueret, nec Clauium, nec Peletarium intelligere deprehenderetur: 8
sumeret enim contactum formaliter, & quatenus est iunctura, aut commissura circuli, & lineæ rectæ, aut duorum circulorum: Mathematici autem relati accipiunt eum contactum, non formaliter, sed effectiuè: vt perinde sit, atque angulus, quem efficit. Hunc autem angulum contingentiæ, aut contactum, sic eum vocant, arbitratur Peletarius non esse quantitatem, nec angulum re ipsa, esto talis esse à nobis apprehendatur. Quod probat per theoremata nonnulla, quorum primum statuit hoc; *Contactus lineæ rectæ cum circulo quantitas non est*: secundum; *contactus exterior duorum circulorum quantitas non est*: tertium; *contactus interior duorum circulorum quantitas non est*. Contra verò quemlibet horum contactuum, siuè, quod eodem redit, angulum ex quouis eorum resultantem esse quantitatem, multis suadet, ac persuadet Clauius, & hanc suam sententiam ait esse Cardani, Campani, Procli, Themis, Appollonij, Eratothothenis, Pappi, Ptolemei, Hippocratis Chij, Archimedis, Euclidis, omniumque Mathematicorum: adeo vt non modò mirabile esse pronuntiet, *sed monstri in geometria simile, putare, angulum contactus non esse quantitatem*. Qui ergò fideret superiori responsioni, aut potius obiectioni tertio loco positæ, sanè sensum quæstionis inter Clauium, & Peletarium agitatæ nullatenus assequi se proderet, & à re toto cœlo aberraret adeò neuter illorum authorum ei faueret: quippe qui ambo toti sunt in alio sensu, & non in eo, qui intenditur in maiori propositione solutionis siue instantiæ contrariæ.

Ex dictis constat, quo iure, siue, vt verius loquar, 9
qua iniuria nonnulli recentiores commune, & celeberrimum pro Aristotelis sententia argumentum hactenus positum despiciant. Atque vt id amplius constet, hanc eiusdem argumenti confirmationem adiicio. Linea circularis nequit se tota esse immediata alteri etiam circulari, quin ambæ penetrentur: similiter ergò punctum immediatum alteri cum eo penetrabitur: ac proinde nec ex punctis finitis linea, nec ex lineis similiter finitis, ac sibi immediatis superficies poterit resultare. Primum, ac principale antecedens suadetur: quia si circulus excentricus, & superior se toto sit immediatus circulo concentrico, & inferiori; vel supra quoduis punctum inferioris cadit vnum præcisè punctum circuli superioris: & sic totidem erunt puncta in vno circuo, & in alio, amboque æquales erunt, quod tamen, est manifestè falsum: vel suprà quoduis punctum circuli inferioris præcisè sumptum, & prout condistinctũ ab aliis erunt duo, vel tria puncta circuli superioris: & sic singulis punctis inferioris circuli correspondebunt singula paria, vel ternaria punctorum in circulo superiori; ac proindè hic erit duplo, vel triplo maior circulo inferiori sibi proximo & immediato, quod etiam est non minus euidenter falsum, quam illud prius.

Aut denique supra quoduis punctum circuli infe- 10
rioris sunt plura puncta circuli superioris v. g. tria; at supra illud non præcisè, & condistinctè ab aliis sumptum, sed potius supra alia eiusdem circuli inferioris puncta: cum enim supra illud tria puncta superioris circuli sint obliquata, & veluti in arcum dispositа; sanè punctum eorum medium erit directè

ſupra vnum inferioris circuli punctum, de quo loquimur: collateralia autem non erunt ſupra illud, ſed ſupra alia directè, illudque tantum ab vno, & alio eius latere tangent: atque hoc pacto, tametſi circulorum æqualitas, & etiam exorbitans, maiorque quam par ſit inæqualitas euitentur; cæterum euitari nequit, quin punctum indiuiſibile phyſicè, & mathematicę partes tamen aliquas habeat, ac perindè quin impartibile ſimul ſit partibile: quo nlhil magis abſonum.

11 Sequela probatur, quia inintelligibile prorſus eſt, cur ex tribus punctis circuli ſuperioris arcuatim incuruatis id quod medium obtinet locum directè ſit ſupra punctum quoddam circuli inferioris, adiacentia autem, & extrema non ſint ſupra illud directè, ſed ei ab vno, alioque latere ſint immediata; niſi quia intermedium punctum tangit inferius, de quo ſermo eſt, verſus eius partem ſupremam, & magis à centro diſtantem, collateralia verò illi contigua ſunt penes eius partes inferiores, minuſque à centro diſtantes, ſiue penes illius latera decliuia: hoc autem quid eſt, quam puncto illi inferioris circuli partes eſſe & latera, illudque conſequenter eſſe partibile, & extenſum, aut formaliter, aut ſaltem virtualiter, ſiuè mathematicè, & quoad locum? Implicat ergò, vt circulus inferior, & ſuperior ſine penetratione ſint ſibi inuicem immediati: inde enim fieret, vt dictum eſt, aut ambos eſſe æquales, aut certè enormiter inæquales, aut puncta quibus conſtant ea eſſe, vt eorum aliquod, & conſequenter quodlibet, cum omnimoda indiuiſibilitate coniunctam habeat aliquam diuiſibilitatem, & extenſionem.

Caput II.

Alia ſuperioris ſententiæ impugnatio ex inæqualitate motuum localium.

12 Quæ ſe habet in hunc modum. Si continuum permanens, & conſequenter ſucceſſiuum indiuiſibilibus prorſus finitis conſtaret, nullus motus alio eſſet velocior, aut concitatior. Conſequens ſenſui, & experientiæ repugnat: ergò &c. ſequela probatur: quia punctum aquilæ v. g. in quouis inſtanti horæ non niſi punctum ſpatij de nouo acquirit: at etiam punctum teſtudinis in quouis inſtanti horæ vnum etiam punctum ſpatij denuò acquirit; ſi quidem non minus quam aquila per totã horã continuò mouetur: quantum ergò ſpatij acquirit aquila interuallo vnius horæ, tantundem etiam acquirit teſtudo: ac per conſequens vna velocius, quam alia moueri nequibit.

13 Huic argumento reſpondent plerique aduerſarij, illud in nos, & Ariſtotelem, quem ſequimur, retorquendo. Verum quod nullo iure ſic reſpondeant, ex profeſſo conſtabit inferius tractatu octauo. Proindè ſecundò abſolutè reſpondent, motum aquilæ non interrumpi tot morulis, quot motus teſtudinis interrumpitur: pluraque eſſe inſtantia, in quibus teſtudo à motu ceſſat, quam ea in quibus aquila non mouetur: has autem morulas, quia minutiſſimæ ſunt, & motibus immixtæ perceptibiles non eſſe: ſicut è cõtrario index horologij imperceptibiliter mouetur, quia eius motus minutiſſimi ſunt, & plurium morarum interuallis immixti: ob hanc ergò cauſam motum aquilæ concitatiorem eſſe motu teſtudinis. Et quidem doctrinam hanc eo eſſe veriſimiliorem, quo Galenus lib. 1. de dignoſcendis pulſibus, & Valleſius lib. 3. controuerſ. Medicarum cap. 8. quamuis ambo alioqui aſſertores infinitarum partium, eam tuentur, nec niſi in morulas inæqualitatem motuum refundunt.

Verum hæc ſolutio, quamuis valde placeat aduerſariis, ac præſertim P. Roderico de Arriaga diſp. 16. phyſ. ſect. 11. n. 123. ac Ouiedo controu. 17. punct. 9. §. 2. mihi tamen diſplicet, parumque ſolida videtur. Primò enim corpora ſublunaria abſque vllis motibus haud raro quieſcunt: cur ergò è conuerſo abſque quiete vlla, vllaue mora moueri nequeant? Sanè qui ſagittam per aëra libratam morulas texere aſſerat, is è contrario telluris molem quantumuis fixam & immobilem, fundatamque à Deo ſuper ſtabilitatem ſuam, adhuc cum Philolao, Ecphanto, Eraclide, & Copernico, continuò moueri non dubitet: quo quid magis ridiculum eſt, & non ſenſui tantum, ſed etiam rationi repugnans? 14

Secundò; motus localis poteſt eſſe velocior, & velocior in infinitum: at morulæ non poſſunt eſſe pauciores, & pauciores in infinitum iuxta aduerſariorum principia: quippè, quibus conſentaneum eſt, numerum inſtantium vnius horæ v. g. eſſe infinitum: vnde fit per indiſſociabilem conſequentiam, morulas quæ texi poſſunt à mobili aliquo, in ſpatio horæ, haud poſſe eſſe plures, & plures in infinitum, nec etiam ſine fine pauciores atque pauciores, ſed potius earum, vel incrementum, vel decrementum eſſe oportere finitum: ergò in eiuſmodi morulas, illarumque paucitatem refundi nequit maior velocitas motus, nec, quod conſequens eſt, eius maior tarditas in earum multiplicitatem, aut frequentiam. Maior argumenti probatur: tum quia ſubiectum paſſibile poteſt eſſe v. g. magis, & magis calidum in infinitum: par autem eſt ratio cuiuſuis alterius alterationis intenſiuæ: ſicut ergò intenſio caloris poteſt eſſe maior, & maior in infinitum, cur etiam ſimiliter velocitas motus nequeat eſſe ſine fine maior, atque maior? tum etiam, quia, quò maior eſt rota, eò eius circulus ſupremus mouetur velocius, quam inferiores: atqui rota poteſt à Deo fieri maior, & maior in infinitum: ergò exceſſus velocitatis, in ſupremis circulis poſſibilibus reſpectu inferiorum poterit eſſe maior, & maior in infinitum: nequit autem exceſſus vnius velocitatis ad aliam creſcere in infinitum ſyncathegorematicè, quin ipſa velocitas abſolutè ſumpta ſit capax talis incrementi. 15

Tertiò; motus continuus teſtudinis eſt propemodum infinitè tardior, motu primi mobilis: at quò tardior eſt, eò plures morulas texit: ergò infinitas fermè morulas texit: quandoquidem ergò morulæ teſtudinis ſe mouentis incomparabiliter, ac tantum non infinitè plures ſunt, quam eius motus partiales, cur, vti eius motus, ſic etiam illius morulas à fortiori non experimur? aut cur de his tam certi non ſumus, ac de illis? quod autem non ſimus patet; quia alioqui nulla eſſe poſſet controuerſia, an motus localis morulis interrumpatur? Ad hanc impugnationem, quæ quam difficilis ſit, cuiuis iudicandum relinquo. 16

Reſpondent nonnulli aduerſariorum, cum P. Ouiedo citata controuerſia 27. punct. 9. §. 3. n. 20. & ſequentibus, nec motus, nec etiam morulas à nobis videri: nimirum vbitas, quam motus producunt, viſibilis non eſt, eo quod neque ſit color, neque lux: cur ergò actio vbitatis productiua, eique conſequenter proportionata, per viſum non ſit etiam imperceptibilis? morula autem ſiue quies, quatenus eſt negatio vlterioris motus, id habet commune cum cæteris negationibus, vt nullo poſſit externo ſenſu percipi: quatenus verò eſt permanentia, & dura- 17

tio

tió corporis in eadèm vbitate, ac loci intercapedine, haud potest etiã exterius percipi: id enim esset nõ solum vbicationem posse exterius percipi, verumetiam durationem, cum tamen illi, vt dictum est, & huic etiam, eadem de causa, ita perceptibilem esse repugnet. Quare si de experientia, & certitudine consistente immediatè in ipsa notitia sensuum externorum sermo sit in impugnatione superiori, sanè falsum est, quod motus magis quam morulas experiamur; cum potius de vtrisque nullam talem habeamus experientiam, aut certitudinem.

18 Experientia ergò, inquiunt aduersarij, & certitudo, quam de motibus testudinis, aut alterius mobilis magis quam de eius morulis, & multiplici quiete habemus, est duntaxat intellectualis & discursiua; hunc in modum: *video modò hæc extrema cum hac distantia, recordor me immediatè antea vidisse eadem corpora cum diuersa distantia: ex quo infero, corpus illud, quod respectu omnium diuersam distantiam habet, fuisse motum; & deduco corpus illud fuisse motum in illo instanti, in quo diuersam acquisiuit distantiam* &c. At verò similem certitudinem, & experientiam discursiuam non possumus habere de quiete mobilis: si quidem ex distantia extremorum v. g. parietis, & testudinis colligimus discursiuè huius motum, quo elongatur à pariete: cum autem tota hæc distantia sit vna, & continuata v. causa centum palmorum; quid mirum, si possit esse medium sufficiens ad motum, quo percurritur, certissimè assequendum? cæterum permanentia testudinis, siue eius mora, & quies in vno spatio, aut parte prædictæ distantiæ localis, & eius permanentia in alio spatio, & sic de cæteris haud continuantur, nec faciunt vnam permanentiam totalem in eodem loco: non ergò possunt per intellectum experimentaliter discurrentem percipi, nec consequenter ei esse medium sufficiens ad ita percipiendum multiplicem quietem, variasque negationes vlterioris motus, quæ ad illas consequuntur; aliud autem medium non suppetit: nullatenus ergò multiplex quies testudinis, eiusque repetitæ cessationes à motu poterunt nobis certò & experimentaliter innotescere. Nec refert, quamuis moram, ac permanentiam partialem testudinis in eodem loco plus durare, quam partes motus, vi cuius mouetur: quia non ex extensione motus quoad durationem, sed potius ex extensione distantiæ per eum transactę, atque emensæ cadit ille sub notitiam certam, & experimentalem nostri intellectus.

19 Nullo tamen negotio confutari potest hęc solutio. Namque in primis falso supponit, motum, & eius terminum, nempè vbicationem localem à nobis exterius non videri, sed tantum per discursum ex distantia maiori mobilis à termino à quo colligi: quod enim motus, & eius terminus non sint color, aut lux, nihil refert; cum sint accidentia lucis & coloris, sicut & aliarum omnium qualitatum: quare erunt sensibilia visus, nõ quidem propria, sed ei communia cum aliis sensibus, de quo alibi. Nec etiam refert, quod obiicit Ouiedo vbi suprà, hominem in interiori aliqua nauis parte, vbi littus siue terminũ à quo motus non videt, hoc ipso non scire certò, nec experiri, an moueatur, vel quiescat nauis: hoc enim probat, motum sine eius termino aliquo à quo non posse videri, nõ verò, quod nullo modo videatur, quodvè per solum discursũ ex maiori aliqua distãtia à termino quodã à quo colligatur: sic sine luce colorẽ non videmus: & tamẽ colorem immediatè non minus quam lucem cernimus, nec ex hac per discursum præcisè illius colligimus existentiam.

20 Verum, esto non videbãtur motus, neque quies, sed tantum per discursum ab intellectu cognoscãtur. Hoc disputandi gratia permissò, nequaquam satisfacit aduersariorum solutio: si quidem in ea absque vllo fundamento, aut verisimilitudine supponitur, ex distantia diuersa testudinis v. g. à termino à quo, videlicet pariete, eius motum certo, & experimentaliter cognosci: & non posse etiam ex distantia vnius mobilis à termino à quo, & distantia diuersa alterius mobilis ab eodem termino à quo certò, & experimentaliter inferri, & dignosci morulas, eius quod tardius mouetur. Vt prior discursus ab aduersariis adductus ipsisque eorum verbis relatus certiorem facit hominem de motu; quidni & hic ei similis possit experimentalem quandam de morulis certitudinem ingenerare? nempè, video aquilam & testudinem inæqualiter à pariete distare, illamque longissimo interuallo plus quam hanc ab eo esse sepositam, & recordor alia ex parte, incipiente vtriusque motu, earum à pariete distantiam fuisse æqualẽ: ergò testudo sæpissimè quiescebat à motu, dum mouebatur aquila. En, vt nequibit in contraria sentẽtia explicari, cur sit in nobis maior certitudo de motibus, quam de morulis testudinis. Quod autem sit, & conceditur ab omnibus aduersariis, & est sponte sua euidens; cum videatur nobis testudo continuò moueri, eam verò aliquandò quiescere nobis non appareat, nec possimus ostendere, aut signare locum, in quo determinatè quiescat.

21 Quartò impugnatur principalis aduersariorum responsio huius initio capitis propositа: quia immane saxum per aëra in centrum descendens, quid immorari facit? aut quid ei resistit, quo minus absque vlla quiete etiam minima semper moueatur? Dices, insitam saxo grauitatem: quippè quæ, cum summa non sit, motum summè velocem, & nullis morulis interruptum efficere non potest. Verum mora extra centrum, qualiscunque demum illa sit, saxo, & insitæ eius grauitati connaturalis, & consentanea esse nequit: at iuxta hanc solutionem ita connaturalis, & consentanea non esse non posset.

22 Dices iterum cm aliis, ab intermedio aëre saxum statis momentis detineri. Verum in primis saxo per vacuum deuoluto quæ detentionis, quæ morularum causa esse posset? Respondent aliqui, saxum, si existeret in vacuo, nequaquam deuolutum iri in centrum etiam vacuum existens, sed fore vt motu omni careret; ne daretur de nouo vacuum, id scilicet quod saxum relinqueret in centrum suum, locumvè naturalem recens: quocirca ex motu saxi per vacuum, & consequenter absque morulis ab aëre, aut alio corpore intermedio causatis, perperam inferri tarditatem, aut minorem velocitatem motuum de facto existentium, seorsim à quibusuis morulis: quippè eiusmodi motus saxi, vel alterius corporis grauis per vacuum in locum sibi naturalem, centrumvè impossibilis est, vt dictum manet.

23 Contrà tamen sic insurgo: talis motus saxi per vacuum saltem est diuinitus possibilis, & ad summum repugnare potest ex natura rei; hanc enim repugnantiam posteriorem, non verò illam priorem, & maximam suadet aduersariorum euasio proximè posita, si cuius est persuasionis, aut momenti. At si de potentia absoluta existeret prædictus motus, non posset, aut saltem non deberet esse summè velox: eius ergò minor velocitas & qualisqualis tarditas non posset refundi in morulas: quippè, quas nullus aër intermedius causaret.

24 Rursus, si non existeret vniuersum hoc vllavè eius

pars præter saxum extra centrum à Deo productum, ne etiam ex natura rei aliquid repugnaret vacuo illi, quod à saxo se deorsum præcipitanti dicimus relictum iri: quid enim? non vniuersum iuxta aduersarios, quibus nihil celebrius, quam ad rerum non existentium exigentiam innatam non oportere attendi, imò nullam talem exigentiam eis inesse: non ipsum saxum, quippè quod magis deceret prospicere, vt locus sibi connaturalis non relinqueretur vacuus, quam vt in loco sibi indebito nulla remaneret vacuitas. Quin etiam, quamuis vniuersum existeret quoad plures suas partes, haud deberet prohibere motum saxi per inane, ne locus præternaturalis, quem saxum primò occupabat, non maneret vacuus. Ratio autem, cur non deberet, est, quia prædicto motu saxi prohibito, eius locus connaturalis maneret vacuus: quid autem interesset vniuersi, qui locus maneret vacuus nihil certè: quare in periculo imò necessitate duplicis vacui, & non maiori propensione vniuersi ad vnum quam ad aliud tollendum, præponderaret exigentia saxi magis inclinati suapte natura ad centrum suum occupandum, illudque vacuum non relinquendum, quam ad hoc veluti beneficium alteri spatio sibi non connaturali præstandum: centri ergò occupādi gratia deorsum per vacuum rueret: ac proindè eius sic properantis in centrum minor velocitas, & comparatione primi mobilis circum nos assiduè rotati, tarditas non posset refundi in morulas; quippè quarum circunstans aër, qui tum nullus esset, causa non esset.

25 Aliter etiā eadē contrariorū euasio aëri vt causæ assignans morulas saxi descendentis in centrū confutatur. Nam si circunstans aër brutam illam, immanemque saxi molem in inani toties suspendit; cur inter naturæ prodigia censetur? quod piscículus paruus, echeneis appellatus, medijs procellis cogat stare nauigia; quod non vlla possunt vincula, non anchoræ irreuocabili pondere iactæ. Respondent tamen nonnulli, cum Ouiedo citata controuersia 17. punct. 9. §. 2. n. 12. non esse mirum, nec prodigij instar, quod aër detineat aliquantisper saxum extra centrum, huiusque claram assignari posse rationem. Haud enim potest saxum moueri deorsum, nisi in aëre, cui debet succedere, producat impulsum, eius trudendi, atque amouendi gratia: quo autem instanti producit in illo impulsum, haud mouet eum à pristino loco, sed in alio instanti sequenti: in eo igitur instanti, quo impulsum producit, ipsum non mouetur deorsum in alium locum, cum non possit ita moueri, vt dictū est, nisi pulso, atque moto aëre cui succedit; motus autem aëris contingat post productionem qualitatis impulsiuæ, ad eamque temporis non minus quam naturæ ordine sequatur. Necessum ergò est, vt saxum ratione impulsus in aërem impressi multoties quiescat, dum ruit in centrum: ac proinde aër ei esse potest occasio, aut etiam causa morularum, ac multiplicis quietis extra locum suum naturalem. Quod autem, quo instanti impellitur à saxo deorsum cadenti aër, hic non moueatur, sed postea, patet: quia si homo proiiciat saxum, sanè hoc, in primo instanti, quo recipit impulsum, haud mouetur, nec fit ab homine distans: alioqui homo ageret in distans sine medio, quod tamē naturaliter saltem repugnat: ergò, cum aër à saxo descendenti in centrum mouetur, haud simul cum receptione impulsus mouetur, sed in instanti sequenti: ex quo fit, & saxum, quo impellit aërem instanti, nequaquam moueri, sed potius tum quiescere.

26 Quominus tamen acquiescere possim huic doctrinæ, facit inuerisimilitudo principij, cui innititur. Quid enim veri minus simile, quid magis supra omnem fidem, quam impulsum haud mouere posse aërem in primo instanti reali, quo in eum imprimitur à saxo in centrum descendenti? Profectò calor, quo primum instanti existit, eo ipso subiectum capax calefacit: idemque est de frigore, & cæteris qualitatibus actiuis: cur ergò impulsus, simul ac existit, non producat in aëre motum, cuius aër semper est capax? porrò autem coniectura contraria, qua id negatur, nulla est: siquidem homo etiam proiiciens lapidem non prius in eo producit impulsum quam motum, quo faciat eum à se distare. Quidni enim ita se res habeat?

Namque de ratione agentis omnis tantum est, vt 27
non agat in distans, quod tale sit pro priori instanti reali, aut naturæ: cæterum si passum sit distans ab agente, non pro priori instanti reali, nec pro eiusdem instantis realis priori signo naturæ, sed pro eius posteriori signo, ita vt præfata distātia sit effectus ipsius agentis; sane in passum, siue subiectum hoc pacto distans agere potest haud raro agens, imò debet. Quod sic ostendo: non magis est de ratione agentis, vt non possit agere immediatè in distans, quam de ratione similis, vt non agat, nec possit in simile: at simile ita est impotens agere in simile, quod tale sit respectu illius propriori instanti reali, aut naturæ; vt potens sit agere in simile, quod tale sit pro eodem instanti reali, eiusdemque posteriori signo naturæ: siquidem calidum vt duo v. g. nequit calefacere aliud subiectum, quod pro priori sit calidum etiam vt duo, pro priori inquā temporis, aut naturæ: at re vera calefacit subiectum calidum vt duo, quod tale sit in eodem instanti reali pro posteriori signo, seu quod ab ipso tum efficitur tale vi actionis assimilatiuæ: similiter ergò subiectum distans in eodem instanti reali potest subesse actioni alicuius agentis, dummodò distantia non antecedat tempore, aut natura actionem, sed eam ordine naturæ subsequatur, eiusque sit effectus: ita igitur vsuuenire credendum est in proiectione lapidis ab homine, ex qua aduersarij arguunt.

Quid plura? tametsi concedamus disputandi gra- 28
tia, hominem, dum proiicit à se lapidem, prius in eo efficere impulsū, ac postea eum mouere; at cur idem dicendum sit de saxo impellente, & mouente aërem sibi, dū cadit, obsistentē? In priori enim euēctu proiectionis lapidis, nisi antecederet impulsus motionem lapidis, immediatè ageretur in subiectū, distās saltem pro eodem instanti reali, eiusque aliquo signo, quod aduersarij putāt inconueniens, & nulla ratione concedendum: at nihil tale sequitur, ex eo quod saxum simul producat impulsum, & motū in aëre, per quem ruit in centrum; nam vnà cum aere mouetur saxum in tali euentu, aeremque sequitur, eiusque locū occupat; in quo differt ab homine lapidem proiiciente: proinde per motum aeris, hic non fit in eodem instanti reali distans à saxo: & sic in eo poterunt motus, & impulsus simul produci: quæ cum ita sint, aer nequibit esse saxo morularum causa, aut occasio.

Caput III.

Specialiter expenditur contra superiorem sententiam, inæqualis motus circulorum rotæ.

Quanquam, in sententia continuum permanens, 29
& successiuum ex punctis omnino indiuisibilibus, & finitis constituente, quorumuis motuum inæqualitas difficilis explicatu sit: at id habet summam, me

& me iudice insuperabilem difficultatem, quo pacto iuxtà eam opinionem circuli superiores, & inferiores rotæ in orbem agitatæ moueantur inæquali velocitate. Et quidem sic eos moueri manifestum est, cum quiuis superiorum æquali tempore plus spatij conficiat, maiorémque circulum localem percurrat, quam inferior sibi immediatus. Tametsi autem hic latebras suas repetant aduersarij, & ad morulas imperceptibiles iterum confugiant; quod tamen id frustra faciant, nec inæqualitas motuum partialium rotæ refundi possit vllatenus in morulas, quas inferior quæuis eius peripheria plures texat quam superior, efficacissimè suadetur. Namque, si morulæ earum inter mouendum essent inæquales, certè inferior peripheria aliquando quiesceret, & moraretur mota superiori: vnde non posset non disrumpi vna ab alia; quod sensui euidentissimè repugnat.

30 Mirum est, quam malè torqueat aduersarios hæc postrema impugnatio, quantasque in angustias eos coniiciat. Nonnulli respondent, à se responderi non posse: nostros tamen Aristotelicos in eadem damnatione esse. Verum infrà constabit, admissa communi, & Peripatetica doctrina, totam huius difficultatis vim euanescere. Alij respondent, rotam circumuolutam eo ipso sensim dirumpi, & discontiuuari; ac posteà ad pristinam continuitatem, eamdemque vnionem, & posituram partium sensim etiam, atque imperceptibiliter redire. Non abnuerim, quin satis regium sit, quod soluere nequeas, id discindere. Verum quod in præsenti discissio rotæ in orbem circumactæ sit omninò impossibilis vi solius agitationis, me iudice est adeò euidens, ac manifestum, vt nihil suprà. An enim rota ferrea, quæ vix vllis flagellata malleis pristinam formam dediscat, ipsumque Steropem, Brontémque lassos relinquat, in orbem tamen circumuoluta leuissimo motui cedet, seque per omnes sui partes frustatim discindi patietur? An sphæra cælestis omni ferro, atque adamante, iuxtà plerosque Doctores, solidior, vt mobilis sic fissilis est, & quot morulis, tot scissuris, atque fractionibus obnoxia est?

31 Deinde nulla potest assignari causa sufficiens, ad partes rotæ ferreæ v.g. à se inuicem discissas, ac separatas iterum vnicdum. Quæ namque? nec enim Deus; nec partes ipsæ diruptæ; nec earum totiusque rotæ motus. Non Deus: si enim eiusmodi partium fiat diruptio vi, & opera malleorum, validissimisque, & crebris eorum ictibus, haud pertinebit ad Deum partes ita disruptas iterum inter se vnire, vt experientia perspicuum est: cur ergo Deus fractiones rotæ ferreæ per motum circularem factas debeat consolidare? Non etiam ipsæmet partes fractæ: haud enim ferrum est instar aquæ fluidæ, vt partes suas possit vnire: quemadmodum patet in vno ferro, & alio quodam sibi approximatis, & tamen non coeuntibus in vnum, idemque totale ferrum. Non denique motus prædictæ rotæ: simul enim moueri videmus quotidie duo corpora ferrea contigua, quin ob id ambo vniantur inuicem.

32 Tandem præcluditur ea euasio: nam si baculum in orbem continuò agites, lineæ eius superiores celerius mouebuntur quam inferiores, vsque ad eas quæ manui tuæ sunt proximæ: quippe æquali tempore maiusque loci spatium conficiunt aliæ, quam aliæ: puncta ergo terminatiua linearum superiorum, hoc ipso quod per celeriorem motum disrumpantur, cadent; cum non habeant post se alia puncta quibus innitantur, in eoque differant à circulo, quod in huius ambitu nullum sit punctum primum & vltimum, sed assignato quouis sit & ante & etiam post illud, aliud quoddam semper: vt experientia patentissimum est; vtque belle describit Seneca lib. 5. de benef. c. 8. ibi: *In orbe ac pila nihil est imum, nihil summum, nihil extremum, nihil primum,* &c. Porrò autem omnes lineæ baculi vsque ad infimam sunt superiores, respectu aliarum quarumdam: omnium ergo linearum baculi, si excipias vltimam, puncta terminatiua cadent versus eam partem, à qua fit motus: progrediente ergò motu eoque continuato, post illa puncta terminatiua alia necessariò cadent, & sic alia, vsque ad ea quæ altera ex parte terminant, & consequenter hæc ipsa: quo fiet, vt sola continuatione motus circularis, totum baculum, omnesque eius lineæ vsque ad infimam possint, ac necessario debeant concidere, & in puncta, ac minimas particulas resolui: quo nihil magis alienum est aut à ratione, aut etiam ab experientia ipsa: disruptio ergo partium rotæ in orbem agitatæ, vnde id sequitur absurdi, velut absurdissima reiicienda est.

33 Alij quidam respondent, punctum quoduis circuli inferioris habere suprà se plura puncta circuli superioris: si enim non haberet suprà se nisi vnum duntaxat, sanè tot essent puncta in vno circulo atque in alio, ac proinde ambo essent æquales: tria igitur superioris circuli puncta v.g. B.C.D. desuper cingunt vnum circuli inferioris punctum v.g. E, ac circa illud obliquantur: ita quidem, vt eorum primum ac tertium illi ab vtroque latere immediata sint, solum verò intermedium suprà illud directè existat. Quapropter punctum E. circuli inferioris est centrum respectu punctorum B.C.D. circuli superioris: vnde, sicut centrum orbis alicuius totalis potest quiescere semper in eodem loco, licet circuli omnes, quibus cingitur, irrequieta agitatione moueantur; idque globo siue orbe nec fracto nec flexo, sed potius eandem positionem, & situm partium retinente: ita similiter, inquiunt, non est, cur quoduis punctum circuli inferioris supremo immediati non possit in aliquo, aut etiam aliquibus instantibus quiescere; non quiescentibus, sed magis orbiculariter motis superioribus punctis, respectu quorum est quodammodo centrum; quin inde disruptio, aut etiam flexio rotæ vel minima sequatur.

34 Verum enimvero in hac doctrina non solum difficile est, sed prorsus inintelligibile, quo pacto punctum C. circuli superioris directè existat suprà punctum E circuli inferioris, puncta verò B. & D. superiora non existant supra illud directè, sed ab vtroque latere ei sint immediata; nisi quia solum punctum C. superius & intermedium, inferioris E verticem, supremámque, & à centro magis distantem partem attingit; cum interim puncta B. & D. eius latera decliuia, & partes centro propiores tangant: quod quid est, quam illud habere partes, penes quas magis minusque distet, adeoque esse quodammodo diuisibile, & extensum? vt latius demonstratum est cap. præced. ad eius finem.

35 Rursus punctum illud E. circuli inferioris, dum quiescit non quiescente circulo superiori, ponitur directè iuxtà aduersarios sub puncto B. ergo ab anteriori latere habebit punctum C. sub quo directè erat antea: ergo non habebit ab eo anteriori latere immediatè punctum D, quod tamen prius ita respiciebat: ergo à puncto D. circuli superioris distabit, nec erit ei immediatum, vt erat in instanti antecedenti: ac per consequens alterum ab altero separabitur, & lineola ex vtroque facta dirumpetur: quomodo enim potest aliquod punctum fieri distans ab alio, cui erat immediatum, & contiguum,

ſine vtriuſque ſeparatione, & ruptura quadam eius longitudinis quam efficiunt: haud ergò declinare poſſunt aduerſarij, quin rota circulariter mota, penes partes aliquas frangatur, diſcindanturque.

36 Præterea, fac virgam motu circulari ab homine cieri: certè lineæ eius extimæ, & magis diſtantes ab hominis manu celerius mouebuntur, quam quæ ab ea minus diſtant: at non propterea, quod puncta harum habeant inſtar centri reſpectu punctorum, quibus conſtant aliæ celerius in orbem agitatæ: cum omnes lineæ ſint rectæ & æquales, nec ſupra punctum quoduis harum cadant plura illarum, ſed vnum duntaxat: ergò rumpetur virga in tali euentu: quod tamen non minus abſurdum eſt, & contra experientiam, quam ſine fractione, & ruptura moueri non poſſe circulariter rotam.

37 Poſtremò reſpondet P. Ouiedo citato punct. 9. §. 33. motu circulari inflecti rotam, non diſrumpi. Pro quo explicando, & tuendo ſupponit, puncta conſtituentia continuum, & non penetrata, ſed facientia maiorem extenſionem, & molem, alia eſſe res abſolutas, alia verò modos conſequenterque inter quælibet duo puncta abſoluta, eſſe vnum modale, quibus vniantur inuicem, & inter quælibet duo modalia vnum abſolutum. Ex qua alternatione fit, punctum E, v. g. circuli inferioris, quod deſuper cingitur & obtegitur punctis B, C, D, circuli ſuperioris, vniri immediatè ſoli puncto C, ſupra ſe directè exiſtenti; punctis verò B, & D, ab vtroque latere ſe tangentibus eſſe quidem immediatè approximatum, non tamen eis vniri immediatè, ſed medio puncto C, modali & interiacente puncta abſoluta B, & D. Quando igitur moto circulo ſuperiori quieſcit totus inferior, ſanè punctum C, ſuperioris tranſuolat aliquantulum, ac relinquit quodammodo poſt ſe punctum E, inferioris circuli: illudque relinquit ſub puncto B. directè; ſub ſe autem non niſi indirectè, & à latere: punctum igitur E, quo de loquimur, & punctum C, quod prius directè ſupra illud exiſtebat, flectuntur tantum, non verò dirumpuntur per morulam vnius, dum mouetur alterum: illa enim diſrumpi, ſiue frangi eſſet vnionem eorum deperdi: non deperditur autem, cum ea ſit formaliſſimè ipſum punctum C, quod quidem tempore morulæ & quietis manet quidem indeſtructum, & ſi non directè vt anteà ſupra punctum E, inferius, ſed ab vno eius latere, cum autem idem punctum C, ſit vnio puncti E, inferioris cum puncto D, fit vt hoc, licet vi morulæ localiter elongetur à puncto E, nequaquam tamen ab eo ſeparetur, nec inter ambo fiat fractio aut diuiſio vlla; quippè quia manet, vt dictum eſt, punctum C, in quo ſolo vniuntur.

38 Quandò autem punctum illud E, circuli inferioris in inſtanti ſequenti morulam ſiue quietem non quieſcit, ſed ſimul cum punctis ſupra ſe eminentibus mouetur, ſanè tum recuperat ſpatium quod morando amiſit, ponitque ſe iterum ſub puncto C, directè, interdumque etiam ſub puncto D. Itaque, cum ſecundò quieſcit moto circulo ſuperiori, nequaquam ſequitur diruptio, ſed tantum inflectuntur puncta, ſicut antea: & ſic deinde, per ſpatium vnius horæ v. g. aut aliud longius, alternatis motibus, & morulis, itque reditque punctorum inflexio, quin inter ea contingere debeat vlla fractio, aut ſciſſura vel minima: quippe quæ tantum poſſet deberetque accidere, ſi vnam inflexionem ſequeretur immediatè alia & hanc alia, & ſic vltrà.

39 Porrò autem ob id, inquit, imperceptibiliter inflectuntur puncta rotæ circulariter motæ; quia circulo aliquo quieſcente quieſcunt hoc ipſo omnes eo inferiores; & cum circulus aliquis mouetur hoc ipſo motum ſubeunt omnes eo ſuperiores: quarè in duobus tantum circulis immediatis contingit, vnum moueri quieſcente altero, adeoque vtriuſque puncta inflecti: quandoquidem ergò duo circuli rotæ pauciſſimi ſunt ac penè nulli, præ innumerabilibus ferè circulis, quibus conſtat totum corpus rotæ, certè huius inflexio nunquam fiet, niſi verſus partem aliquam minimam, ac proindè imperceptibilem: quid mirum ergò, ſi ipſa inflexio ſit imperceptibilis, tametſi re vera detur, quotieſcumque rota mouetur. Hac doctrina putat prædictus Author, Gordianum ſe ſoluiſſe nodum, ac ita motum illum, quo non magis rotæ volumina, quam ſcholaſticorum torquentur ingenia, ſic explicaſſe, vt nulla in eo amplius ſuperſit difficultas.

Eius tamen pace arbitror, nodum, in quo verſa- 40
mur, nondum eſſe ab eo ſolutum, nec difficultates, quibus impræſentiarum implicantur cæteri aduerſarij, ab eo exhauſtas. Atque in primis falſum eſt quod ſupponit, dari de facto indiuiſibilia modalia non penetrata cum abſolutis, ſed inter hæc medium loci ſpatium obtinentia: vti enim ſupra tract. 4. cap. 1. latius diſſerebam, cæteri omnes modi ſunt formæ rerum quas modificant, & cum iis penetrantur: quidni ergò ſimiliter in præſenti ita ſe res habeat? Rurſus, quamuis puncta illa modalia, & habentia rationem vnionum in continuo, quin penetrentur cum extremis à ſe vnitis, ſint poſſibilia, vt fortaſſis ſunt, atque etiam de facto exiſtant; at cur repugnet continuum ex punctis abſolutis duntaxat coaleſcens, & in quo ſint puncta modalia, non ad augendam quantitatem, & molem, ſed præcisè ad puncta abſoluta eam augentia inter ſe vniendum, & continuandum? Rota autem hoc pacto continua, ſi daretur, quomodo penes diuerſos circulos ſuos moueretur inæqualiter, id eſt velocius tardiuſque? non certè munere inflexionis illius imperceptibilis: vt potè ad quam neceſſaria eſt alternatio punctorum modalium & abſolutorum, quæ in rota, qua de loquimur, non daretur: ergò de facto etiam poteſt, ac debet inæqualitas circulorum rotæ quoad velocitatem, & tarditatem ſine eorum inflexione explicari.

Vlterius, ſi *difficile concipitur, quomodo leuis impulſus valeat diſrumpere duriſsimum ferrum, quod millies repetitis malleatorum ictibus ſcindi non valet*, vt his ipſis verbis fatetur P. Ouiedo, citato puncto 9. n. 31. qua conſequentia, aut veriſimilitudine ait paulo inferius n. 40. ibi: *neque laicis impugnationibus hæc inflexio in corpore ferreo* (rotæ ſcilicet) *& quocumque alio quantumuis duro impugnanda eſt: ſæpius enim videmus duriſsima ferra funibus torta inflecti, & quotidie videmus enſem chalybe attemperatum à cuſpide in capulum inſinuari; in quibus omnibus motibus, partes quædam mouentur immotis aliis, & nulla continui accidit diuiſio.* An non friuolum eſt, ſciſſionem ferri in orbem leuiter agitati negare, propter eius duritiem experimento teſtatiſſimam; & tamen hac non obſtante eius inflexionem concedere? quaſi verò corpora dura, vt ſciſſioni, ſic etiam ſuo modo inflexioni non repugnent. Nonne vti ferrum inſtrumentis fabrilibus aliavè ratione inflecti ſolet, ſic etiam & diſcindi? cum ergò ex eiuſmodi diſciſſione, & fractione ferri non bene colligatur eius per motum circularem præſertim leuiſſimum vlla diſciſſio, quo obſecro iure ex priori illa, ac magis operoſa eius inflexione arguitur in genus inflexionis imperceptibilis, de qua diſputamus in præſenti. 41

Inſuper

42 Insuper ex inflexione partium rotæ sequitur necessario earum fractio: perperam ergò altera negata conceditur altera, aut è conuerso. Quod autem vna ex alia sequatur, ita suadeo: quum punctum E, circuli inferioris, quod ante omnem motum erat sub punctis B, C, D, sub C, directè, sub B, & D, indirectè ac latera tenus, cum inquam quieſcit moto circulo superiori, ponitur directè sub puncto B, superioris circuli, & solum à latere suo anteriori tangitur à puncto C, modali, vt docet Author, cũ quo disputo: at ad quietem succedente motu, per eũ nequaquã reponitur punctũ E, directè sub pũcto C, sub quo ita erat ante omnem motum rotæ, nec illud assequitur: ergò dum secundò quieſcit, & aliam morulam texit moto circulo superiori, sanè ponetur directè sub puncto A, circuli superioris, & à latere anteriori immediatè tangetur à puncto B: ergò non erit immediatum puncto C, modali, sed ab eo distans: hoc autem ipso, quod tollatur contiguitas, & immediata approximatio puncti modalis C, respectu puncti E, inferioris, cui immediatè, & essentialiter per se ipsum vnitur, nequit non destrui, cum ne de potentia absoluta possit sine tali contiguitate, & approximatione existere, haud secus ac vnio modalis penetratiua inter subiectum, & formam sine penetratione cum illis nequit conseruari: impossibile ergò est, quin punctum modale C, destruatur per secundam morulam circuli inferioris coniunctam cum superioris motu: adeóque per eam morulam rota quadantenus frangetur; cum fractio haud aliud sit, quam partium aliquarum vnionem destrui.

43 Restat probandum, quod punctum E, inferioris circuli non recuperet per motum id spatij, quod per primam amisit morulam, nec ponat se directè sub puncto C, sed potius maneat directè sub puncto B: siquidem imprimis ante motum erat directè sub solo puncto B, post quietem verò siuè morulam mouetur non tantum punctum illud E, sed etiam punctum B: ambóque mouentur simul; non in contrarias partes, sed ordinatissimè circa idem centrum, nempè id quod tale est respectu totius rotæ: seruant ergò pro instanti motus eandem posituram quam antea, adeóque vnum manet directè sub alio: seruant inquam, quia, vt experientia patet, nunquam contingit, vt inter puncta vnita aliquando varietur pristina positura, aut detur inflexio, nisi si aut moueatur vnum non moto sed quieſcente altero, aut moueantur simul, sed in contrarias partes.

44 Deinde probatur id ipsum, & quidem, nisi fallor, efficacissimè: quia iuxta P. Ouiedo cum mouetur punctum E, inferius, eo ipso mouetur & punctum B, superius, sub quo directè erat tempore morulæ antecedentis: ergò non potest idem punctum E, in instanti quo mouetur, non poni iterum vi motus directè etiam sub puncto B, sub illo, inquam, quatenus ab illo nouum occupatur spatium: si enim punctum E, non moueretur in eo instanti, quo motum subit punctum B, haud esset directè sub hoc, sed sub puncto A, posteriori. Tum sic: vel per motum instantaneum, & indiuisibilem ponitur punctum E, de quo loquimur, directè sub puncto B, superiori, & simul sub puncto C: at neutro modo ponitur sub puncto C: absolutè ergò non ponitur sub illo directè, adeoque per motum non recuperat spatium quod inter quieſcendum amisit, sed tantum manet sub puncto B, directè, ac proindè inflexum respectu puncti C, non minus quam antea, dum morulam texebat, non morante puncto C, de quo toties.

Et quidem illud non poni per motum instantaneum, & indiuisibilem simul sub puncto B, & C, 45 patet: quia, vt ipse Ouiedo fatetur, super nullum punctum circuli inferioris sunt directè duo puncta circuli superioris: ac profectò punctum aliquod inferius haberet ex tensionem saltem virtualem, & longitudini, quam facerent duo puncta supra se directè existentia, esset commensum. Quod autem idem punctum E, inferius per motum indiuisibilem, atque in instanti morulam sequente factum, haud ponatur prius sub puncto B, directè, & posteà sub puncto C, etiam directè, tam manifestum est, quam manifestè patet, in eodem instanti reali non posse esse prius, & posterius tempore. Nulla ergò ratione ponitur præfatum punctum E, directè sub puncto C, sed tantum sub puncto B: & sic per alium motum circuli superioris ipso quieſcente elicitum necessariò ponetur directè sub puncto A, atque ex consequenti sequetur diruptio: haud ergò soluitur Gordius nodus, sed discinditur, & cum eo rota dum in orbem circumuoluitur.

Alio etiam ex capite eandem impugno doctri- 46 nam: quia ob id in illa statuitur, inflexionem rotæ circulariter motæ esse imperceptibilem, quia fit in duobus tantum circulis inuicem immediatis: idcirco autem dicitur, fieri posse in duobus circulis contiguis præcisè sumptis, quia, moto aliquo circulo inferiori, mouentur omnes, qui supra illum sunt; contrà verò quieſcente aliquo circulo etiam inferiori quieſcunt omnes qui sunt sub illo. Quod autem hoc sit planè falsum, suadetur: nam si moto circulo supremo, & quieſcente circulo immediato quieſcerent omnes inferiores, consequenter etiam, dum baculus ab homine in gyrum agitatur, vltima, seu suprema eius linea, quæ magis ab homine distat, moueretur quieſcente immediata, & cum ea cæteris omnibus hominis manui propioribus: quidni verò; cum baculi in orbem circumducti lineæ inæqualiter moueantur, distantioresque ab homine celerius quam propinquiores; idque sine baculi inflexione vlla, quæ sit perceptibilis.

At lineam vltimam baculi moueri in aliquo in- 47 stanti, quo quieſcunt cæteræ omnes illius lineæ, vsque ad eam quã homo manu tangit, est ipsa, vt sic dixerim, falsitate falsius: siquidem motus in totum baculum sensim traiicitur, ac prius ordine naturæ in partes, seu lineas homini illud mouenti propiores, posteriusque in eas, quæ magis ab homine distant, & quidem vltimo in vltimam, & distantissimam ab homine: quo igitur instanti mouetur vltima baculi linea, non possunt quieſcere cæteræ omnes: aliàs simul mouerentur, & non mouerentur. Quod non mouerentur, patet: quia quieſcerent: quod etiam mouerentur, perspicuum est: causa enim, & effectus sunt simul tempore: sed motus cæterarum linearum vsque ad hominis manum est causa motus vltimæ, & distantissimæ, eumque naturæ ordine antecedit, & contrà motus lineæ illius ab homine magis distantis est effectus motus eius, quo cæteræ mouentur: ergò, dum mouetur vltima, & magis distans, haud possunt simul non moueri cæteræ: aut certè quo existit instanti effectus, poterit causa, à qua dependet, non existere, quo nihil magis absurdum.

Tandem eandem doctrinam refello, quia ex ea 48 manifestè sequitur, circulos omnes rotæ æqualiter moueri, eodemque tempore æquale loci spatium percurrere; fruſtrà ergò prædictæ doctrinæ author ad inæquales eorum circulorum motus tuendos sensibus

bellum indicit, ac experientia refragante inflexionem rotæ adſtruit. Sequela probatur: ſi duo homines v. g. ſimul moueantur per ſpatium vnius leucæ; alter continuò, & abſque mora vlla ſenſibili, alter verò non niſi ſtatis interuallis quieſcens, ita tamen vt, cum poſtea ſimul cum alio mouetur, recuperet ſpatium quod identidem morando amiſit: ſanè vterque tranſacta vna hora ſimul peruenient ad finem leucæ, eodemque temporis ſpatio æquale ſpatium loci conficient. At iuxta P. Ouiedo punctum E, circuli inferioris ita ſæpius quieſcit moto puncto C, circuli ſuperioris, vt ſpatium cuius iacturam fecit quieſcendo, poſteà per motum recuperet: quippe, cum vi præcedentis morulæ, ſeu quietis eſſet directè ſub puncto B, ratione ſubſequentis motus non ſolum aſſequitur idem punctum B; cum quo vnà mouetur, ſed etiam illud præteruolat, ac ponit ſe directè ſub puncto C, & forſan etiam ſub puncto D: quantumcunque ergò crebrò quieſcat, ac moretur, eodem tamen tempore æquale ſpatium cum puncto C, ſuperioris circuli percurret, adeoque vnius, atque alterius puncti, & conſequenter totius circuli ſuperioris, & inferioris motus erunt æqualis velocitatis, vt vt vnus pluribus morulis interrumpatur, quam alius: vaniſſimè ergò admittuntur morulæ, & ratione morularum inflexio punctorum, ad tuendos inæquales motus circulorum rotæ: cum potius, vt dictum eſt, conceſſis morulis, & punctorum inflexione hoc ipſo indiſſociabiliter concedendum ſit, æquali celeritate moueri rotam, quoad omnes ſuas partes, & circulos.

49 Quod ſi reſpondeat Author, cum quo diſputo, motum rectum continuum haud eſſe celeriorem alio morulis etiam perceptibilibus interrupto, ſi alius ſpatium interruptionibus ſuis reſpondens recuperet, anteaquam perueniatur ad terminum, at in motibus circularibus id verum non eſſe: ſanè eodem iure dici poterit, motus rectos, ſi vel nullis morulis, vel certè æqualibus ambo diſtineantur, eſſe æquales: at motum obliquum, & circularem circuli inferioris poſſe non eſſe æqualem motui ſimili circuli ſuperioris, ſed potius eo minus velocem, tametſi neuter eorum vllam morulam texat: nimirum hoc ipſo, quod, in quocumque inſtanti motionis puncti C, v. g. ſuperioris circuli, ponatur ſub illo perpendiculariter punctum E, circuli inferioris: par autem eſt ratio cæterorum punctorum ſuperiorum, & inferiorum. Atque hæc hactenus.

Caput IV.

Eiuſdem ſententiæ aliæ impugnationes à Matheſi deſumptæ.

50 Quarum prima eſt talis: A quouis puncto ſuperioris alicuius circuli ad eius centrum deduci poteſt linea recta: demus ergò à puncto A, v.g. & à puncto B, ſuperioris circuli duci duas lineas rectas vſque ad centrum ſuum: vel hæ in aliquo puncto inferioris circuli idem habentis centrum concurrunt, vel non? ſi ſecundum; neque reliquæ lineæ à ſuperiori circulo ad centrum deductæ in aliquo puncto inferioris circuli concurrent: atque adeò tot erunt puncta in inferiori circulo, quot in ſuperiori; cum ſingulis punctis ſuperioris circuli ſinguliſque lineis ab eo deductis ſingula puncta in inferiori reſpondeant: ac proinde ſuperior circulus & inferior erunt omninò æquales; quo nihil magis euidenter falſum. Sin autem dicatur primum: ergò lineæ à punctis A, & B, deductæ, & in puncto E, inferioris circuli coeuntes, & ex eo in contrum recta abeuntes literam Pythagoræ formabunt, & directe eſſe non poterunt, vt ſubiectam figuram inſpicienti conſtabit.



Nonnulli Aduerſariorum reſpondent, à quouis 51
puncto ſuperioris circuli lineam rectam ad eius centrum ſiue punctum medium deduci non poſſe. Verum manifeſte repugnant Euclidi lib. 1. Petitione 1. vbi ſic ait: *poſtuletur, vt à quouis puncto in quoduis punctum rectam lineam ducere concedatur.* Deinde linea eſt fluxus quidam puncti: punctumque aliquod moueri eſt formaliter lineam deduci; atque adeò illud recto omninò itinere moueri erit lineam rectam deduci: at à quouis puncto ſuperioris circuli fieri poteſt recto itinere motus ad centrum: qui enim anfractus, quiue flexus rectum iter inter ea puncta impedire poſſunt? Rurſus ab aliquo puncto ſuperioris circuli ad centrum linea recta duci poteſt, vel iuxta aduerſarios: at non eſt, cur potius ab vno quam ab alio; cum omnia æqualiter à centro diſtent, & reſpectu illius eodem modo ſe habeant. Præterea, ſi quis lineam aliquam rectam vna ex parte manentem immotam, ex alia circulariter, & in orbem moueat, hæc circulum deſcribet: at ea linea recta omnia, & ſingula puncta circuli deſcripti attinget, & ab iis ad centrum per circulos inferiores deſcendet: ergò &c.

Alij Aduerſariorum, inter quos Tellez diſp. 35. 52
ſect. 2. n. 24. & Ouiedo controu. 17. punt. 10. n. 5. reſpondent, duas lineas rectas à ſupremo circulo deductas coincidere poſſe in idem punctum circuli inferioris, & inde vſque ad centrum per modum vnius ire: at nihilominus ambas lineas inadæquatè diſtinctas, adæquatè rectas eſſe omniſque obliquitatis expertes. Verum in primis hæc ſolutio eſt manifeſtè contra ſenſum, & experientiam vti figuram ſuperius poſitam intuenti, & paulo attentius conſideranti patebit. Item eſt contra ipſas dignitates primas, ſiue notiones communes Mathematicæ; quarum decima tertia, iuxta Euclydem, eſt talis: *duæ lineæ rectæ non habent vnum, & idem ſegmentum commune.* Quod autem aduerſarij proximè citati principium hoc Geometricum falſum eſſe docent, & Euclydem, ac cæteros Mathematicos hac in re nihili habent, ecquid aliud eſt quam oneri ſuccumbere? An non eadem ratione poſſent negare veritatem horum principiorum? Totum eſt maius ſua parte; quodlibet eſt, vel non eſt; non poteſt idem ſimul eſſe, & non eſſe. Denique in confeſſo apud omnes eſt, nec niſi ſtultè negari poteſt, aliquas lineas rectas à ſupremo circulo ductas, & coeuntes in aliquo puncto inferioris circuli, non eſſe rectas vſque ad centrum, ſed potius obliquas: vt ſi puncta ſupremi circuli, à quibus ducuntur ambæ, inter ſe valde diſtent. Quæcunque ergò lineæ ductæ

à

à supremo circulo ad centrum, & coeuntes in aliquo puncto cuiusdam inferioris circuli etiam erunt obliquæ & non rectæ: aliæ namque, & aliæ haud differunt, nisi penes maiorem, aut minorem distantiam punctorum a quibus incipiunt: hæc autem differentia efficiet quidem, vt aliarum obliquitas sit maior, & rectitudo minor quam aliarum, non verò quod aliæ absolutè sint rectæ, & aliæ prorsus obliquæ.

53 Secunda impugnatio Mathematica contrariæ sententiæ talis esto. Super basim sex punctorum erigatur Isosceles, cuius singula latera sibi æqualia, & basi inæqualia, sint octo punctorum: cum enim supra quamuis rectam lineam triangulum æquilaterum construi possit, vt demonstratur ab Euclide lib. 1. pop. 1. non erit profectò, cur suprà quamuis rectam lineam Isosceles etiam siue triangulum duorum tantum laterum æqualium formari nequeat: id quod, & sponte sua perspicuum est, & manifestè probatur à Proclo, & Clauio in Euclidem vbi suprà. Fac ergo, Isoscelis duo æqualia latera esse octo punctorum: cur enim duobus punctis basim suam superare nequeant? Rursus ducantur singulæ lineæ a singulis punctis vnius lateris ad singula alterius: nimirum à puncto A ad A & à puncto B ad B, & sic de reliquis ordine alphabetico vsque ad H in quo ambo latera coeunt, & pyramidem efficiunt.

54 Quibus positis, quod ex contraria sententia sequatur minus aliquid indiuisibili esse, ac proinde indiuisibile diuisibile esse, hunc in modum ostendo. Puncta A A terminãtia basim Isoscelis suprædicti distãt inter se quatuor punctis. Deinde B B lineam basi proximam terminantia distant inter se tribus ad summum punctis: minus enim inter se distant, quam puncta A A: aliàs si quatuor punctis distarent, linea A B ex vno latere, & linea A B ex alio latere ei respondens parallelæ essent, & nunquam possent concurrere, esto in infinitum protenderentur, ac per consequens neque ad constructionem Isoscelis, aut alterius trianguli deseruire. Eadem ratione puncta C C lineam à base tertiam terminantia duobus inter se punctis distant: minus enim quam B B distant. Eadem quoque ratione puncta D D vno tantum puncto distant. Quum ergo puncta E E inter se distare debeant; aliàs in iis finiri triangulum oporteret: & alia ex parte minus quam puncta D D distare debeant; alias si tantundem aut magis distarent, lineæ D E vtrinque coire nunquam possent: sanè puncta illa E E minus quam vno puncto distabunt: atque adeo assignari poterit aliquid puncto indiuisibili minus, & quod sit eius medietas in quam diuidi sustineat.



Præterea aliter absurdum superius contrà aduersarios expendo, ac tertium argumentum mathematicum in eos obiicio. Duci potest à puncto H pyramidis locum obtinente linea quædam recta vsque ad mediam basim, vi cuius triangulum suprà positum bifariam atque æqualiter secetur. Hæc ergo lineæ recta non cadit in mediam basim, eo quod cadat inter tria, ac tria puncta quibus basis constat: cum enim tria puncta basis aliis tribus immediata sint, inter ea cadere potest. Haud etiam prædicta linea cadit supra mediam basim, eo quod suprà aliquod punctum medium illius cadat: quando enim basis non imparibus punctis, sed paribus nimirum senis constat, certè nullum habet punctum medium, & ab extremis æqualiter distans. Vlterius linea illa non cadit suprà mediam basim, propterea quod supra duo puncta media basis cadat, aliàs punctum extremum eius lineæ duo puncta spatij occuparet. Reliquum ergò est, vt linea illa in mediam basim incidat, eò quod suprà dimidium vnius puncti, & suprà dimidium alterius, suprà vtrumque, inquam, dimidium duorum punctorum, quæ basis intermedia sunt, ex æquo cadat: ergo iam datur dimidium puncti indiuisibilis, ac proinde aliquid eo minus.

Quod vero ab angulo superiori Isoscelis, de quo 55
agimus, eiusque puncto pyramidali H duci possit linea recta vsque ad mediam basim A A, & per se manifestum est, & constat ex lib. 1. Euclidis prop. 9. & 10. vbi quamuis lineam, & quemuis angulum bifariam, siue in duas partes æquales secari posse demonstratur: cur ergo in data figura angulus G H G & basis A A bifariam secari nequeant per lineam rectam, quæ ab illo ad hanc descendat? præsertim cum latera à basi ascendentia, & coëuntia sint æqualia inuicem. Et quidem, siue linea recta à puncto H, siue à quouis alio ducatur; vbi tamen in mediam basim cadat, eamque bifariam intersecet, quod fieri posse euidens est, idem argumentum recurrit.



Cæterùm prædictam negant euidentiam Ouiedo, & Tellez supracitati, aiuntque non semper posse diuidi in duas partes æquales, aut bifariam intersecari basim trianguli rectilinei, per aliam lineam rectam. Enimvero, cum æquum sit vnicuique in sua arte credere, nescio quo iure impræsentiarum fides adeo facile, & absque fundamento negetur mathematicis, quorum principia sunt euidentissima. Rursus non tantum authoritate Euclidis, & Mathematicorum omnium, sed etiam ratione manifesta suadetur, principium, quod ab aduersariis reiicitur, verissimum esse, &, nullatenus negandum. Siquidem linea circularis siue circulus quicumque in duas partes æquales diuidi & intersecari potest: ergo & linea recta, quæ sit basis trianguli Isoscelis, de quo agimus.

Antecedens probatur: nam quadratum omne di- 56
uidi potest in duas partes æquales per lineam diametralem, siue rectam breuissimam ab vno puncto angulari ad aliud angulare oppositum quadrati deductam, vt fatentur omnes, vtque est luce meridiana clarius: quidni ergo & circulus non quatuor

lineis

lineis inſtar quadrati, ſed vna tantum contentus, ita poſſit interſecari, & diuidi? Secundo à priori: quia aſſignari poteſt in quouis circulo linea recta, quæ à ſummo ad imum circuli per centrum pergat, quæve inter puncta diſtantiſſima circuli mediante centro verſetur: at eiuſmodi linea nequit non ſecare circulum in duas partes æquales: alioqui, ſi relinqueret ex ſemicirculis à ſe deſcriptis vnum maiorem alio, ſane non eſſet recta, ſed aliquantulum obliquaretur, ac ſe inclinaret ad vnam partem magis, quam ad aliam. Quod autem præfata linea per centrum circuli cuiuſuis pergens ab vno eius puncto ad aliud diſtantiſſimum ſit poſſibilis, in nullis magis quam in ipſorum aduerſariorum principiis euidentius eſt: nam ipſi docent, puncta cuiuſuis circuli eſſe numero finita: haud ergo ſunt in eo infinita paria punctorum, quæ ſint diſtantiora, & diſtantiora ſine fine: aſſignari ergo in quouis debet par punctorum diſtantiſſimum inuicem, & non ſinens maiorem diſtantiam inter vlla alia duo puncta: ſed linea recta deſcribi poteſt inter puncta illa diſtantiſſima circuli: ea autem alia ex parte non poteſt non ire per centrum, ſiue punctum medium circuli, alioqui non eſſet inter puncta diſtantiſſima circuli, ſed inter aliqua alia minus diſtantia: ergo, &c. Inſuper idem ſuadetur, quia linea recta quouis circulo quomodolibet ſpectato longior, & poſita ſuprà eius centrum poſſibilis eſt: at eiuſmodi linea per centrum, duceretur à puncto ad punctum diſtantiſſimum circuli. Tandem hanc lineam dari poſſe ſupponunt ij, qui per illam cum Macrobio in ſomn. Scipion. lib. 2. definiunt diametrum circuli, nec ſolum ij, ſed omnes quos viderim: ac certè haud video, quomodo eam poſſit vllus ſanæ mentis poſſibilem negare.

57 Porrò autem conſequentia principalis ſuadetur: tum à paritate; cur enim ſectioni per partes æquales magis apta ſit linea circularis, quam recta: tum etiam, quia, eſto ſit aliqua vtrinque diſparitas, res eodem redit, idemque argumentum fieri poteſt in circulo æqualiter, ſeu bifariam diuiſo: fac enim, ſeptem puncta in orbem diſponi, & circulum ex eis fieri: ac deinde lineam rectam duci à puncto A vſque ad infimam & diſtantiſſimam partem circuli: tum ſic; aut linea ſic ducta cadit immediatè ſuprà puncta F & G. inferiora, & veluti è diametro correſpondentia: & hoc repugnat; quia eſſet punctum terminatiuum lineæ diametralis circulum interſecantis occupare ſimul duo puncta ſpatij: aut linea illa cadit ſolum ſuprà punctum inferius F aut ſuprà ſolum G immediatum: atque ita non diuidetur circulus in duas partes æquales, ſed vna, vel alia eius pars erit maior quam altera, eamque excedet in vno puncto: reſtat ergò vt linea diuidens circulum illum terminetur ad partem puncti F, & partem puncti G: & ſic erit aliquid minus indiuiſibili, cum pars non poſſit non eſſe minor ſuo toto. Admiſſa ergo æquali ſectione cuiuſuis circuli ſequitur idem abſurdum, quod vitare nituntur aduerſarij, negando, triangulum Iſoſcelem, eiuſque baſim, ſiue lineam rectam fundamentalem æqualiter poſſe diuidi. Atque vt hic diſcurſus melius innoteſcat, en typum ſequentem.



Vlterius etiam ex triangulo Iſoſceli, de quo ſuperius, arguo: & ſit contrà aduerſarios quartum argumentum Mathematicum. Ex contraria ſententia continuum ex punctis dumtaxat finitis conſtituente ſequeretur, lineam aliquam intrà latera Iſoſcelis, ac ſupra eius baſim deſcriptam eſſe ipſa eius baſi maiorem. At hoc, & demonſtratur eſſe falſum ab Euclide lib. 1. propoſit. 21. & nihil aliud eſſet, quam lineam euidenter minorem eſſe tamen maiorem ſe maiori. Sequela autem probatur: quia à pyramide Iſoſcelis ſupra poſiti incluſiuè vſque ad eius baſim, ſex punctis, vt ſupponitur, conſtantem, deſcribi poſſunt ſeptem lineæ correſpondentes ſeptem punctis, quibus eius figuræ ſingula latera æqualia conſtant: earum autem linearum prima, & pyramidi proxima erit duorum punctorum: ſecunda trium: tertia quatuor punctorum: quarta vero quinque punctis conſtabit: quinta ſex punctis: ac denique ſexta erit ſeptem punctorum: at huiuſmodi ſexta linea eſt ſupra ſeptimam habentem rationem baſis: ſeptima autem haud conſtat, vt præmiſſum eſt, niſi ſex punctis: quî ergò fieri poteſt, quin linea aliqua Iſoſcelis adducti intra eius latera ſuprà baſim eminens ſit ipſa maior; illamque excedat in vno puncto? Et quidem ſeptem illas lineas tranſuerſales baſi ſuperiores, eo ordine quem diximus, debere creſcere perſpicuum eſt: quia, quò magis appropinquant baſi eo extenſiores eſſe debent, ac maioris longitudinis. Qua autem ratione demonſtratum eſt, lineam aliquam Iſoſcelis eſſe maiorem in vno puncto baſi ſua, ſuprà quam ex oppoſito eminet; eadem euidenter oſtendi poteſt, vnius exceſſum reſpectu alterius, eſſe poſſe non vnius tantum puncti, ſed vel trium, vel decem, vel longè plurium: nimirum ſi ſingula latera Iſoſcelis ſuprà baſim ſex punctorum poſita haud ſint octo tantum punctorum, ſed potius habeant decem puncta, vel ſeptemdecim, aut alia plura. 58



Huic tamen argumento, necnon ſecundo huius Capitis reſpondent aliqui, haud poſſe ſupra baſim ſex punctorum conſtrui triangulum Iſoſcelem. Nam, inquiunt, ſuprà baſim trium punctorum, ſiquis velit efficere triangulum, non poteſt poni niſi 59

nisi linea duorum punctorum: supra hanc autem non nisi vnum punctum : ita autem triangulum quoduis ex basi trium punctorum constructum non Isosceles erit, sed triangulum æquilaterum : quippè ex tribus lateribus quibus constat : quodcumque semper erit trium punctorum. Pari ergo ratione supra basim sex punctornm haud poterit poni nisi linea quinque punctorum, & supra hanc linea punctorum quatuor, &c. quo fiet triangulum omne, supra basim sex punctorum constructum, esse necessariò æquilaterum, & non Isosceles.

60 Friuola solutio, quam efficacissimè refello : quia eadem calculatione confici posset, supra nullam omninò basim punctis finitis constantem fieri posse Isosceles : omnis enim eiusmodi basis superare debet in vno puncto lineam sibi proximam, & hæc aliam, & sic de cæteris; alias omnes essent parallelæ, & non possent deseruire ad constructionem trianguli. At iuxtà aduersarios omnis basis punctis constat finitis: supra nullam ergò basim, absolutè loquendo, poterit construi Isosceles, in eorum principiis. Porrò autem nisi supra basim aliquam construi Isosceles non potest : erit ergò talis figura omninò impossibilis. Atqui eam non esse impossibilem, sed possibilem, & etiam actu existentem, adeò est exploratum, vt non tantum animis, sed ipsimet oculis id cernamus omnes, vtque nemo id neget etiam aduersariorum.

61 Quorum superior euasio alia etiam ratione non minus efficaci, eaque ad homines, præcludi potest: quia ob id negant, confici posse Isosceles supra basim trium punctorum, aut supra basim sex punctorum, aliamve similem; ne sequatur, aliquid esse indiuisibili, seu minimo minus, aut lineam intra latera Isosceles contentam, & superiorem basi, hac esse maiorem. At ex triangulo æquilatero, cuius basis sit trium punctorum, ab ipsis concesso sequitur primum eorum duorum inconuenientium, necnon etiam secundum : illud formaliter, hoc in simili. Fac enim, quod fieri posse docent aduersarij, vt dictum est, supra basim trium punctorum poni lineam duorum punctorum, & supra hanc vnum punctum, ac statim consurgere triangulum æquilaterum : haud secus atque est euidens, illud consurgere, si supra lineam tripalmarem collocetur linea bipalmaris, & supra hanc lineã palmaris, & sic vltra vsque ad vnũ indiuisibile.

62 Tum sic : ex cuspide exigui illius trianguli duci potest linea recta vsque ad basis suæ punctum aliquod, videlicet intermedium : ea autem linea non perget ad basim per vnum tantum punctum lineæ mediæ, & proximæ respectu basis: id enim esset, talis lineæ mediæ, duobusque solum punctis constantis, latus alterum rangere directè, & cum illo coincidere: quare linea descendens per triangulum, quo deagimus, non esset recta, pro eo ac supponitur, cum manifestum sit, à puncto pyramidali, siue à cuspide trianguli ad eius latus, & ab eius latere iterum ad mediam basim, haud esse iter rectum, sed flexuosum, & obliquum. Nec etiam præfata linea perget ad basim per duo puncta lineæ intermediæ, & proximæ : ita namque haud esset linea tum physicè tum mathematicè indiuisibilis, sed potius haberet latitudinem aliquam, nempè duorum punctorum. Relinquitur ergò, vt illa pergat ad basim per mediam partem vnius puncti lineæ intermediæ quam secat, & per dimidium alterius puncti eiusdem lineæ : quod quid est, quam indiuisibile diuidi, & dari aliquid minimo minus?

63 Porrò autem, quod eius exigui trianguli linea media, supra basim eminens, debeat esse æqualis ipsi basi, patet: quia non potest esse duorum tantum punctorum, vt proximè probatum manet : ergò trium saltem eam esse oportet: basis autem, vt supponitur, haud est nisi trium punctorum: erit ergò prædicta linea æqualis suæ basi : atqui lineam aliquam trianguli æquilateri, aut alterius cuiusuis intra eius latera contentam basi esse æqualem, æquale, aut simile absurdum est, ac si diceretur, eam esse maiorem basi. Frustrà ergò negant aduersarij, possibilem esse Isoscelẽ supra basim triũ aut sex punctorũ, vt obiecta sibi absurda euitent : haud enim ea re uera euitant, sed potius iis eodem modo implicantur, tametsi disputandi gratia permittamus, verum esse, quod falsissimè, & contra totius Matheseos principia assumunt.

Caput V.

Cæteræ impugnationes Mathematicæ eiusdem sententiæ.

64 QVintum argumentum Mathematicum contra aduersarios nostros est huiusmodi. Diameter quadrati v.g. est asymeter costæ, id est ei incommensurabilis : hæc autem incommensurabilitas vtriusque vt colligitur ex Euclide lib. 10. præposit. 5. nihil aliud est, quam quod non habeant proportionem numeri ad numerũ, siue quod non detur pars aliquota vtriusque : at daretur, si continuum permanens componeretur ex indiuisibilibus numero finitis : nequit ergò ex illis componi. Maior, tametsi apud omnes Mathematicos velut indubitata censeatur, atque inter eos dignitatis locum obtineat, ratione tamen suadetur, in hunc modum.

65 Si diameter est incommensurabilis costæ ; sit costa trium punctorum, & diameter quadrati, quatuor punctorum : pauciorum enim esse nequit : aliàs costam trium punctorum, longitudine non superaret : si verò plurium sit, idem argumentum, & magis vrgenter proponi potest. Deinde fiat ex diametro illo aliud quadratum maius, ductu scilicet numeri quaternarij in semetipsum : numerus enim quadratus quatuor punctorum est numerus quaternarius ; & quatuor puncta quater multiplicata, atque in se ducta quadratum efficiunt. Hoc igitur quadratum maius habet proportionem subduplam respectu minoris, eoque duplo tantum maius spatium occupat: vt & sensu ipso, ac experientia manifestum est, & etiam manifestè colligitur ex propos. penultima lib. 1. Euclidis vbi demonstrat, *in triangulis rectangulis quadratum, quod à latere rectum angulum subtendente describitur, æquale esse eis, quæ à latere rectum angulum continentibus describuntur, quadratis.* Cuius demonstrationis primus Author fertur fuisse Pythagoras, qui iuxta Proclum bouem vnum, & iuxta alios centum boues Musis immolauit, quod sibi ad tam admirandi theorematis inuentionem præluxissent.

66 At diameter quadrati minoris est latus angulum rectum subtendens : igitur quadratum maius ex eo latere, siue diametro ductum erit æquale duobus quadratis, quæ ex duobus lateribus eius trianguli facti ex diametro quadrati minoris, huiusque dimidia, ac superiori parte, describuntur: cum ergò duo illa latera sint duæ costæ quadrati minoris, planè sequitur quadratum maius ex diametro minoris deductum esse æquale duobus quadratis, quorum alterum ex vna quadrati minoris costa, & alterum ex alia eius costa describitur : sed duplex quadratum ex duplici costa

minoris

minoris quadrati ductum, ipſo minori quadrato duplo maius eſt: igitur quadratum maius ex diametro minoris factum, minori tamen duplo maius erit: id quod egregiè explicat noſter Clauius in Euclidem loco citato.

67 Tum ſic: quadratum minus, cuius videlicet coſta iuxtà aduerſarios trium duntaxat punctorum eſt, ſanè ex toto nouem punctis conſtat; cum numerus nouenarius ſit numerus quadratus trium punctorum, & tria puncta ter ducta perfectum quadratum efficiant, vt experimento conſpicuum eſt. Quadratum autem maius ex diametro minoris deductum ſexdecim punctis conſtat, cum quatuor puncta quater in ſe ducta ſexdecim efficiant, ſicut ad quadratum in ſpatio loci deſcribendum oportet: quando igitur ſexdecim puncta nequeunt occupare duplo maius ſpatium quam nouem puncta: certè quadratum maius, & quadratum minus, de quibus ſermo eſt, proportionem ſubduplam verſus loci ſpatium, & extenſionem non occupant: contra experientiam, & matheſim. Aut paulo aliter: quadratum maius duplo maius eſt quadrato minori, ex cuius diametro deſcribitur: ergò numerus ſexdecim punctorum duplo maior erit numero nouem punctorum, duploque maius ſpatium occupabit: cum ergò numerus octodecim punctorum non niſi duplo maior ſit nouem punctis, ſit vt numerus ſexdecim punctorum ſit æqualis numero octodecim punctorum. ac proinde numerus minor ſe maiorem æquet, quod tamen eſt euidenter falſum. Quibus conſtitutis, ex eo quod coſta ſit commenſurabilis diametro quadrati, & illa hicque habeant proportionem numeri ad numerum, ſequuntur ambo inconuenientia proximè ſuperiùs poſita: repugnat ergò, vt commenſurentur, potiuſque alter nempè diameter erit alteri aſymeter. & è conuerſo quæ eſt maior quam probandam aſſumpſi.



68 Sextum argumentum Mathematicum eſt, quia ex contraria ſententia ſequeretur, in quadrato lineam diametralem eſſe æqualem lineæ coſtæ, aut certè eſſe duplo maiorem illa, quorum alterutrum non ſolum rationi, verum etiam ſenſui repugnat. Sequela probatur, quia duci poteſt à quouis puncto vnius coſtæ ad quoduis punctum alterius linea recta, quæ lineam diametralem traiiciat, atque interſecet: vel ergo lineæ illæ à coſta ad coſtam deductæ lineam diametralem cooperiunt; & ita tot erunt puncta in coſta, quot in linea diametrali, cum tot lineæ inter ſe diſtinctæ à coſta ad coſtam deducantur, quot ſunt puncta in linea diametrali; aliàs hæc à lineis ab vna coſta deductis verſus alteram non poſſet cooperiri: vel lineæ illæ à coſta ad coſtam deductæ lineam diametralem non cooperiunt totã. ſed inter duas lineas à coſta ad coſtã deductas interiicitur punctum aliquod lineæ diametralis, quod non traiicitur, nec cooperitur; & ita de reliquis lineis à coſta ad coſtam traiectis idem eadem ratione dici debet: quo fiet, vt linea diametralis ſemper, poſt vnum punctum coopertum, aliud non coopertum habeat, ac proinde duplo maior ſit, quam coſta.



Reſpondent plures aduerſariorum huic argumento, lineam diametralem, ſi recta eſſet, eo ipſo futuram aut æqualem coſtæ, aut ea duplo maiorem: cæterùm eam rectam non eſſe, ſed vndulatam, & flexuoſam. Verum quid hoc aliud eſt, quam in ſole caligare? aut quid negari non poterit? Si contra vniuerſa Matheſis principia à quouis puncto ad quoduis punctum lineam rectam deduci poſſe negetur? Deinde inter vnum punctum angulare quadrati, & aliud ex aduerſo poſitum dari poteſt linea aliqua breuiſſiuiſſima, id eſt qua non poſſit dari inter eadem puncta alia breuior: at linea breuiſſima inter duo puncta eſt recta: linea ergo ab vno puncto angulari quadrati ad aliud contrarium, ſiue, quod perinde eſt, diametralis quadrati dari poteſt omninò recta. Minor ſuadetur: quia ſi linea breuiſſima inter duo puncta non eſſet omninò recta, ſed haberet aliquos flexus, & anfractus, certè non eſſet breuiſſima, ſed potius inter eadem puncta dari poſſet alia breuior: ea ſcilicet, quæ pauciores haberet flexus, minúſq; anfractuoſa eſſet. Et quidem linea recta definitur paſſim à Mathematicis breuiſſima inter duo puncta: ea igitur erit re vera breuiſſima inter duo puncta: è conuerſo igitur linea breuiſſima inter duo puncta erit omnino recta. Maior autem eſt non ſolum Mathematicorum communiter, ſed etiam ſponte ſua perſpicua: nam inter quæuis duo puncta cuiuſlibet plani dari poteſt linea longiſſima, hoc eſt qua non poſſit dari alia longior inter eadem puncta: quidni ergo & breuiſſima dari poſſit inter quælibet duo puncta, ac proinde inter illa, de quibus agimus. 69

Rurſus à puncto quouis circuli ad eius centrum duci poteſt linea recta: ergo & poterit etiam duci linea recta ab vno puncto angulari quadrati ad aliud oppoſitum: huiuſmodi autem linea eſt diametralis ergo, &c. Antecedens eſt ipſorum aduerſariorum in præſenti reſpondentium; & multis probatum eſt à nobis ſuprà ad initium capitis præcedentis. Conſequentia autem ſuadetur, tum à paritate rationis: tum etiam, quia linea procedens à puncto aliquo circuli, ſiue circumferentiæ ad eius centrum poteſt eſſe diameter alicuius quadrati: ergo, ſi linea ducta à puncto aliquo circuli ad huius centrum eſt recta; & diameter alicuius quadrati qui cum ea indentificatur poterit eſſe linea recta: niſi vero linearum realiter non diſtinctarum ac tantum conſideratione noſtra diſcrepantium vna poſſit eſſe recta, & alia non recta, ſed obliqua. Denique: aut in illo quadrato linea cuiuſlibet coſtæ recta eſt, vel non? Si ſecundum: ergo in eo nulla linea recta eſt, cum quadratum illud quatuor coſtis lineiſve lateralibus dumtaxat cohibeatur, 70

&

& vndequaque circumscribatur : quare quadratum rectilineum ac per consequens omnis alia figura rectilinea negari debet, quo quid absurdius? Si primum, cum linea illa costæ possit esse linea diametralis alterius quadrati minoris, sanè linea aliqua diametralis recta, & non obliqua erit aut tortuosa.

71 Respondent secundò alij cum P. Ouiedo vbi suprà punct. 10. n. 8. aliqua paria linearum, quæ recto tramite deducantur à costa ad costam quadrati coincidere in idem punctum lineæ diametralis: ita vt huius vnum punctum sæpè correspondeat duobus punctis lateralibus vnius costæ, & duobus etiam alterius costæ. Contrà tamen sic arguo : duæ lineæ rectæ deductæ à duabus punctis circuli superioris ad centrum non possunt coincidere in puncto vllo circuli inferioris quem secant, quin sint obliquæ, & rectitudinis alicuius expertes, vt ipse Ouiedo, & aduersariorum alij cõcedunt, vtque est per se manifestum: similiter ergo in præsenti, &c. Secundò : quia lineæ omnes deductæ à costa ad costã quadrati per eius diametrum sunt parallelæ, quippe æquidistantes vsque ad diametrũ quadrati exclusiue, vt fatentur Auctores huius solutionis. At lineæ parallelæ id habent ex essentia sua, vt quamuis in infinitum protendantur nũquam, & nusquam possint coire, aut coincidere, vt est euidentissimum, vtque docet Euclides lib. 1 defin. 35.

Septimò tandem, missis aliis argumentis mathematicis, quæ communiter circumferuntur, aliud adiicio, quod mihi semper visum est, magni momenti. *Triangula super eadem basi*, aut quod perinde est, *super æqualibus basibus & in eisdem parallelis constituta inter se sunt æqualia* : vt constat ex Euclide id demonstrante lib. 1. propos. 38. vtque sponte sua perspicuum est: si enim triangulum aliquod alteri super eadem basi, & in iisdem parallelis constituto inæquale esset; maximè quia alterum altero longius esset: at hoc non obstat; quia quantum vnum alio longius est, tantundem eo minus latum est. Quo præsuppositio probo in subiecta figura triangulum A.B.C. infinitas habere partes, & non tot quin plures.



Super basi B.C. & in iisdem parallelis fieri possunt triangula longiora, & longiora in infinitum syncategorematicè; cum parallelæ in infinitum syncategorematicè protendi possint. At cuiuis eorum triangulum A.B.C. æquiualebit; vtpote quod super eadem basi, & in iisdem parallelis est : ergo habet partes infinitas: qua enim ratione fine infinitudine partium cuiuis triangulo quantæuis longitudinis par esse posset? Idem argumentum fieri potest in parallelo grammis, quæ super æqualibus basibus, &c.

Caput VI.

Postrema eiusdem etiam sententiæ impugnatio ab authoritate petita.

73 Eo etiam nomine mihi displicet sententia eorum, qui corpus naturale ex punctis finitis, & non solum physicè, sed mathematicè in diuisibilibus constituunt, quod in primis eiusmodi opinionem nemo Philosophorum ante Christum natum secutus sit, cum tamen Christi Domini natiuitatem præcesserint fæliciſſima, & acutissima ingenia; nec reuelatione aliqua supernaturali opus eis fuerit ad veritatem in hac materia assequendam, quippe omninò naturalem, & iuxtà aliquos aduersariorum valdè claram, & perceptibilem. Quod item ex antiquioribus Theologis, ac Christianæ disciplinæ alumnis nemo ei suffragetur opinioni, vno vel altero excepto, vt testatur P. Hurtado disput. 15. physic. in vber. edit. §. 88. Quod denique ex recentioribus theologis, & philosophis pauciſſimi sint, qui eam tuentur, præ eam reiicientibus, nemoque ferè eam tuentium sit, qui nostræ, & Aristotelicæ sententiæ probabilitatem vel æqualem, vel certè maiorem non tribuat, aut certè dubius inter vtramque sententiam non hæreat.

Addo sanctos Patres, qui obiter aliquid attingunt 74
de continuo, finitas ab eo partes semper reiicere, & infinitas ei adscribere, vt constabit infrà ad initium tractatus septimi. Adiicio etiam, vsque adeo certum, & exploratum inter Doctores Catholicos fuisse tempore Concilij Constantiensis, continuum non componi ex punctis finitis, de quibus loquimur, vt Henricus de Piro Promotor, & Procurator non dubitauerit, sententiam Ioannis VVicleff, & Ioannis Hus de compositione continui ex punctis finitis, tanquam errorem in Philosophia coram omni Synodo accusare, in hæc verba : *Linea aliqua mathematica componitur ex tribus, vel quatuor punctis immediatis, aut solum ex punctis simpliciter finitis: vel tempus est, fuit vel erit compositum ex solis instantibus immediatis. Item non est possibile, quin tempus, & linea, si sint, taliter componantur*, &c. Post quæ statim additur censura : *Prima pars est error in philosophia, sed vltima errat contrà diuinam potentiam.* Quæ verba posteriora, necnon etiam priora habentur in editione Coloniæ Agrippinæ anno 1567. tom. 3. Conciliorum sess. 15. Concilij Constant. pag. 836.

Hæc tamen propter non contendo, sententiam 75
Aduersariorum damnatam esse in Concilio Constantiensi, aut nostram è contrario definitam, velut dogma fidei. Primò : quia veritas purè philosophica, qualis est præsens, haud potest cadere sub definitionem Pontificis, & Ecclesiæ : quare grauiter, ac doctè P. Valentia tom. 3. disput. prima quæst. prima, puncto 7. in respons. ad 4. *Si Pontificis*, inquit, *auctoritas infallibilis esse dicatur in ijs tantum rebus, quæ per se ad pietatem, & religionem (& eatenus quidem ad salutem) spectare possunt, non autem in alijs, cuiusmodi sunt res v. gr. mathematicæ, aut physicæ : rectè id dicitur.* Secundò : quoniam, licet ad veritatem nostræ sententiæ, & contrariæ falsitatem definiendas authoritatem haberent Pontifex, & vniuersalis Ecclesia, nihil hoc referret: tum, quia præfata censura non est Concilij, quippe quod eius nullam facit mentionem, dum postea numerat triginta errores Ioann. Hus & VVicleffi : tum etiam, quia Concilium illud haud fuit congregatum authoritate vllius summi Pontificis, vt notant Bellarminus tom. 1. controu. lib. 2. de Concil. authoritate cap. 19. Arriaga atque alij. Et quamuis fuerit postea approbatum à Martino quinto, non tamen quoad eam censuram (esto permittamus eam non displicuisse Patribus Constantiæ congregatis) sed quoad alia: vt cernere est tom. 3. Concil. citatæ edit Colon. pag. 917. Quibus constitutis, id tantum

in præsenti enitor, cõpertissimum fuisse inter omnes aut ferè omnes Catholicos tempore citati Conc. Constantiensis, haud constare continuum ex solis punctis nitis: alioqui inconsultè, & parum scitè eam sententiam, vt errorem in philosophia proponeret vir ille grauis, qui Promotoris, ac Procuratoris Synodalis partes sustinebat.

At dices primo contra discursum à nobis factum, sententiam, quam eo impugnamus, fuisse olim Zenonis, necnon vniuersæ familiæ Stoicorum ab eo propagatæ. Ita testantur Cabero Cistercienses tract. 6. phys. disp. 1. dub. 1. Conimbricenses, Hurtadus, aliique plures recentiores. Respondeo longè verius esse, quod Zeno & Stoici quorum fuit Princeps, non ex indiuisibilibus, sed potius ex partibus in infinitum diuiduis continuum constare censeant: vt testis est Lipsius in physiolog. lib. 2. dissert. 2. & Laërtius in vita Zenonis vbi sic inquit: *Essentiam siue naturam, omnium quæ sunt primam statuunt* (supple, Zeno, & Stoici) *materiam. Materia autem est, ex qua quidlibet conficitur, &c. Corpus autem est, secundum Stoicos, atque item finita. Est & patibilis: nam si immutabilis, non ea quæ fiunt, ex ea sint facta. Hinc & illud consequens, quod sectio illius in infinitum fit.* Hactenus ille. Verum quidem est Zenonem quendam putasse, cum infinitate partium continui haud posse cohærere motum localem. Atqui inde non intulit, partes continui non esse infinitas, aut indiuisibilibus finitis constare, sed potius non dari motum localem: eo videlicet, quod, vt ipse censebat, partes loci infinitæ motu finito, & temporali non possint pertransiri, vt de eo refert Aristoteles 6 phys. tex. 20. Deinde etiam non Zeno Citticus Stoicorum Parens eam incompossibilitatem infinitatis partium continui cum motu locali asseruit, sed Zeno Eleates: hic nempe non ille motum negauit, teste Laërtio in vita Pyrrhonis. Zenonum ergo neuter continuum ex indiuisibilibus finitis constare arbitratus est.

76 Dices secundo, Platonem, & Pythagoram in sententia hucusque à nobis refutata fuisse, vt de iis referunt Conimb. Tellez, & alij recentiores, vtque inde constat, quia antiquissimi illi philosophi, eorumque sectatores docebant, magnitudinem omnem continuam componi ex numeris: numerus autem resoluitur in vnitates finitas: hæ autem, vt tales, sunt indiuisibiles; alias, si vnitas aliqua diuidi posset, haud foret vnitas, sed numerus: ex indiuisibilibus ergò, & quidem finitis, iuxtà eos, constat continuum. Verum hæc coniectura, tametsi multis imposuerit, leuis est. Namque citati Philosophi, & Philosophorum Patres sermonem habebant de magnitudinibus vniuersalibus, ac separatis, vt expresse docent B. Thom. lib. 3. metaph. lect. 12. & lib. 12. lect. 12. prope finem, ac P. Suarez disp. 40. met. sect. 5. num. 9. fine. Porrò autem magnitudines separatas, & vniuersales continuas ex numeris, ideſt ex vnitate, & dualitate, constitui asserentes, loquebantur de compositione, non physica & continua de qua quæstio in præsenti est, sed de compositione logica ex genere, & differentia: vt enim animaduertit noster Fonseca lib. 1. metaphys. cap. 6. per dualitatem diuisibilem, ac numerorum diuisibilium primam intelligebant genus; quippe quæ desumitur à materia suaptè natura secabili, & diuisibili: contrà verò per vnitatem accipiebant differentiam, aut propter huius simplicitatem, aut quia, sicut vnitas aliqua vltimò complet omnem numerum, ita etiam omnis species completur vltimò per differentiam.

77 Quod autem hæc fuerit eorum mens, non verò quam recentiores putant, eisque assignant, patet: tum ex discursu proximè facto, & explicatione tradita, quæ quidem videtur appositissima: tum etiam, quia Pythagoras, vt refert Diog. Laërtius in eius vita, docebat ipsamet puncta ex numeris constitui: at constat ea non posse ex numeris coalescere, aut constitui physicè, & continuè; cum hac ratione puncta sint prorsus indiuisibilia, sed tantum logice, seu Metaphysicè, vt loquuntur alij. Quamuis autem ibi doceat Pythagoras, sic ex numeris constitui puncta, vt ex punctis componantur lineæ, & ex his superficies, & ex superficiebus corpora: cæterum hoc intelligendum est, de compositione linearum ex punctis, &c. non solis, sed in consortio partium sine fine secalium, vt suprà declaratum est à nobis tract. 4. cap. 3. & 4. Tum etiam, quia non solum magnitudines separatas, sed omnes prorsus substantias separatas, siue idæas, ex numeris constituebant Plato, & sectatores: quo fit, vt idæa Platonis, & numerus Platonis in idem recidant, & tanquam voces synonimæ communiter accipiantur: at non omnes substantiæ separatæ componuntur continuè, cum ad minimum substantiæ spirituales huius sint compositionis expertes: ergo, &c. Tum denique, quia, cum Mathematici teste Ouiedo controuers. 17. punct. 11. num. 40. semper ægrè ferant, collocari continuum in collectione dumtaxat finita plurium indiuisibilium; quî credi potest, Platonem, & Pythagoram in Mathematicis disciplinis versatissimos ei fauisse sententiæ, & non potius ab ea abhorruisse?

Dices tertiò à P. Balthasare Tellez lib. 6. disp. 35. sectione 1. num. 2. referri pro eadem opinione Capreolum, Caietanum, Aureolum, Oñam, & Pererium: nimirum, inquit noster Tellez vbi suprà, quia hi omnes censent, indiuisibilia non distingui realiter à partibus, & profunditate continui. Verum aliud meo iudicio est, indiuisibilia non esse entitates realiter absolutè distinctas à partibus sed potius harum modos: aliud verò, quod præter præfata indiuisibilia nequaquam dentur partes vllæ in continuo. Etenim in homine v. g. vnio essentialis non distinguitur realiter absolutè ab eius partibus: at quis propterea dicat, nullas esse in homine partes, præter vnionem eius corruptibilem, & modalem, ac iuxtà non paucos valde imperfectam ad instar aliorum modorum, neque non iuxtà omnes imperfectiorem quauis anima sensitiua materiali? Prius ergo illorum fortassis asseruere Authores allegati à P. Tellez, secus vero posterius, quod tantum in controuersia positum est. 78

Dices vltimò pro eadem sententia apud eundem P. Tellez stare Gregorium Ariminensem, quatenus ait, vniones omnes partium continui posse destrui: at hac destructione facta remanerent tantum indiuisibilia finita, non vero partes vllæ diuisibiles, cùm sine vnione repugnet omnis diuisibilitas. Laudatur etiam à nostro Tellez vbi suprà pro ea sententia Maior in secundum distinct. 2. q. 1. concluſ. 1. Verum in primis Gregorius nulla esse in continuo indiuisibilia docet, vt relatum est à nobis suprà tract. 4. c. 4. vtque testatur Hurtadus disp. 15. phys. sect. 2. §. 11. quomodo ergo credibile est, eum docuisse vnquam, continuũ ex solis indiuisibilibus cõstare? Deinde destructis omnibus partium vnionibus, vnde sequitur fore, vt subremanerent indiuisibilia finita, & non potius infinita? Insuper tr. 7. c. 2. constabit, posse destrui omnes vniones partium continui, & tamẽ non posse fieri, vt facta ea destructione, superessent tantum indiuisibilia finita, aut infinita. Sed quid opus est Gregorium 79

expli

explicare, cum in 2. dist. 2. q. 2. parum ab initio apertissimè stet à nobis, in hæc verba: *pono conclusiones tres: prima est, quod nulla magnitudo componitur ex indiuisibilibus: ex qua sequitur, quod quælibet magnitudo componitur ex magnitudinibus. Secunda, quod quælibet magnitudo componitur ex infinitis magnitudinibus. Tertia, quod in nulla magnitudine est aliquid indiuisibile sibi intrinsecum.* Atque vt in Gregorio fallitur noster Tellez, ita etiam & in Maiore, quem citat pro sententia, quam impugno. Relato namque loco ex punctis non finitis, sed infinitis docet Maior, continuum constitui: postquam enim ait conclusione prima: *Continuum quodlibet componitur ex punctis*; inferius addit concl. 2. *Continuū non componitur ex punctis finitis.* Et statim concl. 3. *Quodlibet continuum componitur ex infinitis.* Quæ verba Maioris, necnon ex Gregorio citata adeò sunt manifesta, vt mirum sit, aliquem eos pro sententia vulgo Zenoni adscripta, & hactenus impugnata retulisse.

Caput VII.

Confutatur sententia constituens corpus naturale continuum ex punctis infinitis physicè, & mathematice indiuisibilibus.

80 Opinio superioribus capitibus à nobis reiecta, tot tantisque est obnoxia incommodis, adeoque aduersatur principiis tum philosophicis, tum etiam Mathematicis, vt multi eam nec omnino propugnare, nec ex toto deserere audentes declinarint in alias opiniones, inter eam, & Aristotelicam medias. Alij enim docuerunt, continuum ex punctis finitis, sed tamen Mathematicè, ac virtualiter diuisibilibus extensisque constitui: quos tract. sequenti impugnare animus est. Contra verò alij retinent compositionem continui ex punctis &, physicè, & etiam mathematicè indiuisibilibus: at ea puncta volunt esse non finita, sed infinita. Ita Maior in 2. dist. 2. q. 1. concius. 2. ad finem capitis præcedentis à nobis citatus. Ita etiam nonnulli quorum suppressis nominibus meminit P. Hurtado disp. 13. phys.

81 Verum, etsi hæc sententia haud sit tam apertè absurda, ac ea quam suprà profligauimus; at certè omnino falsa est. Primò namque admissa hac infinitudine punctorum, cur partes Aristotelicæ infinities diuiduæ à nobis inferius explicandæ reiiciuntur? aut quod aduersus eas argumentum suppetit, quod momenti sit? Rursus 2. hoc ipso quod ex indiuisibilibus vnitatibus consurgat omnis numerus, seu quantitas discreta; sanè ad eius constitutionem sufficiunt vnitates finitæ, nec requiruntur infinitæ, vt certo certius: ergo & eo ipso, quod ex punctis indiuisibilibus consurgat quantitas, seu magnitudo continua, haud nisi ex punctis finitis debebit, aut etiam poterit coalescere.

82 Præterea tertio: eo ipso quod vna creatura addita Deo, cum eo simpliciter, & intensiue maius non efficiat; neque infinitæ creaturæ, simul cum Deo poterunt illud efficere: & vbi Deus, & homo v. g. solo Deo simpliciter, & intensiuè maior perfectiorque non est; ita neque Deus, & omnium creaturarum possibilium collectio solo Deo maior erit, aut perfectior. Igitur eo ipso quod vnum punctum additum alteri cum eo maius non efficiat, neque infinita puncta addita alteri cum eo maius efficient. Non conspicio certè, quæ vtrinque disparitatis ratio assignari possit. Atqui iuxta aduersarios, quos hoc cap. refellendos suscipio, vnum punctum additum alteri haud facit maius: ergò nec infinita puncta illud efficient.

Item quartò, & eodem redit. Aut punctum A. v. g. facit maius cum puncto B. sibi immediato; & sic ad maius continuè tale sufficient duo tantum puncta, nedum requirentur infinita: aut punctum A. facit maius non cum solo puncto B. sed cum infinitis: & hoc est falsum, tum propter dicta num. præcedenti, tum etiam, quia cum præfatum punctum A. non sit immediatum infinitis punctis, nec infinitas vniones continuatiuas immediatè terminet, qui fieri potest, vt cum infinitis punctis faciat maius? Aut denique punctum A. nec cum vno vel pluribus punctis finitis, nec etiam cum infinitis facit maius: & sic idem de quouis alio puncto eadem ratione dicendum est: ac proinde nullum punctum faciet maius: quo fiet, maius continuè tale, siue magnitudinem continuam non componi ex vllo puncto: nam si componeretur ex aliquo, id ex quo componeretur, faceret maius, & extensionem aliquam. Quod si non componitur continuum ex vllo puncto, sanè nec ex infinitis: sicuti si æternitas à parte post non includeret vllam durationem, nec ex vlla coalesceret; certè nec posset etiam constitui ex durationibus infinitis. 83

His argumentis Neoterici, quibuscum disputatio nobis fuit suprà tract. 3. cap. 2. respondent, si per additionem vnius puncti ad aliud sibi immediatum, & huius ad aliud, & sic vltra, resultaret magnitudo continua, fore quidem, vtne ex infinitis punctis sibi vnitis existeret maius quidpiam: at puncta infinita continui haud facere extensionem, & magnitudinem per additionem illam ordinatam aliorum ad alia, sed potius per denominationem extrinsecam à terminis, siuè punctis fixis, & actu vbicatis, quibus vtrinque clauditur, & cohibetur omne continuum. Verum hæc responsio ad nostra argumenta principium assumit omninò falsum, multisque à nobis impugnatum suprà. Vlteriusque etiam impugnatur, quia si verum esset. 84

Profectò, cum corpus perfectè sphæricum rotatur super planum, tangeret illud in solo puncto, & simul in eo nullatenus illud tangeret: quæ sunt implicantia: tacturum illud in solo puncto constat ex iis, quæ suprà tract. 4. cap. 3. edocui: non tacturum illud vllo modo perspicuum est: quia, cum in medio plani nulla sint puncta actualia, siuè per intimam præsentiam existentia in loco, non poterit vnum ex iis præ alio intrinsece à globo rotato tangi: punctum enim à globo tactum, ei propinquius quam reliqua esset; atque adeo ea essent inter se ordinata, contrà quam docent aduersarij. Qui respondent ad hanc difficultatem, cum globus agitatur super planum, puncta actualia, siue fixa in plano produci ad globi lapsum. Cæterùm ineptè: quando namque solus globus mouetur, vt supponimus, & non planum; cur in plano vbicationes nouæ, quas ipsi puncta fixa, & actualia appellant, produci debeant? Aut cur satis non sit, eas in solo globo agitato produci? 85

Deinde velocitas motus ab Authoribus eius principij neutiquam explicari potest. Quod enim aiunt partes vnius motus magis inter se distare, quam partes alterius; & si Deus partes vtriusque motus simul conseruaret, partes vnius motus effecturas lineam longioris dimensionis quam partes alterius; motum ergo, cuius partes magis inter se distant, velociorem esse quam eum, cuius partes minus inter se distant, si vterque æquali tempore fiat: hoc, inquam, nihil 86

dictu est, nulloque modo satisfacit. nam ideo partes lineæ vnius permanentis magis inter se distare possunt, quam partes alterius, quia, licet puncta lineæ permanentis iuxta aduersarios potentialia sint, & non habeant vbicationes actuales, & fixas quibus intrinsece distare possint; cæterum continentur actu intra duo puncta actualia, & fixa, à quorum maiori distantia extrinsecè magis inter se distare valent. At hæc ratio non militat in motu successiuo: quippe, cuius partes actu inter duo puncta fixa, & actualia non continentur, eo quod initium, & finis motus non coexistant, sicut initium, & finis lineæ permanentis sunt simul existentia. Nequaquam ergo erit, cur partes vnius motus magis inter se distent, quam partes alterius: quo enim pacto partes motus localis loco distare, locique spatium occupare possunt per denominationem extrinsecam à termino, qui non existit, sed tantum extitit in loco? aut quid refert, partes illas, si diuinitus coexisterēt, maiorem distantiam habituras, ad hoc, vt actu, & absolutè eam habeant?

TRACTATVS VI.

An corpus naturale solis indiuisibilibus finitis, physice quidem talibus, sed mathematicè diuisibilibus continuetur.

CAPVT PRIMVM.

Sententia affirmans proponitur, & authoritate Philosophorum melioris notæ, necnon etiam Ecclesiæ Patrum refellitur.

1 CELEBRIS est his annis inter aliquos Philosophiæ præceptores sententia constituens continuum ex punctis, finitis quidem, sed tamen inflatis quæ vocant, hoc est ita physicè, & formaliter impartibilibus, vt sint Mathematicè ac virtualiter diuisibilia, & perinde extensa quoad locum, ac si partes realiter distinctas, & non penetratas occuparent. Quoniam autem aliqui huius sententiæ patroni à nouitate eam cōmendant; quippe, inquiunt, quæ, si antiquior esset, cæteras in hac controuersia opiniones antiquasset, ac sola ab Aristotele ipso, & cæteris Philosophis reciperetur: idcirco placet, eius originem paulò accuratius examinare, ac clarissime ostendere, illam antiquissimam esse, ac per consequens non propterea non inualuisse in scholis, quod serò fuerit adinuēta, sed potius ob id à scholis iam olim esse ablegatam, quod longè minus probabilis per se sit, quam Aristotelica, & communior opinio à nobis tract. sequenti explicanda, & probanda: tantum abest, vt adeo facilis, & clara sit, ac aduersarij existimant.

2 Institutum suadetur: quia, tametsi Leucippus, Democritus, Epicurus, & huius sectatores ab aliquibus referantur pro sententia, quam tract. præcedenti c. 1. & sequentibus reieci; at certè verius est, priscos hos Philosophos docuisse, continuum componi ex punctis finitis physicè impartibilibus, ac Mathematicè seu virtualiter diuisibilibus, & extensis. Atque in primis iuxta eos continuum constitui ex punctis ad minimum physicè indiuisibilibus, est perspicuū. Namq; de Leucippo in eius vita sic ait Laërtius; *primus hic atomos principia subiecit.* De Democrito in eius etiam vita sic inquit; *Sunt autem quæ ille opinatus est ista, principia omnium rerum esse atomos, atque inane, &c.* Locis etiā inferius citandis similia refert de Epicuro: ex cuius mente eius assecla Lucretius lib. 1. de rerum nat. sic loquitur.

Tum porrò, quoniam extremum cuiusque cacumen
Corporis est aliquod, nostri quod cernere sensus
Iam nequeunt: id nimirum sine partibus extat:
Et minima constat natura.

Et quidem Epicurum id censuisse testatur etiam Manil. in Astronom. lib. 1. c. 5. ibi

Ac mihi tam præsens ratio non vlla videtur,
Qua pateat mundum diuino numine verti:
Atque ipsum esse Deum, nec sorte coisse magistra,
Vt voluit credi, qui primus mœnia mundi
Seminibus struxit minimis, inque illa resoluit,
Æquis & maria & terras, & sidera mundi.

Quasi innueret, Epicurum qui sanè inter antiquos philosophos præcipuus prouidētiam numinis de medio sustulit, sortéque ac casu omnia geri censuit, & summum in voluptate bonum constituit, hunc inquā, corpora omnia ex indiuisibilib⁹ siue atomis minimisque seminibus primùm struxisse. Quanquam, quod attinet ad primitatem, fallitur Manilius: verius enim est, quod docent Laertius, Cicero & alij, non Epicurum, sed Leucippum fuisse primum Authorem atomorum, siue punctorum indiuisibilium.

Quod autem eiusmodi puncta, continuum constituentia, sint, iuxtà præfatos Philosophos, inflata, siue tumida, aut quoad locum extensa, ostenditur. Siquidem nihil potest habere figuram v. g. rotundam, quadratam, aliámve aliquam, sine extensione quoad locum: quare si antiqui illi Philosophi pūctis, siue atomis suis figuram attribuebant, sanè hoc ipso ea quoad loci spatium extensa non poterant non censere. At quod atomis suis, siue corpusculis indiuiduis figuram assignauerint, testes sunt Arist. lib. 3. de Cœlo tex. 37. & primo de generat. tex. 5. & Plutarchus in 1. de Placitis Philosophorum, ac noster Perer. lib. 4. phys. c. 9. Id ipsum testatur Cic. lib. 1. de natura Deorum his verbis: *Ista enim flagitia Democriti, siue etiam ante Leucippi; esse corpuscula, quædā leuia, alia aspera, rotunda alia, partim angulata, curuata quædam, & quasi aduncа: ex his effectum esse Cœlum, atque terras, &c.* 3

Idem denique testatur Laërtius. Apud eum enim docet Leucippus, *multa corpora* (minima scilicet, & indiuisibilia, de quibus loquitur) *figuris omnigena in magnum vacuum ferri, eaque in vnum coacta vnam vertiginem efficere secum, quam offendere, ac circumuolui modis omnibus, atque ita discerni, vt seorsum similia quæ sunt sui similia petant.* Apud eundem etiam docet Democritus, *atomos, & magnitudine, & numero esse infinitos, ferrique in toto, ac rotari, atque ita concretiones omnes gignere, ignem, aquam, aërem, terram: quippe, & hac ex atomis quibusdam constare, esseque passioni, & immutationi ob firmitatem, ac soliditatem minimè obnoxia: Solem item, & Lunam ex huiusmodi vertiginibus, tumorumque circumferentijs esse compositam.* Vbi pende particulā illam, *tumorumque circumferentijs*: quī enim potest intelligi tumor sine figura aliqua? Ac profecto quod puncta sua Democritus tumores appellauerit; satis arguit, eum nō solum re ipsa sententiam docuisse neotericorum, sed ne verbis quidem ab iis discrepasse: vtpote quorum non paucis celebre est, puncta sua nunc inflata, & nunc etiā tumida appellare. Quid plura? Apud eundē Laer. Epicurus sic inquit: *Indiuidua corpora, & ac plena, ex quib⁹, & concretiones fiunt, & in quæ dissoluuntur, incomprehēsibilia sunt figurarum differētijs.* Ex quib. patet, Epic. atomis suis attribuisse figurā; sicut oportet, vt sint extēsa 4

quoad

quoad locum. Ac certè nisi talia iuxtà illum essent; quorsum eas vocaret corpora? quod enim nullam habent extensionem formalem, aut virtualem, spatiúmve loci extensum non occupat, id equidem corpus non est, nec corpus aptè dici potest, vt certo certius? quorsum item easdem atomos appellaret corpora plena, si non sunt vllatenus extensa, cum plenitudo extensionem aliquam sonet, ac præ se ferat. Huc facit quod de eodem Epicuro paulò infrà subiicit Laërtius: *ait autem* (supple Epicurus) *intrinsecus neque vllam circa atomos inesse æqualitatem, præter figuram, & magnitudinem, & grauitatem.* Mille alia id genus apud Laërtium, & alios legi possunt, quæ hic breuitatis causa omitto.

5 Ad extremum, quod puncta illa tumida, non infinita, sed potius numero finita, in quouis particulari continuo posuerint Philosophi citati, eorumque assecla, planum est: quia, ne partes infinitas concederent in continuo, puncta supradicta adstruxerunt: haud ergo ea potuerunt infinita numero adstruere. Id autem patet ex his quæ scribit Lucretius lib. 1. de rerum natura

Præterea, nisi erit minimum, paruissima quæque
Corpora constabunt ex partibus infinitis:
Quippe, vbi dimidiæ partis pars semper habebit
Dimidiam partem, nec res præfiniet vlla, &c.
Cui quoniam ratio reclamat vera: negatque
Credere posse animum: victus fateare necesse est,
Esse ea, quæ nullis iam prædita partibus extent.

6 Nec refert, quod multoties dicant atomos esse numero infinitas, vt patet ex verbis suprà de Democrito relatis ex Laërtio, necnon ex iis, quæ de Epicuro & Leucippo tum ipse tum etiam alij referunt. Siquidem loquuntur de atomis, non cuiusuis continui particularis, sed de iis, quibus constat vniuersitas rerum existens, & infinitos mundos iuxtà eos complectens: vt & ex eorum placitis attentè perlectis euidenter constabit, necnon etiam ex eo, quod dicant atomos esse non tantum numero, sed etiam magnitudine infinitas, quod, de atomis vllius continui particularis, quis sanæ mentis possit interpretari? Verum, vt omnis dubitationi locus præcludatur, en quæ de Epicuro refert Laërtius in eius vita: *neque enim, ait,* (supple Epicurus) *interius in infinitum sectionem esse.*

7 Atque hæc sit prima sententiæ, qua de agimus, impugnatio: scilicet meliores antiquitatis Philosophos eam reiecisse, nec ferè aliis nisi Epicureornm gregi olim placuisse. Impugnatur etiam authoritate Patrum orthodoxorũ: quippe, qui passim eam reiiciunt. Quinque tantum producam, cæteris breuitatis causa prætermissis. Primus esto Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromat. vbi sic inquit: *Principia ponunt individua, Philosophiæ nomen suscipientes, impij quidem homunculi, & voluptati dediti:* id est antiqui Epicurei. Alter esto Gregor. Nazianzenus orat. 34. vbi probans, Deũ esse incorporeum sic ait: *aut corpus in corporibus erit* (supple Deus) *id quod fieri non potest: aut implicabitur, aut opponetur, quemadmodum ea, quæ liquiditate prædita sunt, inter se miscentur; atque alia secabit, & ab aliis rursus secabitur: quod ipsis etiam Epicuri atomis absurdius est, & anilius.* Pende hæc postrema verba.

8 Tertium aduersus eandem opinionem produco D. Basilium homil. 1. in Hexam. ibi: *E diuerso alij minutissima quædam, & impartilia corpora, moles item, ac meatus naturam continere omnium, quæ oculis quaquauersum subiacent, vecordi imaginatione deluse astruxerunt. Opinati enim sunt nunc quidem illis infectilibus corpusculis inter se coalescentibus, & aggli-*

tinatis, nunc contrà eisdem disparitatis à se ac seiunctis generationes fieri rerum, & corruptiones; simul & tenaciorem atomorum inter se complicationem causam præbere diuturnioris persistentiæ longissimè duraturis corporibus. Prorsus istius generis scriptores, quid aliud dicas, quam stamen flaccidum araneoli pertexere, dum pertenues adeò comminiscuntur rerum causas; dum cœli, terræ, marisque principia supponunt nusptam consistentia. Hactenus ille: quod autem differat aduersus puncta non quæcunque, sed inflata, constat vel ex eo quod citentur ad marginem Leucippus, & Democritus, quos & post eos Epicurum authores fuisse punctorum non qualiumcunque, sed eorum quæ dicuntur inflata, paulo superius ostendi.

Quartum contra eam sententiam expendo Augustinum in lib. de immortalit. ánimæ cap. 7. vbi sic inquit; *Omnis enim pars quæ remanet, corpus est, & quidquid hoc est, quantolibet spatio locum occupat: neque id posset, nisi haberet partes in quas identidem cæderetur.* Tum sic: punctum inflatum est corpus quoddam licet exiguum, cum plures partes loci occupet, iisque coextendatur: nullas item habet in se partes, in quas cædatur: aut ergo falsum est quod ait Augustinus, omne corpus locum occupans quantumlibet, habere partes, in quas possit cædi, ac diuidi; aut falsa eorum sententia, qui adstruunt, puncta inflata in continuo. Inferius etiam eodem libro. cap. 16. ita prosequitur Augustinus. *Moles quippe omnis, quæ occupat locum, non est in singulis suis partibus tota, sed in omnibus: quare alia pars eius alibi est, & alibi alia.* Iuxtà Augustinum ergò commentitium est punctum omne inflatum; quippè quod moles quædam est, etsi parua, quæ tota est, vbi sunt singulæ eius partes, & quæ non habet alibi vnam partem, & alibi aliam. 9

Quintum denique oppono contra eandem sententiam, Claudianum Mamert. lib. 1. de stat. animæ c. 17. *Omne porrò corpus quamlibet magnum, quamlibet paruum, secari profectò potest, quod idcirco illi accidit, quia partibus constat: nam quicquid partem habet, potest vtique diuidi, quia pars potest à parte diuelli.* Et infra lib. 3. cap. 4. ibi; *quælibet ergo terræ pars magna vel minima, vt lapillus exiguus, vel minutissimus puluisculus, qui puncto visibili contingi nequeunt, habent & mensuram pro modulo sui, & numerum pro ratione partium, quibus distant superiora ab inferioribus, dextera à sinistris, à posterioribus priora.* Hæc B. Claudian. quæ nescio quomodo vera esse possint, si verum est quod aiunt aduersarij, continuum componi ex corporibus paruis & impartibilibus, siue punctis inflatis. 10

Non me latet, ei subscripsisse sententiæ, imò ex recentioribus primum eius patronum fuisse conterraneum meum, ac Societatis nostræ Theologum P. Stephanum Murti virum admirabili ac propè diuino ingenio præditum, prisisque illis scolarum luminibus parem: sed ah, non sine maximo rei litterariæ damno, in ipso ætatis flore, orbi & Ecclesiæ ereptum. Nescius etiam non sum post tantum ducem eandem sequutos esse sententiam Salmanticenses quosdam à P. Bartholomeo Amico in præsenti relatos; necnon alios Neotericos, in Hispania, Germania & Italia. Cæterùm hi omnes pauciissimi sunt, præ aliis, qui hoc etiam tempore eum opinandi modum reiiciunt; nec minus pauci, si senatum illum spectes antiquorum Philosophorum, ac Patrum, eandem excutientium opinionem. Verum rationibus contra eam agamus. 11

Caput II.

Sententia ſuperius propoſita bifariam explicatur, & quoad priorem eius explicandæ modum rationibus impugnatur.

12 PRior eius opinionis explicatio eſt, vnum punctum reale corporis naturalis continui conſtitutiuum occupare finita tantum ſpatij imaginarij puncta v.g. octo. Poſterior eiuſdem explicatio eſt, vnum punctum reale ex finitis, quibus conſtat corpus naturale continuum, ſibi vendicare infinitas partes ſpatij imaginarij, ſiue ſpatium imaginarium in minus, & minus ſine fine diuiſibile. Porrò autem poſteriorem hunc eius ſententiæ explicandæ, & tuendæ modum cap. ſequentibus impugnaturus, priorem in præſenti impugno. Atque in primis iuxtà eum neutiquam explicatur, quatenus vnum punctum reale additum immediatè alteri, cum eo non penetretur: ſiquidem illud ſecundum ſe totum tangit.

13 Reſpondent aduerſarij, admiſſa penetratione inadæquata, qua vnum punctum ſit in loco inadæquato alterius; negata verò penetratione adæquata, qua alterum alterius occupet locum adæquatum: ſic duæ manus ſe tangentes penetrantur, non quidem adæquatè, ſed tantum indæquatè ac penes extremas ſuperficies. Contra tamen primo ſic argumentor: quia etiam vnum punctum indiuiſibile loci aliud immediatè ſe toto tangit, eique immediatum eſt: & tamen cum eo non penetratur vllo modo, & nec adæquatè, nec inadæquate: non adæquate, quia iam non eſſent duo puncta ſpatij, ſed vnum: non inadæquate, cum ſupponantur ambo omnis extenſionis expertia: quæ cum ita ſint, cumque ab aduerſariis admittantur, neſcio quo pacto negare poſſint, vnum indiuiſibile, ſeu punctum reale tangere poſſe aliud abſque vllavtriuſque penetratione, ſiue adæquata, ſiue inadæquata. Sanè Ariſtotelicum, & commune argumentum in ipſo ſpatio imaginario efficaciter vrgeri poteſt, vt bene animaduertit P. Hurtadus in præſenti §. 92. cum ergo extenſio, & quantitas ſpatij imaginarij per ordinem ad aliud ſpatium imaginarium, in quo ſit, explicari nequeat; certè ad aliam ſolutionem neceſſe eſt recurrant aduerſarij: qualiſcunque autem ea ſit, ad explicandam extenſionem realem ſufficiet. Confutatur etiam eadem reſponſio paulo aliter: namque punctum reale iuxtà aduerſarios occupat octo puncta ſpatij imaginarij v. g. & puncta ſpatij iis immediata, & contigua neutiquam occupat: cur ergo punctum aliquod reale occupare nequeat vnicum tãtum punctum ſpatij, quin occupet punctum ei immediatum, ac proinde quin penetretur cum puncto, quod in eo ſpatio immediato collocatur? Aut cur vnum punctum extenſum virtualiter penetrari inadæquatè debeat, cum punctis realibus ſibi immediatis? quando iuxtà ipſoſmet, quibuſcum diſceptamus, cum punctis imaginariis ſibi immediatis, neutiquam penetratur.

14 Deinde iuxtà priorem illum philoſophandi modum initio capitis propoſitum, velocitas, & tarditas motus nequaquam explicari poſſunt. Quod enim aiunt Neoterici, mobile illud velocius moueri, quod in quouis inſtanti plus acquirit ſpatij de nouo, & minus amittit de antiquo; illud autem tardius moueri, quod in ſingulis inſtantibus minus acquirit ſpatij de nouo, & plus amittit de antiquo: quare neceſſe non eſſe ad morulas à nobis ſuperius exploſas recurrere; hoc, inquam, non ſatisfacit. Etenim dari poteſt motus velocior, & velocior in infinitum ſyncathegorematicè: at, quo velocior eſt motus, eo punctum mobilis plura puncta ſpatij de nouo, & pauciora de antiquo, iuxta aduerſarios, ſingulis momentis acquirit, & amittit: ergo poteſt punctum mobilis acquirere, in eodem inſtanti, de ſpatio nouo, puncta plura, & plura in infinitum ſyncathegorematicè, & amittere de ſpatio antiquo puncta pauciora, & pauciora ſine fine; ac proinde punctum mobilis poſſidet, non finita ſpatia loci, ſed infinita, & non tot, quin plura: ſi enim finita puncta localia occuparet, profecto deuenire eſſet ad tot puncta loci acquiſita de nouo, vt plura naturaliter acquiri non poſſent, & ad tot puncta loci amiſſa, vt plura etiam amitti non poſſent; videlicet, ſi omnia puncta ſpatij ſui in quouis inſtanti amitteret, & totidem acquireret de nouo punctum reale, de quo loquimur. Conſequens autem aduerſariis repugnat. Porrò maior, in qua tota vis argumenti conſiſtit, in hunc modum ſuadetur: ſuperior peripheria alicuius globi velocius mouetur, quam inferior: cum æquali ſpatio temporis maiorem circulum abſoluat; maiuſque loci ſpatium conficiat, vt experientia teſtatur: & quo maior eſt ſuperior peripheria quam inferior, eo celerius inferiori in orbem mouetur; eo enim maius ſpatium loci æquali temporis interuallo, quam inferior conficit: ſed ſuperior peripheria alicuius globi poteſt eſſe maior, & maior in infinitum ſyncathegomatice; cum Deus cœlum maius, & maius ſine fine moliri poſſit.

15 Tertiò principaliter oppugnatur idem philoſophandi modus: quia puncta finita ſpatij imaginarij, continuo reali reſpondentia, circulos, triangulos, quadrata, & reliquas figuras Mathematicas efficiunt: at in iis figuris Mathematicis ipſius ſpatij imaginarij omnia argumenta, à Peripateticis contrà ſententiam Zenoni falsò adſcriptam, & à nobis tract præcedenti profligatam obiecta, apertiſſimè militant, vt expendenti conſtabit: neoterici ergò, cum quibus diſputamus, in Scyllam incidunt, dum Charybdem vitare nituntur; & in continuo reali ex punctis finitis, & inextenſis conſtituto difficultates fatentur inſuperabiles; eadem ſanè coguntur in continuo locali, & imaginario experiri.

16 Reſpondent tamen, ſpatium imaginarium nihil eſſe, & non aliud quam merum mentis figmentum, atque commentitium quoddam ſpatij realis, ac veri idolum: quare nullum in eo argumentum commode effici poſſe, quod vrgeat. Sit enim, ſi placet, circulus ſuperior imaginarius æqualis inferiori; idque argumenta Mathematica concludant, aduerſus ſententiam componentem ſpatium imaginarium ex indiuiſibilibus finitis: ob id ſanè vterque circulus imaginarius, & chimæricus eſt: cur ergo à circulis ſpatij ad circulos reales argui poſſit? Deinde ideò puncta ſpatij imaginaria, & chimærica ſunt, quia ſibi immediata ſunt, ſeque adæquatè veluti tangunt; quin penetrentur, ſed potius extenſionem faciant: cur ergo ab iis ad puncta realia arguere fas ſit. Hæc illi.

17 Sed parum ſolidè, niſi valdè fallor: quia, eſto ſpatium imaginarium ens rationis, & inanis quædam mentis fictio ſit, cæterùm de eo perinde fari, atque philoſophari oportet, ac ſi eſſet quid reale: ergo non eſt, cur in eo argumenta Ariſtotelica fieri non poſſint, aut, ſi fiant, non vrgeant. Antecedens compertum eſt, vt docet P. Hurtadus in præſenti: ſiquidem diſtantia, & indiſtantia entitatum realium per diſtantiam, & indiſtantiam ſpatij imaginarij, quod occupat, ab omnibus explicatur: inadæquata etiam penetratio punctorum realium, quam adſtruunt aduerſarij, per

ſpatium

ſpatium imaginarium inadæquatum vtrique commune ab iis explicatur: velocitas etiam, ac tarditas motus ab iiſdem declaratur, per ſpatium imaginarium, quod à diuerſo mobili aliter atque aliter acquiratur, aut deperdatur: igitur de ſpatio imaginario, perinde, ac ſi aliquid reale eſſet, omnibus philoſophandum eſt. Adiice, non paucos exiſtimare, ſpatium imaginarium eſſe, aut carentiam quandam, aut certè veram poſſibilitatem vbicationis; quę quidem carentia, aut ſi mauis poſſibilitas à parte rei, & ante omnem fictionē intellectus habeat, diminutè licèt, extenſionē, aut contractionem, diſtātiam, aut indiſtantiā, relationem dextri aut ſiniſtri, ſuperi aut inferi, aliaſque ſimiles: cur ergo in ſpatio imaginario, ſi admittatur ſaltem diſputandi gratia, vt certè debet, argumenta Mathematica fieri non poſſint, quæ aduerſus continuum reale coaleſcens ex punctis finitis, & minime extenſis communiter fiunt. Atque hæc impræſentiarum ſufficiant contrà priorem modum explicandi ac tuendi puncta inflata: quæ namque ſuperſunt eius impugnationes (ſuperſunt autem non parum efficaces) in ſimili proponentur capitibus ſequentibus.

Caput III.

Posterior modus eiusdem sententiæ explicandæ, & tuendæ rationibus confutatur.

18 PRimò: quia aut ſpatium infinitum, quod à puncto reali occupatur, in partes proportionales, & communicantes Ariſtotelico more diuiduum eſt: & ſic contra illud ſpatium imaginarium omnia argumenta in Ariſtotelem obiici ſolita procedunt: fruſtra ergò aduerſarij Ariſtotelicam ſententiam in continuo reali deſerunt, quam in continuo locali ſequuntur, cum eius ſequendæ, aut deſerendæ par ſit vtrobique ratio. Aut ſpatium illud infinitum eſt imaginaria quædam extenſio, omninò indiuiſibilis, in qua tamen infinitæ aliæ extenſiones minores, & minores per penetrationem contineantur: ea ratione, qua punctum reale extenſum vt octo v. g. diuinitus intra ſe continere poteſt per intimam penetrationem aliud punctum reale extenſum vt ſeptem, & hoc aliud vt ſex, & ſic vlterius abſque fine: & hic etiam modus explicandi infinitatem ſpatij imaginarij haud poteſt ſuſtineri: quis enim vnum ſpatium cum alio penetrari, & in alio per intimam præſentiam contineri non rideat? aut cui in aperto non ſit, quin ea ſpatia non plura futura ſint, ſed vnum, vbi ſemel penetrentur inuicem? Vel denique ſpatium illud infinitum infinita puncta, ſiue indiuiſibilia imaginaria inter ſe diſtincta complectitur: & ita contra illud apertè militant argumenta, quibus cap. poſtremo tract. præcedenti expugnauimus compoſitionem continui realis ex ſolis punctis, ſiue indiuiſibilibus finitis.

19 Deinde globus perfectè ſphæricus ſuper planum illabens illud in puncto ſaltem tangeret: at punctum eſt extenſum Mathematicè, & quidem in infinitum iuxtà aduerſarios: ergo globus perfectè ſphæricus tangeret planum in extenſione aliqua: quando igitur omnis extenſio in plano planities eſt, ſanè non poſſet globus non tangere planitiem aliquam vt talem, eique cōmenſurari: ac proinde in ipſo globo planities aliqua admittenda erit; & ſic repugnabit eum eſſe perfectè rotundum. Conſequens autem eſt abſurdum: ergo & illud ex quo ſequitur. Eadem ratione ſuaderi poteſt, perfectum cylindrum in contraria ſententia eſſe prorſus impoſſibilem. Reſpondebit tamen nonnemo, globum & cylindrum, ſi caderent ſuper planum, tacturos illud in puncto quidem extenſo, non tamen quatenus extenſum eſt, & plura ſpatia indiuiſibilia occupat, ſed quatenus vnum indiuiſibile ſpatij replet, quod certè eorum rotunditati obeſſe non poſſet, nec in iis planitiem argueret vllam. Verum in primis non pauci eorum, quibuſcum diſceptamus, indiuiſibilia omnia omninò talia tam in loco, quam in re locata reſpuunt; contra quos potiſſimum ſuperius confecimus argumentum. Deinde, qui indiuiſibilia prorſus talia, & nullatenus extenſa, ſiue finita ſiue infinita, in ſpatio imaginario admittunt, cur etiam indiuiſibilia realia nullo modo extenſa Mathematicè, ſed indiuiſibilibus ſpatij commenſa tantopere renuunt? cum eadem vtrobique argumenta militent.

Vlterius poſterior ille contrariæ ſententiæ tuendæ, & exponendæ modus, iſque modò communior, impugnatur: quia iuxtà eum velocitas, & tarditas motus localis, propter quas explicandas potiſſimum excogitatus eſt, neutiquam rectè explicatur. Sumamus enim in rota puncta A, & B. circuli ſuperioris, & excentrici, ac puncta etiam A, & B circuli inferioris, & concentrici: quorum, quæ ſuperiora ſunt, inferiora cooperiunt; ita vt punctum A puncto A omninò correſpondeat, neutrumque antè, vel poſt aliud vllatenus ſit, & punctum etiam B puncto B pari ſymmetria correſpondeat. Quo præſuppoſito, demus rotam circulariter moueri, atque in orbem torqueri: tum certè punctum A ſuperius puncto A inferiori velocius mouebitur: circulus enim, in quo vnum continetur, velocius mouetur, quam circulus alterum continens. At ea maior velocitas explicari nequit, per hoc quod punctum A ſuperius in primo inſtanti plus acquirat ſpatij B ſibi immediati, punctum verò A inferius minus acquirat ſpatij etiam B ſibi immediati, vt aduerſarij philoſophantur: aliàs in primo inſtanti motus punctum A ſuperius, punctumque A inferius eandem proportionem in ordine ad locum, quam anteà, non ſeruarent, ſed vnum præuerteret aliud, quod abſque diruptione, aut certè abſque flexione rotæ percipi non poteſt. Porrò, quod in rota puncta ſuperiora & inferiora, ſaltem aliqua, habere poſſint proportionem explicatam, euidens eſt: aliàs in nulla figura eam poſſent habere: ſiquidem in rota pyramides, globi, cylindri, quadrata, trianguli, omneſque figuræ Mathematicæ continentur. 20

Reſpondent primò aduerſarij, ad hoc vt punctum A ſuperius, & punctum A inferius ſeruent inter ſe eandem proportionem, quam ante motum habebant, neceſſe eſſe, vt alterum plus de ſpatio B. ſibi immediato, quam alterum, & è contrario hoc minus, quam illud prius acquirat. Nam, ſi vtrumque tantumdem de tali ſpatio proximo per motum in quocunque compararet inſtanti; certè vtriuſque motus eſſet æqualis velocitatis: eo autem ipſo quod pari velocitate mouerentur ambo in ſuis circulis, fieri non poſſet, quin amitterent proportionem, qua antea gaudebant: ſiquidem, cum punctum A ſuperius ad punctum loci imaginarij, à quo moueri cepit, regreditur, & orbem ſpatij perfectum abſoluit; vel tunc punctum A inferius ad punctum etiam loci, in quo erat immediatè ante motum, reuertitur, in eoque ſe iterum collocat, vel potius ante in eo ſe collocauit, & curriculum ſuum, orbemque perfecit. Si primum: profectò æquali velocitate non mouebuntur, contrà quam diſputandi gratia ſupponitur, cum eodem tempore alterum maius loci ſpatium percurrat, circumque 21

lumque longiorem abſoluat, quam alterum. Sin autem ſecundum: ſequitur manifeſtè, alterum non eſſe quoad locum in eadem proportione cum altero, qua erat ante motum: nam antequam mouerentur, ambo exiſtebãt in punctis ſpatij paralellis, vt ſic loquamur, & vnum eminebat perpendiculariter ſuprà aliud: at poſt motum aliter ſe habent: ſiquidem, cum ſuperius eorum redit ad ſpatium, vnde cœpit moueri, inferius non eſt in ſpatio, ex quo moueri incepit, ſed in alio anteriori. Tantum ergo abeſt, vt puncta rotæ per motum amittãt priſtinam proportionem, ob inæqualitatem ſpatij de nouo acquiſiti, vt potius ad conſeruandam eam proportionem omninò neceſſarium ſit ſpatium proximum de nouo acquiſitum ab vtroque eſſe inæquale, illudque penes plus ab vno, & penes minus ab alio per motum comparari.

22 Hæc reſponſio non minuit, ſed potius auget vim noſtræ impugnationis: nam id aperte conuincit, ex contraria ſententia ſequi vtramque contradictionis partem: nempè punctum A circuli ſuperioris, & punctum A circuli inferioris ſeruare, & non ſeruare priſtinam proportionem, dum mouetur circulariter rota: non ſeruare quidem, ob rationem à nobis adductam: etenim ante motum æqualiter diſtabant ambo ab extrema parte ſpatij ſiue puncti localis ſibi immediati: poſt motum verò in inſtanti factum, alterum eorũ minus diſtat ab extrema parte eius ſpatij, quippe de cuius anterioribus partibus plus acquirit de nouo: alterum vero magis diſtat ab illiuſmet ſpatij extrema parte, eo quod minus de eius partibus prioribus per motum occupet: hoc autem quomodo poteſt intelligi, non mutata priſtina proportione quoad locum? aut quid eſt: hanc proportionem variari, quam non eſſe duo quædam in eadem diſtantia, ac antea reſpectu alicuius termini? Rurſus altera contradictionis pars ſequitur, nempe non mutari proportionem priſtinam, dum mouetur rota, eo modo, quo aduerſarij volunt, eam moueri. Namque, ſi ita non mouerentur, ſed potius æquales partes ſpatij anterioris immediati in quouis inſtanti acquirerent punctum A ſuperius, & punctum etiam A inferioris circuli; ſanè vterque motus foret æque velox, quod manifeſtum eſt, eſſe non poſſe ſine variatione proportionis quoad locum, ac rotæ in orbem agitatæ inflexione, & etiam diruptione. In ſumma, eo vitio laborat data reſponſio; quod tantum probet, non mutari proportionem ſupradictam, explicato motu per inflationem punctorum, non verò quod etiam non ſequatur, eandem proportionem ſimul mutari, ſi ita motus rotæ explicetur.

23 Reſpondent ſecundo alij, punctum, quod eſt centrum reſpectu totius alicuius globi, poſſe non moueri vllo modo, dum globus circulariter mouetur; idque abſque vlla globi flexione, aut ſciſſione: tum autem pũctum illud habens rationem centri nihil acquireret de ſpatio ſibi proximo, ſed in antiquo penitus perſiſteret, tametſi puncta ſuperiora, quibus circum circa cingitur, acquirerent de ſpatio ſibi proximo aliquid de nouo, ac tantundem de antiquo amitterent. Porrò autem punctum A inferioris circuli exiſtere non tãtum ſub puncto A circuli ſuperioris, ſed etiam ſub duobus aliis punctis eiuſdem circuli, ac reſpectu omnium trium ſe habere tanquam centrum quoddam: quare à fortiori poſſe per motum minus de ſpatio B ſibi proximo acquirere, quam punctum A ſuperius, quin ruptura, aut etiam flexio rotæ contingat, ac per conſequens, quin priſtinam cum ſuperioribus punctis proportionem amittat.

24 Verum hæc ſolutio in ſimili à nobis eſt impugnata tract. præcedenti cap. 3. Ac præſertim non video, qua ratione iuxtà eam, dum baculum ab homine in orbem agitatur, eius puncta extrema, & ab hominis manu magis diſtantia celerius moueãtur, quam puncta proxima, & ab homine minus diſtantia: haud enim in baculo illo, (omninò recto, vt ſupponitur) alia puncta habent reſpectu aliorum rationem centri. Rurſus exemplum, quo innititur ſolutio, inutile eſt, imò contrarium: ſiquidem, dum centrum totale globi quieſcit, reliquo corpore globoſo motum ſubeunte, haud dubie variatur proportio inter illud, & puncta circuli ſibi immediati, ac minimi: & quod punctum ſuperius tangebat illud ab vno latere extrinſeco, poſtea illud tangit ab alio; eſtque nunc dextrum v.g. reſpectu illius, nunc ſiniſtrum, & iam ſuperum, iamque inferum: ergo, ſi huic exemplo inſiſtatur, ſanè punctum A circuli inferioris reſpectu puncti A & aliorum circuli ſuperioris proportionem amitterent priſtinam, quod tamen negant aduerſarij: & meritò; nam exinde fieret diruptio, aut certè flexio rotæ: idcirco enim neutra cõtingeret, quieſcente puncto medio globi, dum totus hic circum illud agitatur, quia æquè diſtaret, non obſtante motu, à punctis omnibus circuli ſibi immediati, vt intuenti conſtabit: at certè, dum punctum A inferius amittit priorem proportionem cum puncto A & cæteris circuli ſuperioris, non poterit ab iis æqualiter diſtare: ſiquidem punctum vltimum ſuperiorum plus acquirit per motum de ſpatio ſibi proximo, quam punctum A ſub illo indirectè poſitum: quare neceſſe eſt, vt alterum ab altero magis diſtet, ac porrigatur: ergo &c.

Tertiò tandem alij reſpondent, inſtantia temporis, 25
in quibus fit motus rotæ, & quicunque alius, eſſe etiam inflata extenſáve, aliaque aliis breuiora, aut longiora: itaque, dum mouetur punctum A ſuperioris circuli, totum ſpatium B ſibi proximum, & adæquatum acquiri ab eo per motum; necnon etiam punctum A inferius ſimiliter acquirere per motum ſpatium itidem inferius ſuperiori æquale, & ſibi adæquatum: hinc tamen non fieri, quod vtrunque punctum æquali celeritate moueatur: quia, etſi in quouis inſtanti tantundem ſpatij, vi motus, acquirat de nouo alterum, & alterum, tamen breuius eſt inſtans reſpondens motui vnius, quam motui alterius; pluſque temporis inſumit, in mutando adæquatè loco, id quod eſt ſuperius, quam quod ad inferiorem circulum pertinet.

Sed ne in hac ſolutione plus comperio verisimili- 26
tudinis, quam in præcedentibus: nam quod inſtantia illa inflata, & virtualiter extẽſa, ad quæ recurrit, commentitia omninò ſint, oſtendetur inferius tract. 8. Deinde apertè ex ea ſequitur, non poſſe moueri circulariter rotam, quin eius contingat aut diruptio, aut flexio. Sequela probatur: nam ſi punctum A. ſuperius locum ſuum adæquatum mutat in inſtanti breuiori, quam punctum A. inferius, certè prius tempore acquiret totum ſpatium B. ſibi immediatum, quam ſimile ſpatium acquiratur à puncto A. inferiori, ſuprà quod exiſtit: aut ergò in tempore immediatè ſequenti, quo durat primus motus puncti illius inferioris mouetur punctum ſuperius, aut non? Si prius; ergò ambo puncta mutant priſtinam proportionem: ſiquidem tranſacto tempore immediatè ſequenti, punctum A. inferius eſt in ſpatio B. ſibi proximo, & adæquato; punctum vero A. ſuperius eſt non in ſpatio B. ſibi proximo, quippe quod iam per primum motum acquiſiuit, ſed in ſpatio D. vlteriori: at ſpatium D. ſuperius non eſt directè ſuprà ſpatium B. inferius, ſed ſuprà ſpatium D. haud ergò ambo puncta, de

quibus

quibus loquimur, sunt in locis proportionatis, & quorum vnus sit directè suprà alium, sicut erant in talibus locis ante motum: & sic pristinam proportionem localem amittent, vbi ad flexionem, aut scissionem oportet, & sufficit. Sin autem posterius dicatur; sane euidens est, punctum A. superius quiescere: quid enim est illud quiescere, quam non moueri, dum durat motus puncti A. inferioris? Quies autem, & multiplex morula non potest admitti in motu rotæ sine huius flexione, aut ruptione, vt demonstratum est à nobis supra, citato cap. 3. tract. præcedentis. Et quidem, esto aliqui concesserint, puncta circulorum inferiorum rotæ quiescere, dum mouentur superiora; cæterùm è contrario quiescere, ac identidem morari superiorum circulorum puncta, dum motum subeũt circuli inferiores, adeo est absurdum, ac paradoxum, vt nemo scriptorum, quos legerim, id vnquam asseruerit: at Neoterici, solutione in qua versamur vtentes, id concedunt: absurdissima ergò est solutio, quæ in tam apertam absurditatem, adeoque singularem & inauditum philosophandi modum eos compellit.

Caput IV.

Cæteræ rationes contra posteriorem illum sententiæ superioris defendendæ modum expenduntur.

27 QVanquam demus aduersariis (quod à nobis extorquere non possunt, vt ostensum est cap. præcedenti) rectè scilicet explicari, ac defendi velocitatem, & tarditatem motus localis, admissa inflatione, & extensione virtuali punctorum quoad locum; at quid prodest hæc inflatio, extensióve ad explicandam inæqualitatem, maioremque, aut minorem celeritatem motus alterationis, qua qualitas penes aliquos intensionis gradus producitur? Itaque sic arguo, eo quidem argumenti genere, quod aliis, postea placuisse gaudeo. Motus alterationis, quo lignum v. g ad famam ignis disponitur velocior alio esse potest: at hæc maior velocitas sine infinitudine graduũ caloris, iuxtà eum philosophandi modum, in quo impugnando versamur, explicari non potest: ergo in qualitate intensa infiniti gradus erũt; ac proinde in qualitate etiam extensa, & cõtinua infinitæ partes reales admitti debẽt; nec solũ in qualitate extensa, & continua, sed etiam à paritate rationis in quocumque cõtinuo reali: nullum ergo ex punctis tantũ finitis etiã inflatis, siue tumidis coalescet. Maior argumenti nostri in aperto est: siquidem lignum magno igni approximatum citius, & velocius ad formam ignis disponitur, quam si paruo igni applicetur. Minor probatur; quia maior illa velocitas explicari nequit per morulas, quas plures habeat vna alteratio, quam alia: nec etiam sine morulis explicari potest, si gradus intẽsionis finiti sint: necesse ergo est, vt gradus intensionis infiniti sint, ad hoc vt vna alteratio possit esse velocior, quam alia.

28 Quod per morulas maior velocitas vnius alterationis, quam alterius explicari nequeat, perspicuum videtur. Namque motus alterationis ignis suapte natura continuus est, non minus quam motus localis, vt experimento constat, vtque colligitur ex Gregorio Thaumaturgo in disp. de anima, vbi sic inquit; *nam ignis, quamdiu est, nunquam motum intermittit*: at motus localis nullis morulis interrumpitur, aut discontinuatur, vt suprà ostensum est, & ab aduersariis non negatur: idem igitur de motu alterationis dicendum est. Rursus, vt iamiam constabit, motus alterationis velocior, & velocior in infinitum syncathegorematicè esse potest. intrà certum temporis spatium: si ergo hæc maior velocitas in infinitum syncathegorematicè per morulas explicanda est; necesse erit, vt intrà certum temporis interuallum, horæ v. g. morulæ syncathegorematicè infinitæ possibiles sint, ac proinde vt tempus illud partes, non tot quin plures, siue infinitas contineat, quod tamen ij, quibuscum disceptamus, non admittunt, nec consequenter possunt.

Quod vero sine morulis per gradus intensionis 29
solum finitos ea maior velocitas vnius alterationis quam alterius inexplicabilis sit, facilè suadetur: quia motus alterationis intra spatium horæ v. g. potest esse velocior in infinitum syncathegorematicè, idque naturaliter, & circumscripto quouis miraculo: siquidem quo propinquior est ignis ligno, eo velocius illud alterat, atque disponit ad suam formam intrà spatium illud horæ: at ignis potest magis, & magis in infinitum appropinquari ligno, quin ei immediatè accedat contiguúsve sit, nimirum ob infinitudinem spatij imaginarij, quam aduersarij admittunt: qua ratione punctum aliquod mobile, iuxtà ipsos, potest in quouis instanti plus, & plus in infinitum adquirere de puncto imaginario extenso, quin tamen illud totum in vnico adquirat instanti: quæ cum ita sint, negari nequit, quin, vt dictum est, alteratio vnius horæ possit esse magis, & magis velox in infinitum syncathegorematicè.

Tum sic: velocitas hæc, sine fine maior, & maior 30
possibilis, explicari nequit. per hoc quod quouis instanti plures partes spatij de nouo adquirantur, & pauciores de antiquo conseruentur; cum motus alterationis non sit motus localis, nec qualitatem de loco in locum transferat, sed potius eam in eodem loco replicet, & ingeminet: nec etiam explicari potest per morulas, vt paulò superius ostensum est: neque item per finitos gradus intensionis, qui per vnam alterationem plures quam per aliã singulis vnius horæ instantibus producantur in subiecto: sic enim excessus velocitatis in alterãdo, naturaliter possibilis intrà spatium horæ, finitus esset, & in infinitũ maior, & maior esse non posset: quo pacto, si partes loci sint finitæ, motus localis, iuxtà aduersarios, velocior, & velocior in infinitum naturaliter esse nequit: ergo vt motus alterationis intra spatium vnius horæ possit esse velocior, & velocior in infinitum, opus est, vt gradus caloris in subiecto producibiles spatio vnius horæ syncathegorematicè infiniti sint; ita vt vnam alterationem alia in infinitum syncathegorematicè velociorem esse posse sit plures gradus in infinitum ab vna quam ab alia intra spatium horæ v. g. posse produci. At, si intensio constaret ex gradibus finitis, daretur, iuxtà aduersarios, certus numerus graduum, quem vltra non posset ignis naturaliter maiorem producere, præsertim intrà spatium horæ: sicut etiam, experientia teste, extensio caloris v. g. naturaliter ab igne producibilis est finita, & in aduersariorum principiis certo numero graduum constat, nec eam potest excedere: nequit ergò intensio caloris constare gradibus infinitis, sed potius complectitur actu infinitos: alioqui, vt dictum est, haud poterit alteratio, qua calefit lignum ab igne, esse velocior, & velocior in infinitum, eo genere velocitatis, cuius excessus positus sit in possibilitate producendi naturaliter plures, & plures sine fine gradus caloris, intrà certum temporis interuallum.

Ad hoc argumentum, posteaquam est à me propo- 31
situm, video varios variè respondere. Aliqui primò respondent, motum alterationis intrà spatium horæ

v. g.

v.g. non poſſe eſſe naturaliter velociorem, & velociorem in infinitum, ſicut ad pluralitatem infinitam graduum intenſionis inferendam oportet: quia, inquiunt, licet inter ignem, & lignum in parua aliqua diſtantia poſitum ſint infinita ſpatia minima, & præparuitate ſua imperceptibilia, non tamen infinita grandiuſcula, ac ſenſibus noſtris perceptibilia: alterationem autem intenſiuam eſſe velociorem, tantum pro maiori propinquitate agentis, & paſſi penes ſpatium perceptibile, non verò minimum & imperceptibile: quare, cum penes prius illud ſpatium haud poſſit ignis magis, & magis in infinitum ligno appropinquare, mirum non eſſe, quod velocitas ignis in alterando non poſſit intra terminos vnius horæ v. g. eſſe maior, & maior in infinitum.

32 Contra tamen ſic inſurgo: quo magis perceptibiliter appropinquat ignis ligno, eo maiori velocitate perceptibili illud calefacit, alteratque: ergo etiam quo magis ad illud imperceptibiliter accedit, in eúſve vicinio ſe ponit, aut extrinſecus ponitur, eo maiori velocitate ſaltem imperceptibili illud alterat, ac calidum reddit: atqui propinquitas, ſeu vicinitas imperceptibilis ignis, & ligni, iuxtà eos quibuſcum diſputamus, eſſe poteſt maior, & maior in infinitum, citrà vtriuſque contiguitatem: ergo & velocitas ignis in ligno alterando, ſaltem à nobis non perceptibilis noſtroſque tranſuolans ſenſus, eſſe poteſt ex natura rei maior, & maior in infinitum: quod ſine naturali poſſibilitate infinitorum graduum caloris, cum eorumdem actuali exiſtentia, iuxtà ſuperius dicta, cohærente, nullatenus poteſt defendi, imò nec percipi.

33 Adiſce, nihil aut inter philoſophos communius, aut ſponte ſua certius, quam agentia naturalia agere vniformiter difformiter, hoc eſt citius in parte propinquiori paſſi, quam in remotiori; idque, ſiuè pars propinquior ſit perceptibilis ratione ſuæ molis ac magnitudinis, ſiue imperceptibilis ſuam propter exiguitatem: tum, quia abſque vlla moderatione loquuntur Authores: tum etiam, quia quò minus pars propinquior etiam imperceptibilis poſſit citius quam remotior alterari, nec deeſt in agente virtus, vt perſpicuum eſt, & à nemine negatur, nec etiam in paſſo nimirum in ipſa parte propinquiori capacitas: quidni enim pars imperceptibilis ligni v.gr. ſit capax caloris etiam imperceptibilis recipiendi, pro aliquo tempore quo pars alia ab agente diſtantior non poſſit eum recipere? atque, vt vna capacitatem habet, ad id vt ſit prior loco quam alia reſpectu agentis, cur non etiam eam habeat, ad hoc vt ſit prior tempore, quo ad receptionem alicuius imperceptibilis gradus ab eodem agente? Tum ſic: ignis citius agit in parte paſſi minus diſtanti, quam in magis diſtanti; eſto vtraque pars, atque adeò maior vtriuſque, ac minor diſtantia ſit imperceptibilis: ergo etiam ignis citius aget in vna eademque parte ligni, aut alterius paſſi, ſi ab ea minus etiam imperceptibiliter diſtet, quam ſi magis ab ea ponatur diſtare: nec niſi ad libidinem ab aduerſariis contrarium fingitur.

34 Alij eorum ſecundo reſpondent ad noſtrum argumentum, alterationem, qua v. gr. lignum calefit ab igne eſſe poſſe, pro maiori, & maiori vtriuſque propinquitate in infinitum poſſibili, velociorem, velocioremque ſine fine intra ſpatium vnius horæ: non tamen eò quod morulis interrumpatur vllis, nedum innumerabilibus: nec eo quod plures, & plures in infinitum caloris gradus poſſit ignis in ligno naturaliter producere: ſed quod breuiora, minuſque extenſa virtualiter eſſe poſſint in infinitum inſtantia temporis, in quibus finitos caloris gradus in eo valet producere, prout minus ab eo diſtans fuerit, quam inſtantia, in quibus illud calefacit, prout ab eo magis diſtans, ac remotus: poſſe autem inſtantia temporis, non excedentia ſpatium horæ, eſſe breuiora, & breuiora in infinitum, rectè intelligi; hoc ipſo quod inſtantia ſiue momenta tempus conſtituentia ponantur ita quidem phyſicè indiuiſibilia, atque finita, vt ſint Mathematicè, ac virtualiter extenſa in infinitum, ad inſtar punctorum, quibus conſtituitur continuum permanens.

Hæc tamen ſolutio in ſimili reiecta eſt à nobis cap. 35
ſuperiori: neque, quantum arbitror, operoſa indiget impugnatione. Siquidem inſtantia temporis extenſa, quæ aſſumit, nulla dantur de facto, vt demonſtrabitur à nobis infrà tract. octauo: & præterea in morulas, quas tantopere reiicit, vel inuita relabitur: namquè, ſi inſtans, in quo per alterationem minus velocem, magiſque tardam producitur gradus aliquis caloris, eſt longius atque extenſius, quam inſtans, in quo alteratio velocior calefacit; fieri certè non poteſt, quin ignis minus velociter alterans, & calefaciens quieſcat, toto eo tempore imaginario, quo prædictorum inſtantium realium vnum longitudine excedit aliud: quid enim eſt agens aliquod quieſcere, quam aliquo ſpatio temporis imaginarij nihil agere? Et quidem omne inſtans alterationis minus velocis excedit, iuxtà aduerſarios, quodlibet inſtans alterationis magis velocis; & ei exceſſui nulla actio alteratiua reſpondet, diſtincta ab ea, qua iam ſupponitur producta qualitas pro priori parte temporis imaginarij, penes quam inſtans reale longius æquatur à breuiori: ergo pro omnibus omninò inſtantibus alteratio minus velox, aut potius agens per eam alterans, quieſcit, ac morulas texit: quo quid magis ridiculum?

Tertiò reſpondebit fortaſſè nonnemo, vt qualita- 36
tis extenſæ, & cuiuſuis extenſionis continuæ puncta ponuntur extenſa quoad locum, ita iam gradus qualitatis intenſæ per alterationem productæ ponendos eſſe extenſos quoad perfectionem, ac penes eam virtualiter diuiſibiles, & inæquales, vtvt ſint numericè indiuiſibiles, ac finiti: proindè aſſignatis quibuſuis ſex gradibus caloris v. g poſſibiles infrà illos eſſe alios ſex minus perfectos, & infrà hos, alios ſex minus etiam perfectos, & ſic abſque fine: cum ergo nullus gradus ſit minus perfectus, niſi comparatione alterius magis perfecti, ſanè poſſibiles eſſe gradus ſex caloris perfectiores, & perfectiores in infinitum, ad modum quo dici ſolet, infrà hominem vſque ad formicam, aut certè vltra illam infinitas ſpecies inæquales animalium: itaque motum alterationis, quo producuntur ab igne in certa diſtantia ſex gradus caloris, poſſe eſſe velociorem, & velociorem ſine fine, intra ſpatium vnius horæ, prout nimirum magis, & magis appropinquare poteſt ignis ligno: non quod in hoc poſſint naturaliter ab illo intrà præfatum temporis interuallum produci plures, & plures gradus caloris in infinitum, hoc eſt ſex in tanta diſtantia, octo in minori diſtantia, decem in alia aliquantulum minori, & ſic abſque fine: ſed quod in prima diſtantia aſſignata poſſit ignis producere in ligno tales ſex gradus caloris, & in ſecunda minori alios ſex perfectiores, &, ſi tertio ponatur minus diſtans, alios etiam ſex gradus caloris magis perfectos, & ſic vltrà: quare noſtro argumento haud probari, gradus caloris intenſionem actu conſtituentes eſſe numero infinitos, ſed tantum finitum numerum graduum intenſionis poſſe eſſe entitatiuè perfectiorem, & perfectiorem in infinitum ſyncathegorematicè, ſiue, quod perinde eſt, poſſibilem eſſe intenſionem finitam magis, & magis

perfe

perfectam absque fine: in quo nihil est absurditatis, nihil quod alicui iure possit inuerisimile videri.

37 Plus ego fiderem huic euasioni, quam duabus præcedentibus. Quo minus tamen in ea possim acquiescere, facit in primis, quod gradus intensionis cuiusuis esse posse homogeneos mihi omninò verius videatur; neque non valde probabile, quod tales sint de facto, vt aiunt: frustrà ergò explicatur inæqualis velocitas alterationis intensiuæ, per inæquales, magisve, aut minus perfectos gradus eiusdem qualitatis: frustra inquam; aut in hoc rerum ordine, vbi, vt dictum est, cuiusuis calefactionis v.g. gradus comparati cum gradibus omnis alterius calefactionis fortasse sunt homogenei, & quoad perfectionem æquales: aut saltem in alio rerum ordine, in quo diuersarum, & inæqualium calefactionum gradus haud dubiè possunt esse homogenei, & quoad perfectionem æquales, nec nisi quoad numerum maiorem, aut minorem dispares. Tum etiam eandem euasionem refello, & planè nullam esse ostendo: quia in aduersariorum principiis motus localis horam non excedens potest esse velocior, & velocior in infinitum respectu termini ad quem omnino eiusdem, & in distantia prorsus æquali positi, v.g. intuitu metæ non amplius quam leucæ spatio distantis: pari ergo ratione motus alterationis respectu termini ad quem omninò eiusdem v.g. intensionis vt quatuor talis, tantæque perfectionis, & non amplioris, potest intra durationem horæ esse velocior, & velocior in infinitum: at hæc maior. maiorque velocitas sine fine possibilis haud potest refundi in varietatem illam intensionum vt quatuor, quarum quælibet constet finitis quidem gradibus, sed tamen ita vt nulla sit earum, qua non sit possibilis alia ex ipsismet perfectior, siquidem sermo est de velocitate maiori, & maiori sine fine in ordine ad vnam, eandemque intensionem caloris: reuocari ergò tantum potest, ac debet ad hoc solum, quod intensio omnis vt quatuor, non quatuor numero gradibus pluribusue finitis constet, vt putant contrarij. sed potius infinitis cathegorematice, ac tot quidem, vt nullatenus possint numerari.

38 Superiori argumento à responsionibus contrariis vindicato aliud breuius, sed tamen non minus efficax, adiicio. Iuxtà contrariam sententiam nullum corpus omnino opacum erit, sed potius omne diaphanum existet aliqua sui parte: siquidem corpus omne quantumuis opacum, atque vmbrosum suscipit lucem saltem in extimis suis punctis: at hæc versus profunditatem extensa sunt, iuxtà aduersarios: in eorum ergò principiis & opinandi modo corpus omne quantalibet opacitate præditum lucem tamen versus profunditatem suscipiet: atque adeo aliqua sui parte diaphanum, ac pellucidum non poterit non esse. Nihil video, quod responderi possit huic argumento, nisi corpus opacum, v.g. lignum, non suscipere lucem in extimis suis punctis, quatenus ea sunt extensa infinitè, aut prout spatio infinitæ extensionis, & profunditatis respondent, sed tantum quatenus sunt in superficie locali, & imaginaria, omnino indiuisibili, & versus profundum non extensa: haud secus ac lux cognitionis intellectiuæ est in anima nostra, prout hæc est in cerebro, non tamen quatenus est in reliquo corpore: quæ cum ita sint, lignum v.g. esse posse omninò opacum, & nullatenus diaphanum: paremque esse rationem aliorum plurium corporum.

39 Verum hæc doctrina in eo deficit, quod supponat, spatium imaginarium, respondens cuiuis puncto tumido, constare ex infinitis punctis localibus non tumidis, aut extensis, sed potius omninò indiuisibilibus: atque, vt in præfato spatio imaginario dantur puncta omninò indiuisibilia, sic etiam dari superficies locales indiuisibiles, & quoad profunditatem nullatenus extensas; vt nimirum in ordine ad illas explicetur opacitas corporum luce affusorum: at, tract. præcedenti ad eius finem, eiusmodi compositionem spatij imaginarij ex infinitis indiuisibilibus falsitatis euicimus: quare non nisi ex vano ea vti possunt impræsentiarum aduersarij: Rursus inintelligibile mihi videtur omninóque impossibile, punctum, siue gradum lucis non occupare totum spatium puncti substantialis cui inhæret, eique nõ coextendi: quid magis friuoum, quam indiuisibile reale lucis esse posse in indiuisibilis spatio loci, & in eo non esse, sed in spatio infinitè diuisibili indiuisibile substantiale corporis luce illusi, atque irradiati? ergo lux non est in extimis punctis corporis opaci, quatenus præcisè occupant indiuisibilia spatij imaginarij, sed quatenus eius profunditatem aliquam implent. Nec obest exemplum lucis intentionalis, & intellectiuæ: quippe quæ, tametsi sit in solo cerebro, haud tamen est propterea minus extensa quoad locum, quam subiectum suum saltem mediatum, nempe cerebrum ipsum, sed tantumdem, vt expendenti constabit.

Præterea etiam efficacissimè refello contrariam 40
sententiam, vt posteriori magisque recepto modo propositam, & explicatam. Quia ex ea sequeretur, vnum punctum tumidum, siue inflatum esse finitum vtrinque v.g. versus Orientem, & Occidentem: & aliunde illud non posse non esse vtrinque extensum in immensum, totoque huius vniuersi ambitu infinitè longius. Sequela quoad priorem partem sensu, & experientia liquet, nec ab vllo sanæ mentis potest negari. Quoad posteriorem autem partem probatur eadem sequela: quia aduersarij omnes communiter docent, continuum omne futurum extensionis infinitæ formaliter, & versus maximum, si, pro eo ac docuit Aristoteles, haberet infinitas partes formaliter, actuque distinctas: ergo, si in spatio puncti alicuius inflati producerentur per possibile, vel impossibile infinitæ vbicationes minores, & minores, atque inter se penetrarentur: haud dubiè extensionem facerent immensam versus quaslibet mundi partes, ac polos, nullisque finibus possent circunscribi, aut carcerari: at vbicatio illius puncti tumidi, hocue ipsum, prout per eam vbicatum, æquiualet localiter omnibus illis vbicationibus, nec nisi earum occupat spatium: eandem ergo extensionem interminatam habeat necesse est: fieri enim nequit, quin ea, quæ quoad locum, aut tempus æquiualent, eandem sortiantur extensionem localem, ac temporalem: quo pacto, si Petrus existeret ab æterno per infinitas durationes successiuas, & Paulus per vnam, & indiuisibilem; sanè duratio Pauli, quamuis vna, tam æterna, & infinitè protensa esset, ac collectio infinitarum durationum Petri: nimirum, quia vnitas illa huic collectioni, ac pluralitati æquipolleret, eiusque pondus, & instar haberet. Itaque aduersarij nostri Aristotelem impugnantes hærent in eadem salebra; & quam ex Aristotelica, & nostra sententia contendunt sequi extensionem infinitam versus maximum, eandem fateantur necesse est ipsimet dari, vel in quolibet puncto inflato cuiusuis continui realis.

At dicent, euentum esse impossibilem, ac repugnare, vt vbicationes illæ minores, & minores, in infinitum syncathegorematice possibiles, simul producantur. Verum quid inde? certè ad nostrum argumentum satis est, quod si per impossibile producerentur, re vera facerent iuxtà aduersarios extensionem quan-

dam

dam ſummam, & illimitatam: hinc enim fiet, modò vnum punctum tumidum, ſiue inflatum, eiuſque vbicationem totalem, in infinitum verſus maximum non poſſe non protendi; quippe quod illis omnibus, ſi ſaltem per impoſſibile darentur, æquipolleret. Declaratur: ſi darentur à parte ante tot durationes animæ Petri v. g. quot ſunt durationes eius futuræ à parte poſt; ſanè durationes eiuſdem animæ à parte ante eſſent infinitæ cathegorematice: verumque eſſet, eam animam tamdiu duraſſe ab æterno quamdiu Deus ipſe durauit: ſicut ergo collectio durationum illarum à parte ante nequiret non eſſe cathegorematicè infinita, ob æquialentiam reſpectu durationum ſyncathegorematicè tantum infinitarum, & de quibus nunquam verum eſſet dicere, nunc ſunt, aut nunc præterierunt, fuerúntve omnes: ita ſimiliter punctum inflatum, hoc ipſo quod æquialet vbicationibus minoribus, & minoribus ſine fine, & ſi non ſimul poſſibilibus, nec cathegorematice ſed ſyncathegorematicè infinitis, nequibit non eſſe extenſionis cathegorematicè, & verſus maximum infinitæ quoad locum.

42 Declaratur iterum: quod non poſſint ſimul produci, aut penetrari vbicationes illæ minores, & minores in infinitum, non tollit, quo minus iis omnibus, earumque extenſioni dicatur vnicum punctum tumidum, cuius ſpatium reſpiciunt, æquialere: ergo non tollet, quominus tale punctum habeat extenſionem immenſam & abſque fine protenſam, ſicut tales vbicationes protenderentur, ſi ſimul exiſterent, ac eſſent penetratæ. Conſequentia videtur bona. Probatur antecedens: quia Deus ſuperat perfectione collectionem creaturarum omnium poſſibilium, tametſi hæ, præſertim iuxtà aduerſarios, non poſſint ſimul exiſtere: ergo ad relationem exceſſus inter vnum extremum, & alia plura haud opus eſt, quod hæc ſimul exiſtere poſſint: ſimiliter ergo ad relationem æqualitatis, aut æquialentiæ inter aliquod extremum, & alia plura, nequaquam requiretur horum ad ſimul exiſtendum poſſibilitas, ſiue aptitudo: & ſic, licet vbicationes infinitæ, de quibus loquimur, non poſſint ſimul exiſtere, nihilominus iis poterit vnum quoddam punctum tumidum quoad extenſionem localem æquialere.

43 Dicent fortaſſe ſecundò aduerſarij, ſi punctum tumidum æquialeret infinitis vbicationibus maioribus, & maioribus, haud dubiè futurum illud extenſum quoad locum, non finitè, ſed infinitè verſus maximum, ſiue in immenſum: at præfatum punctum non æquialere vbicationibus maioribus, & maioribus, ſed minoribus ſine fine: proinde illud non eſſe extenſionis cathegorematicè, ac verſus maximum infinitæ, ſed potius omninò finitæ. Contra tamen in primis eſt, quod Ariſtotelici eadem ratione dicere poſſunt, nullam extenſionem infinitam verſus maximum ſequi ex infinitate proportionali partium continui: quia nimirum, inquient, partes illæ infinitæ, inter ſe realiter diſtinctæ, proportionales ſunt, adeoque minores, & minores ſine fine, non verò maiores. Contra ſecundò eſt, quod euitare nequeunt aduerſarij, quin punctum quoduis tumidum æquialeat vbicationibus aliquo modo maioribus, & maioribus ſine fine: nulla ſiquidem vbicatio eſt minor, quæ non ſit maior alia ſe minori: infinitæ ergo vbicationes minores, ſunt re vera maiores, reſpectu aliarum minorum: ergo punctum tumidum æquialens infinitis minoribus, eo ipſo infinitis maioribus, ac excedentibus alias æquialebit: erit ergo, in aduerſariorum principiis, infinitæ extenſionis verſus maximum.

44 Dicent denique aduerſarij, & eodem redit, vbicationes illas infinitas, quibus pũctum tumidum, vt tum datur eſt, & localiter extenſũ, æquialet, eius eſſe conditionis, & naturæ, vt, ſi ſimul eſſent exiſtentes, haud eſſent aliæ extra alias, ſed potius aliæ in aliis incluſæ, & cum aliis penetratæ; cum interim partes infinitæ, quales Ariſtotelici adſtruimus, haud penetrentur inuicem, ſed aliæ omninò ſint extra alias: atqui magis extenduntur, per ſe loquendo, partes non penetratæ, quam quæ mutuò penetrantur: nil mirum ergo eſt, ex infinitate partium ab Ariſtotele aſſerta ſequi infinitam extenſionem verſus maximum; & tamen non fore, vt ea ſequeretur ex infinitis vbicationibus, de quibus eſt ſermo: quando eæ non facerent extenſionem infinitam verſus maximum, quorſum eam faciat, fortiatúrve de facto, punctum tumidum iis æquipollens?

Sed ne hoc effugium prodeſt aduerſariis. Nam 45
vbicationes illæ infinitæ, inter ſe inæquales, ac ſine fine decreſcentes, quoad extenſionem localem, non penetrarentur adæquatè, ſed inadæquatè: nullaque earum eſt, quæ ſaltem partialiter, & quoad aliquod ſpatij imaginarij non ſit extra aliam ſe minorem: quidni ergò hoc ad extenſionem quoad locum infinitam verſus maximum in illis ſufficeret, ac modò in puncto tumido iis æquialenti ſufficiat? vbi ſemel talis extenſio in continuo Ariſtotelico ſequatur; eo vel maxime, quod non pauci Ariſtotelici doceant, ex partibus infinitis continui, eas, quæ maiores ſunt, includere, ac ſecum inadæquatè penetrare minores, & ob id partium communicantium nomen obtinere. Deinde, & quidem niſi fallor vrgentiſſimè: ſi exiſterent ſimul vbicationes, de quibus loquimur, penetrarentur inter ſe inadæquatè, non tamen adæquatè: quæuis ergò earum eſſet extrà aliam inadæquatè, & quoad aliquod ſpatium eam excederet: ſed id ſpatij, in quo vna vbicatio excederet aliam, eſſet adæquatè diſtinctum a ſpatio alterius, & cum eo non penetratum: ergo in ſpatio totali infinitarum illarum vbicationem darentur infinita ſpatia exigua, inter ſe adæquatè diſtincta, & neutiquam penetrata: ergò poſſet Deus in illis infinitas vbicationes extenſas, nullatenus penetratas, ſed extra ſe inuicem adæquatè poſitas producere: punctum autem tumidum iis omnibus modò æquipollet: cur ergo non ſit extenſum infinitè verſus maximum? quominus enim tale ſit, haud poteſt euitari per æquialentiam ad infinitas vbicationes extenſas, quæ tantum ſint inadæquatè extra ſe; quod enim etiam æquialeat infinitis adæquatè extra ſe poſitis, & nulla ratione penetratis, iamiam demonſtratum manet.

Ad hæc principaliter argumentor, hunc in mo- 46
dum: corpus non occupat perfectius locum, quam forma materialis occupat materiam imò è conuerſo videtur ſe res habere: at forma materialis, ſaltem aliqua, non occupat per vnam ſui partem plures materiæ partes, ſed parti materiæ pars formæ correſpondet: ergo etiam corpus non occupat per vnam ſui partem, vnumve indiuiſibile punctum, plures loci partes, ne dum infinitas. Poſtremò non diſplicet in præſenti commune argumentum: namque in re omninò indiuiſibili haud poteſt intelligi, quod occupet locum diuiſibilem. & extenſum ſine aliqua immaterialitate, & veſtigio ſaltem ſpiritualitatis: quare in Angelo, & animo rationali, quod ſint indiuiſibiliter in locis diuiſibilibus, & ſine partibus, quibus conſtent, loci tamen partes impleant. perfectio quædam eſt eximia, qua ſuperant omnes ſubſtantias materiales completas; adeoque modus ille exiſtendi in loco iis conuenit, propterea quod ſint ſpiritus completi,

in

in eorumque immaterialitate fundatur : quin etiam, si forma equi verbi gratia, aut alia id genus partibus caret, quod sine vllis in se partibus locum partibilem, & extensum occupet, aliquod in ea vestigium, ac veluti vmbram quandam immaterialitatis arguet : atqui punctum quoduis materiæ primæ de facto à Deo productæ est, vel juxtà aduersarios, omninò materiale, ac ne minimum habet vestigium immaterialitatis ; aliàs non creasset Deus vllam creaturam omninò materialem : quomodò ergo potest punctum vllum materiæ, indiuisibile in se existens, non solum plures, sed infinitas loci partes occupare?

TRACTATVS VII.

An corpus naturale partibus infinitis, ac versus minimum semper diuisibilibus continuetur ?

CAPVT PRIMVM.

Affirmans sententia eligitur, & explicatur.

1. Censeo in quouis corpore naturali duplicis generis esse partes integrales, siue continuatiuas. Aliæ namque sunt determinatæ, eo quod terminum finemue habeant, & numero finitæ, & terminatæ sint : vt verbi gratia vlna, cubitus, palmus, &c. Nisi enim homo octo verbi gratia, aut decem palmorum magnitudinem, aliámue similem sibi vendicaret, certè in immensum excresceret. Aliæ verò sunt indeterminatæ proportionales, inæquales, & communicantes, quæ quidem infinitæ sunt, & non tot quin plures. Appellantur indeterminatæ ; non quia à Deo signabiles, siue determinabiles non sunt, vt perperam nonnulli arguunt, sed quia nullum paruitatis terminum, finemuè habent, seu quia nullo nostro sensu determinari possunt, vel discerni, quæ est earum, quoad extensionem, & molem, exiguitas.

2. Proportionales etiam eadem ratione appellantur ; quia nimirum seruata proportione minoris, & minoris in infinitum diuidi possunt, quin vnquam deuenire sit ad partem earum minimam, & vlterioris diuisionis incapacem. Rursus inæquales appellantur : non quia absolutè æquales non sint, vt male contrà nos aliqui disputant : siquidem palmus verbi gratia in duas medietates æquales, in quatuor medietates eadem ratione æquales, in octo medietates, &c. dissecari potest : nullusque partium æqualium numerus in palmo assignari potest, quin alius in eo maior sit assignabilis. Inæquales ergò respectiuè tantum sunt, & appellantur : videlicet quia, si comparentur minores cum majoribus, in quibus contentæ sunt, iis inæquales haud dubiè euadent : omnis enim pars toti suo est inæqualis : aut etiam dicuntur inæquales, quia non habent æqualitatem sensibilem, à nobisque, naturaliter, ac dum sumus in corpore, discerni aptam.

3. Quamquam autem partes infinitè diuisibiles, vt nuper explicatas, in continuo admittam, haud tamen eas solas, sed insuper indiuisibilia infinita, nimirum puncta, lineas & superficies, pro eo ac exposui supra *tract. 4. cap. 3. & 4.* De quibus inter Peripateticos nostros concertari solet, an sint infinita simpliciter, vel potius secundum quid? aliique ea secundum quid duntaxat infinita contendunt, haud secus ac ipsæ partes infinitatem habent tantum secundum quid talem : alij vero ea infinita simpliciter malunt : ideo enim, inquiunt, partes sunt infinitæ non simpliciter, sed secundum quid, quia communicantes sunt, & indeterminatæ : at puncta communicantia, & indeterminata non sunt, cùm vnum punctum in alio, more vnius partis contentæ in alia, non contineatur ; punctumque etiam termino paruitatis, quo pars destituta est, minime destituatur.

4. Verùm perperam ab vtrisque supponitur, partes esse infinitas tantum secundum quid : quantitas enim partium duplex est : alia discreta, & Arithmetica ; alia vero continua, & Geometrica, siue, vt alij loquuntur, Mathematica : prior quidem quantitas est infinita simpliciter, cum numerus partium omni termino fineque careat, maximusque assignari non possit : posterior verò non est infinita simpliciter, eo quod extensio partium termino fineque non destituatur, sed potius maxima assignari possit, & debeat. Hinc ergo ad indiuisibilia progredior : quantitas discreta indiuisibilium infinita simpliciter est : & in hoc ea cum partibus proportionalibus conueniunt : quantitas tamen continua indiuisibilium, non quam inuicem & inter se immediatè faciunt, sed quam terminant, aut copulant, vel, quod verius est, quam cum partibus efficiunt ; quantitas, inquam, continua eorum simpliciter finita est, eo quod ad infinitam extensionem, & magnitudinem nunquam excrescant : atque in hoc etiam à partibus non discrepant : quare etsi infinita puncta verbi gratia non sint communicantia, & indeterminata, nisi ad summum per denominationem extrinsecam à partibus quibus cohibentur, adhuc Geometricè & in ordine ad extensionem localem simpliciter finita esse, ac dici poterunt.

5. Porrò continuum, quamuis non habeat partes infinitas actu penes extensionem localem, & Geometricam, eas tamen in potentia sortitur : quia, vt demonstrant Euclides, & Mathematici, etsi triangulus quoad omnia latera longitudinem finitam habeat ; at longitudinem infinitam habere potest, hoc est non tantam, quin aliam possit maiorem sortiri : cum super eadem basi, & in iisdem parallelis in infinitum syncathegorematicè protendi queat versus orientem, aut occidentem. Quod si longitudo partium trianguli non sumatur, versus polum aliquem fixum mundi, sed de ea sermo sit, quatenus veluti in gyrum conuoluitur, ita certè ea non solum in potentia, verùm etiam actu infinita censenda est : aliàs magis, & magis in infinitum dirigi, siue in actum protendi non posset. Quod de triangulo dixi, id de parallelogrammo dictum puta : & quod de vtroque dictum est, idem dicendum existima de corpore quouis solido ; quippe quod, quantumuis paruum sit, in infinitum longitudinem tenuari sustinet. Recole quæ superius disseruimus *tract. 9. cap. 5. ad eius finem.*

CAPVT II.

Verior sententia superius proposita authoritate probatur.

6. IN omni corpore naturali, atque continuo partes infinitas esse, ac tot quidem, vt, quantumuis diuidantur, possint amplius semper diuidi, pro eo ac cap. præcedenti statuimus, & explicuimus, docent in primis Aristoteles lib. 6. Phys. cap. 1. & 2. & alibi sæpè, atque cum eo omnes Peripatetici. In eadem sententia fuerunt olim Zeno Citticus & Stoici eius assecłæ, vt testantur Lipsius in physiologia lib. 2. dissert. 2. & Laërtius in Zenonis vita. Eam etiam opinionem secutus est Empedocles, vt præter alios testatur Lambinus in commentariis in Lucretium lib. 1. de natura rerum fol. mihi 59. Quid plura? idem opinati sunt omnes Philosophi antiqui, exceptis Leucippo, Democrito, & Epicuro, eiusque gregalibus.

7. Quod enim aliqui, atque inter eos noster Balthasar Tellez, putant, Platonem ex indiuisibilibus finitis, non verò ex partibus sine fine diuiduis continuum constitui, id & à nobis reiectum est suprà tract. 5. cap. 6. & vlterius falsitatis euincitur ipsismet tanti Philosophi verbis in medium productis: nam in Parmenide sic inquit: *Propterea vnum ens vnumquodamodo est, & multa, totumque & partes, necnon finitum & multitudine infinitum.* En docet, ens vnum, atque continuum cum finitate sua, quoad extensionem, & magnitudinem, habere coniunctam infinitam partium multitudinem. Idem in eodem Parmenide paulò inferius significat in hæc verba: *Præterea, si totum est principium, mediumque, & finem habebit: num totum aliquid absque iis tribus reperiri potest?* At si non ex partibus in infinitum secabilibus, sed ex punctis finitis iuxta eum constaret continuum, sanè falsum esset vt quod maximè, omne totum constare debere principio, medio, & fine: quomodo enim ex iis posset, nedum deberet constare totum continuatiuum duo dumtaxat puncta, & non plura includens? Huc faciunt, quæ ibidem subjicit, videlicet: *Nónne multitudines, sunt in quibus non inest vnum? multitudines certè. Quod si velimus intelligentia ipsa ex iis aliquid quam minimum excerpere, annon necesse erit illud extractum, vtpote quod vnius est expers, multitudinem esse, non vnum? necesse. Nonne tibi semper si consideranti ipsam secundum se ipsam alteram speciei naturam, quantumcumque illius inspexeris, infinitum multitudine semper ocurret? Et maximè quidem.* Quasi dicat ex partibus continui nullam extrahi posse minimam, quæue non habeat in se alias infinitas minores, in quas possit vlterius dissecari. Neque non affinia sunt, quæ in eodem lib. sic fatur infrà: *Itaque aliis, quam vni contingit ex ipso vno, & ex se ipsis iam in vno communicantibus alterum quiddam in ipsis fieri, quod quidem terminum inuicem præbuit, natura autem illorum secundum se ipsam, infinitatem. Manifestum est. In hunc itaque modum, alia quam vnum, tum tota, tum etiam secundum particulas, & infinitas sunt, & termino quodam participant.* Ac tandem in Philebo ad infinitatem proportionalem continui cum absoluta finitudine, atque terminatione coniunctam sic respicit, ibi: *Etenim prisci nobis præstantiores, Diisque propinquiores hæc nobis oracula tradiderunt, quod cum ex vno, & multis constent vniuersa, quæ semper esse dicuntur, terminumque, & infinitum innatum habeant; oportet nos his ita ordinatis, vnam semper ideam in vno quolibet generatim ponentes inquirere.* Pende particulam illam, *terminúmque, & infinitum innatum habeant.* Platonem sequuntur omnes eius discipuli, ac præsertim Cicero lib. 1. academ quæst. ante medium vbi post multa concludit hunc in modum: *Cum sit nihil omninò in rerum natura* (siuè partibus vllius corporis naturalis continuè compositi) *minimum, quod diuidi nequeat.* Qui etiam id ipsum docet lib. 1. de finibus ibi: *Ne illud quidem Physici est, credere aliquid esse minimum, quod profectò nunquam putauisset* (supple Epicurus) *si à Polyeno familiari suo Geometriam discere maluisset, quàm illam etiam ipsum dedocere.* Hactenus Cicero.

8. Et verò non solùm Philosophi Christo Domino antiquiores, verum etiam superiorem ætatum Christiani ferè omnes scriptores, necnon etiam plerique recentiores continuum ex partibus sine fine diuisibilibus componi docent. Eam diuisibilitatem infinitam partium continui adeò amplectuntur Okamus, Gabriel, Gregorius, & communiter Nominales, vt omnia indiuisibilia de medio tollant. Diuisibilitati illi adeo inhærent cum B. Thoma Thomistæ, & cum Scoto Scotistæ, vt vix sit ex vtraq; familia, qui eam neget. Eandem etiam tuentur è nostra Societate Suarez, Vasquez, Toletus, Pereira, & excepto Tellezio, pauciſque aliis cæteri passim omnes. Qui autem scire voluerit, quantum debeat ea sententia Philosophiæ, postquam hæc Christiana fieri capta est, is videat ingentem Christianorum Authorum seriem, quam pro ea refert eruditissimus noster Bartholom. Amicus in Phys. tract. 15. q. 6. dub. 5.

9. Scio de B. Thoma, cuius authoritas tanti est, litem nobis intentare Patrem Tellez nuper citatum disp. 35. Phys. sect. 2. num. 7. ad finem, vbi expressè ait, Angelicum præceptorem, iis locis quibus nobis fauere videtur, explicari posse de solo corpore sensibili & Physico; quasi hoc semper plurium diuisionum capax esse, nec nisi cum præ exiguitate sua sensibile esse desinit, earum incapax censeat: non vero de corpore Mathematico, ac minime sensibili, sed tantum intelligibili: hoc enim, iuxta B. Thomam, diuisionis finem posse, & debere sortiri. Mirror hæc à nostro sapientissimo Tellezio dici; cùm potiùs Angelicus præceptor diuisibilitatem, de qua loquitur, assignet corpori Mathematico, contrà verò naturali siue Physico, & sensibili eam neget, & quidem adeo manifestè, vt nihil supra. En eius verba in 2. sent. dist. 30. q. 2. art. 2. corp. ibi: *Dicitur corpus Mathematicum, corpus consideratum secundum dimensiones quantitatiuas tantum: & hoc est corpus in genere quantitatis. Hoc enim in infinitum diuidi potest, quia in ratione quantitatis continuæ non est aliquid, quod diuisioni repugnet. Corpus autem naturale dicitur, quod consideratur secundum aliquam determinatam speciem, & virtutem: & hoc non potest diuidi in infinitum, quia quælibet species determinatam quantitatem requirit, & in plus, & in minus, sicut dicitur in 2. de Anima. Omnium natura constantium positus est terminus, & ratio magnitudinis, & augmenti: & ideo est inuenire minimam aquam, & minimam carnem, vt dicitur in 1. Physic. quæ si diuidatur, non*

erit

erit vlterius aqua, & caro. Constat autem quòd corpus humanum naturale corpus est, vnde in infinita diuidi non potest, vt in infinitum generatio duret. Hęc Angelicus præceptor; ex quibus patet, eum, non differentiam à P. Tellezio existimatam, sed aliam contradictoriè oppositam assignasse inter corpus sensibile, & Mathematicum, quod attinet ad vtriusque diuisibilitatem. Confirmatur: B. Thomas non solùm vbi proximè supra, sed etiam lib. 6. Phys. cap. 1. & 2. & 1. p. q. 48 art. 4. & 1. 2. q. 85. art. 2. & 3. contra gentes cap. 12. atque alibi sæpè docet, corpus, de quo loquitur in præsenti controuersia, esse diuisibile, non quomodocumque, sed in infinitum: atqui corpus naturale, & sensibile non potest diuidi in infinitum; cum certo certius sit, nullum corpus naturale habere partes sensibiles infinitas, alioqui merito illarum esset infinitum, interminatumque versus maximum: haud igitur sermo est Angelico præceptori impræsentiarum, de corpore sensibili, sed de Mathematico.

10. Pro sententia nostra Philosophorum Ethnicorum, ac Christianorum consensu hactenus probata, authoritatem allego sanctorum Patrum: nemo enim eorum punctum, in quo versamur, attingit, & non puncta præsertim finita à continuo rejicit; partesque in illo infinitas non adstruit. Atque imprimis ita opinatur ingeniorum ille vertex Augustinus lib. 2. de libero arbit. cap. 8. vbi sic inquit: *Quantulumcunque illud corpusculum sit, habet certe aliam partem dexteram, aliam sinistram, aliam superiorem, aliam inferiorem, aut aliam vlteriorem, aliam citeriorem, aut alias finales, aliam mediam: hæc enim necesse est, quamlibet exiguo corporis modulo inesse fateamur.* Tum sic: in contraria sententia, quam impugnamus, potest dari corpusculum, siue quantum adeo exiguum, vt duobus tribusue, punctis constet: atqui in eo corpusculo, quantóue non daretur dextra, sinistra, superior, inferior, &c. id enim esset, dari in illo plures partes, quam duas, vel tres: ergo in contraria opinione potest dari corpusculum non habens intrinsecè dextram, sinistram, superiorem, inferiorem, &c. contraria ergo opinio negans in continuo partes infinitas non nobis tantum, sed Augustino expressè contraria est: nostraque eam admittens infinitatem non magis nostra est, quam Augustini. Respondent aliqui cum Arriaga disp. 16. Phys. sect. 8. subs. 1. num. 92. & Ouiedo controuer. 17. punct. 8. n. 4. ad finem Augustino sermonem esse, non de partibus intrinsecis, sed de partibus, seu lateribus extrinsecis, cum ait, nullum esse corpusculum adeo exiguum, quin habeat dextram, sinistram, &c. Verum hanc interpretationem nullam esse constat manifestè, nisi fallor, ex ipso contextu verborum Augustini.

11. Corpusculum enim aliquod habere partem dextram, & partem sinistram, superiorémque, & inferiorem, &c. quod dicitur ab Augustino, non est extrinsecè cingi à talibus partibus, seu lateribus, prout in alio corpore, aut corporum collectione existentibus, sed eas in se habere: quod etiam amplius patet ex particula, *inesse*, quæ quidem partes intrinsecas, non verò latera duntaxat extrinseca significat. Confirmatur, quia Augustinus eodem cap. 8. paulo superius sic inquit: *Vnum vero quisquis verissimè cogitat, profectò inuenit corporis sensibus non posse sentiri. Quicquid enim tali sensu attingitur, iam non vnum, sed multa esse conuincitur: corpus enim est, & ideo habet innumerabiles partes.* At partes habere innumerabiles, sonat ex iis intrinsecè constare, non verò tantum respicere plura latera extrinseca, præsertim numero finita, qualia sola assignant aduersarij corpusculo exiguo ex duobus tribusue punctis constanti. Confirmatur iterum, ex his, quæ eodem cap. paulò infra subjicit idem Augustinus ibi: *Cuiuslibet enim corpusculi pars dimidia, quantis duabus totum constat, habet & ipsa dimidiam suam, &c.* Fac ergo, corpus aliquod constare sex punctis; certè dimidia eius pars, nimirum moles trium punctorum, non poterit sortiri, aut continere in se aliam quantitatem dimidiam: quam enim? an duo puncta? at hæc non sunt dimidium trium punctorum, sed quid maius: an vnum punctum? at hoc non est quantitas; non ergo dimidia quantitas: quin, etsiper impossibile esset quantitas, tamen non foret dimidium trium punctorum, sed quid minus: an denique vnum punctum eiusque dimidium, siue sesquipunctum? at repugnat puncti dimidium: hoc enim esset punctum indiuisibile diuidi, & minimo minus aliquid esse possibile. Quæ cum ita sint, certè iuxta Augustinum repugnabit corpus sex tantum punctis constans: non repugnaret autem, si omne corpus non inuolueret necessario infinitas partes: eas ergo inuoluit iuxta doctrinam Augustini.

12. Qui etiam non solum locis nuper citatis eam infinitatem partium continui tradit, sed alibi sæpè: ac præsertim in lib. de immortalit. animæ cap. 7. ad finem ibi: *Porro autem minuitur, (supple corpus) cum ex eo aliquid præcisione detrahitur. Ex quo conficitur, vt tali detractione tendat ad nihilum. At nulla præcisio perducit ad nihilum. Omnis enim pars quæ remanet, corpus est, & quicquid hoc est quantolibet spatio locum occupat. Neque id posset, nisi haberet partes in quas identidem caderetur. Potest igitur infinitè minui, & ideo defectum pati, atque ad nihilum tendere, quamuis peruenire nunquam queat. Quod item de ipso spatio, & quolibet interuallo dici atque intelligi potest. Nam & de his etiam terminatis, dimidiam, verbi gratia partem detrahendo, & ex eo quod restat, semper dimidiam, minuitur interuallum, atque ad finem progreditur, ad quem tamen nullo peruenitur modo.* Hactenus Augustinus. Qui eodem modo opinatur lib. 11. de Trinit. cap. 10. ad finem ibi: *Ratio docet, minutissima etiam corpuscula infinitè diuidi, cum tamen ad eas tenuitates, vel minutias peruentum fuerit, quas visas meminimus, exiliores, minutioresque phantasias iam non possumus intueri, quamuis ratio non desinat persequi, ac diuidere.* Idipsum etiam docet lib. 6. de musica cap. 8. verbis, quorum à nobis fiet mentio tract. sequenti.

13. Nostram etiam ac veriorem sententiam disertè sequitur B. Claud. Mamertus lib. 1. de statu animæ cap. 15. ibi: *Patet enim liquido, quodlibet vnum corpus paris corporis adiunctione duplicari. Esse illic sursum, deorsum, dextrum, sinistrum, anterius, atque posterius. Esse illic, pro modo magnitudinis, longitudinem, latitudinem, altitudinem.* Et inferius cap. 18. *Omne corpus quamlibet maximum, quamlibet minimum, habet longitudinem, latitudinem, & altitudinem, &c. quodlibet ergo corpus etiam si plausu manuum in exterioribus suis per totum tangatur, in interioribus certè non tangitur. Hinc patet, omne corpus totum simul tangi non posse, nec in vno loco esse quamlibet minimum totum posse: Vt puta granum papaueris, aut quotalibet pars grani ipsius, quod illic non habet inferiora sua, vbi superiora sua, nec illic dextera*

vbi ſiniſtra, nec anteriora illic vbi poſteriora certum eſt. Quæ verba conſimilia ſunt iis, quæ ex Auguſtino lib. 2. de libero arb. cap. 8. ſuprà produximus; eodémque modo debent expendi. Rurſus idem B. Claudian. lib. 2. de ſtat. an cap. 3. ſic inquit: *Secari omne corpus in partes poteſt, quarum item pars quælibet partium corporis propter vim primogeniam numeri, & vnum corpus erit, & totidem partibus conſtabit, & perinde in partes ſecari poterit.* Ac paulo infra, *quotalibet pars corporis corpus eſt.* En manifeſtiſſimè docet, omne corpus poſſe in infinitum diuidi, ad nullamque eius partem perueniri poſſe adeo exiguam, quin ſit corpus partibus ſuis vlterius conſtans.

14. In eadem ſententia, quam vt longè magis veram amplectimur, ſunt Clemens Alexandrinus, Nazianzenus, Baſiliuſque tract. præcedenti cap. 1 citati, quatenus aiunt, continuum non componi ex indiuiſibilibus etiam inflatis: ergo iuxtà eos componitur ex partibus ſine fine diuiduis. In eadem etiam opinione ſunt Patres Eccleſiæ, quos citabimus tract. ſequenti, pro compoſitione temporis ex partibus infinitis. In eadem eſt D. Damaſcenus cap. 33. dialect. quatenus docet, in quouis continuo eſſe puncta, lineas, ſuperficies, & profunditatem: hoc enim verum non eſſet, ſi corpus omne non haberet partes innumerabiles, ſed potius numero finitas: ita ſiquidem poſſibilis foret quantitas adeo exigua, vt omnes illas tres dimenſiones ſimul non haberet. Eandem denique opinionem inſinuat Hugo Ætherian. lib. 2. contra hæreſ. cap. 8. quatenus in continuo diſtinguit partes ab indiuiſibilibus, ſeu terminis communibus, in quibus partes ipſæ copulantur inuicem. Dices, Patres hactenus allegatos loqui de partibus non realiter, ſed ratione noſtra diuiſibilibus in infinitum. Neſcius non ſum P. Tellez laudata diſp. 35 ſect. 2. n. 7. ad eius initium hoc pacto explicare locum ex Auguſtino lib. 11. de Trinit. cap. 10. à nobis obiectum. Sed & ſcio, huic explicationi locum eſſe non poſſe, ſi attente legantur verba tum Auguſtini, tum etiam aliorum Patrum à nobis ſuperius allegata, & quidem ob id allegata oculiſque ſubjecta, ne non lecta ſic explicarentur. Ac profecto, quod attinet ad Auguſtinum, cum citato cap. 10. libri vndecimi de Trinitate dicat, rationem non fingere, ſed docere, corpus omne in infinitum diuidi poſſe; non video, quomodo ibi poſſit exponi de infinita diuiſibilitate partium continui non realiter tali, ſed tantum per rationem noſtram ficta, aut apprehenſa. An quia Auguſtinus dicit ibidem, *rationem renunciare infinitatem numeri, quam nulla viſio corporalia cogitantis apprehendit*; hoc eſt nullum eſſe numerum, quo non poſſit dari alius ſine fine major; an inquam propterea exiſtimandum eſt, Auguſtinum loqui de infinitate Syncathegorematica non realiter poſſibili, ſed tantum apprehenſa atque conficta? Nugæ: ſimiliter ergo in præſenti, &c. Fac tamen, eum Auguſtini locum qualis qualis explicationis eſſe capacem: at quid dicent Tellez, & Aduerſarij ad cætera eius, aliorúmque Patrum teſtimonia, vſque adeo, me iudice, manifeſta, vt nullum dubitationi locum relinquant?

CAPVT III.

Verior ſententia duabus rationibus probatur.

QVarum prior ſic habet. Corpus naturale continuum aliquas habet partes actu diſtinctas, & vbicatas: at non ſola puncta finita Phyſicè, & Mathematicè indiuiſibilia; nec puncta finita Phyſicè quidem indiuiſibilia, ſed tamen Mathematicè diuiſibilia; nec puncta infinita prioris, aut poſterioris generis: ergo partes infinitas, infinitéque diuiſibiles. Antecedens quoad vnam, alteramq; eius partem in ſuperioribus abundè probatum manet: conſequentia autem eſt manifeſta. Poſterior ratio pro noſtra ac veriori ſententia eſt: quia, admiſſa infinita, quam adſtruit, diuiſibilitate partium continui, facilè euaneſcunt difficultates omnes, quæ in hac materia alioqui videntur inſuperabiles. 15.

Atque inprimis juxtà eam optimè exponi poteſt, quatenus partes continui, quamuis ſe realiter ac veriſſimè tangant, ob id tamen non penetrentur inuicem. Nimirum nulla pars earum ſecundum ſe totam tangit aliam etiam ſecundum ſe totam: quia, cum ſignata quacumque duplici parte alterutra ſit vlterius in alias minores diuiſibilis; datur locus, vt ambæ ſe, & non ſecundum ſe totas tangant. Aut paulò aliter: vt vna pars continui aliam adæquate tangat, prout ad penetrationem oportet, neceſſe eſt, vt altera alteri omnino immediata ſit, nullaque pars interjiciatur ambas: at nulla pars eſt ita alteri immediata, vt alia eas interjecta non ſit: cum enim ab alterutra earum vna medietas vnarè quarta abſcindi poſſit; ſanè hoc, quod abſcindi poteſt, & ab vtraque parte inadæquate diſtinguitur, inter vtramq; mediat, & interjicitur. 16.

Dices, Omnes partes continui inuicem immediatè ſunt: ergo aliqua pars earum adeo exigua aſſignari poterit, vt alteri immediata ſit, & nihil inter vtramque interponi queat: hæc ergo pars cum altera penetraretur. Reſpondeo, ſicut omnes creaturæ Deo immediatæ ſunt, ita vt inter earum collectionem, & Deum creatura vlla interjici nequeat; & tamen nulla creatura in particulari ſumpta Deo adeo immediata eſt, quin inter eam, & Deum interponi poſſit alia creatura magis perfecta: ita ſimiliter omnes continui partes collectim ſumptæ ſe tangere, ſibíque immediatæ eſſe poſſunt, quin tamen inter illas aſſignari poſſit vlla deſtinata pars, quæ alteram ſecundum ſe totam tangat, ſeive ſit prorſus immediata. Reliqua argumenta Philoſophica, quæ ex velocitate & tarditate motus localis emergunt, tractatu ſequenti ſoluentur, cum ſermo fuerit de compoſitione tẽporis. 17.

Argumenta autem Mathematica, quæ aduerſariis negotium faceſſunt, ex eo procedunt, quod continuum ponatur punctis conſtare finitis: quare admiſſa nobiſcum Ariſtotelica infinitate partium continui nullius eſſe poſſunt momenti. Duo tamen ſunt, quæ contra Ariſtotelẽ vtrumq; & non ſine aliquo ad ſpeciem fundamẽto retorqueri poſſunt: nimirũ, quod circulum inferiorem rotæ eius circulo ſuperiori æqualem eſſe contendit, & quod ſimiliter lineam coſtæ æqualẽ eſſe tineæ diametrali oſtendit. Siquidem in ſententia etiam Ariſtotelis, aut infinitæ lineæ rectæ, quæ à ſingulis punctis circuli ſuperioris ad centrũ deſcendunt, in aliquo puncto circuli inferioris vſquã coëunt; & ita non rectæ erunt, ſed potius in litteram Pythagoræ biſiſſæ: aut in aliquo puncto circuli inferioris nuſquam 18.

binæ

binæ coëunt; & sic cuiuis puncto circuli superioris punctum suum in circulo inferiori respondebit: atque adeò totidem erunt puncta in vtroque circulo, quod percipi nequit, absque eo quod vterque sit æqualis. Eadem ratione contra Aristotelem conuinci posse videtur, costam quadrati verbi gratia æqualem esse diametro; siquidem cuiuis puncto diametri punctum aliquod in costa correspondet.

19. Respondeo, ex eo quod cuiuis puncto circuli superioris in circulo inferiori punctum aliquod determinatè respondeat, non fieri, tot esse puncta in circulo inferiori, quot sunt in superiori, aut, quod perinde est, vtrobique esse æqualia puncta: quia æqualitas Arithmetica, siue relatio respondens his vocibus, *tot*, *quot*, est proprietas solius quantitatis discretæ, ac finitæ: cum ergo puncta circuli superioris, & puncta circuli inferioris, in sententia Aristotelis, infinita sint; sane æqualia, & altera tot quot altera, esse non possunt. Atque eadem ratione puncta costæ punctis diametralibus æqualia esse non sustinent.

20. Aliter secundò respondeo, ac permitto disputandi gratia puncta circuli inferioris æqualia esse punctis circuli superioris, partésque etiam vnius circuli tot esse, quot sunt partes alterius; nisi quod partes vnius circuli, nempe inferioris, minores sint, alterius verò desuper obliquati maiores magisquè extensæ: sanè hæc æqualitas est præcisè Arithmetica, & in ordine ad numerum: quamobrè ex ea neutiquam deduci poterit inter vtrumque circulum æqualitas Mathematica, siue Geometrica, atque in ordine ad extensionem localem; videlicet quia proportio Arithmetica, & proportio Geometrica, & localis sunt longè diuersæ rationis.

21. Dices, In circulo superiori continetur tanquam pars semicirculus aliquis æqualis circulo cuidam inferiori totaliter sumpto, ac proinde numerus aliquis punctorum æqualis ei, qui in circulo inferiori reperitur: ergo iam puncta illius semicirculi numericè æqualia erunt punctis totius circuli superioris, in quo semicirculus continetur; atque adeo pars erit æqualis toti, quo nihil videtur magis absurdum. Respondeo, licet in quantitate finita æqualitas partis & totius repugnet, secus tamen rem se habere, cum pars & totum sunt infinita: quo pacto vna persona diuina est æqualis collectioni trium personarum diuinarum, in qua veluti pars quodammodo continetur: videlicet, quia quæuis persona diuina, omnesque tres simul sumptæ sunt infinitæ: cum ergo collectio punctorum reperta in parte, & quæ reperitur in toto infinitæ sint, quidni esse possint & æquales. Eadem dissolui potest argumentum deductum ex lineis à costa ad costam descriptis, atque intersecantibus diametrum quadrati. Et quidem in circulo inferiori, ac minori tot esse puncta, quot sunt in superiori atque majori, totque consequenter in costa seu latere quouis quadrati, quot in eius diametro, sententia est expressa Scoti, Gregorij & aliorum apud P. Suarez *disp.* 40. *Met. sect.* 5. *n.* 49.

CAPVT. IV.

Soluuntur argumenta quædam aduersus veriorem sententiam.

22. ARguunt primò aduersarij. Quantitas vnius palmi verbi gratia, iuxta Aristotelem, habere debet infinitas partes extensas quoad locum, quæ inter se adæquatè distinctæ inuicem æquales, & à Deo signabiles, ac determinabiles sint: eiusmodi ergo partes efficient extensionem aliquam localem simpliciter, & versus maximum infinitam; eamque, quæ in ordine ad punctum aliquod fixum mundi, Orientem verbi gratia aut Occidentem, nullis terminis circumscribi, aut cohiberi possit. Antecedens à nobis est admissum cap. 1. huius tractatus. Consequentia probatur: quia ideo infiniti palmi extensionem constituunt simpliciter infinitam, & nullis carceribus circumscriptam versus Orientem, aut Occidentem, quoniam sunt partes infinitæ, inuicem distinctæ, inuicemque æquales & à Deo signabiles: similiter ergo in præsenti, &c. Hoc argumento, quod his temporibus multos Philosophiæ præceptores ab Aristotelis sententia retrahit, vtebantur olim Epicurei, vt constat ex Lucretio lib. 1. de rerum nat.

Quippe vbi dimidiæ partis pars semper habebit
Dimidiam partem: nec res perfiniet vlla.
Ergo rerum inter summam, minimámq; quid esset?
Non erit, vt distent: nam quamuis funditus omnis
Summa sit infinita: tamen, paruissima quæ sunt,
Ex infinitis constabunt partibus æquè.
Cui quoniam ratio reclamat vera: negátque
Credere posse animum: victus fatigare necesse est:
Esse ea, quæ nullis iam prædita partibus exstent,
Et minima constent natura.

Et inferius lib. 2. de rerum natura id ipsum repetit, breuius quidem, sed tamen non minus clarè, atque perspicuè.

Quare non est vt credere possis,
Esse infinitis distantia semina formis:
Ne quædam cogas immani maximitate
Esse, supra quod iam docui non posse probari.

Ita tamen argumentabantur Epicurei, & iam 23.
nunc argumentantur Recentiores, propter discrimen quantitatis Arihmeticæ à quantitate Geometrica ab vtrisque vel non cognitum, vel certè non animaduersum. Respondeo ergo, quantitatem Arithmeticam, siue discretam, longè diuersæ rationis esse à quantitate Geometrica, & continua, diuersóque modo de vtraque philosophandum esse, quod contra aduersarios apertè demonstro. Siquidem quantitas discreta, siue numerus punctorum quadratus esse potest, siue quatuor punctorum; at quantitas continua eorumdem punctorum quatuor, vel, iuxta ipsos quibuscum disceptamus, quadrata esse non debet, sed vel triangularis, vel in circulum conuoluta, vel in lineam tenuata esse potest. E contrario verò numerus nouenarius punctorum numericè quadratus non est, vt patet: & tamen quantitas continua eorundē punctorum quadrata est; singula enim tria puncta iuxta se suo ordine collocata quadratum efficient. Quare, quamuis in nostra, & Aristotelica sententia quantitas discreta partium continui infinita versus maximum sit, & in nullum numerum certum redigi possit, tamen quantitas continua earum versus maximum infinita esse non debet. Porro exemplum, quo se tuentur aduersarij, non vrget: quia non ideo infinitas palmorum extensionem localem versus maximum infinitam efficit, quia est infinitas partium adæquate distinctarum, quoniam partes eæ tales sunt, talisque ac tantæ magnitudinis, vt à nobis signari & distingui,

atque in certam aliquam mensuram reuocari possint: cæterùm partes illæ infinitæ, quibus palmus constat, eius exiguitatis sunt, vt à nobis signari, vel inuicem distingui, aut in certam aliquam mensuram reduci nequeant: proinde, &c.

24. Confirmatur, & explanatur solutio: in homine v. g. sunt infiniti gradus perfectionis, quibus videlicet belluas perfectiores, & perfectiores in infinitum possit superare: sunt, inquam, in eo infiniti illi perfectionis gradus, inter se virtualiter intrinsece distincti, vt à nobis ostendetur in Metaphysica, siue saltem virtualiter extrinsece, quod sufficit ad præsens institutum: & tamen quantitas entitatis, aut perfectionis essentialis non est in homine simpliciter infinita, sed duntaxat secundùm quid infinita, & simpliciter finita: quamuis ergo in palmo v. g. sint infinitæ numero partes, non ob id quantitas continua, & localis palmi erit simpliciter, ac versus maximum infinita, quàue alia versus polum, aut punctum aliquod fixum mundi maior nequeat assignari.

25. Confirmatur secundò contra Epicureos, & alios aduersariorum, qui puncta in infinitum Mathematicè, siue quoad locum diuisibilia admittunt: siquidem punctum virtualiter extensum, iuxta ipsos, æquialet infinitis punctis extensis, quorum quodlibet sit maius alio, illúdque contineat, aut, quod in idem recidit, quorum quodlibet extra aliud se minus quodammodo protendatur: vndè, si possibile sit infinitum actu, sanè infinita puncta minora, & minora in eo puncto Mathematicè extenso produci possunt, quin illud punctum excedant aut superfluant, esto quoduis eorum alterum se minus excederet, ac superflueret: & tamen hoc non obstante punctum illud inflatum, vt aiunt, non habet extensionem localem, & Mathematicam simpliciter infinitam versus Orientem, aut Occidentem: quamuis ergo palmus v. g. formaliter contineat infinitas partes, aut æquales, aut sese excedentes, non ob id in magnitudinem simpliciter, ac versus maximum infinitam excresceet. Vide quæ diximus tract. præcedenti.

26. Confirmatur tertiò: Infinita puncta sibi immediata ratione suæ indiuisibilitatis nullam extensionem localem efficere possunt, vt supra ostendi tract. 5 cap. postremo: ergo etiam infinitæ partes continui inuicem adæquatè distinctæ, quamuis aliquam extensionem efficiant, ratione tamen suæ exiguitatis, & tenuitatis non infinitam, nullisque terminis circumscriptam, sed solum finitam, & exiguam efficient. Confirmatur denique quartò; quia, vt differebam citato illo tract. 5. cap. 5. quadratum maius ex diametro minoris descriptum habet proportionem Geometricam, seu localem cum quadrato minori, hoc est duplo maius spatium occupat: & tamen, numericè non est duplo maius illlo, cum iuxtà aduersarios non paucos alterum sexdecim puncta, alterum verò nouem puncta sortiatur; iuxta nostram verò, & Mathematicorum omnium sententiam, non sit pars aliquota vtriusque, hoc est quæ toties in vno quadrato multiplicetur, ac numeretur, quoties in alio: quo fit, vt vnum non sit alio numericè, id est quoad numerum partium duplo, vel aliter maius: alia ergo est ratio numeri & quantitatis discretæ, siuè Arithmeticæ, alia verò & longè diuersa quantitatis continuæ, atque localis, siue Geometricæ: ac proinde quamuis altera sit in palmo, & eius partibus simpliciter, ac versus maximum infinita, non propterea id ipsum existimandum est.

Arguunt secundò aduersarij: Potest Deus de- 27.
structuere vniones omnes partium continui, partibus ipsis conseruatis: at tum remanerent solum indiuisibilia: ergo partes continui duntaxat puncta, siuè indiuisibilia sunt: siquidem in eo euentu solum indiuisibilia remanerent; partes autem, vt supponimus, remanerent. Maior in propatulo est: quia vniones partium continui ab iis realiter distinguuntur: cur ergo partes sine vnionibus conseruare nequeant? Minor suadetur; quia omnis diuisibilitas proficiscitur ab vnione, quæ destrui possit; qua ratione Deus indiuisibilis est, quoniam vnione partium distinctarum destitutus est: at in eo euentu nulla vnio remaneret: ergo nihil diuisibile remaneret, ac proinde solum indiuisibilia supereressent. Nec momenti est, quod Conimbricenses lib. 6. Phys. cap. 2. q. 2. art. 3. ad finem respondent, hypothesim Majoris impossibilem esse. Nam, supposita distinctione reali vnionum à partibus, harum ab illis separabilitas absque vllo fundamento adstruitur: at quod partes continui inter se realiter, & actu distinguantur suprà à nobis probatum est in loco. Tum etiam Deus saltem videt partes omnes continui, prout condistinctas ab vnionibus, quando ab iis quidem re ipsa distinctæ sunt: at prout sic condistinctæ indiuisibiles sunt, aut certè esse videntur: continuum ergo indiuisibilibus præcisè constat. Vides, quatenus nihil prosit Conimbricensibus nostris, negasse hypotesim majoris, nec ea ratione vim argumenti effugiant.

Admitto ergo præfatam hypothesim cum Gre- 28.
gorio in 1. d. 36. q. 1. ac respondeo, nihil eo in euentu remansurum, quod esset diuisibile in actu secundo & proximo, quia ad hanc diuisibilitatem opus est vnione partium, quæ tunc nulla supereresset: cæterùm remaneret aliquid diuisibile in actu primo & remoto; nimirum confusa quædam partium massa, & indigesta congeries, quæ, si vniones ei restituerentur, diuidi posset, ac proinde in actu primo, & radicali diuisibilis esset. Eadem ratione, cum Deus partes secernit cognitione ab vnionibus, non indiuisibilia, sed cumulos quosdam in actu primo diuisibiles cernit: qui quidem aperte differunt à Deo summè simplici, & indiuisibili; eo quod Deus nec in actu primo, nec in actu secundo sit capax vllius diuisionis, aut vel minimæ sectionis.

Arguunt tertiò aduersarij, ex nostra sententia 29.
sequi, quod dentur in continuo infinitæ partes, non indeterminatæ, aut præ exiguitate sua minimè determinabiles, aut designabiles, sed determinatæ, ac præ longitudine sua à nobis designari aptæ. Consequens est absurdum, & à nobis suprà negatum: ergo & illud ex quo sequitur. Sequela probatur: nam in columna aliqua, quæ in longum sit verbi gratia octo pedes, & in rotundum duos pedes, sunt infiniti circuli ab eius basi ad illius verticem, quorum quiuis sit bipedalis, vt dictum est, & eius latitudinem circundet, ac per eam gyret: eiusmodi autem circuli infiniti sunt vnius lineæ gyratiuæ per columnam infinities circumductæ: quidni enim? talis ergo linea gyratiua habebit infinitas partes determinatas: longitudo enim bipedalis est longitudo determinata, & à nobis facillimè designabilis: habet autem,

vt

vt ſupponitur, infinitos circulos, quorum quiuis ſit longitudinis bipedalis: iam ergo linea aliqua continua de facto exiſtens habet infinitas partes determinatas, nempe gyratiua proximè explicata: quamobrem & ſuperficies continua, quæ de facto exiſtit, & continuum etiam de facto exiſtens eas poterit, & debebit habere. Confirmatur: inter quoſuis duos circulos eorum, quos prædiximus, ſunt aliquæ partes: non indeterminatæ, aut proportionales: ergo determinatæ: atqui ſunt in columna infinita circulorum paria: ergo & infinitæ partes determinatæ. Maior probatur; quia iuxta nos, nulla linea circularis eſt alteri immediata, aliàs indiuiſibile additum alteri faceret maius: mediant ergo aliquæ partes inter quoſuis duos circulos columnæ, qua de loquimur. Minor probatur: quia partes interiacentes quoſuis duos circulos eius columnæ habent circuitum ambitúmue duorum pedum, aliàs haud poſſent columnam adæquatè cingere, aut per eam perfectè gyrare: circuitus autem duorum pedum haud dubiè eſt quantitas determinata, & conſequenter partis determinatæ propria.

30. Reſpondeo, non aliud hoc argumento, atque eius confirmatione probari, quam quod partes determinatæ continui, quatenus in gyrum conuolutæ, ſint ſimpliciter infinitæ; ſecus verò quod tales ſint, quatenus vna eſt poſt aliam directè, verſus aliquem polum, aut punctum fixum mundi. Verbi gratia longitudo cuiuſuis circuli eorum qui obiecti ſunt, haud dubiè, quatenus circundat latitudinem, & orbem columnæ, eſt determinata: at non eſt determinata, aut ſenſibilis reſpectu longitudinis alterius circuli ſequentis, ſiue gyrationis proximæ: quinimo ita vna gyratio eius lineæ, de qua ſermonem habemus, ſe habet reſpectu alterius ſequentis, vt nullus ſenſus poſſit inter ambas diſcernere: hoc ergo poſteriori ſenſu debebant eſſe actu in continuo partes determinatæ, vt illud in immenſum excreſceret: cùm non ſint autem, quid mirum, ſi nullatenus ex noſtra ſententia ſequatur in continuo immenſitas vlla, aut extenſio verſus maximum infinita. Et quidem partes æquales, ſeu determinatas eo modo, quo dictum eſt, actu eſſe in continuo infinitas, docet apertè P. Suarez citata diſp. 40. met. ſect. 5. num. 48. Dixi autem, *actu*, quia non abnuo, quin in potentia partes continui ſint infinitæ etiam recta tenus verſus aliquem polum mundi: vt verbi gratia ſi linea gyratiua, de qua ſuperius, recta fiat à Deo; ſanè verſus orientem, aut occidentem, aut etiam vtrinque erit infinitè quoad maximum longa: nec iuxta eam poſitionem eius terminos vllos Deus videret; quippe, quos tum nullos ea haberet, ſicut modo eas habet, & à Deo videntur. Vide dicta ſuperius tract. 5. cap. 5. & hoc ipſo tract. 7. cap. 1. ad finem, vbi doctrinam præſentis ſolutionis ſponte conceſſi, & authoritate Euclidis confirmaui.

31. Arguunt quartò aduerſarij: Quantitas diſcreta, ſiue numerus componitur ex ſolis indiuiſibilibus, aut vnitatibus, iiſque finitis: ergo & quantitas continua ex indiuiſibilibus, ſiue punctis, non verò ex partibus ſine fine diuiduis componetur. Antecedens eſt manifeſtum, & à nemine non conceſſum. Conſequentia ſuadetur; tum ex Ariſtotele 6. Topicorum c. 14. vbi docet, ita ſe habere punctum ad lineam, ſicut vnitas ad numerum: ergo ſi numerus componitur ex ſolis vnitatibus, & linea non poterit niſi ex ſolis punctis componi: tum etiam, quia vna vnitas eſt immediata alteri: & tamen facit numerum, ſiue plus cum alia: ergo, tametſi vnum punctum ſit immediatum alteri, faciet tamen cum eo maius, ſiue quantitatem continuam. Immediatio vnius vnitatis numericæ reſpectu alterius & eſt ſponte ſua euidens, & vlterius probari poteſt, quia ſi inter quinque & quinque verbi gratia mediaret aliquid, iam non forent re ipſa decem, ſed vndecim, vt ſubtiliter diſputat B. Damaſcenus cap. 33. dialecticæ in hæc verba: *Si enim numeres quinque & quinque, non habent communem terminum copulantem ipſos: ſi enim des aliquid intermedium, quinque & quinque fiunt vndecim, & non decem.*

Reſpondeo, ad hoc vt vna vnitas faciat numerum, ſiue plus cum alia, non aliud requiri, quàm vt ambæ diſtinguantur inuicem: at optimè poteſt vna vnitas ab alia diſtingui, tametſi alterutra ſit indiuiſibilis: alioqui neque vna perſona diuina ab alia, neque Deus ab Angelo, aut animo rationali poterit diſtingui: vnde & vna vnitas indiuiſibilis quantumuis talis poterit facere cum alia plus, ſiue numerum. At hæc ratio non procedit in indiuiſibilibus quantitatis continuæ: haud enim ad hanc faciendam ſufficit diſtinctio partium eam conſtituentium: aliàs anima rationalis cum corpore, & Deus cum creaturis ſuis facerent quantitatem continuam, & extenſam quoad locum: proinde magis eſt, vt indiuiſibilia poſſint numerum, quam molem, & quantitatem diſcretam, quàm continuã conſtituere. Itaque conceſſo antecedente argumenti, nego cõſequentiam. 32.

Ad primam eius probationem dicendum eſt, Ariſtotelem adeò apertè nobis fauere, vt mirum ſit, eum nobis in præſentiarum obiici. Quod autem aliqui aiunt, eum in hac controuerſia loqui non tam ex ſuâ, quàm Mathematicorum ſententia, friuolum eſt: & ſic nihil firmum ex eo vnquam poſſet concludi: liberum enim cuiuis foret reſpondere, illum non ex ſuâ, ſed ex aliorum loqui opinione. Quocirca, quod cap. illo 14. libri 6. Top. dicit, ita ſe habere punctum ad lineam, ſicut ſe habet vnitas ad numerum intelligendum eſt quoad aliqua, non quoad, omnia: vt ſenſus ſit, non quod numerus, & linea adæquè coaleſcant ex ſolis indiuiſibilibus: ſed quod punctum inchoat lineam, eámque terminat, ſicut vnitas principium, & finis eſt numeri, omnémque auſpicatur, & vltimò complet. Ad alteram probationem negatæ à nobis conſequentiæ dicendum eſt, immediationem vnitatum non tollere earum diſtinctionem, ac proinde nec earum ſufficientiam ad numerum, ſiue plus conſtituendum: immediatio autem punctorum in quantitate continua, eſtò non tollat eorum diſtinctionem, at non tollere non poteſt eorum impenetrationem, quin potius facit, vt penetrentur inuicem: immediatus enim eorum contactus nequit non eſſe adæquatus: quæ autem adæquate ſe tangunt, eo ipſo ſunt penetrata: cùm autem aliqua penetrari, & ea ſimul facere maius, ſiue quantitatem continuam repugnet, non mirum ſanè, quod puncta ſibi vnita haud poſſint facere præfatam quantitatem, vt vt indiuiſibilia numerica, ſiue vnitates ſibi licèt immediatæ, efficiant quantitatem diſcretam. 33.

34. Hic ad latera extrinseca confugiunt non pauci, præsertim Arriaga, & Ouiedo, aiuntque contactum immediatum, atque adæquatum duorum non debere esse penetrationem, quando solum est penes latus aliquod extrinsecum alterutrius: cum ergò vnum punctum continui immediatum alteri tangat illud adæquatè penes latus eius extrinsecum, non vero ita vt sit intra illud; inde est, quod non obstante eiusmodi contactu eorum adæquato haud debeant penetrari. Miror sane, quod adeo acquiescant in hac solutione aduersarij, vt eam putent euidentem, ac manifestam; cum sit manifesta petitio principij. Etenim latus extrinsecum puncti realis est locus indiuisibilis sibi proximus, & quem non tam occupat, quàm à vicino puncto occupatum exttinsecè respicit: quod ergo aiunt Authores memorati, ideo punctum A. verbi gratia non penetrari cum puncto B. quia illud solum tangit penes latus eius extrinsecum, nihil aliud est, quam ob id ea non penetrari, quia alterum non est in eodem loco cum alio, sed in loco ei proximo: at hoc ipsum est de quo, quomodo esse possit, controuertitur; & quod à nobis fusè impugnatum est suprà tractat. 5. cap. 1. non ergo ad difficultatem respondent aduersarij, sed pro responsione dant idipsum, quod nobis difficillimum, imo inintelligibile videtur, gyrosque & rotas in disputatione fabricant.

CAPVT V.

Solutio cæterorum argumentorum aduersus nostram, ac veriorem opinionem.

35. QVintò arguunt aduersarij: Punctum moueri potest motu continuo per spatium imaginarium: at spatium imaginarium hoc ipso ex indiuisibilibus constat: ergò etiam extensio realis indiuisibilibus realibus constare poterit, & debebit. Maior probatur: quia corpus mouetur motu continuo, quod inintelligibile videtur, nisi puncta in corpore contenta continuè moueantur. Minor suadetur: quoniam si spatium imaginarium per quod punctum mouetur, eo ipso indiuisibilibus non constaret, sed potius partibus in infinitum diuiduis, sanè punctum, quod per illud spatium mouetur, non posset non occupare partes diuisibiles spatij, atquè adeo mathematicè seu quoad locum diuisibile & extensum esset, non verò omnino indiuisibile, contrà quam supponitur. Confirmatur, & declaratur: Punctum continuè motum lineam spatij occupat, & vbicationem efficit, vt omnes mathematici fatentur, apud quos nihil celebrius, quam lineam esse vestigium puncti, & superficiem vestigium lineæ in transuersum motæ: sed punctum numquam occupat plusquam spatium indiuisibile, aliàs extensionem aliquam haberet: ergo linea spatij, quam fluxu suo occupat, indiuisibilibus tantum constat. Quod autem aiunt Conimbrienses 6. phys. cap. 2. quæst. 2. art. 3. effatum illud Mathematicorum esse meram fictionem, qua indiuisibilitatem lineę versus latitudinem, & superficiei versus profunditatem explicant, omninò falsum est; nec apparet, quo fundamento dicatur, nisi ad eludendam vim positæ confirmationis.

36. Ad quam, & totum argumentum respondent aliqui, punctum non moueri, per se loquendo, motu continuo, & in tempore, sed motu discreto, & in instantibus, vt docet Rubius 6. phys. cap. 10. quæst. 1. art. 2. & apud hos illúmque Albert. Magnus, B. Thomas, Capreolus, Ægidius, Iandunus, Sotus, & alij. Itaque non est, cur punctum occupet illud spatium imaginarium, per quod corpus, in quo continetur, continuè, & in tempore mouetur, ac per consequens nec cut eiusmodi spatium indiuisibilibus constare debeat: punctum ergo moto corpore de puncto siue indiuisibili spatij in aliud punctum imperceptibiliter transit, sine eo quod pertingat spatium diuisibile medium, & ab omni loco per se absoluitur eo tempore, quo partes spatij diuisibilis punctum, punctúmque illius interiectæ à corpore transmittuntur.

37. Verùm hæc responsio nulla est, doctrináque nititur absona, vt benè animaduertit P. Tellez disp. 35. phys. sect. 1. num. 8. ad finem: quid enim magis absonum, & contra experientiam, quam aliquid transire de extremo ad extremum spatij sine medio. Nec iuuat, quod plures aduersariorum dicunt, punctum reale transiens ab vno indiuisibili spatij ad aliud, non esse quidem per se in spatio diuisibili intermedio, esse tamen in illo per accidens, & ratione corporis cui vnitur: non inquam, hoc iuuat; aut enim punctum est in spatio diuisibili intermedio propriè & verè, licet per denominationem ab vbicatione corporis, cui vnitur: & sic redit tota vis argumenti, nec explicatur, cur punctum non sit extensum, ac diuisibile virtualiter, siue quoad locum: aut punctum impropriè tantum, & late est in spatio diuisibili, per quod corpus mouetur: & sic proprie transit de extremo ad extremum sine medio, quod est omninò absurdum. Nec magis prodest, si cum aliis aduersariorum dicas, transitus grandes, & perceptibiles esse contra experientiam, & reuera absonos: punctum autem reale transire de extremo ad extremum sine medio imperceptibiliter: tum propter exiguitatem, paruamque distantiam medij: tum etiam, quia, vt puncta ipsa non percipimus, ita nec possumus eorum motus, ac per consequens nec transitus inter mouendum percipere. Hoc, inquam, haud etiam magis prodest: nam, vti in motu non dantur morulæ perceptibiles per se loquendo, ita neque imperceptibiles, quemadmodum suprà tract. 5. cap. 2. & 3. latè demonstraui: similiter ergo, sicut experientia cogente non possuut admitti in motu vllo locali transitus perceptibiles de extremo ad extremum sine medio, ita nec etiam imperceptibiles.

38. Deinde plerique aduersariorum fatentur, nullas interuenire morulas etiam imperceptibiles in motu locali: & certè, vt dictum est, id à nobis apertissimè demóstratum est loco proximè citato: at darentur tales morulæ iuxta solutionem, quam impugnamus: nam secundum eam in toto illo spatio diuisibili, quod punctum, punctúmque spatij interiacet, non mouetur punctum reale corporis, sed potius absoluitur à loco, & à motu: sed tum mouetur per id spatij corpus, cui punctum inest: quiescit ergo & morulam texit multiplicem punctum corporis, dum hoc mouetur: quid enim est aliquid morari, atque quiescere,

cere, quàm non moueri, sed à motu cessare, dum aliud mouetur. Rursus non magis indiuisibile est punctum etiam quoad locum, quàm Angelus, iuxta aliquos aduersariorum : Angelus autem mouetur continuè, & non transeundo de extremo ad extremum sine medio : quidni ergo & punctum ita possit moueri? Tandem motum puncti continuum, ac nullo transitu etiam imperceptibili interruptum haud obstare eius indiuisibilitati omnimodæ statim constabit : ergo &c.

39. Respondeo ergo longè probabilius esse, quod punctum moto corpore moueatur continue, fluxúque suo veram spatij imaginarij lineam transmittat, & vbicationem efficiat. Cæterùm inde neutiquam infertur, punctum esse virtualiter extensum; quia, licèt hoc percurrat spatij partes versus longitudinem vi motus, eas tamen non simul, & in instanti, sed successiuè, atque in tempore occupat : qui verò puncta mathematicè, & virtualiter extensa admittunt ea in instanti, & simul, non vero successiuè solum pluribus spatij partibus commensa adstruunt, ac debent. Itaquè punctum in duratione sibi proportionata, & indiuisibili non nisi spatium sibi proportionatum, & indiuisibile occupat, quod satis est ad veram eius indiuisibilitatem non solum physicam, sed etiam mathematicam, seu localem. Et quidem punctum, dum successiuè, & continuè mouetur, lineam spatij, vt diximus, attingere, & vbicationum describere, tametsi, quando post motum in tempore factum ad instans peruenit, in eoque quieuit, haud nisi punctum spatij omnino indiuisibile occupet, doctrina est Pererij lib. 10. phys. cap. 14. a. 3. Cardinal. Toleti 6. phys. cap. 2. quæst. 1. Barth. Amici etiam in phys. tract. 25. quæst. 1. Vallesij controu. 58. ad tyrones Gregorij in 2. distinct. 2. quæst. 2. art. 1. Scoti eadem dist. quæst. 9. necnon Licheti, Bissolis, & aliorum Scotistarum ibidem.

40. Sextò arguunt aduersarij : possibilis est globus perfectè sphæricus : fac ergo, eum per planum rotari vbique, & quaquauersus, sanè hoc ipso tanget illud vbique in solo puncto : rotari namque per illud est tangere illud in solo puncto : igitur vbique & quaquauersus rotari per illud est vbique tangere illud in puncto duntaxat : nequit autem planum vbique tangi à globo, & aliunde nusquam ab eo tangi nisi in puncto, quin planum vbique sui punctis, siue indiuisibilibus constet : ex iis ergo, & non ex partibus sine fine diuiduis coalescit : ac proinde hoc ipsum de quouis alio continuo dicendum est.

41. Respondent aliqui apud P. Tellez disput. 25. phys. sect. 1. num. 9. globum rotatum per planum semper tangere illud in punctis virtualibus, id est à partibus non realiter, sed virtute distinctis : quare planum quaquauersus constabit punctis virtualibus : hoc autem non arguet, illud non constare partibus infinities diuiduis, cum præfata puncta ab eiusmodi partibus non distinguantur, easque potius dari petant, supponantque. Contra tamen est, quia sicut non potest produci, aut vniri realiter animalitas, quin re ipsa vniatur, ac producatur rationalitas, quidquid sit, an ratio terminandi vniorem, aut productionem fit vna, & non altera, de quo alibi, nimirum quia animalitatis, ac rationalitatis distinctio haud est realis, sed virtualis, & solius rationis ratiocinatæ : ita similiter haud poterit tangi punctum solum virtualiter intrinsecè distinctum à parte diuisibili, quin hæc tangatur : globus ergo perfectè sphæricus rotatus per planum, illud ipsa tanget in parte diuisibili, tametsi forsan ratio eius contactum terminandi sit punctum virtuale : at contingi planum penes partem suam extensam, adeoque planam ac globo, quin in hoc sit vlla planities, sed potius sit perfectè sphæricus, ac rotundus, videtur impossibile.

42. Respondent alij secundò apud eundem Tellez vbi supra num. 9. planum non tangi quaquauersus à globo per illud agitato, quia nimirum, inquiunt, per illud subsultim decurrit, hoc est sursum imperceptibiliter saltando : at nequit corpus aliquod tangere quaquauersus, & vndique spatium reale, aut imaginarium, per quod non commeat, nisi subsultando identidem, vt est luce clarius : proinde non est quod planum vbiuis constet punctis : haud enim, vt dictum est, vbicunque tangitur à globo per illud rotato. Iure tamen merito hanc solutionem irridet noster Tellez loco citato : quo enim fundamento dicitur, quod necesse sit, globum statis interuallis tantisper eleuari à plano, dum per illud mouetur? annon id diuinare est? Fac globum manu superposita trahi per planum : nonnè saltus illi imperceptibiles, & confictæ ab aduersariis eleuationes tum erunt non solum non necessarij, sed ex natura rei impossibiles?

43. Tertiò respondent alij, globum, dum per planum mouetur, illud tangere in solo puncto : hinc tamen haud sequi, quod solis punctis constet planum, quia non quaquauersus illud tangit globus, sed potius à puncto illius ad aliud punctum sine medio transit : cum autem hic transitus fiat respectu punctorum plani non admodum, sed modicissimè, & imperceptibiliter distantium, inde est, quod non possit à nobis discerni, an detur talis transitus : vnde videtur nobis, quaquauersus tangi planum à globo, cum tamen re ipsa aliter se res habeat : & quidem, si saltus imperceptibiles hoc modo explicentur, non vero per crebras eleuationes à plano versus supernum aëra, vt disputant aliqui, quorum paulo superius facta fuit mentio; si, inquam, ita explicentur, nihil in iis esse absurditatis. Quarto alij respondent, planum tangi à globo in solis lineis, dum hic super illud agitatur : nec vero hinc sequi, continuum componi ex solis lineis, adeóque ex indiuisibilibus versus aliquam dimensionem : quia nimirum id spatij, quod est inter lineam, & lineam plani, parum, & imperceptibiliter distantes, intactum relinquitur à globo eiusque puncto, quod per planum rotatur. Verùm hæ ambæ solutiones in simili impugnatæ sunt paulò suprà hoc ipso capite inter reiiciendam priorem responsionem argumenti præcedentis. Porrò ad id, in quo versamur in præsenti respondent alij quintò impossibilem esse globum perfectè sphæricum. Neque non ad id alij sextò respondent, talem globum possibilem esse, at impossibile esse, quod immediate rotetur per planum illudue tangat, & non potius mediante aëre. Sed has etiam solutiones ex professo reiecimus suprà tract. 4. cap. 3. neutraque suppositis ibi dictis videtur admodum probabilis.

44. Itaque melius responderi posse arbitror, globum tangere planum in parte indeterminata, & quamuis simul in puncto, non tamen semper in eo

eo solo, nec etiam in sola linea : eiusmodi autem contactum non obesse aut planitiei plani, aut rotunditati globi : cæterùm non præcisè, quia est in parte indeterminata, vt malè censent aliqui, quos eo nomine impugnaui suprà citato tract. 4. cap. 3. sed quia est semper inadæquatè in parte indeterminata : videlicet, quia non illam, sed aliam minorem eius partem tangit globus, & rursus assignata illa minori eius parte non illam adæquatè, sed aliam minorem, quin vnquam assignari possit vlla particula eius adeò exigua, quam ex toto tangat, & non potius penes aliam magis exiguam in ea contentam. Quod declaratur exemplo puncti intrinsecè constituentis planum, huiusque consequenter partem extensionémque sine fine diuiduam immediatè tangentis, quin propterea sit extensum, aut virtualiter, & quoad locum diuisibile : scilicet, quia ita non tangit adæquatè, sed inadæquatè ac versus minus semper, & minus partem, extensionémue diuisibilem, cui vnitur : quo fit, vt ei non debeat commensurari, aut ad eius instar extendi : quidni ergo in præsenti propter similem contactum globi, & plani semper inadæquatum defendi possit, quod alter alterum in parte tangat indeterminata, sine præiudicio, vel planitiei in vno, vel rotunditatis in alio.

45. Pro cuius solutionis luce, & intelligentia, dices aduersus eam primò: contactus in parte determinata plani, etiam minima earum, quæ possit assignari, arguit in corpore globoso tangente, planitiem determinatam ; idque quicunque, & qualiscunque sit eiusmodi contactus. Similiter ergo omnis contactus in parte indeterminata plani arguet in globo eam tangente, planitiem saltem indeterminatam : quo fiet, vt globus, contrà quam supponitur, haud sit perfecte sphæricus. Respondeo concesso antecedenti, & negata consequentia. Ratio autem disparitatis est, quia contactus in parte determinata etiam minima plani est adæquatus : nam, si esset inadæquatus, foret quidem in parte non determinata, sed proportionali & indeterminata, cum minima parte determinata non sit alia determinata minor, penes quam fiat contactus inadæquatus : vnde non est mirum, quod omnis contactus in parte determinata minima plani arguat in hac planitiem determinatam : par ratio est de contactu in parte determinata plani non minima, sed maiori : nam saltem debet esse adæquatus, penes partem aliquam determinatam minorem contentam in maiori ; alioqui absolutè loquendo non erit in parte determinata, vt tali. At contactus in parte indeterminata à nobis concessus haud debet esse adæquatus, sed poterit semper esse inadæquatus vnde in globo planum tangente, & per illud rotato, ne indeterminatam arguet planitiem.

46. Dices secundo, iuxtà hanc solutionem necessario concedendos esse in motu globi per planum transitus, siue saltus saltem imperceptibiles de extremo ad extremum sine medio. Ad hoc enim vt spatium aliquod sine eiusmodi saltibus percurratur, opus est vt à mobili adæquatè tangatur : tangit namque illud non adæquatè, sed inadæquatè est penes aliquam partem non tangi à mobili, adeóque hoc de extrema eius spatij parte ad aliam extremam pergere sine transitu per intermediam. At iuxta nostram solutionem, spatium plani adæquatè nunquam tangi potest à globo per illud rotato, cum vtriusque contactus sit semper inadæquatus. Ergo, &c. Respondeo, assignata in plano quouis parte intermedia, eam tangi à globo, dum hic per illud mouetur, quamuis inadæquatè, & in alia parte minori : & rursus ne hanc ita non tangi, quin assignabilis sit in illa quædam alia, quæ tangantur, & sic de hac tertia, & ita in infinitum : itaque inter quosuis terminos plani quantumuis sibi vicinos semper aliquid spatij inadæquatè tangitur à globo per illud agitato : atque hoc satis superque est, vt nulli dentur in motu globi per planum saltus, aut transitus de extremo ad extremum sine medio, etiam imperceptibiles. Sed de hoc iterum tract. sequenti.

47. Dices tertiò, doctrinam præsentis nostræ solutionis non cohærere cum dictis suprà tract. 4. cap. 3. & 4. Sed quod cohæreat, est manifestum : namque ibi tantum negauimus globum tangere planum in parte indeterminata, contactu adæquato : quippe de hoc solo loquebantur ij, quos impugnabamus : hic autem admittimus contactum globi, & plani in huius parte indeterminata, non adæquatum, sed inadæquatum. Rursus modò dicimus, planum tangi in parte indeterminata à globo, dum hic per illud mouetur continuè, atque in tempore : at ibi duntaxat asseruimus contactum vtriusque, non in parte indeterminata, sed in solo puncto ; præscindendo à tali motu alterius per alterum, ac supponendo globum tangere planum in solo puncto, quando aut quieuit ab omni motu, aut quando post motum temporaneum peruenit ad instans, in eoque quodammodo mouetur ad punctum spatij. Quæ ergo hic asserimus, & quæ loco citato præsupposuimus, haud discrepant inuicem, sed potius inter se belle colludunt.

48. Dices denique quartò, & superiorem confirmabis instantiam : si vera sit doctrina impræsentiarum tradita nullum erit fundamentum, quo probatum est à nobis, actu dari in continuo puncta : id enim probauimus, vbi suprà, ex contactu globi, & plani in solo puncto : vbi autem contactus vtriusque esse possit in parte indeterminata, vt esse posse concedimus, cur esse debeat vllatenus in puncto, nedum in eo solo ? quod si non debet, actum videtur esse de argumento à nobis facto. Respondeo, puncta à nobis vbi suprà probata esse, ex eo quod contactus adæquatus globi, & plani esse debeat in solo puncto : talem autem esse posse eorum contactum non repugnat, esto alter alterum tangat inadæquatè in parte indeterminata, vt adstruimus in præsenti : Insuper, quod globus tangat planum in solo puncto, inter quiescendum ab omni motu, aut dum mouetur quodammodo instantaneè, vti loco obiecto arguebamus, non obstat, quo minus tangat planum in parte indeterminata, quando successiuè, & in tempore mouetur. Argumentum ergo, quod instauratuimus pro existentia punctorum, haud infringitur, nec labefactatur per doctrinam, quam in præsenti tradimus. Et quidem quòd contactus globi, & plani possit esse inadæquatus, & in parte indeterminata semper minori, atque minori, dum mouetur, quia inter quiescendum, potest esse in minimo, seu puncto indiuisibili : tantum ergo abest, vt ex contactu globi, & plani, qualem modò adstruimus, eneruetur argumentum factum pto punctis

continui,

continui, vt potius ex prefato contactu lucem, & robur accipiat.

49. Arguunt septimò alij aduersus veriorem sententiam. Si continuum constaret ex partibus etiam proportionalibus infinitis, eæ essent inter se re ipsa, licèt non ad sensum, æquales, & adæquatè distinctæ, aliæque omninò extra alias: quod enim plures dicunt, eas esse infinitas, infinitéque diuidi posse, non secundum æqualitatem, sed secundum proportionem minoris ac minoris, id à nobis reiectum est satis superque cap. 1. huiusmet tractatus: at eo modo repugnat infinitas partium continui: ergo nullo modo est possibilis. Id suadetur: nam si partes infinitæ, eo modo qui dictus est, darentur in continuo, haud dubiè duobus terminis versus locum clauderentur; possétque, & deberet in iis assignari prima, & vltima. Consequens autem est absurdum: ergo & id ex quo sequitur. Consequentis absurditas probatur: quia ex illo consequenti vlterius sequeretur, Deum posse, incipiendo ab hac duratione determinata, ac non proportionali, sed sensibili & longiuscula, & prosequendo pro cæteris durationibus etiam determinatis totius æternitatis, destruere præfatas partes infinitas continui bipalmaris verbi gratia, nempe primam eius partem proportionalem in prima duratione determinata æternitatis: secundam partem itidem proportionalem in secunda duratione determinata: & sic vltra sine fine: haud secus, ac determinatæ pœnæ damnati licet infinitæ, in infinitis durationibus determinatis à Deo successiue producuntur. Tum sic: in eo euentu nulla pars indeterminata præfati continui bipalmaris designari posset, de qua verum non esset enuntiare in aliqua duratione determinata, *iam destructa est*: sicut ex pœnis damnati successiuè producendis, quantumuis numero infinitæ & etiam determinatæ sint, nulla erit, de qua in aliqua duratione determinata non erit verum enuntiare, *iam producta, & transacta est*, cum post quamuis earum pœnarum alia subsequatur: ergo de parte indeterminata seu proportionali, quæ in prædicto continuo vltimum locum obtineret, verum esset adueniente aliqua duratione determinata enuntiare, iam destructa est: cùm igitur omnes illæ partes non nisi successiuè destruerentur, singulæ nimirum singulis durationibus determinatis, ac per consequens vltima pars destrui non posset, nisi prius destructis omnibus, quæ eam loco antecederent, sanè in aliqua duratione determinata æternitatis verum esset dicere, *infinitæ partes indeterminatæ, seu proportionales incipiendo ab vna duratione determinata æternitatis, & prosequendo per cæteras, in aliqua tandem successiuè destructæ sunt.* Consequens autem hoc postremum, ex præcedentibus manifestissimè illatum, videtur haud minus manifestè falsum: nisi namque tale sit, cur pœnæ omnes Iudæ verbi gratia quantumlibet infinitæ, in aliqua tamen duratione determinata æternitatis desinere esse non possint? aut cur aliàs infinitum simpliciter tale transigi, & finiri, ac proinde finitum esse nequeat? Confirmatur: si partes illæ proportionales, quas prædiximus, haberent primam, & vltimam quoad locum, eas etiam haberent infinitæ durationes determinatæ, quibus commensurantur, & in quarum singulis singulæ suo ordine destruerentur: at euidens est, infinitas durationes determinatas successiuè labentes, haud posse sortiri primam, & vltimam: tum propter dicta: tum etiam quia eadem ratione infinitæ partes non solum proportionales, & indeterminatæ, sed determinatæ, ac sensibus perceptibiles continui permanentis possent habere primam, & vltimam, quod tamen falsum esse patet: eiusque falsitas à nobis non tantum concederetur, sed etiam ex professo suadebitur infra libro septimo, cùm sermo fuerit de infinitate corporis naturalis.

50. Respondeo, in continuo permanente bipalmari, verbi gratia esse infinitas partes proportionales, sin minus re ipsa, saltem sensibiliter æquales, adæquatéque distinctas, & extra se positas: & tamen eas sibi definire primam & vltimam quoad locum. Quod autem obiicitur in contrarium, posse Deum eas destruere per totam æternitatem proportionabiliter & commensuratè ad huius durationes determinatas: primam scilicet partem proportionalem siue indeterminatam, in prima duratione determinata: & secundam partem itidem indeterminatam in secunda duratione determinata: & tertiam in tertia, ac sic in infinitum; hoc inquam negandum est, eoque negato cessat tota vis argumenti, & confirmationis. Quod negandum sit, ac velut omninò falsum reiiciendum, liquet: quia continuum permanens infinitarum partium, de quibus loquimur, & continuum successiuum infinitarum partium determinatarum æternitatis à parte post haud habent inter se, absolutè loquendo, proportionem, nec possunt inuicem commensurari: quo modo ergo potest Deus vnius partes destruere proportionabiliter & commensuratè ad partes alterius. Id autem ostenditur.

51. Primò: quia alterum continuum eorum, nempe permanens, est finitum versus maximum, & alterum è contrario est infinitum syncathegorematicè: hoc posterius vtrinque conceditur: illud prius, quod à nobis adstruitur, nempe non obstante infinitate partium indeterminatarum, continuum permanens, esse posse finitum versus maximum, esto videatur petitio principij, nequaquam tamen talis est, cum non assumatur gratis, vt aiunt, & absque fundamento, sed rationibus haud paucis id in loco efficacissimè probauerimus. Rursus prius continuum est partium indeterminatarum innumerabilium, posteriùs verò infinitarum partium etiam determinatarum: vtraque ergo de causa fit, vt eorum alterum non habeat respectu alterius proportionem, nec ei possit commensurari. Quod amplius demonstratur: quantitas continua, & quãtitas discreta haud semper habent inuicem proportionem, vt ostensum ex professo c. 4. huiusmet tractatus: similiter ergo quantitas continua permanens, & quantitas continua successiua haud debent habere proportionem: adeóque in præsenti, &c. Quid plura? vna quantitas permanens continua cum alia etiam permanenti, atque continua non habet aliquando proportionem, nec ei potest commensurari: mirum ergo non est, si in præsentiarum haud vendicent sibi proportionem, nec commensurentur inuicem quantitas continua permanens bipalmaris verbi gratia & quantitas continua successiua durationum æternitatis? id perspicuum est; quia, vt demonstrauimus supra tract. 5. cap. 5. ex Euclide & Mathematicis diameter est asimeter,

asimeter, siue incommensurabilis costæ in quadrato, & alia quauis figura: nec potest assignari certa aliqua dimensio, per quam mensurentur ambæ illæ extensiones, siue quæ toties sit in vna, ac toties in alia.

52. Quanquam autem, iuxta Doctrinam solutionis nostræ hactenus probatam, nequeat Deus destruere successiuè partes indeterminatas continui bipalmaris verbi gratia, seruando porportionem cum infinitis durationibus determinatis æternitatis; at eas aliter, & absque ea proportione, & ordine sumptas potest destruere successiuè per totam æternitatem: & sic non videret Deus vnquam vltimam earum destructam, sed assignata quauis destructa supereſſent semper aliæ plures destruendæ; ad eum modum, quo in pœnis damnatorum vna semper subsequitur aliam, & ex ea veluti renascitur. Tandem apponunt aduersarij duplicis generis argumenta: alia, quibus in vniuersum probari consueuit, repugnare actu infinitum cathegorematicum secundum numerum: alia vero, quibus probatur, tempus haud posse constare ex partibus, sine fine diuiduis, & quæ à paritate rationis vim etiam habent in continuo permanenti. Sed ad posterioris generis argumenta fiet satis tract. sequenti huiusmet libri; & ad prioris generis inferius lib. septimo.

TRACTATVS VIII.

Compositioni continuæ corporis naturalis quæ compositio continua temporis respondeat?

CAPVT PRIMVM.

Tempus corporis naturalis, & cuiusuis alterius entis ex instantibus omnino indiuisibilibus, sed tamen non solis constare verius est.

1. PRIOR pars nostræ sententiæ, qua statuimus, aliqua esse in tempore quouis instantia omninò indiuisibilia, est omnium eorum scholasticorum, qui tuentur, esse in corpore naturali continuo aliqua puncta omninò indiuisibilia. Probatur autem primò authoritate sanctorum Patrum: ac in primis Augustini lib. 12. confession. cap. 28. ibi: *Quis neget, tempus præsens carere spatio.* Et lib. 11. confession. cap. 15. *Si quid intelligitur temporis, quod in nullas, vel minutissimas momentorum partes diuidi possit, id solum est, quod præsens dicatur; quod tamen ita raptim à futuro in præteritum transuolat, vt nulla mora extendatur: nam si extenditur, diuiditur in præteritum, & futurum: præsens autem nullum habet spatium.* Quid his clarius?

2. Consentit, & quidem manifestissimè, Basilius Homilia 1. in Hexaëmeron, vbi super ea verba Genes. *in principio fecit*, sic inquit ibi: *Creatio rerum momento minus perfecta est, citraque omnem temporis absoluta morulam: quandoquidem impartile quiddam est principium, nec vlla interuallari dimensione à se toto dispescitur. Quemadmodum enim principium viæ via nondum est, domus quoque principium neutiquam censetur domus: itidem & principium temporis adeo tempus non est, vt ne eius quidem sit minima portio. Quod si vnus aliquis contentione pernicaci astruet, temporis ptincipium esse tempus: is nouerit, ipsum principium oportere, iuxta hanc positionem, diduci in multifidas temporis partes, nempe in principium, media, atque finem. Atqui res prorsus deridicula videtur, vel mente concipere principium principij.* Hæc ille.

Quibus consimilia habet D. Isidor. Hispalens. 3. lib. 13. Etymolog. cap. 2. ibi; *Partes horarum admittunt diuisionem, quousque venias ad tantum temporis punctum, & quandam momenti stillam, vt per nullam morulam produci possit, & ideo iam diuidi non potest: hæc est atomus temporis.* Fauet etiam B. Hieronymus tom. 3. in epist. ad Minerium & Alexandrum ibi; *Quando enim dicit* (supple, Paulus 1. Corinth. 15.) *in puncto temporis & in motu oculi, atque momento futuram omnium resurrectionem, cunctam primæ, & secundæ resurrectionis excludit fabulam: vt alij primi, alij nouissimi resurecturi esse credantur. Atomus autem punctum temporis est, quod secari, & diuidi non potest.* Nec minus apertè fauent Greg. Nissen. in lib. de opificio hominis cap. 22. in hæc verba; *Punctum, & oculi momentum appellat* (scilicet Paulus vbi suprà) *Extremum temporis terminum omnis expertem dimensionis, quique nullas in partes diuidi queat.* Et Damascen. in Dial cap. 33. ibi; *Tria igitur sine quantitate; vnitas, & punctum, & nunc.* Eidem etiam sententiæ suffragantur Concilium senonense, Iulius primus Pontifex, Cælestinusque etiam Pontifex, locis cap. sequente citandis, neque non etiam B. Anselmus hoc ipso cap. referendus. Patribus ac Pontificibus Ecclesiæ libet tandem accensere Senecam lib. 6. natural. quæst. cap. 32. ad finem ibi: *Fluit tempus, & auidissimos sui deserit. Nec quod futurum est, meum est, nec quod fuit. In puncto fugientis temporis pendeo.*

Rursus secundò prior illa pars nostræ sententiæ titulo capitis præfixæ probatur ex diuersitate, quam res habent in incipiendo, atque desinendo. Pro qua explicanda suppono, res bifariam incipere, & desinere esse; nimirum intrinsece, aut extrinsece: incipere esse extrinsece est incipere per vltimum sui non esse; in hunc modum, *Nunc non est res & immediate post erit:* Desinere esse extrinsece, est desinere per primum sui non esse, in hunc modum; *Nunc non est res, & immediate antea fuit:* Incipere esse intrinsecè est incipere per primum sui esse, hoc pacto; *Nunc est res, & immediate antea non fuit:* Desinere esse intrinsece, est desinere per vltimum sui esse, hoc pacto; *Nunc est res, & immediatè post non erit.* Inceptio & desitio intrinseca, siue per esse rei primum aut vltimum, eiusmodi appellatur, quia esse rei ei intrinsecum est: inceptio verò, & desitio extrinseca, siue per primum, aut vltimum rei non esse, eiusmodi etiam vocatur, quia non esse rei re vera ei extrinsecum est. Porro, sicut in præfatis propositionibus voculæ *fuit*, & *erit*, significant solas partes temporis, ita etiam vocula, *nunc*, iterum atque iterum repetita solum instans indiuisibile denotat. 4.

Suppono deinde, res omnes simul, & non successiue productas incipere, & desinere esse intrinsece: simul enim producuntur: ergo in instanti: ergo de iis verum est, *Nunc sunt, & immediate antea non fuere:* Eademque ratione, 5.

nunc

nunc sunt, & immediatè post non erunt. Producuntur autem, destruuntúrque simul res omnes indiuisibiles, eo quod careant partibus, quæ successiuè & vna post aliam producantur, destruanturue: necnon qualitates diuisibiles contrario carentes, quo earum tota, & simultanea productio impediatur, aut consimilis destructio promoueatur, quales sunt lux, intellectio, volitio, & sensio, ac tandem forma substantialis vitalis, quamuis diuisibilis censeatur, in determinatam materiæ partem vltimo dispositam minimi naturalis nomine appellatam tota simul introducitur, eodémque modo ab ea expellitur. E contrario verò res omnes successiuè productæ incipiunt, & desinunt esse extrinsecè: si enim extrinsecè, & per primum, aut vltimum sui esse in aliquo instanti inciperent, aut desinerent, sanè non successiuè, sed simul quoad aliquam sui partem producerentur, ac destruerentur. Quæ autem successiuè producuntur, sunt qualitates omnes, quæ contrarium habent, & motus localis, qui, licet contrario careat, ratione tamen spatij interiecti successiuè produci, & mobile prius in vna parte spatij quam in alia collocare debet. De his, quæ diximus, tum hoc numero, tum etiam præcedenti huius cap. qui plura velit, adeat Patrem Suar. de Sacrament. tom. 3. in 3. p. disp. 8. sect. 2. necnon Conimbricenses, Toletum, Rubium, Pererium, & Hurtadum in physica. Suppositа ergò eorum, nostráque doctrina paulo superius breuiter explicata, sic arguo. Res omnes indiuisibiles, necnon qualitates diuisibiles contrario carentes, formæque substantiales vitales in hoc saltem rerum ordine simul, & instanti omnino indiuisibili incipiunt, seu producuntur, eadémque ratione destruuntur ac desinunt esse, vt suprà efficaciter est probatum: at id fieri non posset, si non darentur in tempore instantia prorsus indiuisibilia: ergo &c. Tertio probatur prior illa nostræ sententiæ pars; quia in continuo permanenti dantur indiuisibilia, vt ostensum est suprà tractat. 4. capite 3. & 4. quidni ergo dentur in continuo successiuo? Et quidem rationes Authorum ea non minus in hoc posteriori continuo, quam in illo priori negantium in simili solutæ sunt à nobis loco proximè citato.

6. Iam vero posterior nostræ sententiæ pars, nimirum tempus haud componi ex solis indiuisibilibus, seu momentis prorsus talibus, est ferè eorum omnium philosophorum, qui defendunt continuum permanens ex solis punctis omninò indiuisibilibus haud coalescere. Dixi, *ferè*, propter Patrem Ouiedo, qui controu. 17. phys. punct. 11. n. 3. probabilius putat, tempus non constare nisi ex instantibus omni ratione impartibilibus, & tamen continuum permanens magis ex partibus sine fine diuiduis, quam ex solis punctis nulla ratione secabilibus, aut extensis componi. Sed enim quod inconsequenter procedat, quodque vera sit, vt dixi, posterior opinionis nostræ pars, hunc in modum suadetur. Namque cur de vtroque continuo eodem modo philosophandum non sit? an quia, vt ait Ouiedo vbi suprà difficultates contra nos, & Aristotelem impresentiarum obiici solitæ, magis vrgent in continuo successiuo, quàm in permanenti: at hoc falsum esse constabit, cap. 4. huius tractatus? an solùm, quia vtriusque dispar est natura, atque conditio? vnde fit, alterum ex solis indiuisibilibus, non alterum coalescere: at etiam hæc ratio nulla est: quia quod diuersæ sit naturæ vtrúmque continuum, arguit quidem, indiuisibilia vtriusque diuersa esse: non verò alteri indiuisibilia sola, & non alteri inesse: aliàs eadem ratione defendi posset, aquam ex indiuisibilibus solis coalescere, secus verò ignem; nimirum, quia hic, & illa non est eiusdem generis, & naturæ.

Secundò probatur eadem posterior nostræ sententiæ pars: quia instans omninò indiuisibile additum alteri non facit maius: ergò maius successiuè tale, siue tempus haud poterit coalescere ex solis instantibus prorsus indiuisibilibus. Consequentia est perspicua. Probatur antecedens: tum à paritate punctorum continui permanentis, quorum nullum immediatè additum alteri posse facere in suo genere maius probatum est suprà tract. 5 cap. 1. tum etiam authoritate Anselmi in lib. de Incarnat. cap. 8. ibi *Punctum in puncto non est, nisi punctum: habet enim punctum, velut medium, punctum mundi, velut punctum temporis, id est, præsens tempus, æternitatis nonnullam similitudinem, non parum ad eiusdem æternitatis contemplationem vtilem. Vnde latius aliàs disputandum est, hic tantum hoc sufficiat, quia punctum simplex, id est, sine partibus, & indiuisibile est velut æternitas: & ideo punctum cum puncto sine interuallo non est nisi vnum punctum; sic æternitas cum æternitate non est nisi vna æternitas.* Hæc Anselmus, quibus nihil clarius, aut subtilius. 7.

Tertiò probatur illa met posterior opinionis nostræ pars: quia si tempus indiuisibilibus prorsus talibus constaret, eadémque ratione continuum permanens ex punctis; sanè nullus motus esset velocior alio, vt suprà tractat. 5. fusè ostendi: Imò & si continuum permanens ex punctis indiuisibilibus Physicè, & Mathematicè non constaret, sed vel ex partibus virtualiter extensis; si tamen tempus ex instantibus omninò indiuisibilibus constaret, motúsque quiuis in instanti fieret, certè non posset motus circuli superioris velocior esse motu circuli inferioris, absque rotæ diruptione, aut flexione, vt etiam citato tract. 4. de monstratum. 8.

Quartò denique suadetur id ipsum, quod posteriori loco adstruximus: quia omne tempus bifariam; ideſt, in duas partes æquales diuidi potest: at si instantibus finitis duntaxat constaret, ita haud esset diuiduum: ergo &c. Maior suadetur, quoniam omnis quantitas permanens bifariam diuidi potest, vt constat ex Euclide lib. 1. propositi. 9. & 10. ergo & omnis quantitas successiuè siue tempus omne. Minor vero perspicua est: quia tempus constans quinque instantibus bifariam, siue in duas partes æquales diuidi non potest; ideóque numerus non par, sed impar est, & appellatur.

***

CAPVT II.

Tempus corporis naturalis, alteriuſue vllius rei, ne etiam ex ſolis inſtantibus phyſicè indiuiſibilibus, ſed virtualiter diuiſibilibus, & inflatis, extenſiſue conſtare verius eſt.

9. PRobatur primò, & niſi fallor euidentiſſimè: quia alioqui darentur morulæ, dum deſcendit lapis in centrum, in tali eius deſcenſu, ac motu: nam morari lapidem eſt vbicationem lapidis in vno, & eodem ſpatio loci per aliquod tempus durare: at, dum lapis deſcendit in centrum, eius vbicatio A. verbi gratia, motu producta duraret per aliquod tempus determinatum, & non qualecunque, aut penè induiſibile, ſed diuiſibile infinities: non autem in alio, alióque ſemper ſpatio loci (haud enim eſt indifferens ad hoc, & illud) ergo in eodem. Porrò tales morulæ imprimis ab aduerſariorum non paucis minimè admittuntur, & ob id aliam explicandi temporis rationem ineunt. Deinde impugnantur morulæ illæ, ſi fortè ab iis concedantur, quia non poſſent non eſſe perceptibiles: ſiquidem eſſent tot morulæ, quot motus: nam non ſunt plures motus, quam vbicationes: at quot ſunt vbicationes, tot ſunt morulæ, vt noſtrum probat argumentum: non ſunt ergo plures motus verbi gratia deſcendentis in centrum, quam morulæ, ſed totidem. Quin etiam morulæ duratent centies millies, pluſquam motus: his ergo perceptis, quomodo non perciperentur morulæ: ergo ſuadetur aſſumptum: etenim tempus immaginarium cuiuſuis vbicationis diuidi poteſt in particulas centum mille, & vnam amplius: fac ergo productionem primam vbicationis, ſiuè motum in ordine ad illam factum durare in vna tantum particularum illarum, eamque totam ſibi vendicare; certè conſeruatio eius vbicationis, quæ non eſt motus, ſed quies, & mora in cæteris durabit: in illis enim durabit vbicatio; cum non ergo vt primò producta, neceſſe eſt, vt quatenus conſeruata: reliquæ autem particulæ, ſunt centies millies plures, quam vna ſingulis earum æqualis: tantundem ergo, & non minus excedentur motus lapidis à morulis, quas texit inter deſcendendum. Eodem argumento probari poteſt, morulas non tantum centieſmillies eſſe plures quam motus, ſed etiam millieſmillies, & biſmillies millies, & decieſmilliesmillies, centiéſque millieſmillies, & ſic in infinitum; cum nullus numerus partium temporis, in quo durat quæuis vbicatio lapidis deſcendentis in centrum, aſſignari poſſit, quo non ſit aſſignabilis alia maior.

10. Secundò impugnatur eadem ſententia: quia duratio A. verbi gratia ſi eſt virtualiter in infinitum diuiſibilis, ac virtualiter extenſa, aut, quod perinde eſt, ſi æquiualet infinitis durationibus minoribus, ac minoribus ſemper, quin vlla ſit, quam non ſequatur alia magis exigua; planè ſequetur, has omnes, ſi Deus velit eas ſucceſſiuè, vt aiunt, producere, pertranſitum iri, atquè finiendas eſſe intrà ſpatium durationis A, & ſimul non pertranſitum iri tum, neque eſſe finiendas. Prior contradictionis pars ſuadetur: nequit finiri æqualium vnum aliquo temporis ſpatio, abſque eo quod in illo finiatur aliud: vt ſi in decem inſtantibus decem Angeli poſſunt à Deo produci, in iiſdem quidni decem homines ab eo poſſint produci? at duratio A finitur tranſacto ſpatio temporis imaginarij, cui eſt ſuaptè natura commenſa: tum ergo finientur infinitæ illæ durationes, quæ durationis A magnitudinem, vt ſupponitur, non excedunt. Rurſus finito ſpatio, ſiue tempori imaginario (de quo perinde ac ſi eſſet reale, in hac, & quauis alia ſimili quæſtione loquendum) durationes omnes ei commenſæ finiantur neceſſe eſt: aſt infinitæ durationes ei, quæ vocatur A, æquales, huius ſpatio, ſiue tempori imaginario reſpondent, & iſtud ſpatij, cui reſpondent, finitur; aliàs ne finem habitura eſſet duratio A: omnes ergo, non obſtante earum infinitate finem ſortientur.

11. Poſterior contradictionis pars ſuadetur: idcirco, iuxta aduerſarios, partes horæ, ſi ſint diuiſibiles formaliter in infinitum, pro eo ac putauit Ariſtoteles, non poterunt vnquam finiri, quia nulla eſt, ad quam non ſequatur alia: idcirco etiam iidem putant, inſtantia æternitatis ex parte poſt, quod aiunt, nunquam exhauſtum iri, aut ad finem peruentura, quia nullum eorum eſt ex quo non renaſcetur aliud: at durationum infinitarum, de quibus loquimur, nulla eſt poſt, quam non ſit futura alia: non ergo poterunt finiri in tota æternitate, nedum in durationis A. ſpatio. Rurſus, ſi infinitæ illæ durationes finiri, ac ſucceſſiuè produci omnes poſſunt vnius horæ ſpatio (faciamus tantundem perſeuerare moram illam, ſiue durationem A.) ſane ſupplicia damnatorum vt vt, innumerabilia, eius horæ interuallo poterunt exhauriri: aduerſarij enim non diſtinguunt nobiſcum inter infinitatem, & infinitatem: nec vnam putant eſſe poſſe proportionalem, aut indeterminatam, aliam verò non proportionalem, & determinatam: vnde, ſi determinato tempore aliquam infinitatem dant poſſe finiri, neceſſe eſt id fateantur de omni: quid autem magis ridiculum, quam damnatos meritas peccatorum ſuorum pœnas luere, nec tamen vltra horam eos puniri? Pari etiam ratione fieret, æternum illud gloriæ pondus bonis iuſtorum operibus debitum citiſſimè poſſe euaneſcere, intra horam verbi gratia, & quamuis breue ſit, atque volatile, eſſe tamen ex condigno & non infrà: quo tamen quid magis abſonum?

12. Tertiò confutatur eadem opinio: quoniam nullum eſt inſtans temporis imaginarij, in quo homo (niſi dormiat, aut alia de cauſa non aduertat) conuerti ad Deum, atque de peccatis ſuis reſipiſcere nequeat: at hoc, quod admittendum

mittendum esse mox constabit, non possunt admittere, nec tueri ij quibuscum cernimus: ergo, &c. Minor est perspicua: namque, cum tempus imaginarium, cui coexistit peccatum Petri verbi gratia, eiúsque duratio indiuisibilis A. infinitis partibus constet, atque in ea aliæ minores, & minores semper possint assignari; sane ex suppositione quod peccatum Petri, eiusque duratio illa indiuisibilis sit in aliquibus, non potest non esse in omnibus, cum essentialiter respiciat omnes: post transactum ergo primum instans imaginarium illius temporis in cæteris omnibus necessario durat peccatum Petri: quî ergo in eis liberum & integrum illi esse potest, conuerti à peccato, atque in gratiam, & amicitiam Creatoris sui redire? Maior autem nostra suadetur authoritate concilij Senonensis in decreto fidei 15. vbi hæc habentur: *cum illa* (scilicet gratia Dei) *semper sit in promptu; nec momentum quidem prætereat in quo Deus non stet ad ostium, & pulset &c.* Quorsum autem staret in quouis momento ad ostium pectoris nostri, nisi in quouis ei possumus aperire, eique obtemperare; suprà illud Apocalypsis 3. *Ecce sto ad ostium & pulso; si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, introibo ad eum*: vbi particula; *si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam*; indicat vtrumque esse in manu peccatoris præsente, atque aspirante gratia Dei. Huc faciunt ea sacræ paginæ loca, in quibus adstruitur, quoduis instans vitæ nostræ esse, & viæ: ex eis enim fit, hominem in quouis instanti posse conuerti, ac vitam æternam promereri: perinde enim est, esse in via, atque talis meriti esse capacem: quod autem supponimus adstrui variis Scripturæ locis de via nostra, id non sine fundamento supponi exploratum est: quid clarius? (vt alia omittam testimonia) eò Ecclesiastici capite 11. vers. 17. *ante obitum operare iustitiam.* Et capite 16. vers. 19. *ante iudicium para iustitiam tibi.* Et vers. 22. *ne verearis vsque ad mortem iustificari.* Certè quoduis instans vitæ nostræ est ante obitum, iudicium, mortem. Quando igitur ante hæc possumus mereri, & ad Deum conuerti profectò id possumus in quouis instanti nostræ vitæ & à Deo concessi nobis æui.

13. Dicent aduersarij, peccatorem, ex suppositione quod semel talis sit in aliquo instanti temporis imaginarij, non posse à peccato suo ad Deum conuerti, pro cæteris instantibus, quibus prior duratio indiuisibiliter respondet, & quæ non minus quam prius illud respicit: cæterùm hanc suppositionem esse consequentem: idem enim est, peccatum esse, seu durare in illo instanti priori, ac esse in sequentibus, quæ est durationis simplicitas, & indiuisibilitas: proindè non posse peccatorem non esse talem in sequentibus, ex suppositione quod sit peccator in priore, est non posse statum peccatoris, eundem, & indiuisibilem, non esse ex suppositione quod sit; quæ necessitas, & suppositio eam inferens est consequens, & non antecedens: vnde ea non tollit libertatem antecedentem, & propriè talem, pro quouis eorum instantium in peccatore, vt conuertatur, si quidem velit conuerti à viis suis malis: qua ratione Deus in quouis instanti liberè amat iustum; quia, licet ex suppositione quod semel eum amore prosequatur, non possit non semper prosequi, hæc tamen suppositio est consequens determinationem diuinæ voluntatis, eam, inquam, per quam in quouis instanti amat, & ab ea est prorsus indistincta, non verò illam antecedens: haud enim per alium actum amatur iustus à Deo in instanti A. verbi gratia, & per alium ex priori necessaria ratione deriuatum amatur in reliquis instantibus, sed per eundem, & indiuisibilem.

14. Hæc solutio facili negotio, nisi fallor refelli potest. Namque ex sacri instrumenti pagina id videtur apertè colligi, peccatorem, ex suppositione quod talis sit in quocunque instanti, nihilominus posse in sequenti ad Deum conuerti; ita vt verum sit dicere; *nunc Petrus verbi gratia non est peccator, & immediate ante fuit in statu peccati*: excellentia enim diuinæ gratiæ, eiusque vtilitas in sacra Scriptura tantopere commendata in eo consistit, quod hominem alium, quam antè immediate fuerit, semper facere queat, scilicet de impio iustum, ac Dei filium: at hæc vis diuinæ gratiæ tollitur de medio ab aduersariis. Confirmatur: fingamus, tempus vitæ, ac viæ, peccatori reliquum, esse decem durationum diuisibilium virtualiter, & non plurium: sane partes imaginarij temporis, cui omnes correspondent, sunt infinitæ; & nulla partium harum est, in qua præsto non sit gratia: quorsum autem tanta, ac tam assidua gratiæ assistentia, si decem tantum temporis imaginarij partes sunt, in quarum vnà possit aliter se habere, atque in alia immediatè, aut quasi immediatè, antecedenti? ad hoc quidni satis sit, decies tantum conferri gratiam, in principio nimirum existentiæ durationis cuiusuis earum, de quibus loquimur: esto enim postea statim euanescat, nec redeat, donec incipiat sequens duratio indiuisibilis, eodem tamen modo peccatori proderit, vt est luce clarius: minuunt ergo aduersarij necessitatem gratiæ, aut sin minus gratiæ, certè continuationis illius, qua ad ostium cordis nostri stat, ac pulsat; cum tamen eam continuationem veluti necessariam, ac magnopere vtilem Scripturæ deprædicent.

15. Confirmatur, & declaratur iterum: quamuis aduersarij vtcunque possint explicare, quod homo in quocunque instanti imaginario possit potentia antecedenti non peccare; at nullo modo, quod ita possit à peccato conuerti, cum tamen hoc posterius ex scripturis apertè colligatur, nec nisi iis negatis possit negari. Assumptum suadetur: etenim peccatum actuale Petri verbi gratia, semel commissum sortitur primam durationem realem, non indiuisibilem omninò, sed potius virtualiter diuisibilem in infinitum, hoc est respondentem infinitis partibus temporis imaginarij: quamuis autem in

quauis harum peccatum potuerit non committi, aut non fuisse factum, (vt sic dixerim) at in nulla, ex suppositione quod semel præcesserit, potest tolli: Petrum autem conuerti est eius peccatum tolli, ex suppositione quod præcesserit, non verò eum numquam peccasse: ad conuersionem ergo in nullo eorum instantium erit potentia antecedens.

16. Quartò principaliter eadem sententia confutatur: quia eius Authores communiter negant durationes virtualiter indiuisibiles, & instantaneas, nullóque modo extensas: at quod sint admittendæ suadetur: tum, quia vbicationes prorsus indiuisibiles, & omni extensione destitutæ dantur in rebus, vt suprà ostensum manet: similiter ergo, &c. Secundò, quia eas videtur admisisse Iulius primus in decreto, quòd habetur tom. 1. Conciliorum, post. 3. eius epistolam, & cuius etiam fit mentio dist. 3. de pœnit. cap. *talis*. Verba Pontificis sunt isthæc; *quia dominus non solum temporis, sed etiam mentis inspector est, sicut latro vnius momenti pœnitentia meruit esse in paradiso &c.* Vbi, cum momentum distinguatur contra tempus, planum est, sermonem esse de momento, quod non sit tempus etiam breuissimum, aut morula quantumuis minima, adeóque de momento siue instanti tum formaliter, tum virtualiter indiuisibili. Eodem modo, quo Iulius loco suprà dicto locutus est, videtur loqui Cælestinus Papa epistola ad Episcopos Galliæ cap. 2. ibi: *vera conuersio mente potius, quam tempore metienda est, dicente Propheta; si conuersus fueris, saluus eris.*

17. Denique durationes omninò indiuisibiles, & ne virtualiter extensæ, ac diuisibiles nequeunt non dari, hoc ipso quod dentur instantia temporis omninò indiuisibilia, & nullatenus extensa: quod autem hæc dentur, patet ex dictis cap. 1. huius tractatus, ac præsertim ex testimoniis Sanctorum Patrum, quæ ibi allegauimus. Namque Augustinus ibi à nobis relatus ait, dari instantia, quæ careant spatio, & quæ nulla mora extendantur; Basilius ea dari, quæ sint citra omnem temporis morulam, nullámque habeant interuallarem dimensionem; Isidorus ea, quæ per nullam morulam produci possint; Hieronymus ea, in quæ nulla possit cadere sectio, aut diuisio; Gregorius Nissen. eiusmodi, vt sint expertia omnis dimensionis. Damascenus eiusmodi, vt destituantur quantitate; ac tandem Anselmus talia; vt eorum vnum additum alteri facere non possit maius: at nihil horum cadit in instantia imaginaria, siue realia inflata, atque extensa virtualiter: non ergo hæc, sed potius instantia omninò indiuisibilia adstruuntur à Patribus nuper per transennam memoratis, & cap. 1. latius allegatis.

CAPVT III.

Tempus corporis naturalis, & cuiusuis vlterius rei constare ex partibus sine fine diuiduis probabilius est.

18. AT probatur in primis authoritate Augustini lib. 6. de musica cap. 8. vbi sic loquitur: *quamlibet enim breuis syllaba cum & incipiat & desinat, alio tempore initium eius, & alio finis sonat: tenditur ergo & ipsa quantulocunque temporis interuallo, & ab initio suo per medium suum tendit ad finem. Ita ratio inuenit, tam localia, quam temporalia spatia infinitam diuisionem recipere: & idcirco nullius syllabæ cum initio finis auditur.* Quæ verba clariora sunt, quam vt egeant ponderatione. Pro eadem sententia allegari potest Basilius in Exaëmeron homil. 1. vbi sic inquit; *rei prorsus deridicula videtur, vel mente concipere principium principij. Quisquis enim principium* (temporis scilicet) *bipertitò secat, is duo principia pro vno efficiet, verius perquam multa, imò infinita, quando id quod semel dissecueris in alia rursus segmina intercidi potest.* Tum sic arguo: iuxtà Basilium, si principium temporis esset diuisibile, sane diuidi posset in infinitas partes: at quidquid sit de principio temporis, certe ipsum tempus est diuisibile: ergo non nisi in partes infinitas, ex doctrina magni Basilij. Fauet etiam Isidorus libro 13. Etym. capite 2. suprà citato, quatenus ibi distinguit partes temporis ab eius instantibus, siuè indiuisibilibus: necnon Damascenus cap. 33. dialecticæ eandem partium, & instantium temporis distinctionem innuens: atque Anselmus de incarnatione Verbi cap. 7. quatenus ibi docet, (pro eo ac retuli circa finem capitis primi huiusmet tractatus) vnum instans additum alteri non posse facere maius, siue quantitatem temporis. Alios Patres breuitatis causa prætermitto.

19. Et secundò sic argumentor à ratione. Tempus, seu continuum successiuum non constat ex solis instantibus formaliter, & virtualiter indiuisibilibus; nec etiam ex solis instantibus virtualiter diuisibilibus siue extensis inflatísuè, vt duobus capitibus præcedentibus manet ostensum: relinquitur ergo, vt constet partibus in infinitum diuiduis. Tertiò ac postremò argumentor pro hac eadem sententia: quia iuxtà eam facilè possunt enodari, quæ circa compositionem temporis difficultates in aliorum sententiis sunt prorsus inexplicabiles. Prior enim difficultas principalis aduersarios torquens in eo posita est, quod, sicut indiuisibilia continui permanentis, si sint immediata, haud possent non penetrari, & esse simul loco; ita etiam indiuisibilia continui successiui nequeant non coëxistere, & esse simul tempore, si sint immediata: ast hoc, quod adeo difficile est, in nostra, & Aristotelica sententia facilè componitur: siquidem ob id indiuisibilia temporalia sibi immediata deberent eo ipso esse simul, quia adæquatè essent immediata, & nihil vnius esset, quod non esset immediatum alteri, quæ nimirum esset eorum indiuisibilitas prohibens dari aliud & aliud, in quibus partim esset proximitas & contiguitas, partímque non esset. Cæterùm partes quæuis temporis ita sunt immediatæ, vt earum immediatio non sit adæquata, sed potius in alterutra possit semper aliquid assignari, quod alteri non sit immediatum, sed alicuius partis proportionalis, ac minoris interstitio distans:

fitum: haud ergo est, cur partes temporis, licet aliquo modo immediatæ, penetrentur inuicem, aut sint simul.

20. Posterior impresentiarum difficultas, ac per plurium fons est, qua ratione vnus motus alio velocior sit, siue, quod perinde est, cur extrema vnius motus magis inter se distent, quàm extrema alterius, etsi vterque motus æquali tempore duret, nullisque sit morulis interruptus. Hæc autem difficultas, quæ quanta sit ex superioribus patet, admissa infinitate partium temporis & loci trifariam explicari potest. Ac primò quidem si dicamus, licet vtrumque mobile per horam verbi gratia continuo moueatur, & per æqualem partem motus quantum vnum spatij de nouo acquirit tantundem aliud etiam acquirat; cæterùm plures esse partes horæ, in quibus testudo verbi gratia nihil spatij acquirit de nouo, quam sunt partes illæ, in quibus aquila denuò non acquirit aliquid de spatio loci: quia verò nulla pars horæ adeò exigua etiam ab intellectu diuino signabilis est, in qua adæquatè sumpta testudo nihil spatij acquirat, ita vt in ea penes aliquam illius partis particulam aliquid spatij non acquirat, partésque omnes horæ, in quibus nihil spatij acquirit, intermistæ sunt partibus, in quibus aliquid acquirit spatij: idcirco testudo totius horæ spatio numquam quieuit, nullámque morulam propriè texit: mora enim, aut quies à motu tunc vsuuenit, cum signari saltem à Deo potest aliqua particula temporis, in qua adæquatè sumpta nihil spatij mobile conficit: quod verò in aliqua temporis particula solùm inadæquatè sumpta nihil spatij conficiat, non tam mora, quam tarditas appellari debet. Porrò ex infinitate partium temporis proficiscitur, quod numquam sit deuenire ad aliquam partem temporis adeo exiguam, vt in tota ea nihil spatij mobile acquirat; sicut ex infinitate partium continui permanentis oritur, quod deuenire non sit ad vllam partem adeò exiguam, vt se tota aliam immediatè tangat: de quo plura superius.

21. Secundò id ipsum explicari in hunc modum potest. Quod vnum mobile velocius alio moueatur, maiusque spatium loci æquali temporis interuallo conficiat; oriri potest ex eo, quod vnum mobile plures eiusdem loci determinati partes indeterminatas motu suo non attingat, quas tamen mobile, quod tardius mouetur, motu suo attingit. Hinc tamen minimè fit, mobile transire de loco in locum sine medio, aut de extremo in extremum saltibus etiam imperceptibilibus ferri: quia ad saltum qualemcunque de extremo in extremum sine medio necesse est, vt aliqua sit particula spatij, quam secundum se totam, & adæquatè sumptam mobile motu suo non attingat, neque possideat. At eiusmodi particula spatij secundum se totam à mobili intacta nulla est nec à Deo signabilis est; eo quod partes omnes spatij à mobili non possessæ infinities intermixtæ, & variegatæ sint partibus spatij, quæ à mobili per motum possidentur: sic, vt iterum atque iterum dixi, nulla pars continui permanentis ab alia, aut è conuerso secundum se totam tangitur, sed signata quauis partim tangitur, partimque non tangitur ab alia. Hæc autem infinita alternatio partium spatij, quarum aliæ à mobili tangantur, aliæ verò non tangantur admissa infinitate partium spatij, rectè percipitur; ea vero negata, imperceptibilis est. Vno verbo: quod aliquis motus alio velocior sit, proficiscitur ex eo, quod in ordine ad tempus, aut in ordine ad locum, aut certè in ordine ad vtrumque vnus alio rarior sit; sicut è contrario, quod vnus alio tardior sit: quamobrem iure merito P. Hurtado in præsenti asseruit, difficultatem de velocitate, & tarditate motus valdè affinem esse difficultati de raro, & denso.

22. Ex his colligitur primò, qua ratione explicanda sit inæqualitas illa, qua mouentur vnius rotæ diuersi circuli inter se vniti, & quæ cæteris quidem explicatu difficilior est: siquidem in primis circulus inferior rotæ potest non quiescere moto superiori, non obstante vnius maiori velocitate quoad motum, quam alterius: quidni enim hoc habeant commune, cum cæteris omnibus mobilibus inæquali velocitate præditis? at disruptio rotæ dum mouetur, ex eo solùm oriri potest, quod aliquis eius circulus non quiescente, sed moto altero; suppositis ergo nostris principiis, non est cur rota circulariter mota debeat disrumpi, aut frangi. Deinde motus rotæ non fit præcisè in instanti; vt plures aduersariorum arbitrantur, sed in tempore: quare non est, cur circulus inferior rotæ in orbem agitatæ eandem quam anteà proportionem cum superiori non seruet, sicut oportet, vt rota nè flectatur quidem.

23. Colligitur secundò, velocitatem, & tarditatem motus, si in eo consistant, quod motus modò pluribus, modò paucioribus localis spatij partibus correspondeat, esse modo realiter distinctos à motu ipso, cum huius duratio, per quam tempori labenti coexistit, ab eo non distingui ex natura rei non possit. Quod si in eo consistant, quod motus per vbicationes à se successiuè productas modò pluribus, modò paucioribus spatij partibus æquali tempore correspondeat sanè velocitas, & tarditas à motu ipso nullo modo distinguantur, cum motus se ipso essentialiter tales talésque vbicationes producat, & modò maius modò minus spatium radicaliter respiciat, eique commensus. Colligitur tertiò, motum posse esse velociorem, & velociorem in infinitum syncathegorematicè, eadémque ratione tardiorem sine fine esse posse: cum velocitas, & tarditas motus desumantur in ordine ad partes loci, aut temporis; ad partes, inquam, indeterminatas, quibus motus commensus, aut non commensus est; partes autem hæ plures, aut pauciores in infinitum esse possint ob infinitatem temporis & loci; sanè motus velocior aut tardior in infinitum esse poterit.

Colligitur quartò, contra Caietanum tom. 3. tract. 2. de infinitate Dei, §. *sed quoniam*, & contra nostrum Ouiedo controu. 14. physic punct. 7. numero 8. motum aliquem diuinitus posse esse summè velocem, absque eo quod mobile rarefiat aut intumescat, siue, quod perinde est, absque eo quod in duobus locis, vnquam collocetur; nimirum si mobile motum omni-

bus partibus etiam indeterminatis temporis, & loci commensum exerceat, nullâque particula vtriusque sit, in qua etiam adæquatè sumpta plus spatij denuo non conficiat. Cæterùm ne diuinitus quidem motus aliquis summè tardus esse potest: quia, cum tarditas sita non sit in eo, quod mobile in toto tempore, vel in aliqua illius parte adæquatè sumpta, nihil spatij de nouo adipiscatur: sed in eo, quod absque vlla morula, aut quiete semper minus spatij de nouo comparet; sane cum spatium necessario sit minus, & minus in infinitum, & ad minimum diuinitus etiam deuenire non sit, ad motum tardissimum, & quo alius tardior non sit, ne de potentia etiam absoluta gradus esse poterit.

24. Atque hactenus duo priores modi explicandæ velocitatis, & tarditatis motuum localium. Alium ordine tertium addo, nulla ratione supponentem, quod partes aliquæ temporis etiam inadæquatè transeant sine motu eis respondente; nec quod similiter partes vllæ spatij localis motu non attingantur etiam inadæquatè. Namque, vti nullum punctum superioris circuli est, cui non correspondeat aliud in inferiori circulo; & tamen non sequitur, æquales esse numerum punctorum vnius, ac numerum punctorum alterius, nec per consequens dari inter ipsos circulos æqualitatem, quia videlicet, vt explicui tractat. præced. capite 3. & alibi sæpè, inter vnum infinitum, & aliud non potest esse stricta, & positiua æqualitas: vti, inquam, hæcita se habent, ita optimè stat, nullam esse partem etiam indeterminatam temporis in qua mouetur æquila, quando conficit spatium vnius leucæ verbi gratia, cui non correspondeat alia, in qua etiam adæquatè sumpta moueatur testudo: & tamen non esse æquales positiuè partes temporis mensurantis motum alterius, nequè durationem motus, quo altera pertransit spatium illud leucæ, esse æqualem durationi motus, quo altera tantundem spatij peragit, aut habere tot partes determinatas: nimirum ob id, quod infinita non seruent proportionem, nec dici possint inuicem æqualia.

25. Quin etiam, esto daremus, tot esse partes indeterminatas temporis imaginarij respondentis motui vnius, ac motui alterius, & veram esse inter vtrasque æqualitatem, haud propterea sequitur, vnum motum esse quoad durationem æqualem alteri, aut, quod perinde est, æquè velocem, aut tardum: quia scilicet quantitas discreta seu numerica, & quantitas continua, siue quoad tempus, non seruant proportionem, nec ex illius æqualitate huius rei infertur æqualitas. Deinde è contrario sumamus motum aquilæ durantem per spatium quadrantis horæ verbi gratia, & motum testudinis æqualiter etiam durantem: sanè nulla pars loci etiam indeterminata est, quam altera tangat etiam adæquatè, cui non respondeat alia pars loci, quam altera etiam motu suo adæquate pertingat: & tamen non sequitur, tot positiuè partes esse loci ab vna acquisiti per motum illum, quot sunt partes, quæ acquiruntur ab alia per æqualis temporis motum; aut spatium loci, quod altera percurrit, esse æquale spatio loci, quod altera peragit: nimirum ob infinitatem partium loci, & improportionem quantitatis discretæ, & numericæ ex vna parte, & quantitatis localis, atque continuæ ex alia, vt in simili proximè manet explicatum.

At inquies: vt inter infinitum, & infinitum partium indeterminatarum temporis, ac etiam loci potest dari positiua inæqualitas, ac plus, & minus; quidni & æqualitas? at inæqualitatem illam superius in duabus solutionibus præcedentibus admisimus: cur ergo renuimus æqualitatem, de qua sermo est, admittere in præsenti? Respondeo eam inæqualitatem re vera non esse à nobis superius admissam: quod enim diximus, plures partes indeterminatas temporis esse, in quibus testudo verbi gratia nihil spatij de nouo acquirit, quam partes, in quibus aquila definit nouum aliquod spatium acquirere; intelligendum est, non de pluralitate formaliter, ac stricte tali, sed tantum materialiter, & arguitiuè tali: quia nimirum si segregarentur partes temporis, in quibus testudo veluti cessat à motu, & non essent intermixtæ semper motibus, & similis fieret segregatio partium temporis, in quibus veluti non mouetur aquila; sanè priores partes longiorem moram, maioríque dimensionis quietem efficerent, quam posteriores. Et hac etiam eadem ratione explicandum est, quod posuimus, partes leucæ verbi gratia plures relinqui intactas ab vno mobili, velociori scilicet, quam, quæ relinquuntur intactæ ab alio, quod tardius mouetur. 26.

CAPVT IV.

Soluuntur argumenta contra nostram, ac veriorem sententiam de compositione continua temporis.

ARguunt primò aduersarij: Si tempus constaret partibus in infinitum diuiduis, hora verbi gratia haberet infinitas partes inuicem distinctas, inuicémque æquales, quarum vna esset post aliam, sanè partes vnius horæ nunquam pertransire possent; cum ideo durationes extituræ per totam æternitatem à parte pòst nunquam pertransiri queant, quia aliæ post alias infinitæ sunt. Confirmatur primò: Nulla pars horæ est vltima: signata enim quacunque, alia, saltem minor in ea contenta, vlterior signari potest: numquam igitur hora finiri poterit; nihil enim nisi per vltimum sui finiri potest. Confirmatur secundò: Nulla pars horæ est immediata, & proxima instanti terminatiuo horæ: ergo ad instanti initiatiuo horæ ad eius instans terminatiuum nunquam deuenire erit. Consequentia perspicua videtur: qua enim ratione ad instans terminatiuum horæ gradus esse potest, nisi per partem ei instanti proximam, & immediatam? Antecedens suadetur: quia signata quauis horæ parte, alia saltem communicans, siue indeterminata ei instanti immediatior, & propinquior assignari potest. 27.

Respondeo: Quantitas discreta, & Arithmetica partium temporis longè diuersæ rationis est à quantitate continua, & Mathematica vt tract. præced. cap. 4. in simili latè ostendi: quare, licet vna sit infinita simpliciter, non propterea alia etiam simpliciter infinita, & æternitatis æmula 28.

esse

esse debet. Quod autem partes, seu durationes æternitatis, nunquam pertransiri possint, non ideo est, quia vtcumque infinitæ sunt, sed quia ita infinitæ sunt, vt quæuis earum magnitudinem, & quantitatem à nobis signabilem sortiatur, & vocabulo horæ, semihoræ, quadrantis, aut alio simili nobis noto appellari, & discerni possit: tempus autem hac infinitate partium non gaudet: quare non est, cur non possit pertransiri.

29. Ad primam confirmationem dicendum est: quod finitur, & desinit esse intrinsecè, debet finiri, & desinere esse per vltimum sui esse, secus vero quod finitur, & desinit esse extrinsece: cum ergo partes horæ finiantur, & desinant esse solum extrinsecè, ad instar cæterarum rerum successiuarum; sanè per vltimam sui partem desinere, aut finiri non debent: atque adeo, quamuis vltima parte destitutæ sint, adhuc finiri, & desinere poterunt. Vel aliter: hora habet partes, quarum vna vltima sit, hoc est, qua alia adæquatè distincta vlterior non sit: licet enim quæuis pars etiam ea, quæ velut vltima designatur, vlterius diuidua sit in alias, aliásque; cæterùm omnibus iis partibus simul sumptis nihil in tota hora vlterius est: quod satis est, vt possit hora finiri. Ad secundam confirmationem dicendum est: sicut progrediendo dignitatis ordine à creaturis magis, & magis perfectis in infinitum, tandem deuenire est ad Deum, estò nulla creaturarum possibilium perfectissima, Deóue immediata sit; ita similiter progrediendo successionis ordine ab vnis partibus horæ ad alias, tandem deuenire erit ad instans terminatiuum horæ, tametsi huius nulla pars vltima, aut instanti terminatiuo immediata sit. Aut aliter: non solum aliqua pars horæ, verùm etiam tota hora collectiuè sumpta eius instanti terminatiuo immediata est negatiuè quidem, eo quod inter horam collectiuè sumptam, & illud instans nihil mediet, aut possit: qua ratione tota creaturarum collectio Deo immediata est, eo quod inter eam collectionem, & Deum nulla creatura mediare possit: hæc autem immediatio negatiua sufficiens est, vt à primo instanti horæ ad eius vltimum instans gradus sit.

30. Arguunt secundò aduersarij: si hora infinitas partes, etiam indeterminatas, infinitaque instantia complecteretur; sanè actus amoris Dei ab aliquo elicitus viatore, & per horam durans, per infinita duraret instantia: infinitas ergo portiones determinatas gloriæ mereretur, ac proinde esset simpliciter infinitè meritorius: quo quid magis absurdum? Antecedens perspicuum est: consequentia suadetur: quia actus amoris Dei durans per vnicum instans præmium determinatum, atque adeo determinatam portionem gloriæ meretur: ergo si duraret per infinita, infinitum præmium determinatum, infinitaque portiones determinatas gloriæ mereretur.

31. Respondeo, continuationem liberam amoris Dei exigere determinatam temporis quantitatem, & moram, in qua, & non pauciori fiat, & in qua, quod consequens est, sic non fieri possit, vt, si semel in ea fiat, non possit in tota illa non fieri, ac reperiri. Nónne visus noster ita comparatus est, vt propter imbecillitatem suam non possit obiectum vllum videre, nisi in certa aliqua magnitudine, & quantitate: at libertas nostræ voluntatis est etiam valdè imbecillis. Nónne etiam motus omnis localis certum quoddam, temporis petit interuallum, in quo, & non minori exerceri possit, & intrà quod non patitur sisti: at actus voluntatis nostræ in fieri, & in conseruari est quidam motus. Denique actus amoris Dei postquam est primò productus, non potest statim destrui, sed per aliquod spatium temporis debet conseruari: sicut ergo talis actus statim à prima sui productione vendicat sibi certam moram, cur non etiam eius liberæ continuationes per horæ spatium multiplicem moram, nullamque non determinatam sibi asserant? id suadetur: quia aliàs in proxima, aut quasi proxima parte indeterminata temporis primam eius actus productionem sequente, & eius destructionem mensurante posset alius nouus amor Dei à voluntate produci, & post hunc alius, & sic voluntas posset in tota hora infinitos actus amoris Dei producere: quod tamen est euidenter falsum, & contra experientiam.

32. His constitutis, fac verbi gratia centum actus amoris Dei, & non plures inter se distinctos in spatio vnius horæ elici posse à voluntate nostra: profectò totidem habebit hora morulas, seu partes determinatas, in quibus eadem voluntas possit actum amoris Dei, quem primò produxit, liberè continuare: igitur si in toto vnius horæ spatio ea continuet liberè vnum, eundemque amorem Dei, non nisi centum erunt eius amoris continuationes liberæ: ergo centum exercitia libertatis: ergo centum merita determinata: ergo centum partes determinatæ præmij: ergo non infinitæ; imo nec finitæ in maximo aliquo, & incredibili numero. Atque hinc in forma ad difficultatem argumenti facilè cuiuis constabit.

33. Arguunt tertiò aduersarij: partes temporis non vniuntur, nec continuantur inter se: at sine vnione haud potest esse vlla diuisibilitas: eáque tantum diuidi possunt, ac separari, quæ vniuntur: partes ergò temporis non sunt diuisibiles sine fine, sed potius instantia prorsus indiuisibilia. Maior probatur; quia, quæ non sunt simul, haud possunt continuari, siue verè vniri; aliàs forma anteáquam existeret, vniri posset materiæ: at partes temporis non sunt simul, sed vna succedit alij, non ergo verè vniuntur, aut continuantur inuicem. Confirmatur: quia, estò vniri possint inuicem partes temporis, eadem redit difficultas: siquidem posset Deus partes omnes temporis sine vnionibus conseruare: tûm autem non essent diuisibiles vllo modo, nedum sine fine, vt proximè manet ostensum: essent igitur indiuisibilia, siue instantia: eiusmodi ergo etiam sunt, dum vniuntur; cùm vnio non variet naturam partium, sed eas naturaliter inuariatas inuicem copulet.

34. Huic argumento, & eius confirmationi multum deferunt aduersarij. Sed immeritò: nam quod ad argumentum attinet, eius maior est haud dubiè falsa: quid enim falsius, quàm partes temporis non vniri inter se? Atque in primis quod vniantur patet ex B. Damasceno in dialect. cap. 33. ibi: *Sed & tempus mensuratur in præteritum, & in futurum; & habent particulæ ipsius communem terminum copulantem ipsas nunc:* Quo eodem modo loquuntur alij Patres. Neque non id ipsum patet; quia, si qua ratione partes temporis verbi gratia motus cælestis verè non continuarentur, nec vnirentur inuicem; maximè quoniam, quæ non sunt simul tempore Physicè, & verè vniri non possunt; partes autem temporis simul tempore non sunt, cum successiuæ sint, aliæque sequantur alias; at hæc

ratio, qua nituntur aduerſarij; & qua negatam à nobis maiorem probant, nullius momenti eſt: quia, quæ ſimul loco non ſunt, vbi in locis immediatis ſint, Phyſicè vniri, ac verè continuari poſſunt: ergo etiam quæ ſimul tempore non ſunt, vbi in temporibus immediatis ſint, Phyſicè poterunt vniri, atque continuari. Confirmatur, atque obiter eleuatur exemplum; quo vtuntur aduerſarij: ſi ad vnionem informatiuam, qua videlicet forma vnitur materiæ, ſpectes; eius extrema non poſſunt non eſſe in eodem loco, & in eodem tempore: at vnio continuatiua leges vnionis informatiuæ quoad ſimultatem loci non ſeruat: cur ergo eas ſeruare debeat, quoad ſimultatem temporis? Porro autem ad confirmationem argumenti in ſimili factum eſt ſatis ſuprà tract. 7. c. 4. circa medium. Cætera etiam argumenta, quæ fieri poſſunt, contra noſtram, & Ariſtotelicam compoſitionem temporis, facilè ſolui poſſunt ex dictis eodem tractatu.

LIBER QVARTVS
DE
Cauſis Corporis naturalis.

TRACTATVS PRIMVS.
DE ESSENTIA CAVSAE IN COMMVNI.

CAPVT PRIMVM.
Quæ ſit Eſſentia Cauſæ in Commmuni.

1. CAVSA à P. Suarez 1. Metaph. diſp. 12. ſect. 2. num. 4. & aliis ita ſolet definiri. Cauſa eſt principium per ſe influens eſſe in aliud. Pro cuius definitionis luce, & intelligentia objicies contra eam primò. Poteſt aliquid eſſe cauſa ſui quoad ſecundum eſſe, ac ſe per actionem ſecundariam producere: qua ratione Chriſtum in Euchariſtia ſui ipſius cauſam eſſe ipſemet P. Suarez aſſerit: at nihil à ſe ipſo aliud eſt: ergo de ratione cauſæ, non eſt, vt eſſe in aliud influat. Objicies ſecundò. Pater Æternus influit eſſe in perſonam filij à ſe aliam, ſeu realiter diſtinctam: at eius cauſa non eſt: ergo, &c. Minor perſpicua eſt: tum quia P. Latini Patrem Æternum filij cauſam eſſe omnes negant, vt P. Hurtadus in præſenti teſtatur: tum, quia ſi qua cauſa filij eſſet, maximè efficiens: at Pater Æternus filium efficere, ſiuè facere nequit: iuxta illud ſymboli; *genitum, non factum.*

2. Objicies tertiò. Pater creatus v. g. Petrus eſt cauſa filij ſui, Pauli ſcilicet, quem genuit: & tamen eum generans, & producens non influit eſſe in aliud, cum Paulus ab eo genitus non ſit aliud ab illo, ſed dumtaxat alius: vt perſpicuè docet B. Damaſcenus cap. 9. dialect. ibi: *Sciendum, quod quæ natura differunt, aliud, & aliud dicuntur. Dicimus enim, aliud eſt homo, & aliud eſt eques: aliud enim ſecundum naturam: eſt enim alia ſpecies hominis, & alia equi. Numero autem differentia (id eſt hypoſtaſes) alius, & alius dicuntur. Dicimus enim, quoniam alius eſt Petrus, & alius Paulus: non autem poſſumus dicere, quoniam aliud eſt Petrus, & aliud Paulus, quia falſum dicimus. Natura enim vnum ſunt, non ſunt vnum numero.* Hactenus ille.

3. Verùm ad primum reſpondeo. In primis adeò conſtans non eſt, aliquid ſui ipſius cauſam eſſe poſſe: & ſi de cauſalitate immediata ſermo ſit, oppoſitum longe probabilius eſt, vt oſtendetur in loco. Deinde eo modo, quo aliquid ſe ipſum cauſat, ſi ſe cauſare poteſt, eo, inquam, modo, à ſe ipſo diſtinguitur: ſiquidem ſe quoad ſecundum tantum eſſe, ſiue quoad ſecundam actionem cauſat: actio autem ſecunda non minus quàm prima diſtinguitur, & eſt aliud quid à re, quæ per eam à ſe ipſa cauſatur. Ad ſecundum reſpondeo, particulam, *aliud*, in definitione cauſæ ſupponere pro alietate, ſiue diſtinctione, quæ omnem identitatem realem etiam mediatam, ſiue in tertio excludat: at filius ita diſtinguitur à Patre æterno, vt ea diſtinctio omnem identitatem realem etiam in tertio excludat, eo quod vterque in eadem eſſentia, & natura realiter conueniant, atque indentificentur inuicem: proinde non eſt, cur alter reſpectu alterius cenſeri poſſit aliud, propriè loquendo, & prout particula, *aliud*, modò ſumitur.

4. Enimuero P. Hurtadus in præſenti alio nomine Patrem æternum filij cauſam eſſe non poſſe tuetur: nempe, quia cauſa debet eſſe prior natura ſuo effectu: at Pater æternus prior natura filio eſſe nequit, quoniam prioritas naturæ eſt prioritas non realis, ſed rationis: atque adeo quod prius natura a lio eſt, ſine eo concipi poterit: cum ergo Pater æternus ſine filio exiſtente concipi nequeat, propterea quod generatio actiua filij de

eſſentia

essentia Patris sit, & in ipsa paternitate consistat; sanè Pater prior natura filio, eiusue causa esse non poterit. Vno verbo: generatio actiua filij Patrem non supponit, sed potius constituit: vndè Pater filij causa esse non sustinet. Contra tamen sic argumentor: quia non implicat in creatis principium aliquod, quod se ipso sit productio alicuius effectus: at eiusmodi principium esset causa sui effectus: ergo quantumuis Pater Æternus seipso sit productio, ac generatio filij, adhuc eius causa esse poterit. Major probatur: tum quia in ea hypothesi nulla repugnantia est: tum quia effectus aliquis creatus seipso à causa produci potest: vt cernere est in actione, quæ seipsâ à causâ producitur: ergo etiam causa aliqua creatura seipsa effectum producere poterit. Deinde Deus est causa Angeli; & tamen per suam volitionem à se realiter indistinctam eum producit: ergo quamuis Pater Æternus per generationem à se realiter indistinctam, nec enim ab eo virtualiter indistincta esse potest filium producat, adhuc filij causa esse poterit. Præterea: actio est posterior natura causâ, quamuis seipsa à causa essentialiter oriatur, ita vt sine causâ concipi nequeat: ergo & Pater prior natura filio, & eius causa esse poterit, quamuis sine eo non possit concipi, aut esse.

Ad tertium argumentum contrarium respondeo, Damascenum hoc tantum voluisse, Paulum quoad naturam non esse aliud specificè à Petro, cum ambo eandem specificè naturam sortiantur: at esse ab eo quoad naturam aliud numerice, & suppositaliter, cum diuersas numero naturas humanas, singulares quidem, atque suppositatas obtineant: vnum autem ab alio esse aliud solo priori sensu sufficere, ad hoc, vt alter alterum generans sit vera causa; iuxta huius definitionem à nobis traditam. Si cui tamen propter difficultates superiores ea definitio minus placet, is causam in communi sic definiat: *Causa est id, quod tribuit alicui esse finitum.* Atque ita erit, vt Pater Æternus non sit stricte causa Filij; quippe cui tribuit esse non finitum, sed infinitum: neque non etiam vt Petrus v. g. Pauli, quem generat, e contrario vera causa sit, cum esse ei non infinitum, sed finitum communicet.

CAPVT II.

An essentia causæ conueniat propriè, & vniuocè causæ remotæ?

5. QVæstio hæc quantumuis magna ex parte de nomine sit, parui tamen momenti non est, eo quod eius affirmatiua parte rectè concludi possit concursus immediatus Dei, cum quauis creatura ad omnes eius operationes: nimirum quia Sacra pagina passim edocet, Deum esse causam omnium effectuum, qui à causis secundis proficiscuntur: cum autem verba sacræ paginæ, manifestâ ratione non refragante, solum in sensu proprio, & rigoroso accipienda sint, non vero in metaphorico, & translatitio: certè Deus causa propria, & stricta omnium effectuum cuiuscumque creaturæ censendus est: vbi ergo sola causa immediata, & proxima propriè causa sit, iuxta affirmatiuam vnius quæstionis partem, sanè Deus omnium effectuum cuiuscumque creaturæ immediata, & proxima causa negari non poterit; quam illationem infra fortassis contrà Durandum prememus. Igitur P. Suarez disp. 18. Metaph. sect. 2. num. 22. P. Vasquez tom. 1. in 3. part. d. 21. n. 17. & P. Hurtado disp. 8. Phys. sect. 4. censent, causam remotam, & quæ mediâ aliâ causâ solum causat, qualis est aqua calida, & in genere causæ materialis sustentans, & causans calorem respectu caloris in me à calore aqueo derinati, aut qualis est ignis *A* ignem *B*. immediatè efficiens respectu ignis *D*. qui ab igne *B*. immediatè producitur: eiusmodi, inquam, causam impropriè, & metaphoricè causam appellari, & esse; quibus ipse libenter subscribo.

Primo: quia cognoscere mediatè, siue medio alio cognoscente non est propriè cognoscere: ergo neque causare mediatè, sicut media alia causa causante est proprie causare: ac proinde causa remota, siue mediata propriè causa non est. Antecedens probatur: quia si cognoscere aliquid medio alio cognoscente esset propriè, & simpliciter cognoscere, Deus falsum cognoscere, & affirmare propriè, & simpliciter posset: siquidem medio intellectu creato, & fallibili aliquid falsum cognoscit & affirmat: haud secus, ac media aliqua causa creata aliquid causat. Secundò, & recidit in idem: quia velle aliquid mediatè, siue medio aliquo alio volente non est propriè, & simpliciter velle: aliàs quod Deus mediatè, siue medio libero arbitrio creato vult, illud propriè, & simpliciter vellet, atque adeò malum, & peccatum propriè, & simpliciter vellet: ergo etiam causare aliquid mediatè, siue media alia causa causante non est propriè, & simpliciter causare: ac per consequens institutum efficitur. Tertiò: quia velle efficaciter aliquid mediatè, siue medio alio volito, non est simpliciter, & propriè velle: ergo nec causare mediâ aliâ causâ prius causatâ erit propriè, & simpliciter causare: ac proinde, &c. Antecedens probatur: quia aliàs Deus peccatum efficaciter vellet, siquidem mediatè, siue mediâ eius permissione prius volitâ illud quodammodo vult.

Quartò: quia videri mediatè, siue medio alio 6.
viso, non est propriè, & simpliciter videri: ergo neque etiam causare mediâ aliâ causâ priùs causatâ erit propriè, & simpliciter causare: atque adeo, &c. Antecedens probatur: quia aliàs Deus esset in hac vita simplicter & propriè visibilis, siue intuitiuè cognoscibilis contra illud Pauli 1. ad Timoth. 6. *Rex Regum, & Dominus dominantium, qui lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Sequela vero probatur: quia Deus mediatè, aut mediis creaturis; siue, quod perinde est, in iis videtur, & intuitiuè cognoscitur, iuxta illud Pauli: *inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur:* quibus verbis asserit, Deum immediatè inuisibilem, adhuc mediatè, siue in suis effectibus videri: ergo si hac ratione videri est, propriè visibilem esse; certè Deus in hâc mortali vitâ propriè videri, & intuitiue cognosci poterit: quod certè priori testimonio Pauli aperte repugnat. Quintò, demum à priori: quia causa est principium per se influens esse in aliud, vt ex dictis c. prædedenti constat: at causa remota non influit per se, sed per aliud à se distinctum, nimirum per causam proximam, in aliud: ergo propriè, & simpliciter causa non est.

Contrariam

7. Contrariam ſententiam defendunt Ouiedo contr. 7. phyſ. p. 5. & alij. Pro quibus obiicies primò tritum axioma : *cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati :* at cauſa remota eſt propriè cauſa cauſæ : ergo eſt propriè cauſa cauſati. Secundò : illud eſt cauſa propria effectus, à quo effectus propriè dependet : at effectus à cauſa remota proprie dependet : ergo cauſa remota eſt propria effectus cauſa. Maior perſpicua eſt : minor probatur : quia cauſa remota ita comparatur cum effectu, vt ea deficiente, & alia non ſubſtituta loco illius, effectus reipſa deficeret : ſi enim ignis deficeret eiuſque calor, neque à cauſa primâ, neque à cauſa alia ſecunda conſeruaretur : ſanè calor ab igne immediatè productus deficeret : ergo effectus reipſa, & in ſuo eſſe à cauſa remota dependet. Ad primum reſpondeo : cauſa cauſæ eſt quidem cauſa cauſati, vt fert communis parœmia, ob id tamen neceſſe non eſt, vt quo modo, quaue proprietate eſt cauſa cauſæ, ſit cauſa cauſati : haud ſecus ac amor efficax finis eſt etiam amor mediorum, non tamen eodem modo : ſiquidem amor efficax finis eſt amor explicitus, & determinatus illius, mediorum tamen non niſi implicitus, & indeterminatus, horum videlicet, aut illorum, amor eſt. Ad ſecundum reſpondeo : dependentia duplex eſt : alia indigentiæ, quæ in eo ſita eſt, quod vnum ſine alio eſſe nequeat ; hæc autem dependentia non eſt dependentia propria cauſæ, eiue eſſentialis : aliàs effectus à duplici causâ totali cauſari non poſſet, cum iis ſimul ſumptis ad eſſe non indigeat, quod tamen Authores huius argumenti renuunt, & merito. Alia dependentia eſt, quæ conſiſtit in eo, quod vnum ab alio ſuum eſſe ſortiatur, ſiue eo ad eſſe indigeat, ſiue non ; & hæc dependentia eſt de ratione cauſæ. Argumentum autem factum neutiquam probat, effectum propriè dependere à causâ, quæ cauſæ propria eſt, ſed ſolâ priori, quæ cauſæ impropria eſt : atque adeo cauſam remotam propriè cauſam eſſe neutiquam conuincit. Ex dictis hoc capite efficitur, obiectum remotum qualecumque ſit, & in omni euentu impropriè obiectum eſſe, & non ſolum in aliquo euentu, vti arbitrantur aliqui.

CAPVT III.

An eſſentia cauſæ propriè, atque vniuocè competat conditioni ſine quâ non?

8. Reſpondeo, conditionem ſine quâ non, veram effectus cauſam eſſe in aliquo genere. Primò : quia effectus à conditione ſine quâ non verè pendet, vt omnes fatentur, non à poſteriori : ergo à priori, ac proinde vniuoca effectus cauſa eſt. Secundò : quia conditiones ſine quâ non, quales ſunt diſpoſitiones ad operandum, approximatio localis, voluntas Dei, & aliæ ſimiles, ſi quæ aliæ conditiones ſunt, cauſas efficientes ad efficiendum applicant, & mouent : ergo cum cauſis efficientibus ad effectum vere concurrunt ; quod autem ad effectum verè concurrit, vera illius cauſa eſt. Tertio : quia cognitio, & amor ad effectum ab iis pendentem, tanquam veræ cauſæ concurrunt, vt infrà tr. 10. cap. 2. agentes de cauſa finali oſtendimus : ergo etiam conditiones ſine quibus, non qualeſcumque ſint, veræ cauſæ cenſendæ : cur enim cognitio, & amor, quia intentionaliter mouent, & applicant, veræ cauſæ ſint, & conditiones ſine quibus non, qualeſcumque aliæ ſint, veræ cauſæ non ſint, cum Phyſicè applicent, & moueant cauſas efficientes, vt effectus ſuos producant.

Deinde, nullum diſcrimen inter conditionem ſine qua non, & cauſam vt ſic excogitari poteſt : ergo conditio, ſine qua non, ad aliquod genus cauſæ reduci debet. Dices primò : cauſam influere eſſe in effectum, ſecus verò conditionem ſine qua non. Contra tamen : quia illud eſt de quo ambigimus, cur conditio ſine qua non in effectum non influat, cum effectus à conditione ſine quâ non verè pendeat. Dices ſecundò : conditionem ſine qua non, in eo à cauſa differre, quod variatâ numero conditione ſine quâ non, minimè varietur actio ; cùm tamen variatâ causâ, actio variari debeat. Contra tamen, primò ſic argumentor : quia ſi per impoſſibile mutaretur eſſentia diuina, non maneret hæc numero generatio paſſiua, ſiue filiatio : tamen eſſentia Diuina iuxta plures aduerſarios non eſt principium productiuum filiationis, ſed res reſpectu eius mera conditio, ſine qua non : ergo ex variatione conditionis actio etiam variari poteſt. Secundò : quia aut ſermo eſt de actione effectiuâ : & ſic, quod variatâ conditione, ſine quâ non, ea non varietur, tantum arguit, conditionem, ſine qua non, minime agere efficienter, quod vltrò fatemur : aut ſermo eſt de actione non effectiua, ſed motiua, & applicatiua, qua ſcilicet conditio cauſam efficientem mouet, & applicat ad operandum, & cum ea ad effectum concurrit ; aut, inquam, ſermo eſt de eiuſmodi actione, & ſic eam variari, variata conditione ſine qua non, apertiſſimum eſt : ſiquidem applicatio, ſeu motio cauſæ efficientis conſiſtit ex parte in ipſa conditione, ſine qua non ; vt plerique recentiores tuentur ; & ita variata conditione variari neceſſario debet & prædicta motio : quod ſi hæc, vt verius eſſe arbitror, poſita eſt in modo aliquo medio, qui à conditione eſſentialiter pendeat, & per quem id munus applicandi, & mouendi exerceat ; ſanè non minus apertum, nec manifeſtum eſt, eiuſmodi actionem motiuam, ſiue applicatiuâ variari debere variata conditione : haud ſecus ac variata cauſa efficienti modus actionis ab ea eſſentialiter pendens neceſſario variatur. Tertiò : ſol in abditis terræ, aut etiam in ſuperficie eius extima diuerſos effectus, diuerſaſque formas ſubſtantiales generat ; pro ſola diuerſitate diſpoſitionum accidentalium, quæ in vno paſſo, & non in alio reperiuntur : & nihilominus eæ diſpoſitiones accidentales ad productionem eorum effectuum, formarumque ſubſtantialium efficienter non concurrunt, ſolumque conditiones, ſine quibus non, cenſendæ ſunt : Conditio igitur ſine qua non, effectum variare poteſt, ac proinde in hoc collocari nequit eius à cauſa diſcrimen.

9. Quod autem communiter dici conſueuit, conditionem à cauſa diſtingui, bifariam ad veritatem accedere poteſt. Primò : quia conditio, ſine qua non, cauſa efficiens operaretur, cauſa efficiens non eſt, ſed tantum cauſa motiua, ſiue applicatiua, quæ ad genus cauſæ finalis reduci debet. Secundò : quia conditio multories cauſa proxima non eſt, ſed tantum remota, & eatenus ad exiſtentiam effectus conducens, quatenus ad exiſtentiam cauſæ proximæ requiritur : quare non magis cauſa id genus conditio dici poterit, quàm cauſa remota

cauſa

causa dici assolet. Non me præterit, recentiores nonnullos in ea esse sententia, vt putent, has solas conditiones ad effectum remotè requisitas dici debere strictas conditiones : contra verò eas, quæ ad operandum proximè requiruntur strictè causas efficientes esse, non conditiones. Cæterùm hoc eorum placitum paradoxum est, nec fundamenta, quibus nituntur eius inuentores, aliud quàm meam sententiam probant, aut possunt.

TRACTATVS II.

De relatione causæ in communi.

CAPVT PRIMVM.

De correlatiuo causæ in communi.

1. RELATIO causæ in communi commodè percipi nequit, quin, quid sit eius correlatiuum explicetur: effectum autem causæ correlatiuum esse adeò exploratum est, vt non tam dici, quàm non omitti debeat. Porrò effectus, vt communiter vsurpari solet, duo concernit, nimirum existentiam effectus, & eius absolutam non repugnantiam, seu possibilitatem : quarum altera, & altera causæ correlatiua est : existentia quidem, quia correlatiuum causæ est id, quod causa in lucem producere potest : at solam existentiam, & non meram possibilitatem effectus producere potest : possibilitas etiam, quia correlatiuum causæ est id, cum quo causa essentialiter connectitur, connexio enim vnius cum alio est relatio vnius ad aliud cum vi illius vnum in alio cognosci possit, quod relationis proprium est, iuxta illud Aristotelis : *Relatiua sunt simul cognitione :* At causa quatenus talis essentialiter connectitur cum non repugnantia, seu possibilitate effectus, eo quod chimæræ, & impossibilitatis nulla causa absolute esse possit.

2. Verùm illud in præsenti non modicam difficultatem ingerit : an scilicet possibilitas, ac non repugnantia effectuum, aut nondum existentium, aut nũquam extiturorum sit denominatio extrinseca, quæ iis à causa præsertim prima, & increata, nimirum ab omnipotentia Dei accedat; vel potius ea non repugnantia, & possibilitas, qua creaturæ ab æterno possibiles sunt, ab omnipotentia Dei, & quauis causa prorsus distincta sit? Henricus in summa quæst. 23. & 25. Capreolus in 2. quæst. 2. art. 3. P. Vasquez 1. part. tom. 1. disp. 104. cap. 5. & alij, quos ibi laudat, possibilitatem effectuum, antea quàm existant, ab eorum causis distingui censent : quibus ipse libenter subscribo. Primò : quia si sola omnipotentia diuina esset possibilitas creaturarum, quæ à Deo produci possunt, pari ratione solus intellectus diuinus foret veritas, & cognoscibilitas creaturarum, quæ à Deo cognosci possunt. Consequens est absurdum : ergo, &c. Sequela perspicua est : quia sicut omnipotentia Dei est virtus producendi res creatas, intellectus Dei est virtus cognoscendi res creatas : igitur sicut omnipotentia Dei ita est virtus producendi res creatas, vt à sola omnipotentia habeant, quod producibiles sint, ita intellectus diuinus ita erit virtus cognoscendi res creatas, vt à solo eo habeant, quod veræ, & cognoscibiles sint : consequens autem absurdum esse suadetur : quia si solus intellectus diuinus esset veritas obiectiua creaturarum, quâ à Deo cognosci possunt, hæc foret infinita simpliciter : haud secus ac intellectus in quo consistit simpliciter, infinitus est : at veritas creaturarum infinita esse nequit : aliàs omnis creatura ab intellectu creato incomprehensibilis foret; idcirco enim Deus sub intellectus creati comprehensionem cadere nequit, quia eius veritas infinita, & illimitata est.

3. Dices : veritatem creaturæ intrinsecam esse, idque sufficere, vt ab intellectu creato comprehendi valeat, esto veritas ei intrinseca simpliciter infinita sit : contra tamen, quia creatura antequam existat, solam habet veritatem extrinsecam : at hæc est infinita : igitur antea quam existat, ab intellectu creato incomprehensibilis est : nec enim comprehendi valet ratione veritatis infinitæ sibi extrinsecæ, cuius infinitas potiùs ad incomprehensibilitatem confert; nec ratione veritatis finitæ sibi intrinsecæ : quia creatura mere possibilis caret veritate finitâ sibi intrinseca, vtpote quæ cum existentia, qua caret, prorsus reciproca est : at creatura incomprehensibilitatem non vendicat à veritate, quam non habet, nec vnquam habitura est. Dices secundò : veritatem cuiuscumque creaturæ in recto dicere entitatem creatam, & in obliquo intellectum creatoris, à quo cognosci possit; & cum entitas creata, quæ præcipuè, & in recto importatur, finita sit, necessum esse, vt veritas creatoris mere possibilis finita, & comprehensibilis sit. Verùm creaturæ merè possibiles absolute veræ, & cognoscibiles ab æterno sunt : sicut iuxta aduersarios, ab æterno possibiles sunt : at in opposita sententia nihil absolutè ab æterno est, circumscripta Deo, & prædicatis, quæ ei essentialia sunt : igitur veritas creaturarum merè possibilium in solo intellectu Dei consistere potest, ac proinde est infinita, & ea, quæ creaturam, vt veram, sic incomprehensibilem efficiat.

4. Secunda ratio, & confirmatio prioris sit : si sola omnipotentia Dei esset possibilitas creaturarum possibilium, quæ à Deo produci possunt, sane & sola voluntas Dei esset bonitas creaturarum possibilium, quæ à Deo amari possunt : consequens autem absurdum est : tum quia inde fieret, bonitatem creaturarum, aut nondum existentium, aut nunquam extiturarum esse simpliciter infinitam : ac proinde ratione illius rem creatam non posse non amari, à quocumque clarè cognoscatur : haud aliter ac Deus clare visus ad sui amorem rapit, atquè necessitat : & quidem sicut ea bonitas tribuit creaturæ, vt amari possit, esto ei extrinseca sit; non est, cur ei tribuere nequeat necessitatem amoris, siue vt non amari nequeat : quod enim substantiam præstat, à fortiori modum præstare potest. Tum quia, si creatura merè possibilis foret transcendentaliter bona per denominationem extrinsecam à voluntate Dei : similiter posset quis esse bonus moraliter, & iustus per denominationem extrinsecam à iustitia Dei, aut Christi nobis imputata, vt nostri temporis sectariis placet : at oppositum Concilio Tridentino sess. 6. can. 7. definitum est. Demum, quia si diuina voluntas esset bonitas creaturarum possibilium, quas amare potest, similiter esset malitia peccatorum merè possibilium, quæ odisse potest, & quorum odium à nobis postulat : at horum malitia

litia eſſe nequit, quia voluntas creata peccati etiam poſſibilis, & nunquam extituri malitiam odiſſe tenetur, cum tamen creatoris voluntatem odio proſequi minimè teneatur.

5. Tertiò: quia ſi poſſibilitas creaturæ, quâ à Deo produci poteſt, & potentia creatoris, quâ creare, & producere potens eſt, ſunt relationes omnino indiſtinctæ: inde quidem fiet, omnipotentiam Dei ſemetipſam poſſe producere, & creaturam à ſemetipſa poſſe produci, vt nobis argumentari moris eſt. Quartò: quia ſi poſſibilitas creaturæ, quæ nec abſolutè, nec ſub conditione futura eſt, in omnipotentia Dei eius creaturæ productiua conſiſtit: pari ratione futuritio conditionata creaturæ, quæ abſolutè futura non eſt, in aliquo etiam prædicato Dei collocanda eſt, id quod plures aduerſarij fatentur: Conſequens autem falſum eſt, quia futuritio conditionata conſiſtere nequit in decreto Dei conditionato, quo ſtatuit, vt in hac rerum periſtaſi aliquid determinatè eueniat: aliàs noſtra libertas corrueret, Deuſque author peccati eſſet: nec etiam ea futuritio conditionata in mediâ Dei ſcientia conſiſtere poteſt, quia ideò per eam Deus cognoſcit euentus conditionatè futuros, quia futuri ſunt, & non è conuerſo, vt Patribus ſolenne eſt: at ea cauſalis falſa eſſet, ſi ſcientia Dei res conditionatè futuras denominaret; ideò enim res futuræ ſunt, quia datur forma, qua futuræ denominentur; ea autem forma, iuxta aduerſarios, ſcientia Dei eſt. Deinde ſcientia media, ſeu conditionata alioqui eſſet formaliter libera, cum eius exiſtentiam nihil niſi intellectus Dei ad eam vel oppoſitam omnino indifferens præcederet: ſi quid enim poſſet illam vt exiſtentem præcedere, maximè euentus vt conditionatè futurus: huiuſmodi autem futuritio conditionata & obiectiua, iuxta aduerſarios, non diſtinguitur à ſcientia per quam cognoſcitur: quomodo ergo poteſt illam anteuertere? Conſequens autem eſt apertè falſum: ſolius enim voluntatis actus poſſunt eſſe formaliter liberi: at ſcientia media diuini intellectus, non voluntatis actus eſt, nequit ergo libertate immediata & formali gaudere.

6. Communis etiam ratio mihi non diſplicet, quam in hunc modum propono: chimæra ab æterno repugnat repugnantia ſibi intrinſeca, & eſſentiali, quæque à quouis prædicato diuino diſtinguitur: ergo ſimiliter creatura poſſibilis eſt ab æterno poſſibilitate ſibi intrinſeca, & eſſentiali, quæque ab omnipotentia Dei diſtincta ſit. Negant nonnulli conſequentiam, eo quod ex poſſibilitate rebus extrinſecâ, & neceſſariâ, ac æternâ ſequatur diſtinctio eſſentiæ ab exiſtentia, exiſtentia aliqua æterna, quid creatum, & finitum à ſe, & alia id genus repugnantia, quæ inferius ſubiicientur: at ex repugnantia chimæræ à Deo diſtincta, & adhuc æterna, ac neceſſaria eiuſmodi inconuenientia minimè ſequuntur: videlicet quia repugnantia chimæræ eſt mera negatio poſſibilitatis; negationem autem, aut carentiam æternam eſſe non inconuenit, vt compertum eſt. Hæc ſolutio manifeſtè refellitur, quia homo equus, ſiue identitas hominis, & equi per ſe ipſam repugnat, & impoſſibilis eſt: at ea identitas prædicatum poſitiuum, eſto chimæricum eſt: ergo repugnantia chimæræ poſitiua, aut quaſi poſitiua eſt, quamuis nominibus negationem exprimentibus ſignificetur. Confirmatur, & declaratur: ſicut poſſibilitati entis opponitur repugnantia chimæræ, ita veritati opponitur falſitas: at falſitas tam poſitiua, quam veritas eſt, eſto per negationem explicetur: ergo repugnantia chimæræ tam poſitiua eſt, quàm poſſibilitas entis: minor ſuadetur de veritate, & falſitate tranſcendentali: quia aurichalcum, ſeu falſum aurum non minus poſitiuum eſt, quàm verum aurum, cuius figuram, & ſpeciem exhibet: de veritate, & falſitate formali eadem minor non minus certa eſt: quia actus falſus duo concernit, nimirum repreſentationem obiecti, quæ haud dubie poſitiua eſt, & obiectum non ita ſe habere, ſicut repræſentatur, quod etiam ſæpenumero poſitiuum quid eſt, vt ſi actus affirmet, obiectum non exiſtere, vbi ſola exiſtentia poſitiua obiecti efficit, vt non ſe habeat obiectum, ſicut per actum repræſentatur.

Confirmatur iterum: quia vt poſſibilitas opponitur repugnantiæ, & impoſſibilitati chimæræ, & non entis, ita bonitas malitiæ: at malitia ſaltem Phyſica, quidquid ſit de morali, non minus poſitiua, quam bonitas eſt: ergo, &c. Minor ſuadetur: nam calor per ſuam entitatem poſitiuam aquæ malus, & diſconueniens eſt, ſicut eidem frigiditas per ſe ipſam bona, & conſentanea eſt: igitur bonitas, & malitia Phyſica ex æquo poſitiuæ ſunt. Quod ſi malitia aliqua Phyſica in negatione conſiſtat, qualis eſt ea, quâ res non exiſtit abſolutè, certe & bonitas aliqua in negatione ſita eſt, qualis eſt ea, quâ malum quoddam poſitiuum non exiſtit; quæ non minus expetibilis eſt, quam abſoluta malitia odibilis eſt. Perperam ergo recentiores hi inter poſſibilitatem, & repugnantiam diſtinguunt, vt illam in poſitiuo, & hanc eius negationem ſtatuant, cum non minus vna, quam altera poſitiua eſſe debeat, vt ex earum attributis, aut quaſi attributis, veritate, & falſitate, & malitia liquet. 7.

Alij reſpondent, negato antecedenti, & aiunt: diuinam omnipotentiam eſſe repugnantiam chimæræ, & ab æterno nihil eſſe à prædicatis quidditatiuis Dei diſtinctum, per quod chimæra repugnet: contra tamen, quia Deus, quantum ex ſe eſt, potens eſt producere chimæram, ſi ipſa non repugnaret: ergo non eſt eſſentialiter, ſiue de ſe impotens: aut ſi mauis, non potens eam producere: igitur eam repugnantem non denominat; vt enim ei repugnantiam in genere cauſæ quaſi formalis tribuat, de ſe abſolute non potens eam producere, eſſe debet: haud ſecus ac, iuxta aduerſarios, vt omnipotentia Dei creaturis poſſibilitatem tribuat, eas producere abſolutè potens, de ſe, ſiue eſſentialiter eſſe debet. Conſequentiæ omnes perſpicuæ ſunt. Antecedens ſuadetur: quia eius oppoſitum ab infinitate, & perfectione diuinæ virtutis magnoperè abhorret. 8.

CAPVT II.

Diſſoluuntur argumenta quædam contrà Doctrinam capitis præcedentis.

9. NOn pauci Recentiores nobis refragantur. Primò: quia ſi poſſibilitas creaturarum non conſiſteret in omnipotentia Dei, ſed eſſet prædicatum aliquod ab eâ diſtinctum, ſanè & eſſentia ab exiſtentia diſtingueretur: at hæc diſtinctio

admitti

admitti non potest : ergo nec quod possibilitas creaturarum distinguatur à creatore. Minor ostenditur in Metaphysicâ. Maior probatur : quia possibilitas est prædicatum essentiale, & necessarium creaturæ : ens enim (quod prædicatum primum, & essentiale negari nequit) in possibilitate, siue aptitudine ad esse consistit : sed possibilitas ab existentia distingeretur iuxta nostram sententiam superius positam; siquidem creaturæ ab æterno possibiles, non vero existentes sunt : iuxta illud 1. Gen. *in principio creauit cœlum & terram :* haud ergo possumus euitare, quin essentia, siue prædicatum aliquod essentiale distinguatur ab existentia, & è conuerso. Respondeo : essentia dupliciter accipi potest : scilicet aut pro essentia actuali, & simpliciter tali, aut pro essentia potentiali, siue aptitudinali, & secundum quid. Essentia in priori acceptione ab existentia realiter indistincta est, neque oppositum ratio facta conuincit : siquidem possibilitas, quæ est prædicatum necessarium, & quodammodo essentiale ab essentia actuali distinguitur, estque tantum essentia potentialis. Essentia in posteriori acceptione ab existentia realiter distinguitur : & id argumentum factum conuincit, nosque vltro fatemur, ac suo loco confirmabimus amplius.

10. Arguunt secundò aduersarij : si possibilitas aliqua rebus intrinseca, & ab omnipotentia Dei distincta ab æterno daretur, sequeretur aliquid à Deo distinctum ab æterno extiturum. Consequens est absurdum, & fidei repugnans : sequela probatur, quia possibilitas à Deo distincta, qua creaturæ ab æterno possibiles sunt, est prædicatum aliquod positiuum æternum : at prædicatum omne positiuum est existentia : ergo existentia aliqua æterna præter Deum admittenda est. Minor suadetur : quia conceptus existentiæ vt sic non consistit in eo, quod res producatur, cum natura diuina existat, quamuis improducta sit : igitur in eo situs est, quod prædicatum aliquod positiuum sit. Respondeo tamen negatâ sequelâ, & eius probatione : quia conceptus existentiæ vt sic à prædicato positiuo vtcumque sumpto multifariam distinguitur : nam primò dici potest, existentiam esse prædicatum positiuum fœcundum, & cui virtus aliqua actiua, aut passiua annexa sit, vt perspicuè docet Dionysius de diuinis nominibus : at possibilitas rei nondum existentis omni virtute tam actiuâ, quàm passiuâ destituta est : quod enim neutiquam est, neutiquam agere, aut pati potest. Secundò dici potest, existentiam in communi esse prædicatum positiuum, seu productum, aut saltem inseparabiliter identificatum aum alio, quod productum sit : nec assignari poterit existentia, cui hic conceptus accommodari nequeat : nam existentia naturæ diuinæ cum relatione realiter producta identificatur; & relatio Patris, esto improducta sit, mediatè tamen identificatur cum relatione filij, & spiratione passiua, quæ realiter producuntur : ac possibilitas nec producitur, nec inseparabilem connexionem, vel identitatem mediatam, immediatamve cum prædicato producto sibi vendicat : quia vel non identificatur realiter cum existentia, quæ realiter producitur; vel certè ab ea separabilis est, vt omnibus compertum est. Tertiò dici potest prædicatum positiuum, cuius munus primarium, & vnicum sit præstare, vt aliud esse, siue existere possit, cum existentia minimè coincidere : possibilitas autem huiusmodi prædicatum positiuum est.

11. Arguunt tertiò : si creatura nunquam extitura foret possibilis, & apta nata existere, per denominationem extrinsecam à possibilitate illa distincta, atque æterna, quam superius adstruximus, sanè & posset dici ens per denominationem extrinsecam ab eadem possibilitate : cum ens aliud non sit, nec aliter definiatur, quam quod habet aptitudinem ad esse, vt ex communi Doctorum sensu tradit P. Suarez tom. 1. Metaphys. disp. 1. Consequens autem absurdum est, vt quod maximè; cum ens sit prædicatum essentiale, quidditatiuum, & transcendens, ac proinde non extrinsecus, sed intrinsecus aduenies. Respondeo, primò per instantiam, quia quæuis res per denominationem extrinsecam à causa proxima est potens esse : an ergo est ens per denominationem extrinsecam? Secundò absolutè respondeo, creaturam esse ens potentiale, & secundum quid per denominationem extrinsecam; atque in hoc nullum esse inconueniens.

12. Quartò, & difficilius arguunt. Si daretur possibilitas aliqua distincta realiter ab omnipotentia Dei; ea esset à se, & non esset à se, sed à Deo. Consequens est absurdum, & impossibile : ergo &c. Sequela probatur quoad posteriorem partem. Primò, quia si possibilitas illa esset à se, & non à Deo, deficiente Deo adhuc maneret : at deficiente Deo omnes creaturæ impossibiles essent, nimirum quia à Deo essentialiter pendent, ac proinde earum possibilitas non maneret : signum igitur est, illam non esse à se, sed à Deo. Secundò, quia possibilitas illa est prædicatum aliquod creatum, & finitum, vtpote creaturæ quodammodo essentiale, & à creatore distinctum; atqui nullum prædicatum finitum, & creaturæ proprium, à Deóve distinctum potest esse à se, cum in solum Deum conueniat esse ens à se : possibilitas ergo de qua disputamus, à se esse non sustinet. Rursus eadem sequela quoad priorem eius partem suadetur. Primò, quia possibilitas illa à nobis adstructa nequit non esse æterna, cum creaturæ ab æterno possibiles sint : nihil autem à Deo est, quod sit ab æterno; omniáque ab eo facta, atque originem ducentia tempori sunt commensa : possibilitas igitur illa nequit esse à Deo, ac subinde à se esse debet. Secundò, quia omne, quod summè necessariò existit, siue est, & nec de potentia absoluta nequit non esse, eo ipso est à se : cur enim Deus est à se, nisi quia est ens summè necessarium? Sed possibilitas creaturarum est summè, & in ordine ad potentiam Dei absolutam necessaria : haud ergo poterit non esse à se. Tertiò, quia sequeretur omnipotentiam Dei connecti essentialiter cum creaturis possibilibus, quod tamen à nobis non admittitur, nec potest, vt patebit infra. Sequi, quod dictum est, constat : nam possibilitas creaturarum à Deo distincta, si ab eo est, & non à se, certè non erit ab eo liberè, cum sit summè necessaria : ergo erit ab illo vt principio necessariò, & antecedenter connexo : omnipotentia ergo Dei non potest non se ipsa connecti cum possibilitate creaturarum à se distincta, si fortè huiusmodi possibilitas non est à se, sed à Deo. Quartò : repugnantia chimæræ haud est à Deo, sed à se : ergo & creaturarum non repugnantia, ac possibilitas erit à se, & non à Deo. Consequentia videtur optima. Probatur ante-

cedens: quia ſi repugnantia chimæræ eſſet eſſentialiter à Deo, ſanè caſu, quo deficeret Deus, & deficeret repugnantia chimæræ: at deficiente per impoſſibile Deo non deficeret repugnantia chimæræ: ergo, &c. Minor hæc perſpicua eſt: quoniam ſi Deus deficeret, nulla creatura eſſet poſſibilis, cum poſſibilitas cuiuſcumque ſit per ordinem eſſentialem ad cauſam primam, à qua effectus, qui dicitur poſſibilis, poſſit produci: tum autem nulla eſſet cauſa prima, vt ſupponitur: omnes igitur creaturæ impoſſibiles eſſent, ac repugnantes in eo euentu: igitur deficiente Deo repugnantia chimæræ non deficeret, ſed potius maneret. Quintò, & quidem ex fundamento oppoſito ei quod proximè ſupra poſitum eſt: poſſibilitas creaturarum maneret deficiente Deo: eſt ergo à ſe, & non à Deo. Id oſtenditur: namque poſſibilitas creaturarum eſt aptitudo conditionata, vt producantur à cauſa prima, vel ſecunda, ſi hæ dentur, vel ſint poſſibiles: ergo non exiſtente alterutra nec poſſibili, maneret tamen illa, dareturque ſicut modò. Sic, quia conſenſus conditionatus eſt exiſtentia conſenſus ſub conditione, quod detur auxilium; certè abſque huius abſoluta exiſtentia dari poteſt.

13. Reſpondeo primò, non eſſe impoſſibile, quod multi dicunt, poſſibilitatem creaturarum non eſſe à Deo, ſed quodammodo à ſe. Namque in primis id videtur manifeſte tueri, ac docere Angelicus præceptor 1. part. quæſt. 25. art. 3. corp. ibi: *dicitur autem aliquid poſſibile, vel impoſſibile abſolutè ex habitudine terminorum.* Et ad 4. addit: *ad quartum dicendum, quod poſſibile abſolutum non dicitur nec ſecundum cauſas inferiores, ſed ſecundum ſe ipſum.* Quibus verbis poſſibilitatem, & impoſſibilitatem à ſe ipſis, & non à Deo, aliáve cauſâ eſſe perſpicuè tradit. Conſentit Scotus in 1. diſtinct. 43. quæſt. vnic. vbi docet, rerum poſſibilitatem, & impoſſibilitatem eſſe ex ſola habitudine terminorum, & non à Deo, tametſi in eſſe intelligibili, ſeu cognito ſint à Deo, quod doctrinæ præſentis reſponſionis contrarium non eſt, & nihil aliud eſt, quàm eas à Deo æternùm cognoſci eâ cognitione, quæ illum abſolutè productiuum earum denominet. Adde tantorum Doctorum authoritati rationem non contemnendam: namque carentiam hominis verbi gratia non multum euehit, imò nihil, quod ab æterno ſit quodammodo, quod item aliquâ ratione, & ſecundum quid ſit vbique: nimirum quia planè nihil eſt, adeóque cuiuſuis perfectionis propriè ſumptæ omnino incapax. Similiter ergo carentiam repugnantiæ, ſeu poſſibilitatem, quæ ſimpliciter aliquid non eſt, magiſque eſt poſſe eſſe, quàm eſſe, parum, aut nihil extollet, quod ſit à ſe quodammodo.

14. Ad priorem autem rationem contrariam dicendum eſt, poſſibilitatem creaturarum reſpicere Deum eſſentialiter, non fortaſſe vt principium à quo ſit, ſed vt principium à quo rerum creatarum exiſtentia oriatur: eſt enim aptitudo, vt creaturæ à Deo exiſtant, & producantur: vnde ob hunc reſpectum eſſentialem deficiente Deo deficeret, quamuis ſit à ſe: ad modum, quo, in oppoſita ſententia, deficientibus creaturis deficeret Deus, tametſi à ſe, & non à creaturis ſit, videlicet quia eas eſſentialiter reſpicit. Explicatur: poſſibilitas reſpicit eſſentialiter exiſtentiam finitam, quam poſſibilem denominat: hæc reſpicit Deum, in cuius infinita, & illimitata virtute continetur, & à quo poteſt produci; igitur de primo ad vltimum, vt aiunt, poſſibilitas, licet ſit à ſe non à Deo, adhuc Deum eſſentialiter reſpicit, ac per conſequens eo deficiente deforet. Ad poſteriorem rationem contrariam dicendum eſt, poſſibilitatem creaturarum provt condiſtinctam à quouis alio non habere propriè, & ſtrictè eſſe, ſed duntaxat poſſe eſſe; & germanum illius conceptum hunc eſſe, & non alium: quare eſto à ſe ſit, non ob id prædicatum aliquod creaturæ proprium, atque finitum erit propriè à ſe. Declaratur: ens à ſe eſt, quod poteſt exiſtere à ſe, ſiue non ab alio: at poſſibilitas, quantumuis à ſe quodammodo ſit, tamen nequit exiſtere ſiue reduci ad actum, & exiſtentiam à ſe, & abſque influxu cauſæ primæ; quippe à qua eius exiſtentia pendet eſſentialiter: quæ cum ita ſint, certè ex poſſibilitate creaturarum, ſicut à nobis explicata eſt, minimè fit, rationem entis à ſe ſtrictè ſumpti Deo cum creaturis eſſe communem.

15. Reſpondeo ſecundò, & quidem planiùs, ac probabilius, poſſibilitatem creaturarum eſſe à Deo: tum ob dicta in argumento contrario, quæ etſi ſolutionem habeant, ſemper tamen veriſimilia ſunt, præſertim id, quod obiiciebatur ex finitate poſſibilitatis illius à Deo diſtinctæ, de quâ diſputamus. Secundò, quia vti carentia exiſtentiæ cuiuſuis, quantula quantula eſt, nequit non eſſe ſuo modulo à Deo: ita id ipſum videtur dicendum de carentia repugnantiæ, ſeu poſſibilitate creaturæ. Tertiò, quia Deus eſt prior logicè, & in ſubſiſtendi conſequentia, quàm poſſibilitas creaturæ: at hoc ipſo, quod ita ſit prior, quàm illa, debet etiam eſſe prior illâ veluti phyſicè, ac reſpectu illius rationem principij, & radicis cuiuſdam ſortiri: ergo, &c. Maior conſtat: nam hæc conſequentia valet: *Poſſibilitas, ſeu non repugnantia creaturæ datur, & exiſtit Deus:* cum enim creatura non ſit poſſibilis, ſeu non repugnans exiſtere à ſe, ſed potius tota eius non repugnantia ſit in eo, quod poſſit quantum eſt ex ſe exiſtere, & cauſari à Deo: ſane Deum exiſtere optimè infertur ex eo quod detur creaturæ poſſibilitas, ac non repugnantia: adóque ab hac ad illud prius valet, vt dictum eſt, conſequentia. Sed ſic eſt, quod è conuerſo non valet: *Deus exiſtit; ergo creaturæ poſſibilitas, & non repugnantia re vera datur:* videlicet ob independentiam Dei, eiuſque perfectionem abſolutam ab omni reſpectu ad aliquid extra ſe, à nobis inferius probandâ, atque explicandam. Ex quibus manifeſtè patet, Deum eſſe logicè priorem ſub poſſibilitate creaturæ: ſicut animal eſt prius logicè, & inſubſiſtendi conſequentia, quam homo: quia, iuxta omnes, valet hæc conſequentia; *eſt homo: ergo animal:* non autem hæc; *eſt animal, ergo homo.* Porrò autem principalis minor probationis noſtra facilè ſuadetur: ob ib enim animal, vt exemplo poſito inſiſtamus, eſt prius logicè, non verò phyſicè, quam homo, eumque antecedit in ſubſiſtendi conſequentia, non verò vt principium aut cauſa

causa, seu veluti causa physica, quia nec distinguitur realiter ab homine, nec etiam est perfectius homine, sed potius duplo minorem homine perfectionem exprimit: quod autem est alterius principium physicum debet ab eo realiter distingui; debet item eo esse perfectius; si sit principium adæquatum, & principale, de quo potissimè in præsenti loquimur. Atqui Deus à possibilitate creaturæ distinguitur realiter; estque item ea infinite magis perfectus: vt igitur est ea logicè prior, cur non etiam illam physicè anteuertat, illiusque sit veluti principium, & radix?

16. Præterea ostenditur concedendum esse vt longe verius, quod possibilitas creaturarum sit non à se, sed à Deo, tanquam à radice ac veluti principio quodam. Siquidem eiusmodi possibilitas dependet à Deo: non autem à posteriori: ergo à priori: quidpiam autem ab alio dependere à priori est esse ab illo tanquam à principio, & ad illud re vera consequi: possibilitas ergo creaturarum est à Deo quasi à principio, & non à se ipsa. Primum, & præcipuum antecedens probatur: quia possibilitas creaturarum sine Deo esse nequit, eóque repugnante omnes repugnarent, quæ est earum omnium respectu illius essentialis subordinatio: connectitur ergo prædicta possibilitas cum existentia Dei: ab ea ergo dependet: connexio enim est dependentia; eaque ratione defendemus inferius, futurum vt Deus dependeret à creaturis possibilibus, si cum earum possibilitate connecteretur, ordinémue ad eas haberet transcendentalem. Aliter etiam suadetur idem antecedens principale: quoniam Deus sine creaturis possibilibus esse potest, vt constabit infrà: è conuerso autem possibilitas creaturarum sine Deo esse non potest: quare à creaturis possibilibus ad Deum consequentia valet, non tamen à Deo ad illas: at hæc connexio non mutua consequentiam etiam non mutuam nec reciprocam fundans, cum dependentia vnius extremi ab alio à se distincto, videlicet connexi ab inconnexo dependentia semper cohæret, vt paulò superius constitutum est, vtque expressè docetur ab Aristotele in Postprædicamentis: possibilitas igitur creaturarum nequit non à Deo dependere. Dicent fortasse aduersarij, eam quidem à Deo dependere, non tamen vt à principio, sed vt à conditione, sine qua non esset à se: vnde illam, non obstante dependentia sua à Deo, eáque à priori, posse tamen esse à se. Sed contra facit in primis, quod conditio habet rationem principij, ac veluti causæ, vti tract. præcedente cap. 3. ostendi: ergo si possibilitas creaturarum dependet à Deo vt à conditione; & ab eo dependebit, vt à principio, & quasi causa. Adiice, conditionem anteriorem esse debere talem respectu alicuius causæ, quam ad operandum applicet, ac moueat, vt perspicuum est ex dictis loco proximè memorato: at ante possibilitatem creaturarum non est aliud principium, quod à Deo moueatur, aut determinetur ad eam dandam, ac pro posteriori inferendam: eius ergo possibilitatis intuitu nequit Deus esse mera conditio, sed debet esse principium: vt vt permittamus conditionem non habere ex genere suo rationem vllam principij, aut causæ.

17. Itaque ad primam rationem aduersus doctrinam hanc, quam vt veriorem amplexi sumus, dicendum est, quod obiicitur, nihil esse posse à Deo, quod ab eo in tempore non sit, illud intelligi debere de esse simpliciter, & propriè tali, cuiusmodi est esse rerum earum, quæ vere existunt; non de esse secundum quid, & alieno siue improprio, quale est esse carentiarum, & similium: esse autem possibilitatis est secundum quid tale, nec nisi improprium, & alienum: ac proinde absurdum non est, quod eiusmodi possibilitas ante tempora sit à Deo sicut ab eo carentiæ ab æterno suo modulo proficiscuntur. Ad secundam rationem contrariam dicendum est, aliquod esse, dummodò non sit existentiale, & proprium, sed duntaxat secundum quid & impropriè tale esse posse tamen non à se, sed à Deo: totum autem esse possibilitatis adumbratum est, atque improprium, nec simpliciter, sed secundum quid tale: quid mirum ergo est, si, quantumuis sit omninò necessarium, haud tamen esse debeat, vel possit à se, sed à Deo? Sic hoc complexum, *homo, vel carentia hominis*, est summè necessarium: nec enim fieri etiam diuinitus potest, vt vel non detur homo, vel carentia hominis: siue autem hæc detur, siue illa, & eo ipso dabitur homo, vel carentia hominis: & tamen huiusmodi complexum indeterminatum, ac vagum est non à se, sed à Deo, cum certo certius sit, esse à Deo alterutram eius partem. Ad tertiam rationem contrariam constabit ex dicendis infra cap. 6.

18. Ad quartam rationem contrariam dicendum est, eius antecedens, quo adstruitur, repugnantiam chimæræ esse à se, & non à Deo, esse falsum. Probatio autem negati antecedentis non vrget: casu enim, quo Deus deficeret, sequeretur, repugnantiam chimæræ eo ipso defuturam simul, & non defuturam: proinde hypothesis, ex qua arguitur, est omnino inutilis: quid enim inutilius ad argumentandum, quam id hypothesis, ex qua efficitur vtrumlibet? Sequeretur ergo, in euentu illo non defuturam repugnantiam chimæræ, ob rationem in argumento propositam; videlicet quia omnis creatura tum esset impossibilis, & chimærica. Deinde & fieret, in eodem euentu defuturam repugnantiam illam chimæræ: siquidem deficeret Deus, à quo, vt dictum est, essentialiter pendet: nec non etiam, quia omne ens chimæricum, & repugnans est ens rationis: at casu, quo deficeret Deus, nullum esset ens rationis: ergo nec chimæra vlla, aut repugnantia, siue impossibilitas: tum nullum futurum ens rationis patet: namque ens rationis, vt demonstrabo in Metaphysica haud aliud est, quàm extrema realia per actum falsum intellectus inter se combinata, & fictè applicata: verbi gratia homo equus consistit in essentia vera, & reali hominis, & essentia equi, atque cognitione, per quam altera de altera falsò enunciatur; siue vi cuius identitas vera aliorum conceptuum prædictis conceptibus obiectiuis, extremisque fictè applicatur: atqui deficiente Deo nulla essent extrema realia, nullusque intellectus actus, qui posset ea intentionaliter identificare, atque componere, non obstante eorum reali distinctione: ergo nec esset tum ens rationis vllum.

19. At enim insurges contra hanc nostram solutionem: quia tacitè videtur concedere, quod negat: siquidem deficere, & non deficere repugnantiam chimæræ est noua repugnantia: sed deficiente Deo, hoc quod est deficere, & non defi-

cere repugnantiam chimæræ daretur: igitur hæc noua repugnantia præcisè daretur. Explicatur: duplex eſt chimæra, & repugnantia: alia directa, quæ circa creaturam aliquam verſatur, & eius prædicata cum eorum contradictoriis miſcet, & implicat: alia reflexa, quæ circa priorem repugnantiam verſatur, & eam cum ſua carentia ſimul componit; nec in alio conſiſtit, quàm in eo, quòd directa repugnantia ſimul detur, & non detur: at noſtra ſolutio directam repugnantiam eo in euentu defuturam, & non defuturam, ſeu, quod perinde eſt, futuram, & non futuram contendit: igitur reflexam repugnantiam in euentu illo præcisè futuram concedimus. Verùm ne hæc inſtantia premit: namque reflexa illa, & noua repugnantia etiam maneret deficiente Deo, & ſimul non maneret: & rurſus hæc ſecunda reflexio chimærica, & repugnans maneret, ac non maneret, caſu, quod deficeret Deus: & ſic de tertia reflexione chimærica, ſiue chimæra reflexa: & ita in infinitum; quin vnquam ſiſtere ſit in vlla, de qua verum eſſe poſſit, quod præcisè maneret deficiente Deo, & non potius quod ſimul maneret, & non maneret. Nec verò mirum eſt, quod deficiente Deo ſequeretur per locum intrinſecum defuturam ac non defuturam cuiuſuis chimæræ ſiue directè, ſiue reflexè repugnantiam: etenim ſi fingamus, ac ſupponamus, Deum deficere, ſequetur per locum intrinſecum, quod plus eſt, etiam ipſum Deum ſe deficiente ſimul defuturum, & non defuturum quidem, vt ſupponitur: non defuturum; quatenus deficeret creatura, quæ defectum creatoris ſui fingeret, ac ſuo actu conſtitueret.

20. Ad quintam, ac poſtremam rationem contrariam dicendum eſt, poſſibilitatem creaturarum defuturam neceſſariò, ſi deficeret Deus, ac proinde eſſe à Deo. Quod deficeret deficiente Deo eſt communis Scholaſticorum ferè omnium ſententia, quam ex profeſſo defendit P. Ouiedo contr. 10. Metaphyſ. punct. 5. Probatur autem primò: quia poſſibilitas creaturarum, à cauſis earum diſtincta, eſt aptitudo in iis, vt exiſtant, producanturque, non conditionata tantum, ſed abſoluta: atqui creaturas eſſe poſſibiles, aptáſue exiſtere, non conditionatè, aut ſi ſint poſſibiles earum cauſæ, ſed abſolutè, connectitur eſſentialiter cum cauſarum, ac præſertim primæ poſſibilitate: poſſibilitas ergo creaturarum connectitur eſſentialiter cum poſſibilitate cauſæ primæ: cum ergo idem ſit, cauſam primam, Deumve eſſe poſſibilem, ac actu exiſtentem, propter eius ſummam perfectionem; ſanè creaturarum poſſibilitas connectetur cum exiſtentia Dei, hacque deficiente deficeret. Quod poſſibilitas creaturarum haud ſit aptitudo conditionata tantum ſed abſoluta, vt dixi, oſtenditur: ſiquidem in effectu omni creato abſolutè à Deo producto eſt non tantum exiſtentia conditionata, ſed etiam abſoluta: & hæc exiſtentia abſoluta, non minus quàm conditionata, diſtinguitur ab exiſtentia Dei; pari ergo ratione poſſibilitas creaturarum erit non tantum conditionata, ſed abſoluta: & quæ abſoluta eſt, diſtinguetur omnino à poſſibilitate, & exiſtentia cauſæ primæ, ac ſecundarum etiam: ergo ſaltem hæc poſſibilitas creaturarum eſt à Deo: adeóque aliqua non eſt à ſe, cum tamen aduerſarij omnem eſſe à ſe adſtruant. Deinde, quod etiam poſſibilitas illa merè conditionata, quam ponunt ij, quibuſcum diſputamus deficeret deficiente Deo, ſuadetur: quia quidquid eſt, eo modo quo eſt, à Deo abſolutè dependere poteſt, & debet: nimirum ab eo tanquam à cauſa ſimpliciter tali, ſi habuerit ſimpliciter eſſe, & cauſalitatis ſtrictæ non fuerit incapax, aut velut à cauſa, ſiue principio ſecundum quid, ſi habuerit eſſe ſecundum quid tantum, & cauſalitatis propriæ, ſtrictæque capax minimè fuerit: oppoſitumque huius Deo dedecus eſſet, & euis excellentiæ non parum derogaret: poſſibilitas igitur illa conditionata, de qua ſermo, abſolutè independens à Deo non eſt, ac proinde eo deficiente deficeret. Quod vlterius etiam probatur, quoniam ea poſſibilitas conditionata non conditionate tantum, ſed abſolutè cognoſcibilis eſt, idque eſſentialiter & neceſſariò: tũ quia eo modo, quo eſt, vera eſt: tum quia ſicut quod non eſt, non ſcitur, ita quod quodam modo eſt, ſcibile, ſeu cognoſcibile eſt: at cognoſcibile abſolutè, vt cognoſcibile, intellectum Dei mediatè, aut immediatè reſpicit: ergo ea poſſibilitas cum intellectu Dei, ac proinde cum Deo abſolutè connexa eſt: & ſic deficiente Deo non poteſt non deficere. Itaque ferendi non ſunt Baſilius Legionenſis in quodlib. quæſt. 6. ſcholaſt. cap. 5. & relect. 5. aliique Recentiores apud P. Ouiedo vbi ſupra, eam creaturarum comminiſcentes poſſibilitatem, quæ omnino maneret, nullatenuſque deficeret deficiente per impoſſibile Deo. Verius enim eſt, vt demonſtraui, defuturam omnem poſſibilitatem creaturarum deficiente Deo: quanquam & id negandum non eſt, ſimul non defuturam poſſibilitatem creaturarum eo in euentu: ſiquidem in illo deficeret repugnantia chimæræ, vt viſum eſt ſupra, chimeras autem non repugnare, eſt eas eſſe creaturas poſſibiles, haſque ex conſequenti manere: rurſus in eodem euentu ſimul maneret repugnantia chimæræ, iuxta ſuperius dicta: eiuſmodi autem repugnantia poſſibilitatem creaturarum complectitur, & ex eâ fictè conſiderata coaleſcit: poſſibilitas ergo creaturarum deficiente Deo ita deficeret, vt ſimul non deficeret, ſed quodammodo maneret.

Quod autem deficiente Deo ea maneret hoc 21.
pacto, ſcilicet imperfectè, & ſimul deficiendo, nequit arguere illam de facto eſſe à ſe, & non à Deo: ſed potius, vt ſponte ſua manifeſtum eſt, ad eius illationis bonitatem opus erat, vt caſu, quo deficeret Deus, omninò & perfectè maneret poſſibilitas creaturarum, nec ex aliâ parte ſimul deficeret: idemque dicendum eſt de repugnantia chimæræ, ſcilicet non à ſe, ſed à Deo eſſe, quantumuis deficiente Deo maneret ſimul deficiendo. Porrò autem dictis hactenus haud obſtat exemplum quintæ rationis contrariæ, in qua diſſoluendo verſamur; nempe conſenſus conditionati, qui, eo ipſo quod talis ſit, exiſtere poteſt abſque exiſtentia abſoluta auxilij, cuius ſub conditione dicitur futurus: tum quia hinc ad ſummum fit, poſſibilitatem conditionatam creaturarum non defuturam deficiente Deo; non vero quod tali euentu non deficeret poſſibilitas earum abſoluta: tum etiam quia poſſibilitas conditionata creaturarum, licet earum exiſtentias denominet pendentes à Deo conditionatè, tamen ipſa non conditionatè, ſed abſolutè pendet à Deo, velut à primo ente; pender, inquam, ſecundum quid: quæ ratio non procedit in conſenſu conditionato relatè ad auxilium ſupernaturale ſumpto.

CAPVT

CAPVT III.

Relationem causæ increatæ ad suos effectus non esse essentialem, seu transcendentalem.

22. HOc est, in Deo non esse prædicatum essentiale, sed potius partim intrinsecum, partim extrinsecum, quod sit absolutè potens producere creaturas; nec cum harum possibilitate eum ita connecti, vt si essent impossibiles, deficeret; longè verior sententia est. Quam tuentur Scotus, & assecłæ, necnon Henricus, Aureolus, Richardus, Durandus, Bonauentura, Ægidius Romanus, Alexander, Gregorius Gabriel, & passim Nominales. Item ex Recentioribus Basilius Legion. vbi supra, Gamachæus, Aluiz, Acherus, Pesantius, & alij non pauci. Ac tandem ex nostrâ Societate Vasquez 1. part. disp. 104. & 143. Hernelmam volum. 2. in 1. p. tit. 8. disp. 1. cap. 3. Alarcon tract. de scient. disp. 2. cap. 4. Ouiedo contr. 10. Met. punct. 4. §. 2. num. 5. & punct. 6. num. 14. Molina 1. part. q. 34. art. 3. disp. vnic. vers. *Atque hinc dilues*, quatenus ibi expressè ait; Concedendum esse, quod *si per impossibile Pater in essentia non intueretur creaturas, Verbum diuinum procederet ex notitia solius essentiæ, & non etiam creaturarum.* Item Ripalda tum in manuscript. Philosoph. tum etiam tom. 1. de ent. supern. disp. 41. n. 71. & Luisius de Torres in opuscul. disp. 2. de Trinit. dub. 3. Necnon Gaspar, & Petrus Hurtado hic in Metaphys. disp. 15. sect. 9. concluſ. 2. ille tom. 1. in 3. part. difficult. 5. Gilius 1. p. lib. 2. tract. 10. cap. 6. num. 10. Raynaudus in Theolog. natural. dist. 8. q. 5. art. 6. num. 738. Albertin. tom. 2. in prædicam. ad aliquid corol. 2. & 3. Arnibal. 1. p. tom. 1. disp. 26. cap. 4. Præpositus 1. p. q. 35. dub. 2. à num. 15. Becanus 1. p. tom. 1. tract. 1. cap. 9. quæst. 13. num. 10. aliisque plures.

23. Quorum sententia, quam vt probabiliorem sequor, hunc in modum suadetur. Si omnipotentia Dei cum creaturis essentialiter connexa, & ad eas transcendentaliter relata statuatur, non poterit non dependere à creaturis, iisque indigere: quæ enim maior dependentia, aut indigentia alterius, quam non posse esse sine illo. Consequens autem est hæreticum, & contra illud Psalmi 15. *Deus Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*, aliaque innumera id genus Scripturarum, & Sanctorum Patrum effata. Confirmatur primò: causa creata ab effectu, & materia à formâ à posteriori verè dependent, vt omnibus exploratum est; non quia ab effectu, & formâ esse emendicent, cum potius iis esse largiantur: igitur præcisè quia sine iis esse non possunt: igitur si Deus sine creaturis possibilibus de se esse nequeat, ab iis proculdubio dependebit. Confirmatur secundò: quoties duæ causæ ita comparatæ sunt, vt vna absque aliâ operari nequeat, sanè vna ab alterâ in operando dependet: quâ ratione causæ secundæ in operando à causa primâ dependent, quia absque eius concursu operari nequeunt: igitur quoties ex duabus rebus vna absque aliâ esse nequit, vna ab altera secundum esse dependet: at Deus esse nequit sine creaturis possibilibus, siquidem iis deficientibus repugnaret, vt aduersarij profitentur.

24. Hoc argumentum instant aduersarij: quia Pater Æternus sine filio esse non potest, & tamen ab eo non pendet: igitur esto Deus sine creaturis possibilibus esse nequeat, ab iis independens esse poterit. Hæc instantia, quam aduersarij manifestam arbitrantur, mihi magnopere displicet: tum quia Pater Æternus sine filio existente esse non potest, & tamen si sine creaturis existentibus esse nequiret, ab iis proculdubio penderet; ideo enim absque iis existentibus existere potest, quia id ad eius perfectionem, & independentiam attinet: ergo similiter esto connexio Patris cum coæuo sibi filio dependentiam, & imperfectionem non arguat, eam tamen arguet connexio cum creaturis possibilibus. Tum etiam productio, quâ Pater Filium producit, nullam in Filio dependentiam, aut imperfectionem arguit; & tamen productio, quâ Deus creaturas producit, cum earum dependentiâ, & imperfectione coniuncta est: igitur tametsi cum filio absque dependentiâ connectatur, non propterea cum creaturis absque dependentiâ connectetur. Tum demum: & eodem redit: quia Pater Filium absque causalitate producit: & nihilominus creaturas, quas producit, subinde causat: similiter ergo in præsenti, &c. Itaque dependentia est respectus ad aliud, cum quo connectitur: quando igitur Filius aliud à Patre non est, eo quod eiusdem cum eo naturæ, & essentiæ sit; quid mirum, si Pater non pendeat à Filio, cum quo connectitur. At hæc ratio non militat in Deo, & creaturis, quarum quælibet aliud quid à Deo est. Explicatur vlterius: connexio identitatis mediatæ saltem, siue in tertio dependentiam non arguit: at huiusmodi connexio reperitur inter diuinas personas, non verò inter Creatorem, & creaturas: ergo, &c.

25. Absolutè respondent plerique aduersarij, possibilitatem creaturarum ab omnipotentia Dei indistinctam esse: ac proinde Deum nequire esse absque creaturis possibilibus, perinde esse, ac eum sine se ipso esse non posse: quod autem Deus absque se ipso esse nequeat, nullam in eo dependentiam, aut imperfectionem arguit. Explicatur: duplex est connexio: alia identitatis: alia inseparabilitatis: prior extremorum distinctionem postulat, secus verò posterior: illa fortè imperfectionem arguit, nec aliud argumentum probat, secus hæc: posterior est, quæ inter Deum, & creaturarum possibilitatem interuenit. Cæterum hæc solutio ex dictis cap. præcedenti euanescit: ibi siquidem possibilitatem creaturarum à creatoris capacitate, & virtute distinguendam euici: vnde connexio Dei cum creaturis possibilibus, si admittatur, erit connexio inseparabilitatis: quæ quidem dependentiam, & imperfectionem Deo assimulat.

26. Alij secundò respondent, possibilitatem creaturarum propriè, & simpliciter nihil esse, ac tantum propriè, & secundum quid aliquid: vel quia mera carentia, seu negatio repugnantiæ sua sponte est: ad modum, quo tenebræ carentiæ lucis sunt: vel quia si quid positiuum

est, ab existentia distinguitur, ac proprie ens, aut aliquid non est. Vnde Deum nequire esse sine possibilitate creaturarũ, ab eâq; pendere idem esse, ac à nihilo pendere, & cum nihilo connecti, quod potius ad perfectionem, quàm ad imperfectionem attinet. Hæc solutio speciosa quidem est, sed præter speciem nihil probabilitatis habet : nam si connexio Dei cum creaturarum existentia, aut extremo aliquo, quod simpliciter aliquid sit, dependentiam, & imperfectionem denotat, quantò magis eam arguet connexio, cum eo, quod simpliciter nihil, omnisque perfectionis expers Confirmatur, & declaratur: connexio vnius extremi cum alio eò maiorem imperfectionem arguit, quò terminus connexionis imperfectior est : quare maiorem imperfectionem Deo affingeret eius cum existentia formicæ connexio, quàm si cum supremo Angelo connecteretur: quod si terminus nullius imperfectionis sit connexio cum illo, nullam imperfectionem arguet, vt in connexione personarum Triados cernere est : at quod simpliciter nihil est, eo ipso imperfectissimum est: si qua igitur connexio imperfectionem indicat, vel potius adstruit; sanè ea potissimè, quæ est cum nihilo. Itaque pendere simpliciter à nihilo, & cum nihilo simpliciter connecti bifariam intelligi potest. Primò, vt idem sit, quod simpliciter non connecti cum vllo extremo, qualecumque demum sit, & siue simpliciter aliquid sit, siue non : & sic cum nihilo connecti, & à nihilo pendere nullius imperfectionis est, cum non tam sit connexio, & dependentia, quàm vtriusque carentia, seu negatio. Secundò, vt idem sit, quod re vera connecti cum aliquo extremo, quod simpliciter nihil, & secundum quid aliquid sit : & hæc connexio imperfectionem, & dependentiam arguit. At huiusmodi est connexio, quæ reperitur inter Deum, & creaturas possibiles, si qua inter eos reperitur: ergo, &c.

26. Alij respondent ad dependentiam à possibilitate requiri, vt possibilitas possit esse, & non esse; sine hac enim contingentia, & indifferentia Deum à posibilitate creaturæ pendulum, & quasi suspensum esse non posse, vt vel ex ipsis vocibus perspicuum est : cum ergo posibilitas creaturarum necessaria sit, & ad esse, vel non esse indifferens non sit, mirandum non esse, quod omnipotentiam Dei pendentem, & quasi suspensam tenere non possit. Contra tamen, quia vt creatura à priori à Deo depẽdeat, & quasi suspensa sit, necessum non est, vt Deus posit esse, vel non esse : ergo vt Deus à posteriori dependeat à creaturarum possibilitate, necesse non erit, vt hæc possit esse, & non esse. Rursus materia cœlestis dependet à posteriori à formâ cœlesti, cum tamen hæc non possit non esse, illa suppositâ; non possit, inquam, ex naturâ rei. Idem cernere est in anima nostrâ, quæ, si distinguitur realiter à suis potentiis, intellectiua verbi gratia & volitiua, sane ab iis non potest non dependere : & tamen non sunt indifferentes ad esse vel non esse, suppositâ existentia animæ : sed potius ex hac suppositione necessariæ, vel naturaliter, vel, vt plures antumant, etiam Metaphysicè, & in ordine ad potentiam Dei extraordinariam, & absolutam. Demum alij respondent, dependentiam à posteriori cum dependentia à priori ab alio coniunctam esse : ideo enim materia à posteriori dependet à formâ, quia causa materiæ primæ proximè expedita ad illam producendam est ex natura rei determinata ad formam ponendam : cum ergo Deus à priori ab alio pendere nequeat, nec à posteriori etiam ab alio pendere poterit : Contra tamen, quia si Deus haberet connexionem essentialem cum existentia alicuius creaturæ, certè ab ea à posteriori dependeret, & tamen à nullo à priori in eâ hypothesi dependeret : ergo quamuis de facto à nullo à priori dependeat, à posteriori tamen à possibilitate creaturarum dependebit, vbi semel cum eâ connectatur.

CAPVT IV.

Vlterior verioris Sententiæ probatio.

ARgumentor secundò : Deus secundum prædicata essentialia, & quidditatiua præcisè sumptus non est absolutè potens producere res creatas : non ergo connectitur essentialiter cum illis, nec habet ad eas ordinem, aut relationem transcendentalem. Id probatur : quoniam ideo Deus est potens absolutè producere creaturas, quia secundum se non repugnant : & non è contrario ideo possibiles, & nõ repugnãtes sunt, quia Deus pro priori est potens illas producere : Deus igitur secundum se, & essentialiter sumptus haud est potens producere creaturas : sicut igni essentiale esse nequit, quod proximè potens sit calefacere passum, quia ei extrinsecus applicatur, & non ideo applicatur, quia prius proximè potens est, aliàs applicatio superflueret. Declaratur : si Deo essentiale esset, quod absolute potens sit producere creaturas, sanè ea denominatio absolutè potentis creaturarum non repugnantia, & possibilitate posterior esse non posset : Deus enim, qui primum ens est, nihil prius, aut anterius patitur : at denominatio absolutè potentis producere creaturas earum non repugnantia posterior est, vt ex causalibus superius positis liquet : igitur Deo essentialis non est talis denominatio, sicut ad eius ad creaturas ordinem transcendentalem oporteret. Porro autem veritas earum causalium suadetur : quia ideo Deus nequit producere chimæram, quia chimæra repugnat, & non è conuerso : igitur etiam ideo creaturas producere valet, quia non repugnant; & non conuersim. Antecedens proximè positum est D. Thomæ 1. part. quæst. 25. art. 3. & probatur : quia non posse chimæram producere non oritur ex defectu virtutis in Deo : igitur ex ipsa repugnantia chimæræ oritur : ac proinde ideo à priori Deus non potest producere chimæram, quia hæc ex se, suisque prædicatis est repugnans, atque impossibilis. Tum etiam constans est Theologorum opinio, ideo Deum prohibere, & odisse objecta intrinsecè, & essentialiter mala, quia mala sunt; & non ideo mala esse malitia quidem radicali, & primaria, quia Deus ea prohibet, odióue prosequitur : similiter ergo ob id Deus producere nequibit chimæram essentialiter repugnantem, quia repugnat, & non è conuerso. 27.

28. Respondent aliqui Recentiores, Deum quidem non esse essentialiter, & secundum se non potentem producere chimæram : nec cum eius intrinseca repugnantiâ connecti : cæterùm hoc non obstante esse essentialiter potentem producere creaturas, & cum earum possibilitate connexum :

quare

quare de vtrisque causalibus supra positis diuersomodo esse philosophandum. Rationem autem disparitatis desumendam esse ex perfectione diuinæ virtutis: ad quam, inquiunt, spectat, vt essentialiter possit creaturas producere, non verò vt chimæras producere absolutè non possit: vtue cum illis, non verò cum his connectatur. Impugnantur tamen, qui sic respondent: quoniam si Deus connecteretur essentialiter cum creatura possibili, eamque aut possibilem denominaret, aut possibilitatem ei intrinsecam essentialiter inferret; pari ratione Deus cum chimæra connecteretur, eamque repugnantem denominaret, aut repugnantiam eius intrinsecam fundaret, quatenus pro priori, & essentialiter impotens, seu non potens eam producere: at hoc posterius renuunt: ergo & illud prius non admittent, sibi si constare velint. Sequela probatur: tum quia creatura possibilis est radix repugnantiæ chimeræ, eamque essentialiter infert: ideo enim homo-equus verbi gratia repugnat, quia prædicata realia hominis, & equi essentialiter distincta sunt, atque incompossibilia: ergo si Deus cum creaturis possibilibus connectitur; & cum repugnantia impossibilium connectetur: tum etiam quia plures sunt creaturæ possibiles, quæ ex speciali suo modo tendendi chimæras essentialiter respiciunt; cuiusmodi sunt cognitio essentialiter representans chimeram, & actus voluntatis, quo quis in impossibilia afficitur: fieri ergo nequit, vt Deus cum istiusmodi creaturis essentialiter connexus sit, quin etiam cum repugnantia chimeræ connectatur.

29. Dices, hac nostra impugnatione tantum euinci connexionem mediatam Dei cum repugnantia impossibilium; secus verò immediatam. Contra tamen sic argumentor: Non minus repugnat Deo connexio mediata cum chimæra, quàm immediata: Sed relatio transcendentalis Dei ad creaturas possibiles infert per te connexionem mediatam cum repugnantia impossibilium: ergo relatio transcendentalis ad creaturas, & cum eisdem connexio Deo repugnat. Maior probatur: quia si Deus mediis creaturis cum chimæra essentialiter connectitur, certè posse Deum producere creaturas erit virtualiter non posse absolutè chimæras producere: proinde Deus erit essentialiter non potens, siue impotens producere ~~creaturas~~ chymoras: hoc solo discrimine, Quod posse sit ei essentiale per prius, & non posse per posterius; quemadmodum homini rationalitas priùs, & risibilitas posteriùs physicè essentialis est. Ex quo vlterius fit, vt Deus non sit, quantum est ex se, potens producere chimæram, siuè vt non habeat talem entitatem ac perfectionem, quæ deficiente repugnantia chimeræ, maneret tamen, chimæramque posset producere: at ex eo non conuenit Deo, iuxta aduersarios, immediata connexio cum chimæra, quia sequeretur, Deum non futurum, quantum est de se, absolutè potentem producere chimeram: igitur etiam & connexio mediata cum chimæra (ex qua idem absurdum consequi probatum est) Deo similiter repugnabit.

30. Secundò impugnantur iidem Rencentiores: quia præter intentum manifestè nobis intentum largiuntur: videlicet quod Deus non sit essentialiter, ac per se præcisè potens producere creaturas, proindéque quod nullam ad eas habeat relationem, aut ordinem transcendentalem. Quod hac ratione demonstro. Si deficeret repugnantia chimeræ, adhuc Deus maneret cum iisdem prædicatis essentialibus, & quidditatiuis, quibus de facto gaudet: at in eo euentu esset absolutè potens producere chimæram, & non intrinsecè, aut essentialiter: igitur nec modò intrinsecum, & essentiale Deo est, quod res producere potens sit. Maior est ipsa aduersariorum sententia, qui connexionem Dei cum repugnantia impossibilium diffitentur. Minor quoad priorem eius partem est eorundem, cum ex æquo negent, Deum non mansurum, si creatura repugnaret, & in chimæram transiret, & affirment, Deum permansurum, si chimæra possibilis esset, & in creaturam conuerteretur: at si chimæra possibilis foret, & ex terminis non repugnans haud dubiè posset à Deo produci. Quoad posteriorem partem suadetur eadem minor: quia si in illo euentu Deus foret intrinsecè, & essentialiter potens producere chimæram, non maneret sanè in eo euentu cum eisdem prædicatis essentialibus, & quidditatiuis, quibus de facto gaudet, cum de facto nullatenus producere chimæram absolutè possit, nedum hæc denominatio sit ei essentialis, & quidditatiua: Sed maneret cum iisdem prædicatis quidditatiuis in vtroque euentu, vt ipsi in confesso habent: ergo &c.

31. Neoterici, quos aliquando hoc vrgebam argumento, non sine acumine responderunt, deficiente repugnantia chimeræ eam non transituram in creaturam aliquam possibilem vltra eas, quæ modo sunt possibiles: id enim non esset, eam verè possibilem esse, vt de ea supponitur: quidquid enim concipi potest vltra creaturas modo possibiles, chimæricum, & impossibile per locum intrinsecum est: sed eam ituram in creaturam aliquam ex iis, quæ de facto sunt possibiles: quare Deum posse producere chimæram in illo euentu esset posse producere creaturam aliquam ex modò possibilibus, ac proinde licèt ea potestas absoluta producendi Deo essentialis sit, manere tamen posset Deus deficiente repugnantia chimeræ, cum iisdem prædicatis essentialibus quibus modo gaudet. Quos tamen sic redarguebam. In eo euentu fieret variatio ex parte termini, quem diuina omnipotentia essentialiter respicit, videlicet creaturæ possibilis: igitur etiam fieret variatio ex parte omnipotentiæ essentialiter respicientis: igitur tali in euentu diuina omnipotentia cum iisdem prædicatis essentialibus neutiquam maneret, vt solutio contraria intendit, vel prædicatum absolutè potentis Deo essentiale non est. Antecedens suadetur: quia tum creatura possibilis foret terminus *ad quem* conuersionis chimeræ: nunc autem non est terminus, in quem chimæra conuertatur: igitur ex parte termini diuinæ virtutis, & omnipotentiæ fieret variatio, atque vicissitudo. Confirmatur: in eo euentu daretur ex parte creaturæ varietas sufficiens ad variandam, mutandámque cognitionem, quæ eam essentialiter, & verè repræsentet: siquidem hæc propositio, *chimæra in creaturam possibilem non est conuersa*, modò est essentialiter vera, cum tamen in illo euentu vera non esset: igitur etiam tum daretur varietas sufficiens ad variandam omnipotentiam Dei, vbi hæc creaturam essentialiter respiciat, & possibilem postulet: igitur aut eam transcendentaliter, siue

essentialiter non respicit, vt nos enitimur, aut facta conuersione chimæræ in creaturam possibilem non maneret, ac proinde cum chimæra connectitur, quod aduersarij renuunt.

CAPVT V.

Cæteræ probationes verioris sententiæ.

32. ARgumentor tertiò. Possibilitas creaturæ in vnico tantum euentu manere potest, videlicet in euentu, quo Deus maneat: igitur vt Deus sit magis necessarius, quàm est necessaria creatura possibilis, debet in duplici euẽtu permanere, scilicet in euentu, quo possibilitas maneat, & insuper in euentu, quo illa deficiat per impossibile: at Deus non posset, nedum necesse haberet, permanere in duplici illo euentu, nisi à creaturis possibilibus esset absolutus, & ad eas transcenden taliter non relatus: ad eas ergo ita minimè refertur. Quod autem Deus sit magis necessarius, quàm creatura possibilis est necessaria, suadetur primo ad homines: quia, iuxta aduersarios non paucos, quoties vna necessitas oritur ab alia, ea est maior, à qua ducit originem altera, iuxta illud Philosophi, propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale: at creatura possibilis quatenus necessario possibilis, & non implicans contradictionem oritur à Deo, cum primum ens sit: magis ergo necessarium est, Deum esse, quàm creaturas possibiles esse, quando, vt dictum est, posterior hæc necessitas ab illa priori ortum habet, non è contrario. Rursus absolutè probatur id ipsum: quia Deus est magis ens, quàm creatura possibilis: tum quia est verior, & melior creatura possibili: maior autem veritas, & bonitas ex maiori oriuntur entitate, sicut veritas & bonitas simpliciter sumptæ proficiscuntur ex entitate simpliciter tali: tum quia est maioris perfectionis, quàm creatura possibilis: perfectio autem cum entitate per identitatem cohæret: tum denique, quia negari nequit, vnum ens alio esse maius: idque perspicuè docuit Aristoteles 4. Metaphys. cap. 4. text. 18. ibi: *ipsum magis, & minus ineſt rerum naturis*, nec non B. Thomas 1. p. q. 2. art. 3. at si qua entitas alia maior est, ea certè est, qua Deus potitur comparatione illius, quæ creaturæ competit. Tum sic: Deus est magis ens, quàm creatura possibilis: igitur est magis possibilis, siue aptus, aut non repugnans esse, quàm creatura possibilis, cum ratio entis consistat in possibilitate, & aptitudine essendi: igitur est magis impossibilis quoad non esse, quàm creatura possibilis, cum possibile esse idem sit, ac non possibile, siue impossibile non esse; sicut actu dari esse alicuius rei est non dari eius non esse, vt apertissimum est: igitur est magis necessarius, quàm creatura possibilis, cum necessarium esse aliud non sit, quàm impossibile non esse.

33. Confirmatur, & declaratur superius argumentum: quia si Deus cum possibilitate creaturæ connecteretur essentialiter, cum possibilitas creaturæ è conuerso cum creatore essentialiter connexa sit, iuxta ea, quæ superius diximus, sanè Deus, & creatura possibilis æqualis forent necessitatis, ac proinde horum extremorum neutrum alteri necessitate præstaret: tum quia in nullo euentu alterutrum deficere, aut manere sine altero posset ob mutuam, & reciprocam eorum connexionem: quomodo ergo non essent æqualis necessitatis? tum etiam à posteriori, quia quælibet diuinarum personarum æqualis cum altera necessitatis est, ob mutuam, alternámque connexionem, qua sunt inseparabiles inuicem. At quod consequens sit absurdum, & possibilitas creaturarum haud sit tam necessaria, ac diuina essentia, & existentia paulò superiùs demonstratum est. Confirmatur iterum idem argumentum: quia negari nequit, quin maior veritas, magisue necessaria sit, Deum esse, quàm creaturam possibilem esse, vt iterum, atque iterum positum est: maior autem veritas, siue magis necessaria cum minori connexionem non habet; aliàs æquales non essent: ergo Deum esse suapte natura, & essentia non postulat, creaturam possibilem esse, nec cum huiusmodi possibilitate connectitur.

34. Postquam rationibus communibus nouam, & peculiarem lucem adhibuimus, operæ pretium erit, vt nouas etiam rationes addamus, quæ sin minus rem demonstrent, saltem valde probabilem efficiant. Itaque argumentor quartò in hunc modum. Nequit dari in Deo essentialis adhæsio affectiua alicui obiecto, quod simpliciter infinitum non sit: igitur etiam ei repugnat essentialis adhæsio physica, siue adhæsio inseparabilitatis alicui termino, qui simpliciter infinitus non sit: creatura autem possibilis simpliciter infinita non est: ac per consequens adhæsio physica inseparabilitatis, seu relatio ad illam Deo essentialis esse nequit. Antecedens cum innumeris Theologis suppono, qui Deum non necessario, sed liberè amare creaturas possibiles tuentur. Confirmatur, & declaratur: necessaria adhæsio affectiua obiecto finito manifestam imperfectionem arguit: qua ratione bruta rationis expertia imperfecta sunt, quia in voluptatem, aut commoditatem finitam eis propositam necessario feruntur, quin ab ea diuelli possint: igitur necessaria, & quod plus est, essentialis adhæsio physica, siue inseparabilitas cum imperfectione Deo repugnanti coniuncta est. Nec valet, creaturas possibiles quatenus tales à Deo indistinctas esse, ac proinde Deum sibi ipsi, & nõ alteri essentialiter adhærere, quatenus cum possibilitate creaturarum connexus est: hoc, inquam, momentum non est, quemadmodum enim Deo necessarium, & essentiale esse nequit, quod creaturas amatas per se ipsum denominet, eo quod earum perfectio finita, & limitata sit: pari ratione Deo essentiale esse nequit, quod eas possibiles per se ipsum denominet; siquidem earum perfectiò finita est.

35. Argumentor quintò: quoties aliqua virtus est essentialiter productiua alicuius termini infiniti, nequit esse essentialiter productiua vllius termini finiti: at natura Diuina respicit essentialiter in actu primò Verbum simpliciter, & in omni genere infinitum, necnon Spiritum Sanctum: eorúmque est productiua mediante Paternitate, & relatione Spiratoris, & in ordine ad eos ferax, & diffusiua sui: ergo non respicit essentialiter in actu primò creaturam, quæ finita, & limitata est; nec præcisè per se ipsam sumpta est eius absolutè productiua, sicut ad relationem transcendentalem oportet. Maior probatur: quia Deus non obstante summa illa inclinatione,

tione, quam ad se communicandum habet, non habet necessitatem se in actu secundo communicandi alicui creaturæ finitæ, eamue producendi, quia nimirum respicit essentialiter in actu secundo terminum simpliciter infinitum, quem actu producit, cuique necessario se communicat: ergo similiter quoties virtus aliqua in actu primo terminum infinitum essentialiter respicit, ita eo adæquatur, vt alium finitum in actu primo essentialiter non respiciat, nec ad eum dicat ordinem transcendentalem. Idem argumentum, & fortasse clarius confici potest in ipso attributo diuinæ omnipotentiæ, si præter virtutem producendi ad extra comprehendit sub se indiuisibiliter potentiam generandi, & spirandi ad intra, vt censent Marsilius, Ferrariensis, B. Thomas, Argentina, Ægidius Romanus, & Canariensis apud P. Vasquez tom. 2. in 1. p. disp. 165. cap. 1.

36. Argumentor denique sextò: ad perfectionem diuini intellectus simpliciter simplicem, eique essentialem non spectat, vt cognoscere possit absolutè creaturas esse possibiles: similiter ergo ad perfectionem diuinæ omnipotentiæ simpliciter simplicem ideóque essentialem, ac necessariam non spectabit, vt creaturas possibiles producere absolutè possit; ac proinde ad eas non habet ordinem transcendentalem. Antecedens suadetur: in rebus necessariis inseparabiliter idem sunt, esse, ac posse esse: scientia autem simplicis intelligentiæ, siue possibilium cognitio est necessaria simpliciter: ergo inseparabiliter idem sunt cognoscere possibilia, & ea posse cognoscere: at ad perfectionem diuini intellectus Deo essentialem non attinet, quod possibilia absolutè cognoscat, sed quod si possibilia sint, eum non lateant, sicut Deo essentiale non est, vt futura per scientiam visionis absolutè cognoscat, sed quod si futura sint, eum non fugiant: igitur ad perfectionem essentialem diuini intellectus non pertinebit, vt possibilia cognoscere absolutè possit. Consequentia autem principalis argumenti nostri videtur sine vllo discrimine: sicut Deus est necessario intellectiuus ad extra, cum tamen hæc absoluta necessitas non præcisè ex perfectione Deo essentiali, sed insuper ex rebus ipsis possibilibus, earúmque, possibilitate proficiscatur; cur obsecro, non poterit esse absolutè, & necessario productiuus ad extra, quin hæc absoluta necessitas ei essentialiter, & intrinsecus adueniat, sed extrisecus à non repugnantia possibilium? Præsertim cum intrinseca, & essentialis connexio inter Deum, & possibilitatem creaturarum haud sit adstruenda sine vrgenti fundamento: qua ratione vel ipsi aduersarij docent, ne inter res creatas ponendam esse summam connexionem temerè. & absque efficaci aliquo fundamento, ideóque nec materiam cum existentia formæ substantialis, nec subiectum quantum cum quantitate, si hæc ab eo distinguitur, aut è conuerso connecti essentialiter, sed potiùs posse saltem diuinitus inuicem separari. Quod autem in præsenti nullum sit vrgens fundamentum adstruendi connexionem summam, & essentialem inter creatorem, & creaturas possibiles iam patebit solutione argumentorum, quæ communiter obiici solent in contrarium.

CAPVT VI.

Fit satis quibusdam argumentis aduersus nostram, ac veriorem sententiam.

37. DEum referri transcendentaliter ad creaturas possibiles, & cum earum possibilitate essentialiter esse connexum communis est Thomistarum opinio: præsertim vero id tuentur Bannez, Caietanus, Aluelda, Nazarius, & Torres apud nostrum Georgium Hemelman volum. 2. in 1. part. tit. 8. disp. 1. cap. 2. In eadem sententia sunt apud eundem ex nostris Valentia, Tannerus, Zunniga, Arriaga, Suarez, Fasolus, Herice, quanquam hi tres posteriores in modo loquendi dissideant, & connexionem Dei cum creaturis possibilibus appellare nolint relationem transcendentalem. Id ipsum propugnant absolutè quidem, & absque vllo etiam quoad modum loquendi discrimine Granadus, Ruiz, Compton. Salas, Meratius, Martinon, Franciscus Amicus, & Franciscus de Lugo, aliique Authores nostri.

38. Pro qua sententia aduersus nostram, magisque probabilem sententiam argues primò in hunc modum. Deus secundum se, & prædicata sibi essentialia, & quidditatiua sumptus est absolutè potens producere creaturas: ergo & cum iis essentialiter connexus, ad easque transcendentaliter relatus. Id suadetur, quia si non esset per se ipsum essentialiter potens producere creaturas, maximè quoniam ea denominatio esset in eo ab æterno à possibilitate, ac non repugnantia intrinseca creaturarum, veluti in genere causæ formalis: at huiusmodi æterna possibilitas, & non repugnantia intrinseca creaturarum est impossibilis, & repugnans: ex ea enim fieret, essentiam distingui realiter ab existentia, item aliquid à Deo distinctum existere ab æterno, nec non quidpiam esse ens per denominationem extrinsecam ab alio, nec non ipsummet prædicatum talis possibilitatis esse simul, & non esse à se; quæ apertè sunt contradictoria, & absurda: quod autem sequantur, constat ex dictis suprà cap. 2. Verum respondeo, ea non sequi, vt à nobis clarè ostensum est eodem cap. 2. Quare antecedens argumenti falsum est, nec minus falsa, & neganda minor propositio, qua probatur.

39. Aliter etiam responderi potest ad idem argumentum, & quidem satis probabiliter; licèt possibilitas, ac non repugnantia craturarum merè possibilium non detur ab æterno secundum aliquod esse positiuum, & physicum à Deo distinctum, vt hoc aduersariis disputandi gratia largiamur, tamen eam ab æterno dari secundum esse intentionale sibi extrinsecum, & se habens ex parte diuinæ mentis, quatenus nimirum à Deo semper cognita est, in eiúsque mente, & intellectu latuit. At Deus per hanc cognitionem sibi quodammodo contingentem, erit ab æterno potens producere creaturas: non est igitur, cur hæc denominatio absolutè potentis Deo essentialis esse debeat. Quod fortè voluit Scotus in 1. dist. 48. quæst. vnic. vbi sæpissimè doctrinam nostræ solutionis insinuat, & præsertim sequentibus verbis ibi: *potentia actiua, qua Deus dicitur omnipotens, non est formaliter intellectus, sed quasi præsupponit*

præsupponit actionẽ intellectus. Quasi diceret, Deũ dici omnipotentem à scientia simplicis intelligentiæ, seu cognitione possibilium, & ab hac veluti in genere causæ formalis inadæquatè præfatam denominationem oriri. Itaque si creaturæ possibiles repugnarent, ac per consequens denominatio potentis absolutè eas producere, sanè eo ipso deficeret cognitio illa diuina veluti contingens ad earum possibilitatem terminata, non tamen prædicarum aliquod Deo essentiale, & quidditatiuum.

40. Alij, vt argumento superiori respondeant, distingunt duplicem possibilitatẽ creaturæ: aliam positiuam: & per hanc aiunt, Deum denominari non posse absolutè productiuum creaturarum, eoquod hæc denominatio ab æterno sit, & pro priori signo naturæ ad rerum existentiam, & productionem; nullum verò predicatum positiuum creaturæ detur vel ab æterno, vel pro priori signo rationis ad existentiam, aut productionem suam: aliam verò negatiuam? quæ nihil aliud est, quàm non repugnantia, seu carentia repugnantiæ: & per hanc censent, Deum dici, & esse absolutè potentem producere creaturas, eo nimirum quod ad instar aliarum negationum æterna, sicut est æterna in Deo denominatio absolutè productiui creaturarum; nec contra eam militent pleraque argumenta, quæ possibilitatem positiuam, & æternam creaturarum numquam extiturarum oppugnant.

41. Verùm hæc solutio facilè refelli potest: nam qua ratione possibilitas creaturarum negatiua esse dicitur; eadem, & maiori, repugnantia impossibilium negatiua esse debet: cùm impossibilitas, quæ cum repugnantia coïncidit, non minus negationem præseferat, quam non repugnantia, quæ cum possibilitate eadem est: igitur non repugnantia est quid positiuum, & neutiquam negatiuum, esto verbis negationem exprimentibus significetur. Consequentia suadetur: quia carentia carentiæ est quid positiuum: at repugnantia est negatio: ergo non repugnantia quid positiuum. Confirmatur, quia Authores huius solutionis in explicanda possibilitate, & impossibilitate manifestam circulationem committunt, cum possibilitatem explicent per hoc, quod sit carentia repugnantiæ; & impossibilitatem seu repugnantiam per hoc, quod sit carentia possibilitatis. Nec satisfacere possunt distinguendo duplicem etiam repugnantiam; aliam positiuam, negatiuam aliam: & possibillitatem negatiuam, quam adstruunt, esse carentiam prioris repugnantiæ, scilicet positiuæ, non verò posterioris, & negatiuæ; ac per consequens non esse quid positiuum, cum sit (vt dictum est) carentia non carentiæ, sed extremi positiui. Non inquam, satisfacere possunt, hoc pacto: quoniam iam darent prædicatum aliquod positiuum, æternũ, ac reuera tale, vt contra illud militent omnia argumenta superius cap. 2. opposita contra possibilitatem positiuam rerum numquam extiturarum à Deo distinctam: hanc igitur frustra, & satis inconsequenter negarent.

42. Arguunt secundò aduersarij. Eo ipso, quod possibilitas, & non repugnantia creaturæ à Deo sit velut à principio, & radice, nequit Deus non connecti cum creaturis possibilibus, aut ad eas transcendentaliter non referri: sed possibilitas creaturæ qua de agimus, à Deo velut principio originem trahit: quid enim à Deo distinctum potest esse à se? quod si non à se esse potest, sanè oportet, vt sit à Deo, velut à principio, & radice prima: Deus ergo à creaturis possibilibus absolutus esse nequit. Minor ob rationem insinuatam, aliasque superius cap. 2. propositas videtur perspicua. Maior suadetur. Primò, quia si repugnantia creaturæ est à Deo, sanè est ab eo, vt quodammodo potẽte eam producere ad esse: male etenim non repugnantiam effectus fundare potest virtus, quæ effectus nullatenus productiua est: qua ratione apis v.g. non repugnantiam Angeli fundare, & radicare nequit: at non est à Deo, vt duntaxat conditionatè potente producere creaturam, si nimirum ipsa non repugnet; cum Deus sit etiam conditionate potens producere chimæram, si non repugnaret, vt superius prælibaui, quin tamen ob id non repugnantiam chimæræ tribuat, eamne inferat, aut tollat: igitur à Deo vt absolutè potente producere creaturam. Tum sic: Deus, quà est absolutè potens producere creaturam, eiusque non repugnantiam fundat, & infert: priùs igitur natura Deus est potens absolutè producere creaturam, quam hæc non repugnet: atque adeò essentialiter, & per se ipsum, non verò per non repugnantiam creaturæ est absolutè potens producere creaturam; ac proinde ad eam transcendentaliter refertur: igitur de primo ad vltimum, vt aiunt, ex origine possibilitatis creaturarum à Deo, huius ad illas relatio transcendentalis sequitur: quæ erat maior, quam probandam assumpsi. Ea autem vlterius probatur secundò in hunc modum: si possibilitas, & non repugnantia creaturæ est à Deo, certè ab eo est velut à principio proximè necessariò: nequit enim esse ab eo tanquam à principio libero; cum Deus facere nequeat, vt creatura vlla impossibilis sit, aut contradictionem misceat: at omne principium necessarium cum effectu suo essentialiter, & antecedenter connectitur: igitur si non repugnantia, & possibilitas rerum à Deo est, profecto nequibit ab eo non esse velut à principio essentialiter, antecedentérque connexo: ac per consequens ad eas transcendentaliter referetur.

Respondeo primò, minorem huius argumenti posse negari; neque improbabile esse, quod possibilitas creaturarum à Deo distincta sit à se secundum quid, & improprie, ac non à Deo. Quæ autem in contrarium obijci possunt, & solent rationes, eæ quidem omnes, aut certè pleræque, ac magis efficaces sunt à nobis supra citato cap. 2. abundè labefactatæ. Respondeo secundò, & quidem probabiliùs, maiorem argumenti esse falsam, & contrà verissimum, omninoque tuendum, quod possibilitas creaturarum oriatur à Deo, velut à principio aut quasi principio. Ita non solum Thomistæ, & cæteri communiter aduersarij, sed etiam ex nostræ sententiæ patronis G. Vazquez citat. disput. 104. primæ part. cap. 6. nu. 26. & P. Hemelman relata etiam disp. 1. tit. 8. cap. 4. citans pro eadem sententia Henricum, Albertinum, Ruiziumque de Montoia. Fauent etiam apud eundem ex PP. Anselmus, Methodius, Zeno Veronensis, Richardus Victorinus, omniũque clarissimè Augustinus tom. 1. lib. de vera relig. cap. 18. ibi: *Itaque omne quod est, inquantum est, & omne quod nondum est, inquantum esse potest, ex Deo habet.* Quamuis autem hæc ita sint;

43.

cæterum

cæterum negandum prorsus est, sequi connexionem vllam essentialem Dei cum creaturarum possibilitate ex eo, quod huiusmodi possibilitas creaturæ oriatur à Deo.

44. Ad priorem autem rationem contrariam dicendum est, illius maiorem, qua statuitur, possibilitatem creaturæ Deo posteriorem hoc ipso debere esse ab eo, vt prius potente quodammodo producere creaturam; illius, inquam, hanc maiorem esse falsam. Deum enim posse producere creaturam, & hanc posse à Deo produci, siue esse à Deo possibilem sunt correlatiua: atqui correlatiua sunt simul tempore, natura, & cognitione, iuxta Aristotelem, quem sequuntur omnes: igitur non est prius naturæ, seu rationis ordine Deum posse producere creaturam, quam hanc esse possibilem à Deo: possibilitas ergo creaturæ non oritur à Deo, vt potente eam producere: alioqui possibilitas illa creaturæ esset ordine naturæ posterior, quàm potentia producendi se habens ex parte Dei: quod tamen est omnino falsum. Declaratur: intellectum cognoscere obiectum, & obiectum esse cognitum ab intellectu sunt simul omnino; nec hoc, quod est cognosci obiectum, oritur ab intellectu, vt prius obiectum cognoscente, sed ab intellectu secundum se, & præcisè considerato: similiter voluntatem amare obiectum, & hoc esse ab illa amatum, volitúmque simul se habent; nec denominatio amati oritur à voluntate vt prius amante, sed ab ea secundum se, & absolutè spectata. Pari ergo ratione disputari debet circa correlatiua, de quibus in præsenti; dicique, possibilitatem creaturæ, siue creaturam esse possibilem Deo, & Deum posse producere creaturam, esse simul, ac se inuicem concomitari: possibilitatemque creaturæ esse quidem à Deo secundum se, & instar entis absolutissimi sumpto, non vero ab illo, vt prius potente creaturam producere, aut à non esse ad esse transferre. Exemplum autem lapidis non potentis fundare, aut inferre possibilitatem Angeli in contrarium obiectum non vrget: siquidem lapis non ideo nequit fundare, & radicare non repugnantiam Angeli, quia pro priori signo naturæ, & rationis ad illam Angeli non repugnantiam, lapis non est potens producere Angelum: sed quia lapis non est ea substantia, siue essentia, quam respicit possibilitas Angeli, siue quia hic non est non repugnans, seu possibilis produci à lapide: cuius non est alia quærenda ratio, præter naturam, & essentiam lapidis, atque Angeli. At Deus est substantia, & essentia, quam cuiusuis creaturæ possibilitas respicit transcendentaliter, & à qua omnes creaturæ sunt possibiles produci: non est ergo, cur Deus tametsi absolutissimum ens non possit, modo statim explicando, fundare, & radicare cuiusuis creaturæ possibilitatem: proinde falsum est, hanc haud posse à Deo oriri, nisi vt prius potente producere creaturam quamuis.

45. Ad posteriorem rationem contrariam, eámque magis difficilem, & operosam dici potest, quod possibilitas creaturarum oriatur à Deo, vt à principio non libero, nec necessario, sed præscindente à libero, & necessario, atque inter vtrumque medio. Ratio autem huius est: quia idcirco principium existentiæ realis effectus cuiuscunque, de quo solo dici potest, habere veram rationem causandi, & principiandi; idcirco, inquam, tale principium semper debet esse vel liberum, vel necessarium, & non potest esse medium inter vtrumque, sed debet esse alterutrum, vt fatentur omnes: quia ante omnem existentiam realem producendam præsupponitur pro priori signo rationis possibilitas existentiæ talis, vel solius, & non carentiæ illius, vel indifferenter existentiæ, seu carentiæ existentiæ: quod si pro priori ad existentiam datur eius solius possibilitas, fieri non potest, quin principium existentiæ sit necessarium: sin autem non eius solius, sed illius, & similiter carentiæ oppositæ, seu non existentiæ, certè principium existentiæ debet esse liberum: quid mirum ergo, si in principio existentiæ realis haud sit assignare medium inter esse liberum, & esse necessarium; At nulla possibilitas ex parte Dei præcedit, aut intelligitur pro priori ad possibilitatem creaturarum: sicut enim vnionis non daretur vnio, nec actionis actio; sic possibilitatis creaturarum non datur alia possibilitas præuia, sed ipsamet possibilitas creaturam, & eas facit possibiles, seu non repugnantes, ac se ipsam etiam denominat non repugnantem, & à Deo oriri potentem, aptamue; alioqui in possibilitatibus; sicut in modis, procederetur in infinitum. Quandoquidem ergo possibilitatem creaturarum nulla præcedit possibilitas, certè eam non præcedit possibilitas eius solius, nec possibilitas eius, aut contrariæ impossibilitatis: vnde nihil eam anteuertit, ratione cuius possit Deus eius esse principium liberum, aut etiam principium necessarium. Quamobrem etsi principium existentiæ necessario debeat esse principium necessarium, aut liberum; secus tamen dicendum de principio ipsiusmet possibilitatis, quod de Deo dicitur, eique conuenit. Deus ergo erit principium possibilitatis, de qua agimus, partim liberum, partímque necessarium, & aliquid vnius, ac nonnihil etiam habebit alterius: cum principio libero id commune sortietur, quod ex se sit omnino indifferens, vt detur, vel non detur possibilitas creaturarum, nec eam magis petat, quàm illius carentiam: cum principio vero necessario, quod nec de potentia absoluta possit eam non inferre possibilitatem; qua inferendi necessitate quæ maior potest excogitari?

46. Secundo dici potest ad eandem posteriorem rationem cõtrariam, oriri possibilitatem creaturarum à Deo, velut à principio necessario: at de ratione principij necessarij, seu naturalis non esse, vt antecedenter, ac præuiè connectatur cum effectu, si non sit principium necessarium se ipso determinatum ad operandum, seu quasi operandum, sed potius principium aliunde determinari petens: sic habitus supernaturalis charitatis non concurrit, vt principium liberum, sed potius vt naturale, ac necessarium ad amorem Dei supernaturalem: & tamen non est se ipso pro priori connexus cum tali amore, imò nullam habet cum eo connexionem præuiam, & aliunde emendicatam: nimirum quia ad eum eliciendum non est se ipso determinatus, sed potius petit determinari ad illum à voluntate; cuius solius est & liberè amare, & amorem liberè amare, ac reliqua amoris principia determinare: atqui Deus ita est principium necessarium, ac naturale possibilitatis creaturarum, vt ad eam inferendam non sit se ipso essentialiter determinatus, sed potius ab ipsamet possibilitate eiusmodi determinetur: quamuis ergo Deus sit eius principium necessarium, propterea tamen

tamen cum ea non debet connecti præuiè, & per se ipsum.

47. Aliter etiam explicari potest id ipsum: quia esto principium necessarium existentiæ cuiusuis debeat cum ea pro priori connecti (quod certè de principio totali, ac principali negari non potest, quidquid sit de partiali, cuiusmodi est habitus, quem voluntas determinat) cæterum principium etiam adæquatum, ac totale possibilitatis creaturarum esse poterit Deus Opt. Max. sine connexione præuia. Ratio discriminis est: quia quoties principium totale est necessarium, effectus eius necessarius, aut quasi effectus debet pro aliquo signo intelligi simpliciter determinatus ad esse, & ne diuinitus potens non esse: cum igitur hæc essentialis determinatio ad essendum, & consimilis impotentia ad non essendum existentiæ finitæ, cum necessario producitur, haud possit obuenire ex meritis, & prædicatis essentialibus suis: quippe ratione quorum causa est omnino contingens, & potens non esse, sanè opus est, vt eiusmodi determinatio, & impotentia illi conueniat, ac tribuatur à connexione præuia, ac diuinitus ineluctabili propria principij necessarij, à quo producitur: talis ergo connexio præuia ad principium totale omnis existentiæ requiritur: at possibilitas creaturarum ex se, & ex meritis, ac prædicatis essentialibus suis est summè determinata, vt sit à Deo, & etiam diuinitus impotens non esse ab illo. Quamobrem necesse non est, vt eam sortiatur determinationem, & impotentiam summam à Deo, à quo necessario oritur; neque consequenter, vt aliquam ex eius parte connexionem præuiam supponat.

48. Denique idem explanatur, nempè quo pacto possibilitas creaturarum oriatur à Deo, velut à principio necessario. Dupliciter enim intelligi potest, Deum esse antecedenter connexum cum possibilitate creaturarum, cuius est principium necessarium. Primò, vt illa connexio antecedens sit positiua, Deoque intrinseca, & essentialis; eáque cuius ratione, ac vi Deus petat essentialiter dari possibilitatem illam: secundo ita vt eiusmodi connexio antecedens sit tantum negatiua, ac Deo omnino extrinseca, & duntaxat in eo consistens, quod pro priori signo rationis ante possibilitatem nihil intelligatur, quod possit eam separare à Deo, aut facere ne sit: nihil inquam, creatum, aut increatum, ac nulla vi, & nè diuinitus etiam. Vt ergo Deus sit principium necessarium possibilitatis creaturarum, non requiritur, vt priori modo connectatur præuiè cum illa, id est positiuè & essentialiter, atque intrinsecè; cum tamen de hac potissimùm connexione sit quæstio, & in ea sola consistat ordo transcendentalis. Satis ergo superque est, quod Deus connexionem antecedentem cum possibilitate creaturarum extrinsecam, & negatiuam sortiatur, ad id, vt illius sit principium necessarium, & non liberum: hanc autem eius cum illa connexionem dari nobis nil officit, vt manifestum est. Ac profecto, vt Deus, habere dicitur impotentiam antecedentem non existendi, non quia aliquid sit ante Deum, quod eum necessitet, vt sit, & existat; sed quia nihil ante eum est, aut potest esse, quod facere possit, ne sit: ita similiter haud video, cur more huius impotentiæ antecedentis negatiuæ non possit dici Deus habere connexionem antecedentem negatiuam cum possibilitate creaturarum, eo præcisè quod nec Deus ipse, nec aliud quidpiam ad eam præsupponatur cum potentia, & facultate eam à Deo separandi, aut faciendi, ne Deo existente ea tamen non sit. Atque hæc de hoc argumento satis sunt.

CAPVT VII.

Aliorum argumentorum aduersus veriorem sententiam solutio.

49. ARguunt tertiò aduersarij: omnipotentia est attributum Deo intrinsecum, & essentiale physicè, & realiter, tametsi metaphysicè, & ratione nostra eo posterius sit: at omnipotentia Dei cum creaturis essentialiter connectitur, & ad eas transcendentaliter refertur: ergo, &c. Minor probatur: quia omnis vera, & realis potentia est in ordine ad aliquem effectum: quare, sicut repugnat cognitio sine veritate, quam cognoscat, & amor sine bonitate, in quam feratur; ita repugnat vera, & realis potentia sine effectu possibili, quem producere queat: igitur à fortiori omnipotentia, quæ cæteris potentiis infinities perfectior est, aliquem effectum possibilem, quem possit producere, essentialiter postulat.

50. Respondent aliqui, omnipotentiam esse virtutem producendi quidquid contradictionem non implicat; futurum autem, vt Deus posset producere quidquid contradictionem non implicat, esto omnes creaturæ implicarent, & impossibiles essent: ac proinde eum denominatum iri omnipotentem eo in euentu. Itaque Deus, quatenus omnipotens, duntaxat est potens producere creaturas possibiles, si possibiles sint, siue sub conditione, quod non repugnent: at potestas conditionata producendi creaturas possibiles, eas absolutè possibiles non postulat, iisque deficientibus permaneret: igitur omnipotentia Dei creaturas possibiles absolutè non postulat, casuque quo deficerent, remaneret. Hæc tamen solutio confutatur ad homines: quia, iuxta non paucos aduersariorum, quoties vnum cognosci potest in alio, alterum refertur transcendentaliter ad alterum: at creaturæ possibiles quoad earum essentiam, & quidditatem cognosci possunt in omnipotentia Dei, si hæc eas respicit essentialiter conditionatè: hoc ergo respectu conditionato in Deo admisso, non poterit non admitti in eo transcendentalis ordo ad creaturas: sed ij, quibuscum disputamus, respectum illum conditionatum in Deo admittunt: quomodo ergo in eo negare possunt ordinem transcendentalem ad res creatas? Confirmatur, & declaratur: iuxta eosdem, & iuxta veritatem, actus fidei verbi gratia, quo quis crederet, Petrum conuertendum, si vocetur, respicit transcendentaliter consensum liberum Petri, quem tamen conditionatè respicit: cui enim ambiguum esse potest, quin omnis cognitio creata saltem de facto existens suum transcendentaliter respiciat obiectum? ergo etsi omnipotentia conditionatè creaturas possibiles respiciat, eas adhuc transcendentaliter respiciet vbi eiusmodi respectus Deo sit essentialis.

51. Secundò confutatur eadem solutio: quia Deus non est verè, & realiter potens mentiri: & tamen posset mentiri, si mendacium ei non repugnaret,

gnaret, in eiúſue cadere poſſet veracitatem: igitur deficiente poſſibilitate creaturarum Deus non denominaretur verè, & realiter potens eas producere, eſto eas poſſet producere, ſi non repugnarent: ex quo vlterius fit, vt in eo euentu non denominaretur omnipotens, cum omnipotentia haud dubiè ſit vera, & realis potentia. Tertio; ſicut Deo eſſentiale eſſe dicitur, quod poſſit producere creaturas, ſi non repugnent, ita ei eſſentiale eſſe debet, quod non poſſit eas producere, ſi repugnent: Deus igitur ſecundum ſe, & prædicata eſſentialia non eſt magis potens, quàm non potens producere creaturas: igitur eſſentialiter non eſt omnipotens, ſiue productiuus omnium creaturarum, ſi abſolutè, & ſimpliciter loquendum eſt: cum poſſe, & non poſſe abſolutum extra eius ſint eſſentiam; & poſſe, & non poſſe conditionatum ei ſint eſſentialia: quo pacto Deus ſecundum ſe, & prædicata eſſentialia præcisè ſumptus nec producit, nec non producit creaturas, ſed ab vtroque præſcindit: videlicet quia producere, & non producere abſoluta ei veluti accidunt; & vtrumque ſolum aptitudinaliter, aut conditionatè vſurpatum ei neceſſarium eſt, atque ineuitabile, ac iuxta aduerſarios intrinſecum omnino. Quarto denique: ſi Deus in hypotheſi noſtræ diſputationis denominaretur omnipotens, ſanè de facto formica verbi gratia foret omnipotens. Sequela probatur, quia formicæ ineſt poteſtas conditionata omnia producendi, videlicet ſi ſibi non repugnarent, vel ſi ipſa Deus eſſet: at ideo tum Deus denominaretur omnipotens, quia creaturarum omnium conditionatè productiuus eſſet: ergo, &c. Quare, ſicut formica modo non eſt omnipotens, quia conditionem, ſub qua omnia poteſt, purificari non poſtulat: ita in illo euentu Deus omnipotens non eſſet, quia non repugnantiam creaturarum, ſub cuius conditione eas poteſt, purificari nequaquam exigit.

52. Secundò reſpondent alij, Deum, deficiente poſſibilitate creaturarum, manſurum, & denominatum iri omnipotentem, quia chimæras conditionatè poſſet producere, nimirum ſi non repugnarent. Hæc ſolutio nonnullis videtur diuerſa à præcedenti, eo quod repugnantibus creaturis illa creaturas poſſibiles omnipotentiæ terminum præſtituat, hæc chimæras. Cæterum ambæ manifeſtè coincidunt: quia repugnantibus creaturis creaturæ nequeunt eſſe poſſibiles, ac proinde impoſſibiles eſſe debent, atque chimæricæ: igitur in eo euentu idem erit, poſſe producere creaturas poſſibiles, ſi poſſibiles ſint, ac poſſe producere chimæras, ſi ſint poſſibiles: igitur in eo euentu idem eſt, Deum dici omnipotentem, quia producere poteſt creaturas poſſibiles conditionatè, quod prior ſolutio continet, ac eum omnipotentem dici, quia chimæras poteſt conditionatè producere, quod continet ſolutio poſterior: quare omnia, quæ contra priorem nuper obieci, directè etiam contra poſteriorem militant. Rurſus, finge eas aliquantulum inter ſe diſſidere: certè ita inter ſe colludunt, & affines ſunt, vt quæ primam oppugnant, facili negotio poſſint contra ſecundam expediri. Etenim vt rationes ſuperiores iterum attingamus in tranſcurſu; ſi omnipotentia Dei eſſentialiter eſt potens producere chimæram, ſi hæc non repugnet, fieri ſanè non poterit, quin huiuſmodi non repugnantia, quam conditionatè reſpicit omnipotentia, ſit in ipſa cognoſcibilis: quod in plurium aduerſariorum principiis ſufficit ad ordinem tranſcendentalem alterius ad alteram. Mox, ſi reeugnantibus creaturis maneret adhuc in Deo vera, & realis potentia, eo quod chimæram, ſi non repugnaret, producere in eo euentu poſſet; quidni & modo verè, & realiter potens, mentiri dicatur, quandoquidem modo mentiri poſſet, ſi mendacium eſſet honeſtum, aut in eius veracitatem conueniret? Deinde, ſicut Deo eſſentiale eſt, quod chimæras poſſit producere, ſi non repugnent, ita ei eſſentiale eſt, quod creaturas non poſſit producere, ſi repugnent: quomodo igitur Deo magis eſſentiale eſſe poteſt, quod ſit abſolutè potens, ſiue omnipotens, quam quod denominetur non potens. Denique fieret, formicam de facto infinitæ potentiæ, ac virtutis eſſe: innumeras enim chimæras producere poſſet, ſi ſibi non repugnarent.

53. Reiectis ergo ſuperioribus ſolutionibus reſpondendum eſt, omnipotentiam bifariam accipi poſſe: videlicet quoad perfectionem, atque entitatem omnipotentiæ: & ſic nihil aliud eſt, quàm infinita quædam perfectio Dei abſoluta ab omni reſpectu ad aliud: aut quoad denominationem omnipotentiæ, quam P. Vaſquez ſuprà citatus reſpectum rationis de more aliarum denominationum extrinſecus aduenientium nuncupat: & ſic vltra entitatem abſolutam Dei importat in obliquo, & velut conſtitutiuo minus principali poſſibilitatem rerum creatarum. Igitur omnipotentia quoad denominationem Deo partim intrinſecam, partim extrinſecam à creaturis poſſibilibus abſoluta non eſt, ſed potius cum iis per identitatem inadæquatam connectitur: ſecus verò quoad entitatem, & perfectionem: quapropter quod omnes profiteri tenemur, Deum manſurum omnipotentem, ſi creaturarum poſſibilitas interiret, non ita intelligendum eſt, vt denominatio, ſeu relatio omnipotentis maneret, ſed ſolùm tota entitas, ac perfectio eius denominationis, aut relationis.

54. Nec verò mirandum eſt, omnipotentiam quoad denominationem Deo minimè eſſentialem à nobis dici: ſiquidem denominatio omnipotentis, & relatio ad extra coincidunt: at antiqui omnes, & grauiores noſtræ ſententiæ patroni tuentur, nullam relationem ad extra Deo eſſe poſſe eſſentialem. Deinde non inconuenit, denominationem ſcientis aliquid ad extra Deo deficere, vbi tota entitas, & perfectio eius denominationis Deo maneat: ergo non inconueniet, denominationem omnipotentis præcisè quatenus talem Deo deperire poſſe, vbi tota entitas, & perfectio eius denominationis ei ſalua ſit:

præſertim cum prior denominatio ei intrinſeca ſit iuxta pleroſque aduerſarios, poſterior verò extrinſeca: & prior de facto ei deficiat, poſterior verò ſolùm per impoſsibile. Ad extremum adiice, Deum repugnantibus creaturis futurum omnipotentem non ſolùm quoad entitatem, ſeu perfectionem, verum etiam quoad denominationem, ſi forte vera eſt eorum ſententia, qui putant, attributum omnipotentiæ complecti formaliſsimè præter potentiam operandi ad extra, virtutem etiam generandi, & ſpirandi ad intra: qui autem Theologi ita ſentiant, relati ſunt à nobis ſuprà capite 5 argum. 5. ad finem.

55. Argumentantur quartò aduerſarij: ſi repugnaret ignis verbi gratia, ei duo contradictoria conuenirent: perinde enim eſt aliquid repugnare, ac ei duo contradictoria conuenire: at ſi igni duo contradictoria conuenirent, Deus repugnaret: ergo repugnante igne, eiúſue poſsibilitate deficiente deficeret Deus, eſſétque repugnans. Maior vnà propoſita eſt, atque probata. Minor ſuadetur: ac demus ea prædicata contradictoria eſſe hæc, ignem eſſe poſsibilem, & impoſsibilem: qualiacúnque enim aſſignentur, idem argumentum confici poteſt. Tum ſic: ſi ignis eſſet poſſibilis, & impoſſibilis, Deus coëxiſteret poſſibilitati ignis, vt compertum eſt; & non coëxiſteret eius poſſibilitati; ſiquidem coëxiſteret eius impoſſibilitati: idem verò eſt coëxiſtere impoſſibilitati alicuius, ac non coëxiſtere eius poſſibilitati: igitur ſi igni duo contradictoria conuenirent, Deo etiam duo contradictoria conuenirent: ac per conſequens Deus repugnaret, quæ erat minor probanda. Nec ſatisfaciet qui reſpondeat, eiuſmodi prædicata contradictoria eſſe extrinſeca, atque adeo non in ipſo Deo, ſed in igne intrinſecam repugnantiam arguere; quia homo, qui ſimul poſſit cognoſci, & non cognoſci quoad eandem formalitatem, quiue penes eandem etiam reliquis hominibus ſit ſimul ſimilis, & non ſimilis, æqualis, & non æqualis, propinquus, & non propinquus eo ipſo de facto intrinſece, & eſſentialiter repugnat, ac prorſus impoſſibilis eſt, atque chimæricus: ſed ea prædicata contradictoria ei conuenientia ſunt, aut potius eſſent extrinſeca: quamuis ergo repugnante igne prædicata contradictoria extrinſeca Deo conuenirent, adhuc Deus intrinſecè, & eſſentialiter repugnaret.

56. Hoc argumentum id habet vitij, quod aut nihil, aut certè hoc probet, quamlibet entitatem creatam, aut creabilem connecti immediatè cum quauis alia quantumuis diſparata, quauiſque repugnante repugnaturam. Conſequens autem, eſto ab aliquibus admittatur aduerſariis, abſurdum eſt, & à P. Ripalda tom. 1. de ente ſupernat. libro 2. diſputatione 32. ſect. 8. numero 42. ridiculum pronuntiatur. Sequela verò in aperto eſt: ſiquidem relatio illa coëxiſtentiæ, ex qua arguunt aduerſarij, locum habet in quibuſcúnque rebus quantumlibet diſparatis. Abſolute reſpondeo, prædicata contradictoria extrinſeca in aliquibus intrinſecis ſemper fundari: verbi gratia animal, quà tale cognoſci, & non cognoſci fundatur ſuper hoc, quod eſt, cognitionem amalis eſſe, & non eſſe: cum ergo prædicata contradictoria intrinſeca nulli facto conuenire poſſint re ipſa, & abſque intellectus fictione; ſanè contradictoria extrinſeca nulli conuenire poterunt: at in eo euentu impoſſibili, quo creaturæ repugnarent, prædicata contradictoria intrinſeca creaturis conuenirent re ipſa, & abſque intellectus fictione: mirandum ergo non eſt, quod in eo euentu Deo conuenirent prædicata contradictoria extrinſeca verè, & re ipſa. Porro ad inſtantiam ſuperius poſitam contra hanc reſponſionem dicendum eſt, hominem quoad eandem formalitatem ſimul cognitum, & incognitum, ſimilem, & non ſimilem, &c. intrinſecè repugnare, ſi ad eiuſmodi prædicata contradictoria extrinſeca eſſentialem habeat aptitudinem, aut aum iis eſſentialiter connectatur, ex illiúſque exiſtentia per neceſſariam ſequelam rectè poſſit inferri ſaltem eorum poſſibilitas. Cæterum Deus in eo euentu, de quo eſt diſputatio, ad eiuſmodi prædicata contradictoria extrinſeca eſſentialem aptitudinem non haberet, nec cum iis eſſentialiter connecteretur: cum enim Deo reſpectu vnius partis contradictionis, nimirum relationis coëxiſtentiæ ad poſſibilitatem creaturarum nulla aptitudo, aut connexio eſſentialis ſit, multo minus reſpectu ambarum ſimul ſumptarum ei eſſe poterit eſſentialis: non eſt ergo, cur Deus tum intrinſece deberet repugnare. Quod ſi fermo ſit de homine ſimul, & quoad eandem formalitatem cognito, & incognito, ſimili, & non ſimili, &c. abſque vlla tamen aptitudine eſſentiali, aut relatione tranſcendentali ad eiuſmodi prædicata contradictoria extrinſeca; ſanè ex eo, quòd hæc ei de facto conuenirent, non ſequeretur, eum intrinſecè repugnare; omniſque repugnantia intrinſeca ſe tum haberet non ex parte hominis, ſed ex parte ipſorum prædicatorum, vt intuenti conſtabit: quo circa & de Deo idem dicendum eſſet caſu, quo ei conuenirent prædicata contradictoria extrinſeca, abſque vlla cum iis connexione eſſentiali, aut ordine tranſcendenti.

57. Argumentantur quinto: Deus connectitur eſſentialiter cum poſſibilitate, vel impoſſibilitate creaturarum vagè, & indeterminatè ſumpta: eſt igitur connexus eſſentialiter cum aliquo à ſe diſtincto, cum tamen, vt patet, à nullo à ſe diſtincto poſſit dependere; poterit ergo etiam cum poſſibilitate creaturarum determinatè ſumpta ſine independentiæ, aut alterius perfectionis ſuæ præiudicio eſſentialiter connecti, atque ad eam tranſcendentaliter referri. Hæc poſtrema conſequentia videtur perſpicua. Prima conſequentia probatur: quia quoties vtrumque collectionis extremum diſtinguitur ab aliquo, ipſamet collectio nequit ab eo non diſtingui: ſed huius collectionis vagæ, *poſſibilitas, vel impoſſibilitas creaturarum*, quæuis pars diſtinguitur à Deo, vt conceſſum eſt à nobis ſuprà: ergo & ipſa collectio vaga: ex eo igitur quod Deus connectatur cum poſſibilitate, vel impoſſibilitate creaturarum recte ſequitur, eum eſſe connexum cum aliquo à ſe diſtincto, quæ erat prima conſequentia à nobis probanda. Probatur ergo antecedens

cedens argumenti. Primò; quia nec depotentia absoluta potest Deus existere, quin creaturæ vel sint possibiles, vel impossibiles: connectitur ergo essentialiter cum possibilitate, vel impossibilitate creaturarum. Secundo; ideo Deus non connectitur essentialiter cum possibilitate creaturarum, quia si esset sine creaturis possibilibus, creaturæ eo existente essent impossibiles: ideò item non connectitur essentialiter cum possibilitate creaturarum, aut etiam chimærarum; quia casu, quo hæ non essent impossibiles eo existente, essent sane è contrario possibiles. At si Deus esset sine possibilitate, aut impossibilitate creaturarum, nihil esset, quod tum essent creaturæ: haud enim forent possibiles, haud etiam impossibiles. Connectitur ergo essentialiter cum possibilitate, aut impossibilitate creaturarum, & sine alterutra per se ipsum non esse petit: saltem enim eius connexionem, & exigentiam id tantum potest tollere, quod supersit aliquid, in quod desineret illa collectio vaga, si sine ea Deus esset: nihil autem tale supereſt, vt manet ostensum.

58. Respondeo primò, non defuturos, qui postremam consequentiam argumenti, quæ supponitur esse perspicua, & manifesta, falsam tamen esse censeant, eamque negent. Sicut enim nequit Deus absque imperfectione maxima, independentiæque suæ dispendio esse connexus essentialiter cum existentia creaturæ determinatè sumpta; & tamen iuxta aduersarios eam habet connexionem essentialem cum existentia creaturæ, vel eius carentia: nec ex hac posteriori connexione essentiali vaga rectè colligi potest illa prior connexio determinata: ita similiter quamuis concedatur, aut permittatur connexio Dei essentialis cum aliquo indeterminato à se distincto, possibilitate nimirum, aut impossibilitate creaturarum; nihilominus hinc fortè haud poterit rectè inferri, aut colligi, quod sit connexus essentialiter cum possibilitate creaturarum determinate sumpta. Respondeo secundo, antecedens principale argumenti esse falsum. Antecedens autem, quo probatur, distinguendum est ita: non potest vllatenus Deus esse sine possibilitate, vel impossibilitate creaturarum, impotentia antecedenti, & intrinsecè nata ex ipsomet Deo; nego antecedens; impossibilitate consequenti, & extrinseca, ortúmque ducente ex ipsamet creaturarum possibilitate, vel impossibilitate, quæ vagè sumptæ non possunt vllatenus non esse, concedo antecedens: ergo Deus connectitur essentialiter cum ea collectione vaga, nego consequentiam. Et quidem vti in nostris principiis Deus non connectitur essentialiter cum possibilitate creaturarum determinatè sumpta, tametsi sine ea diuinitus esse non possit; videlicet, quia talis impotentia est consequens, non antecedens; ita similiter in præsenti, &c. Posterior etiam principalis argumenti probatio non magis vrget, eiúsque minor propositio est falsa: esset siquidem, quod essent creaturæ casu, quo sine earum possibilitate, aut impossibilitate existeret Deus: tum enim essent nec possibiles, nec impossibiles.

59. Dices, hoc principium: *quodlibet est, vel non est*, summè verum, ac necessarium est: ergo in euentu, de quo sermo, creaturæ essent vel possibiles, vel impossibiles: ergo non essent, vt diximus, nec possibiles, nec impossibiles. Friuola instantia: namque ad summam veritatem, ac necessitatem eius principij satis est, quod in omni euentu possibili sit verum; non verò requiritur, quod in euentu omni, & chimærico, & impossibili sit verum. Euentus autem ille, quo Deus esset sine possibilitate, & impossibilitate creaturarum, est omnino impossibilis, & chimæricus: quod ergo tale principium sit in eo falsum, & creaturæ sint nec possibiles, nec impossibiles, nihil eius summæ veritati, ac necessitati derogat. Confirmatur: si deficiente impossibilitate chimærarum maneret Deus, esset quod tunc essent chimæræ, vt permittunt aduersarij, quia nimirum tum forent possibiles; atqui hoc principium impossibile est, *idem simul esse, & non esse* quantumuis summè verum, & necessarium, tum nihilominus falsum esset; chimæra siquidem omnis inuoluit idem simul esse, & non esse, duóque contradictoria importat: esse ergo possibilem tum chimæram est possibile esse, quod idem sit simul, & non sit; adeóque principium hanc possibilitatem negans esse falsum, & non verum. Similiter ergo quod in euentu illo chimærico, & impossibili, quo si daretur, tuemur Deum extiturum nihilominus, atque etiam futurum, quod tum essent creaturæ nec possibiles nec impossibiles, quod inquam in tali euentu falsum esset illud principium: *quodlibet est, vel non est*, nihil eius essentiali, ac summæ veritati detrahit.

60. Dices iterum: creaturas nec esse possibiles, nec impossibiles est quidem omnino impossibile: Deum ergo dari sine possibilitate, & impossibilitate creaturarum est eum dari simul cum impossibilitate aliqua à se distincta, & non sine illa: non ergo defendimus; Deum datum iri casu, quo nulla daretur impossibilitas à se distincta determinatè, aut indeterminatè sumpta: aliqua siquidem daretur in euentu, quo dicimus, Deum extiturum omni impossibilitate, & etiam possibilitate deficiente; nimirum hoc ipsum, quod est, possibilitatem, & impossibilitatem omnem deficere, & nec vnam, nec alteram dari. Respondeo creaturas esse nec possibiles, nec impossibiles, esse quidem modo quid impossibile: at tum & in eo euentu, qui magis supponitur à nobis, quàm dabilis est, id futurum possibile; & si possibile esset, Deum propterea non defuturum, sed potius extiturum; quippe ad quem non magis pertinet essentialiter, quod sint possibiles, vel impossibiles, quàm quod Turca ludat, vel saltet; existatue, seu redigatur in nihilum.

***

CAPVT VIII.

Soluuntur vlterius alia argumenta contra nostram veriorémque sententiam.

61. ARgumentantur sexto : si repugnantibus creaturis Deus maneret, sanè hoc ipso iudicaret ignem verbi gratia esse ignem, & non esse ignem : at implicat in Deo tale iudicium, cum sit essentialiter falsum : ergo repugnantibus creaturis non maneret. Minor probatur : nam hoc principium impossibile est : *idem simul esse, & non esse* essentialiter verum est, & obiecto conforme : ergo iudicium huic oppositum aliquid simul esse, & non esse affirmans essentialiter falsum, & obiecto difforme est, ac proinde Deo repugnans. Maior probatur, quia in primis Deus in eo euentu iudicaret, ignem esse ignem : siquidem iudicium ferret de impossibilitate ignis : sed impossibilem esse ignem, supponit eum esse ignem ; aliàs si non esset ignis, certè non ignis, sed aliud quid impossibile foret : tum ergo ignem esse ignem iudicaret. Rursus simul iudicaret, non esse ignem : namque iudicium ferret de impossibilitate ignis, vt dictum est : impossibilitas autem ignis est eius à quauis natura possibili, ac proinde ab ignis natura, & quidditate vera distinctio : ignem igitur ab igne distinctum, ac per consequens non ignem iudicaret. Confirmatur, & declaratur : si ignis esset verè impossibilis, ei duo contradictoria conuenirent, cum impossibilitas nihil aliud sit, quàm contradictio, & repugnantia terminorum : Deus ergo de igne in eo euentu duo contradictoria affirmaret : quando igitur iudicium duo contradictoria affirmans falsum est, sanè Deus in eo euentu iudicium falsum haberet, atque adeò repugnaret, deficeretque. Aut aliter : Deus essentialiter postulat, vt quiuis eius actus verus sit : at actum Dei verum esse est non affirmare duo contradictoria : Deus ergo essentialiter postulat, vt nullus eius actus duo contradictoria affirmet : at si darentur re ipsa, non posset Deus ea non affirmare : postulat igitur essentialiter ne dentur ; ac per consequens ne creaturæ repugnent : vnde cum earum non repugnantia, seu possibilitate essentialiter connectitur.

62. Huic argumento nonnulli plus æquo tribuunt : ei tripliciter respondeo. Primò negata maiori : cuius rei gratia notandum est, dupliciter ignem in impossibilem, ac non ignem transire posse : primò, in sensu composito ignis, & possibilis ; ita vt ignis & possibilis maneat : secundo, in sensu diuiso ignis, & possibilis ; ita vt ignis, & possibilis non maneat. Igitur igne impossibili, & repugnante hoc posteriori modo, nequaquam iudicaret Deus, eum ignem esse, & non ignem ; possibilem, & impossibilem : siquidem ex parte obiecti haudquaquam foret ignis, & non ignis ; possibilis, & impossibilis ; eo quod in solo sensu diuiso ignis, & possibilis in non ignem, & impossibilem abiret : ac proinde non est, cur sic repugnante igne Deus repugnare deberet. Cæterùm igne impossibili, & repugnante priori modo prædictum iudicium Deo conueniret, & sic quantumlibet Deus repugnaret, nos non vrget : quibus satis est, vt Deus manere possit in euentu, quo creaturæ aliquo modo, qualiscunque demum ille sit, repugnaret ; esto is repugnantiæ modus excogitari possit, cum quo Dei permanentia non cohæreret. Ad probationem maioris respondeo, Deum præcisè iudicaturum ignem esse non ignem, & non possibilem, seu repugnantem : ignem verò esse impossibilem, & repugnantem supponeret illum etiam esse ignem in euentu, quo in sensu composito in non ignem transiret ; secus vero si in sensu diuiso ignis in non ignem transiret ; quem euentum nos solùm admittimus : vnde non est, cur ignem esse ignem Deus iudicare deberet : quod autem inferunt non ignem quidem, sed aliud quid tunc impossibile futurum, friuolum est : vt enim ignis impossibilis dici posset, in chimæramque conuersus, sufficit, vt antea ignis fuisset ; licet tum ignis non maneret : sicut vt lignum in ignem conuertatur, opus non est, vt lignum sit, sed sufficit, quod tale fuerit.

63. Secundò respondeo, negata minori : nam in ea hypothesi Deus ignem esse, & non esse ignem iudicaret, & hoc iudicium verissimum foret ; quia tunc ignis simul esset, & non esset ignis : vnde propositio, qua id Deus affirmaret, conformis suo obiecto ; ac proinde vera futura esset. Ad probationem minoris respondeo : principium istud in sua vniuersalitate sumptum non esse essentialiter verum, sed duntaxat necessario, & metaphysicè ineuitabiliter ; ita de absoluta potentia Dei ei falsitas subesse non possit : quod ex eo oritur, quia eius obiectum videlicet impossibilitas, vt idem sit, & non sit, diuinitus variari non potest : quod si per impossibile variaretur, & idem simul esset, & non esset ; sanè iudicium illud falsum esset, & iudicium, quod Deus oppositum iudicaret, verum, & conforme obiecto. Dixi, principium istud vniuersaliter sumptum non vendicare essentialem veritatem, quia non negauerim plura iudicia de impossibilitate simul essendi, & non essendi essentialiter vera, & quæ repugnarent, si ea impossibilitas repugnaret, & idem simul esse, & non esse posset.

64. Replicabis primò : si igne repugnante Angelus, aut homo vno actu ignem esse ignem, & possibilem affirmaret, & altero id negaret, & esse impossibilem, & non ignem assereret : sanè eæ propositiones simul veræ non essent : nam contradictoriæ, quales eæ sunt, simul veræ, aut simul falsæ esse non possunt, teste Aristotele, quem omnes Philosophi sequuntur : vnde ex iis altera vera, altera falsa esset. At diuinum iudicium sensum, & obiectum vtriusque necessariò haberet, & vtrique æquipolleret : igitur alterius falsitatem haberet, quidquid sit, an alterius veritatem habiturum esset : sicut si quis vno actu Petrum currere verè affirmaret, & altero Paulum currere falso assereret : sanè hæc propositio tertia duabus prioribus æquiualens *Petrus currit, & Paulus currit*, posterioris actus non minus obiectum, quàm falsitatem haberet : at falsitas Deo repugnat, quantumuis cum veritate coniuncta sit. Respondeo, eas propositiones, siue humanæ, siue Angelicæ essent, veras simul, & obiecto conformes

mes futuras : prior quidem vera esset, quia tantum affirmat, ignem esse ignem : at ignis in eo euentu ignis esset : posterior, quia solum asserit, ignem non esse ignem : at ignis in eo euentu ignis non esset. Quod autem Philosophi cum Aristotele docent, contradictorias non posse esse simul veras, & alteram earum necessario esse falsam, verissimum est, neque nobis contrarium : siquidem ea necessitas, vt ambæ veræ non sint, & altera falsa sit; ex obiecto oritur : videlicet, quia diuinitus fieri nequit, vt idem simul sit, & non sit; quod est obiectum propositionum mutuo contradicentium : quod si per impossibile hoc obiectum aliter se haberet, & idem simul esset, contradictoriæ simul veræ, & obiecto conformes futuræ essent : ac proinde verum foret diuinum iudicium, quod vtriusque obiectum complecteretur. Replicabis secundò : eâdem ratione dici posse, & debere eas contradictorias in illo euentu simul falsas extituras : siquidem altera affirmat, ignem esse ignem : at ignis tum ignis non esset : igitur ea propositio obiecto difformis, & falsa esset. Rursus altera affirmat, ignem : at ignis tum ignis esset : igitur & hæc propositio falsa, & obiecto difformis esset Respondeo, modo quidem ad falsitatem actus affirmantis ignem non esse ignem sufficere, quod ignis sit ignis : siquidem modo hæc duo opposita, & incompossibilia sunt : at in eo euentu compossibilia essent; imo de facto composita, & simul coniuncta, & idemtificata forent : Vnde nec ignem esse ignem veritati actus id negantis obesset, nequè non ignem veritati actus, qui id affirmaret.

65. Respondeo tertiò, Deum de neutro eorum extremorum iudicium laturum, sed fore, vt ab vtroque, videlicet ab eo, quod ignis sit ignis, & ab eo, quod non sit ignis, præscinderet : quod nullam in Deo imperfectionem argueret, aut ignorantiam, eo quod tum nec ignis esset ignis, nec non ignis, & nec possibilis esset, nec repugnans : licet enim de facto vtrumlibet contradictoriorum dari debeat, & illud principium: *Quodlibet est, aut non est* necessario verum sit; tamen in eo euentu aliter se res haberet : & nec verum esset, aliquid debere esse aut non esse, neque id à Deo cognoscereturr. Quod ita euenturum hac ratione suadeo : tum deficeret possibilitas ignis, ergo & eius entitas, ac per consequens veritas : ergo à Deo cognosci non posset : cum cognitio omnis in aliquam veritatem obiectiuam ferri debeat : igitur ignem esse, aut non esse ignem non iudicaret, cum hoc iudicium ad ignem terminetur, illumque cognoscat. Secundò id suadeo : quia quod ignis debeat esse, aut non esse possibile, aut repugnans est : at in euentu nostræ disputationis omnia creata impossibilia essent, atque repugnantia : repugnaret igitur, ignem esse, vel non esse : ac proinde ignis, nec ignis, necnon ignis futurus esset : vnde mirandum non est, si de neutro horum extremorum Deus iudicium proferret.

66. Objicies tamen : repugnantia est impossibilitas : igitur non repugnantia est non impossibilitas : at non impossibilitas est possibilitas, sicut non tenebræ lux : igitur non repugnantia est possibilitas : tum sic : igitur si in eo euentu, de quo disputatur, ignis non repugnat, nec est non ignis, vt fatemur; sane erit possibilis, & ex natura sua ignis : perperam ergo statuimus; ignem tum nec possibilem, ignemue, nec non ignem, repugnantemue futurum : siquidem hoc ipso, quod repugnantiam ignis manere negemus, in eius possibilitatem declinamus; cum, vt dictum est, eum esse possibilem, & non repugnantem solis vocibus dissideant. Respondeo in hoc euentu, & in præsenti rerum ordine non repugnantiam esse possibilitatem : & perinde esse rem repugnare, & possibilem esse : secus vero in alio euentu, & in diuerso ordine, qui esset non rerum, sed figmentorum, & entium rationis : vnde esto tum verum non esset, ignem repugnare, & esse non ignem, non ob id esse ignem, & non repugnantem verificaretur; sed ab igne, & non igne re ipsa, & in mente diuina abstraheretur, vt hæc vltima solutio contendit. Tres solutiones positæ probabiles sunt, & inuicem non contradicunt : variis enim modis creaturæ repugnare possunt : ac proinde, aut repugnare possunt per hoc, quod earum possibilitas in repugnantiam conuertatur in sensu diuiso, & possibilitate non manente, iuxta primam solutionem, aut per hoc, quod earum possibilitas maneat, & in sensu composito in repugnantiam transeat, iuxta secundam solutionem : aut demum per hoc, quod neque possibiles, neque repugnantes sint, iuxta tertiam, & vltimam solutionem.

67. Ex his ad confirmationem argumenti liquet : nam iudicium diuini intellectus falsum non foret, esto duo contradictoria affirmaret : quocirca eiusmodi iudicium verum esset : veritas autem vt sic in conformitate actus cum obiecto sita est : licet autem de facto talis conformitas postulet, vt actus duo contradictoria non asserat : tamen in eo euentu impossibili id non postularet, sed potius oppositum. Aliter etiam dici potest ad eandem confirmationem; nempe ignem fingi posse impossibilem, aut per additionem, aut per substractionem meram : siue quod eodem redit, aut per hoc, quod eius prædicatis alia opposita per idemtitatem copulentur : aut per hoc, quod nulla ei prædicata possibilia salua maneant, siue in sensu composito, siue in sensu diuiso aliorum contradicentium : quod si hoc posteriori modo supponatur, ignem euadere impossibilem, haud opus erit, vt iudicium diuinum duo contradictoria affirmet, falsitative vlli sit obnoxium.

68. Argumentantur septimò : casu quo ignis repugnaret, eique duo contradictoria conuenirent, posset Deus manere : ergo & posset manere casu, quo hæc ei contradictoria conueniant, nempe esse possibilem, & impossibilem : at si hæc ei conuenirent, non maneret Deus : ergo idem erit, quæcunque contradictoria igni conuenire fingantur. Minor probatur : quia tum Deus esset potens, & non potens producere ignem : potens, quia ignis esset possibilis : non potens, quia idem ignis esset impossibilis : Deum autem esse potentem, & non potentem, est eum repugnare, adeóque deficere : deficeret ergo, si ignis non esset possibilis, haberétue prædicata contradictoria, de quibus supra. Nec valet, si etiam respondeas, Deum saltem mansurum,

ſi ignis eſſet præcisè impoſſibilis, non verò ſi eſſet poſſibilis ſimul, & impoſſibilis. Nam hinc fiet, ſaltem cum connecti cum hoc, quod repugnet, ignem eſſe ſimul poſſibilem, & impoſſibilem: ergo connectetur eſſentialiter cum aliqua repugnantia à ſe diſtincta: & tamen non dependebit propterea ab illa: quanquam ergo connectatur cum poſſibilitate creaturarum à ſe diſtincta, non ob id ab ea dependebit: & ſic præcipuum noſtræ ſententiæ fundamentum corruet, nullumque eſſe comperietur.

69. Reſpondeo, Deum manſurum, non tantum caſu, quo deficeret poſſibilitas ignis, aut per eius veluti præciſionem à poſſibilitate, & impoſſibilitate, aut per conuerſionem poſſibilitatis, qua præditus erat, in impoſſibilitatem: ſed caſu, quo coniungeretur in eo poſſibilitas cum impoſſibilitate. Tum autem foret Deus ſimul potens, & non potens abſque vlla intrinſeca repugnantia ex parte Dei, quippe qui tum eam coniunctionem potentiæ, & non potentiæ nequaquam exigeret eſſentialiter: ad modum, quo diximus ſuprà capite 7. in ſolutione 4. argumenti fore vt tum Deus abſque repugnantia intrinſeca coëxiſteret, & non coexiſteret poſſibilitati ignis. Hic autem vlterius addimus prædictum argumentum quartum aliter ſolui poſſe; nimirum dicendo haud eſſe neceſſe, vt Deus coëxiſteret, & non coëxiſteret poſſibilitati ignis, ſi huius deficeret poſſibilitas: poſſe enim huiuſmodi poſſibilitatem aliter deficere, quam per coniunctionem eius cum oppoſita impoſſibilitate, videlicet altero ex duobus modis paulò ſuprà propoſitis, & explicatis. Illud etiam adiiciendum duximus priorem argumenti ſolutionem, in qua verſamur, ita intelligendam eſſe, vt repugnante igne per coniunctionem in eo poſſibilitatis cum impoſſibilitate, Deus eſſet ſimul potens, & non potens illum producere, non quoad perfectionem, & entitatem, ſed tantum quoad denominationem extrinſecam potentis: in quo quid abſurdi?

70. Argumentantur octauò, hunc in modum: quoties vnum prædicatum formaliter eſt aliud, deficiente poſſibilitate vnius neceſſe eſt, vt impoſſibile ſit & alterum: quoties igitur vnum prædicatum eſt eminenter aliud, non poterit non vnum deficere, & repugnare deficiente poſſibilitate alterius: at Deus per ſe ipſum eſſentialiter eſt eminenter homo verbi gratia: ergo deficiente hominis poſſibilitate, non poterit Deus non deficere, & repugnare: Deum autem eſſentialiter habere hoc, quod ſit eminenter homo, patet: tum quia Deus ſecundum ſe, & eſſentialiter ſumptus eſt omnis perfectio vel formaliter, eminenter: ergo alterutro modo eſt perfectio hominis: at non eſt formaliter perfectio hominis: ergo eminenter. Tum etiam, nemo poteſt dare, quod non habet: ſi ergo Deus per ſe ipſum eſſentialiter non habet ſaltem eminenter perfectionem hominis, quomodo eam dare poteſt? Atqui eam dat: ergo eam eminenter præhabet.

71. Verùm huic argumento ex dictis ſuprà perquam facile reſpondeo, continentiam eminentialem, qua Deus dicitur eſſe eminenter homo, & quoduis aliud creatum, iuxta illud Ioann. 1. *quod factum eſt, in ipſo vita erat*, duo importare, nempe entitatem talis continentiæ, & denominationem talis continentiæ: Deum ergo ſecundum ſe, & eſſentialiter ſumptum continere eminenter hominem, quoad huius continentiæ perfectionem, & entitatem, non verò quoad denominationem, quippe quæ vltra diuinam eſſentiam importat poſsibilitatem rerum creatarum à Deo diſtinctam: ex eo autem ſolo, quod denominatio continentis eminenter hominem, aliámue rem creatam eſſet Deo eſſentialis, ſequi poſſet, quod deficiente poſsibilitate hominis, aut alterius creaturæ, Deus deficeret, repugnaretque.

CAPVT IX.

Solutio cæterorum argumentorum aduerſus veriorem ſententiam.

72. NOnò argumentantur aduerſarij. Deus in ſua eſſentia tanquam in obiecto prius cognito cognoſcit creaturas omnes poſſibiles: at cognitio vnius in alio importat alterius cum altero connexionem: ergo diuina eſſentia connectitur cum creaturis poſſibilibus, ad eaſque proinde tranſcendentaliter refertur. Maior eſt Thomiſtarum omnium, aliorum que plurium, quos refert, & ſequitur Faſolus 1. par. tom. 2. q. 14. art. 5. dubit 1. ac inde probatur, quod niſi Deus in ſua eſſentia, vt in obiecto repræſentato cognoſceret omnes creaturas poſſibiles, vix aut ne vix quidem intelligi poſſet, quo pacto eam poſſet comprehendere: at quod eam poſſit comprehendere, imò de facto comprehendat, eſt certo certius. Tum etiam Deus cognoſcit creaturas omnes poſsibiles: at non in ſe ipſis: ergo in eſſentia ſua prius cognita: quod non in ſe ipſis, liquet: id enim eſſet, aliquid creatum, & extra Deum eſſe obiectum formale diuinæ, & increatæ ſcientiæ; non citra huius maximam imperfectionem.

73. Pro ſolutione argumenti notandum eſt, duplex eſſe medium, in quo aliud cognoſci poſsit, ſeu quod in alterius notitiam manuducat: Videlicet poſitiuum, & negatiuum: medium poſitiuum eſt, quod cum alio de ſe connectitur, ac proindè in illius cognitionem ducere poteſt, quantum eſt ex ſe, quemcunquè intellectum, tametſi lumine aliquo inferiori præditum: medium vero negatiuum eſt, quod cum alio de ſe non connectitur, ac proindè in eius cognitionem quemcunque intellectum ducere nequit; non tamen repugnat coniungi cum intellectu eius altitudinis, & luminis adeò perfecti, vt non poſsit illud cognoſcere, non cognito alio, cum quo non connectitur, à quo tamen extrinſecus afficitur, & denominatur. Huiuſmodi ergo medium negatiuum, in quo aliud cognoſci poſsit, non repugnare, & in diuinam eſſentiam comparatione creaturarum poſsibilium, à quibus de ſe abſoluta eſt, conuenire, facilè ſuadetur: quoniam perfectio eſt cognitio rei, quæ eam non ſolum quoad denominationes intrinſecas, & eſſentiales, verùm etiam quoad extrinſecas, & accidentales dignoſcit: igitur eſſentia diuina imperfectè cognita foret ab intellectu diuino, ſi eum lateret quoad denominationem abſolutè potentis producere creaturas, quæ à poſſibilitate ipſarum creaturarum in eum

proficiſcitur,

proficiscitur, aut quoad denominationem oppositam, si per impossibile daretur: at Deo repugnat imperfecta cognitio suæ essentiæ, repugnat igitur ei cognoscere suam essentiam, non cognitis hoc ipso creaturis, à quibus extrinsecus afficitur, & absolutè potens denominatur, aut non cognita earum repugnantia, à qua non potens denominatur.

74. Dices primò: pro priori signo rationis, quo essentia diuina antecurrit possibilitatem rerum, iuxta dicta superius cap. 1. & 2. Deus agnoscit comprehensiuè, & perfectissime suam essentiam, cum in tali cognitione essentiæ essentia ipsa consistat, vt fert communior Theologorum opinio, quæ modò, gratia saltem disputandi, permittenda est: at pro illo priori non cognoscitur possibilitas creaturarum, vtpote quæ nondum est: ad summam ergo perfectionem cognitionis, qua diuina essentia cognoscitur, opus non est, vt quoad repugnantiam, aut non repugnantiam creaturarum cognoscatur, esto ab iis extrinsecus afficiatur, & denominetur. Respondeo, cognitionem essentialem, quâ Deus se ipsum, suamque essentiam cognoscit, perfectissimam esse: quia nimirum pro illo signo priori de ea cognoscit, quidquid de ipsâ cognoscibile est, & postulat, vt pro secundo signo, tertióue cognoscatur, quidquidquid de ea tum cognosci potest: quod si in posterioribus signis non cognosceret Deus essentiam suam quoad denominationes extrinsecas, & accidentarias, quæ tunc intelliguntur, sanè essentialis cognitio pro primo illo signo imperfecta foret, eo quod non postularet cognitionem denominationum, quæ pro posterioribus signis aduenient, possuntque cognosci. Quâ in re cognitio Dei de se ipso cognitionem Angeli de se longe antecellit: siquidem cognitio Angeli, esto cognoscat de Angelo ea, ad quæ essentialiter refertur, ob suam tamen imperfectionem minime postulat, vt pro posteriori cognoscatur quoad ea, ad quæ accidentariè, & extrinsecè refertur. Adde, quod non improbabile sit, possibilitatem creaturarum esse quodammodo à se, ac proinde concommitari diuinam essentiam, darique in eodem priori signo, quo datur illa: ita autem si se res habet, sanè cognitio diuina cognoscens suam essentiam, & pro eodem signo cognoscet possibilitatem creaturarum; præsertim si & ipsam, necnon etiam essentiam præsupponat ordine signorum naturæ, siue rationis

75. Dices secundò: essentia diuina perfectissimè cognita non magis postulat, vt pro posteriori detur, & cognoscatur possibilitas rerum, quàm earum impossibilitas: igitur non est medium ad cognoscendam possibilitatem determinatè sumptam, sed ad summum ad possibilitatem, aut impossibilitatem cognoscendam. Respondeo distincto consequenti: non est medium ad cognoscendam possibilitatem determinatè sumptam in hoc euentu, quo datur, seu ex suppositione quod detur, nego consequentiam: in alio euentu, aliáve suppositione concedo consequentiam. Itaque ex his duobus, videlicet perfectissima cognitione essentiæ, & ipsa possibilitate rerum necessariò sequitur in Deo cognitio, qua possibilitatem, & essentiam ab ea extrinsecè denominatam cognoscit; quæ si non sequeretur, duplici titulo Deus imperfectioni subjaceret: nimirum quia possibilitatem, quæ in se datur, & cognoscibilis est, non cognosceret; & quia essentiam diuinam cognitam non cognosceret quoad denominationes omnes extrinsecas, & accidentales, penes quas cognoscibilis est: neque vero ad hoc, vt diuina essentia perfectissimè cognita sit medium ad creaturas possibiles cognoscendas, opus est, vt ex ea sola sic cognitâ sequatur cognitio creaturarum possibilium: cum medium syllogisticum, quod strictissimè medium est, se solo conclusionem non inferat, sed vlterius requirat extrema, cum quibus in præmissis copuletur.

Confirmatur primò argumentum: quia potentia cognoscitiua eius imperfectionis esse potest, vt cognito obiecto, ea, quibus essentialiter connectitur, non cognoscat, neque possit: vt cernere est in sensibus brutorum, quos Deus latet; cum tamen ad eum objecta omnia sensuum causalem habitudinem dicant; & in intellectu solo lumine naturali illustrato, qui cognito obiecto naturali cognoscere nequit supernaturalia, cum quibus connectitur: igitur è contrario potest intellectus aliquis eius altitudinis, & perfectionis esse, vt cognito obiecto nequeat non cognoscere omnia, quæ extrinsecus, & accidentario, & absque connexione reali ei conueniant: ac proinde id de intellectu diuino comparatione essentiæ dici potest, & debet: igitur essentia diuina erit medium negatiuum ad creaturas possibiles cognoscendas: medium, quia ea cognita nequit à Deo non cognosci possibilitas rerum, si detur: negatiuum, quia connexa non est cum possibilitate rerum, neque ad eam cognoscendam omnis intellectui deseruire potest. Confirmatur secundò: quia siquis cognosceret essentiam creatam non cognitis determinatè proprietatibus, & accidentibus, quæ ei inexistunt, sanè illam imperfectè cognosceret: nam ad perfectam, & absolutam rei notitiam non solum quid, verum etiam qualis sit res cognosci oportet: igitur nequit Deus essentiam creatam cognoscere; quin eo ipso collectionem proprietatum, & accidentium eius cognoscat: & tamen essentia cum existentia horum accidentium, & proprietatum determinatè sumptarum sæpe numero non connectitur: igitur non requiritur connexio, vt aliquid medium sit ad alterius notitiam comparandam: ac proinde diuina essentia medium esse poterit ad cognoscendas creaturas possibiles; à quibus transcendentaliter absoluitur. 76.

Atque ex his respondendum est ad nonum argumentum, in quo versamur, ac dicendum quidquid sit de eius maiori, quæ quidem disputandi gratia potest permitti, illius certe minorem esse falsam, & negandam, si vniuersaliter sumatur; & contrà minoris contradictoriam esse veram, nempe sine connexione vnum esse posse medium ad aliud cognoscendum; medium vtique sin minus positiuum, saltem negatiuum: vt iterum, iterumque manet exploratum. Dixi, permittendam esse maiorem argumenti: quia sunt, qui illud cum P. Vasquez omninò negent, in eaque sententia sint, vt putent, creaturas possibiles non cognosci à Deo in essentia sua, vt in obiecto prius cognito: nec id obesse, quominus cognitio essentiæ sit in illo verissimè comprehensiua: cum ad hoc satis videatur, quod summa claritate cognoscat quidquid est formaliter in illa: & in super petat, subsequi ad se aliam cognitionem 77.

terminatam ad omnia, quæ sunt extra illam: ita vt ea sit veluti species quædam eminentialis ad reliquorum notitiam: nec non etiam absurditate omni vacare, quod creaturæ possibiles sint obiectum formale, non motiuum, aut Physicè causans, sed tantum terminatiuum respectu diuinæ scientiæ: sed de his alibi: nec enim huic loco conueniunt.

78. Argumentantur decimo aduersarij, & præcedens confirmant argumentum. Beati vident in Deo creaturas possibiles: inter has ergo, & illas datur connexio, & relatio transcendentalis, qua de agimus. Antecedens est S. Gregorij 4. dialog. cap. 33. ibi: *Quia illic omnes communi claritate Deum conspiciunt: quid est, quod ibi nesciant, vbi scientem omnia sciunt.* Eodem modo videntur loqui Bernard. Augustin. & Conc. Senonense apud P. Vasquez tom. 1. in p. disp. 5. 3. apud quem etiam Durandus, Bassolis, & Gotofredus tuentur, non solum aliquas creaturas possibiles, vt volunt communiter Thomistæ, sed omnes omnino in Deo à Beatis videri. Respondendum tamen est, sicut ad præsens argumentum, creaturas possibiles videri à Beatis in Deo tanquam in medio, sin minus positiuo, saltem negatiuo: idque, & non aliud velle Sanctos Patres: quod autem huiusmodi medij ratio conueniat Deo respectu Beatorum, inde est, quia perfectio luminis gloriæ tanta, talisque, vt non sinat ab iis Deum videri, quin per eandem visionem simul cognoscantur plures denominationes extrinsecæ ei conuenientes, esto cum iis nullam habeat connexionem essentialem: atque hoc est, lumen illud esse specialem quandam, ac supernaturalem participationem diuini, atque increati luminis, necnon etiam visionem beatificam, & creatam similem participationem, imitationémue visionis increatæ, qua se Deus intuetur. Et quidem hæc perfectio luminis, & visionis facit, vt Beati videant in Deo creaturas possibiles titulo non solum potentiæ, quam eas producendi habet, sed etiam denominationum similes, inæqualis, Domini, & aliarum similium, cum quibus diuina essentia non habet connexionem.

79. Præterire tamen non possum Patrem Vasquez, Alarcon, Becanum, Albertinum, necnon Scotum, Bonauenturam, Maiorem, Marsilium, Almainum, Gabrielem, & Okamum, quos refert, & sequitur Ouiedo controuers. 10. Metaphys. punct. 7. negare antecedens superioris argumenti, ac sentire nullam creaturam possibilem videri à Beatis in Deo vt obiecto prius cognito, ac viso: sed tantum vt in reuelante: nimirum quia visioni beatificæ debentur speciales reuelationes, quibus Beati alia cognitione distincta à beatifica cognoscunt quæ sunt extra Deum, plura quidem, aut pauciora pro excellentia maiore, aut minore visionis qua beantur. Quæ doctrina, & solutio: an possit sustineri, est examinandum alibi.

80. Vndecimo arguunt: Deus committitur essentialiter cum repugnantia aliqua: vel ergo ab ea dependet, vel secus: si primum: quid refert, eum quodam modo dependere à possibilitate creaturarum: si secundum: ergo etiam connecti poterit essentialitèr cum possibilitate, seu non repugnantia creaturarum, quin ab ea dependeat: adeoque corruet protsus nostræ sententiæ præcipuum fundamentum. Antecedens vero suadetur, quia Deus connectitur essentialiter cum repugnantia mendacij inse, illaque deficiente deesset: deesset enim, si mentiretur: ergo & si deficeret repugnanria mendacij sui. Respondeo, hoc quod est Deo repugnare mentiri nihil aliud esse, quam Deum & mendacium, quorum naturæ non conueniunt inuicem, nec possunt: sicut repugnantia Petri v.g. vt sit lapis, nihil aliud est quàm vterque: de quo latius in Metaphysica. Hoc posito, Deum defecturum, si deficeret in eo repugnantia mentiendi, siuè si mentiretur, non est, eum defuturum, si deficeret aliquid extrinsecum, & à se distinctum; id est mendacium: potius enim supponitur, eum mentiri, adeoque non deficere mendacium: ergo est, Deum defuturum, si deficeret ipse Deus, siue si deficeret repugnantia mendacij, qua ex parte ea constituitur per Deum ipsum, haud ergo est, Deum connecti cum aliquo à se distincto, sed tantum secum ipso: ex quo quid contra nostram sententiam? Quod si dicant aduersarij, vt eorum aliquid haud dubiè dicturi sunt, iuxta eos Deum connecti cum possibilitate creaturarum, haud aliud esse, quàm quod habeat connexionem se cum ipso? hoc quidem abunde reiectum est à nobis supra.

81. Duodecimò argui potest aduersus nostram sententiam: cognitio essentialiter vera affirmans; Deum non esse est chimærica; & impossibilis: at eius impossibilitate, & repugnantia deficiente, siue, quod iuxta est, existente eius possibilitate Deus deficeret: ergo deficeret deficiente aliqua repugnantia, siue chimæra: adeoque & deficiente aliqua possibilitate: ad hanc ergo transcendentaliter refertur, & cum ea summè connectitur. Minor, in qua sola est difficultas, hunc in modum suadetur: si esset possibilis ea cognitio essentialiter vera, non existeret Deus: ergo deficeret: consequentia est euidens: probatur antecedens, quia si esset possibilis illa cognitio, posset eius obiectum esse, sicut affirmatur per illam: ergo posset Deus non existere: in Deo enim suapte natura summè perfecto, & omnis imperfectionis incapaci idem est posse non esse, siue posse habere imperfectionē non existendi, aliamue quamuis, ac reuera non existere, nec dari vllatenus. Respondeo, bifariam intelligi posse, quod deficiat per impossibile repugnantia, & impossibilitas rei alicuius. Primo ita vt de repugnanti, & impossibili fiat possibilis: atque sic quidem deficiente impossibilitate cognitionis in argumento obiectæ deficeret Deus. Secundo ita vt rei non euadat ex impossibili, & repugnanti possibilis, & non repugnans, sed potius nec sit impossibilis, nec possibilis; repugnans, nec non repugnans, atque sic deficiente impossibilitate prædictæ cognitionis haudquaquam repugnaret Deus, vt intuenti constabit. Verum quidem est, hunc poteiteriorem modum deficiendi esse chimæricum, & contra illud principium, *quodlibet est, vel non est.* Sed quid hoc refert in præsenti quæstione? An non etiam prior modus deficiendi, qui assumitur in argumento obiecto, & qui valdè familiaris est aduersariis, chimæricus est, & planè contra illud principium, *impossibile est, idem simul esse, & non esse?* Aliæ quoque solutiones huiusmet argumenti colligi possunt ex dictis supra.

82. Postremò argui solet contra nostram opinionē: quia longè perfectius est, & Deo magis consentaneum, quod ipsi essentialis sit ars, & potestas

tot

tot miribilia patrandi, & quod sit fons absolutus, ex quo innumerabiles rerum species, & specierum indiuidua dimanent, quàm quod sit potens operari ad extra extrinsecus, ac per denominationem ab ipsa rerum possibilitate profectã: Deus igitur perse ipsum essentialiter est potens operari ad extra, ac proinde ad creaturas transcendentaliter relatus, Quod inde confirmari potest: quoniam diuinæ naturæ fœcunditatem, qua se ad intra communicat: & diffundit, magis commendat, quod Verbi, & S. Spiritus possibilitas sit, & cum ijs essentialiter connectatur, quam si foret potens generare, & spirare extrinsecus & denominatione sumpta à personis: quas spirat, & generat. Respõdeo ad perfectionẽ infinitam Deo congruam, & necessariam opus non esse, vt denominatio illa artificis, & potentis operari ad extrà mirabiliter, & suprà quã capere possit intellectus creatus, Deo essentialis sit (nam ex supra positis liquet, id Deo repugnare, ac proinde ad eius perfectionem attinere non posse) sed solum quod tota perfectio artis, & potestatis ad extra ei essentialis sit: quod nos vltro fatemur. Quod de fœcunditate ad intra naturæ diuinæ essentiali adducitur, non vrget: quia ex ea minime sequitur dependentia, aliaue imperfectio in Deo: cum tamen potestas absoluta operandi ad extra nequeat esse Deo essentialis, quin multiplicem in eo imperfectionem arguat.

CAPVT X.

Relationem causæ etiam creatæ ad suos effectus essentialem, seu transcendentalem non esse probabile est.

83. IDque absolute tuentur plerique Philosophorum ac Theologorum extra scholam Thomisticam, , vt testatur Fonseca 5. Metaphys. cap. 15. q. 1. sect. 4. Suadetur autem in primis auctoritate Aristotelis, qui proxime citato lib. 5. Metaphys. cap. 15. relationem prædicamentalem trifariam diuidens, secundam eius speciem ait esse causæ in actu primo ad effectum ibi: *quædam vt calefactiuum ad calefactibile, & sectiuum ad secabile, & omnino actiuum ad passiuum.* Vnde sic argumentor ad homines: relatio prædicamentalis iuxta aduersarios in eo à transcendentali differt, quia non perinde ac transcendentalis fundamento essentialis est, sed potius accidentaria: & relatio causæ ad effectum, teste Aristotele, prædicamentalis est. Deinde absolute sic argumentor: relatio prædicamentalis perfectionem fundamento omnino intrinsecam minimè importat: cum ergo relatio causæ ad effectum prædicamentalis sit, perfectionem fundamento omnino intrinsecam importare nequit: at eam importaret, si fundamento videlicet entitati causæ essentialis esset.

84. Secundo, quia ideo actio, seu causalitas, per quam causa denominatur agens, est modus essentialiter connexus cum effectu, quia possunt dari simul, & semel causa, & effectus: quia causa denominetur agens effectum: & sublata hac indifferentia causæ ad agendum, & non agendum effectum, etiamexistente effectu, nemo entitatem aliquam modalem essentialiter connexam cum existentia effectus admitteret, vt explora-

tissimum est. At nequeunt dari vllatenus entitas causæ creatæ, & possibilitas actionis, quia effectus aliquis à causa dimanare potest, quin entitas causæ absolute causa effectus sit, & denominetur, igitur non est adstruenda vlla connexio essentialis causæ cum effectu, vt entitas causæ causa effectus dici possit. Tertiò: quia Deus non per se ipsum essentialiter, sed per possibilitatem actionis à se distinctam effectus creati causa denominatur, vti supra probatum manet: cur ergo creatura à possibilitate actionis denominationẽ causæ mutare nequeat.

Quartò: quia per eandem formam actualem, 85.
per quam causa denominatur agens in actu secundo, per eandem possibilem denominatur potens agere; at per actionem actualem, & exercitam causa denominatur agens in actu secundo: ergo per eandem actionem in esse possibili, siue per eius possibilitatem denominatur potens agere, cum autem causa cum potestate agendi coincidat, sanè per eiusmodi possibilitatem causa denominabitur. Maior: quæ sola probationis indiga est, hac ratione suadetur: quia eo ipso, quod obiectum per cognitionem actualem cognitum denominetur, per cognitionem possibilẽ cognoscibile denominatur: idemque de denominationibus amabilis, & amati, sensibilis, & sensi, vnibilis & vniti dicendum est: ergo similiter in præsenti, &c. Quod autem aduersarij respondent, duplicem esse potestatem agendi: aliam physicam, & positiuam, & hanc entitatiuã causæ essentialem esse: aliam logicam, & negatiuam in non repugnantia effectus, aut actionis sitam; & hanc entitatiuã causæ essentialem non esse; per priorem verò potestatem agendi, non verò per posteriorem constitui, & denominari causam quatenus talem: hoc, inquam, quod aduersarij respondent, omnino friuolum est; cur enim causa ab vna potestate potius, quàm ab alia denominatur? aut cur posterior perinde ac prior positiua non sit? cum non repugnantia negatio negationis, ac proinde affirmatio, siue positio sit.

Causam crearam suapte entitate esse potentem operari, ac proinde essentialiter, aut transcendẽtaliter ad suos effectus referri censent Suarez 86.
disp. 47. Metaphys. sect. 3. num. 11. Hurtado disp. 8. Physicor. §. 17. Oviedo controuers. 10. Metaphys. punc. 6. §. 1. conclus. 2. Arriaga, & communiter Recentiores. Primò, quia materia prima definitur ab Aristotele primum cuiusque subiectum, ex quo aliquid primo, & per se fit: at materiam esse subiectum, &c. est esse causam materialem formæ substantialis: ergo materia definitur per hoc, quod sit causa materialis formæ substantialis: at definitio est intrinseca, & essentialis definito: ergo ratio causæ materialis materiæ intrinseca, & essentialis est, eique extrinsecus non aduenies. Eadem ratione probari potest, homini essentiale esse, quod causa sit: si quidem per animal rationale, hoc est, principium, causamue sentiendi, & discurrendi definitur. Secundò, quia materia prima est essentialiter ens incõpletum: haud aliter ac homo essentialiter est ens completum: at ens incompletum quatenus tale compleri postulat: ergo materia essentialiter postulat formam, per quam compleatur: ac proinde essentialiter cum possibilitate formæ cõnectitur, cum complementum impossibile postulari nequeat. Confirmatur, & declaratur: si deficien-

te

te possibilitate cuiuscumque formæ ob id materia non deficeret, sed potius persisteret: certe in eo euentu materia postularet, & non postularet formam, per quam compleretur? postularet quidem, quia esset ens incompletum; non postularet, quia forma omnis esset impossibilis, ad impossibile autem appetitus naturalis esse nequit.

87. Tertio: quia effectus à priori per causas demonstrari possunt, & solent, vt Philosophis omnibus constantissimum est; igitur essentia, & possibilitas effectuum ex essentia causæ per legitimam consequentiam deduci potest, atque adeo cum ea connexa est. Quarto: quia in eo causa naturalis à causa obedientali differt, quod causa naturalis transcendentaliter ad suos effectus referatur, secus vero obedientialis: ergo, &c. Antecedens perspicuum videtur: quia quod aqua ad producendum frigus naturaliter determinata sit, & concursum Dei postulet, omniaque comprincipia ad infrigidandú ei debita sint, cum tamen ad gratiam producendam aqua omnino aliter se se habeat; aliunde proficisci nequit nisi ex eo, quod ad frigus, non ad gratiam transcendaliter referatur: igitur tota differentia causæ naturalis ab obedientiali, à relatione transcendentali vnius, & non alterius ad suos effectus oritur. Tandem: si causa non semetipsa sed actione in esse possibili in ratione causæ constitueretur, actio exercita à semetipsa in esse possibili produceretur. Consequens autem absurdum est, quia id, quod non est, producere vel dare esse nequit: at possibilitas actionis quatenus talis non habet esse, sed solum posse esse. Sequelã autem suadeo: quia actio exercita oritur à sua causa, quatenus causa est, at causa quatenus est per actionem in esse possibili constituitur: igitur actio à sui ipsius possibilitate realiter produci debet.

88. Verùm ad primum respondeo, in causa creata distinguendam esse entitatem, & perfectionem causæ à denominatione causæ, quæ vlterius actionem in esse possibili importat: & quamuis nihil conuenire alicui possit quoad entitatem, quod ei quoad denominationem omnino secum identificatam non conueniat, vt in Metaphys. ostendam contra Connotatores inter agendum de relatione; tamen cum entitas, & denominatio realiter inadæquate distinguuntur, vt in entitate causæ, & eius denominatione vsuuenit: non video, cur alicui aliquid quoad entitatem, & non quoad denominationem conuenire nequeat? Vnde materiæ essentiale est, quod sit formæ subiectum, & causa materialis quoad totam entitatem, & perfectionem subiecti, & causæ materialis; secus vero quoad denominationem: definitio etiam quoad solam entitatem, & perfectionem in recto importatam, non verò quoad denominationem: definito essentialis esse debet: hinc ad exemplum ab homine deductum constat.

89. Ad secundum respondeo: appetitus innatus sumi potest, aut quoad entitatem, & perfectionem eius, quod appetit, aut quoad denominationem appetentis; quæ vlterius complectitur possibilitatem eius boni, quod appetitur: cum autem materiæ, aut alteri enti incompleto essentiale esse dicitur, quod appetat compartem, per quam compleatur, is appetitus quoad solam entitatem, non verò quoad denominationem essentialis censendus est: quod si deficiente possibilitate cuiuscumque formæ maneret materia; in eo quidem euentu formam innatè appeteret quoad solam entitatem, & perfectionem appetitus; siue, vt aiunt, inchoatiuè, non verò quoad denominationem, & formaliter: quâ ratione si homo esset impossibilis, Angelus non distingueretur quoad denominationem, & formaliter à vero, & reali homine, qui tunc nullus esset, sed duntaxat quoad entitatem, & inchoatiuè. Ad tertium respondeo: causa quoad denominationem causæ cum possibilitate effectuum necessariò connexa est: quare ex ea à posteriori cognita demonstrari poterit possibilitas effectus in hunc modum: virtus calefactiua calorem possibilem respicit: sed datur virtus calefactiua: ergo datur possibilis calor.

90. Ad quartum respondeo: causa naturalis, & obedientialis optimè differre poterunt, quantumuis neutra transcendentaliter referatur: quia causa naturalis est, cui existentia effectus saltem indeterminatè, & comprincipia ad eam producendam suo iure debita sunt: obedientialis verò, cui indebita sunt: at, circumscripta quauis relatione transcendentali, data differentia tenet; aliud enim est, tribuere posse; aliud tribuere ius, & debitum: sicut ipsum posse, & ius, siue debitum diuersa sunt: & plura possunt fieri, quæ tamen fieri non debent: igitur possibilitas effectus, circumscriptâ quauis relatione essentiali, vni entitati tribuere poterit, posse agere existentiam effectus, cui tamen ad eam agendam ius, & debitum non tribuat; & alij entitati non solùm posse, verum etiam ius, & debitum in existentiam effectus tribuere poterit: & sic causa naturalis ab obedientiali secerni poterit, quamuis vtraque per possibilitatem effectus intrinsecè compleatur. Confirmatur, & declaratur: quia quamuis causa naturalis, & obedientialis ad effectus suos transcendentaliter referrentur; adhuc vna ab alia distingui posset: ergo quamuis neutra ad suos effectus transcendentaliter referatur; adhuc inuicem distingui poterunt. Antecedens contra Patrem Martinez lib. 1. de ente supernatural. disp. 8. num. 28. in hunc modum probatur: quia aliud est connexio cum possibilitate: aliud connexio cum existentia: siquidem cognitio essentialiter vera, possibilitatem alterius mundi asserens, cum eius possibilitate, non verò cum eius existentia connectitur: igitur quamuis causa naturalis, & obedientialis cum possibilitate suorum effectuum essentialiter connexæ essent, ad eosque transcendentaliter referrentur; adhuc altera cum effectuum existentia saltem indeterminata connexa posset esse: secus vero altera, sicut ad discrimen causæ naturalis, & obedientialis oportet.

91. Ad vltimum respondeo: sicut cognitio terminatur ad obiectum, quin tamen terminetur ad omne id, per quod obiectum in ratione obiecti constituitur: aliàs ad se ipsum terminaretur, sed præcisè ad id, quod obiectum in recto, & magis principaliter importat: ita similiter actio à causa produci poterit; non quod ab omni eo, per quod causa constituitur, nimirum possibilitate ipsius actionis procedere debeat; sed quod procedat ab entitatem causæ, quam causa in recto, & principalius importat. Non diffiteor tamen, quin possibilitas actionis sit, sin minus principium effectiuum, de quo in præsenti, saltem conditio sine qua non ad existentiam effectus: eaque hoc

ex

ex titulo prior ordine naturæ, ſeu ratione. Ad finem adiicio, non ſolum poſſibile eſſe cauſas omnes creatas, etiam de facto exiſtentes, non referri tranſcendentaliter ad ſuos effectus, ſed etiam omnino mihi certum videri non repugnare ſaltem cauſas creatas, ſaltem alterius ordinis, quæ ab eiuſmodi relatione ſint prorſus abſolutæ: id, quod ex dictis toto hoc capite ſatis apertè colligitur.

CAPVT POSTR.

Probabile etiam eſt, cauſas creatas, ac de facto exiſtentes referri tranſcendentaliter ad ſuos effectus.

92. ET quidem non problematicè, ſed abſolutè id propugnant: tum ij omnes, qui cauſam etiam increatam ad creaturas putant tranſcendentaliter referri: tum etiam ex iis, qui talem Deo negant relationem. Ouiedo, Hurtadus, & alij plures Recentiores. In eadem ſententia fuit olim ex antiquiſſimis illis Philoſophis omnium (ſi fortè Ariſtotelem excipias) facilè Princeps Plato, vt patet ex his eius verbis in Theæteto: *relinquitur igitur, vt opinor, ſiue ſimus nos inuicem eſſe, ſiue fiamus inuicem fieri; quandoquidem noſtram eſſentiam neceſſitas ipſa connectit. Connectit autem aliorum nulli, nec nobis ipſis: inuicem ergo vinciri ſequitur. Quapropter ſiue, quis eſſe aliquid dixerit, ſiue fieri; ita accipiendum eſt, alicui eſſe fierivè, vel alicuius, vel ad aliquid:* vbi pende præter alia, id quod ait: *noſtram eſſentiam neceſſitas ipſa connectit.* Quaſi relatio, & connexio, quam adſtruit inter cauſas creatas, effectuſque ab iis prodeuntes, ſit eſſentialis, ſiue tranſcendentalis. Et quidem quod de hac relatione ſermonem habeat, luce clarius eſt ex his, quæ ſubiicit: nam relationem, quam exponit explicat per ordinem ſenſus, ſiue cognitionis materialis ad ſenſibile; quem quis neget eſſe tranſcendentalem? *alterius*, inquit ibi, *eſt ſenſus, & alienum, aliudque ſentientem efficit*, &c.

63. Probatur autem hæc noſtra aſſertio non ſolum authoritate tanti Philoſophi, ſed etiam rationibus: quarum prima ſit hæc: multæ ſunt entitates creatæ, quæ ad alias referuntur tranſcendentaliter, & cum earum poſſibilitate connexionem habent eſſentialem: quidni ergo inter tales entitates connumerentur cauſæ creatæ comparatione ſuorum effectuum? Probatur antecedens: quia omnis cognitio creata eſſentialiter vera connectitur eſſentialiter cum exiſtentia obiecti ſui, ſi de illo, quod exiſtat, affirmet: ergo à fortiori cum poſſibilitate obiecti connexionem ſortietur ſummam, & eſſentialem. Item actio omnis creata quomodo poteſt cum exiſtentia effectus, quem produxit, connecti eſſentialiter, ad eumque tranſcendentaliter referri, quin eadem connexione, & relatione poſſibilitatem eiuſdem effectus reſpiciat? Idem ſeruata proportione videre eſt in modo vnionis, & quibuſuis aliis reſpectu rerum abſolutarum, ad quarum exiſtentias eſſentialiter alligantur. Altera pro eadem ſententiâ ratio ſit; ob id cauſam increatam non connecti eſſentialiter cum creaturis poſſibilibus, nec ad eas tranſcendentaliter ordinari; quia talis connexio, & ordinatio, ſiue relatio faceret eum à creaturis reuera dependere, & hanc ei imperfectionem imperfectionem imponeret; cum tamen nulla poſſit in eum cadere: atqui omnis perfectio cauſarum creatarum eſt coniuncta cum aliqua imperfectione: nihil eſt ergo, quapropter non poſſit virtus productiua, qua pollent, cohærere cum earum dependentia eſſentiali à ſuis effectibus, adeoque cum relatione ad illos tranſcendentali. Præterea eandem ſententiam non leuiter ſuadent quinque rationes, quas pro ea obieci capite præcedenti ante medium: iis enim etſi factum ſit ſatis, haud tamen niſi probabiliter; atque conſequenter ita, vt ſententiæ, pro qua ſunt obiectæ, ſuam relinquât probabilitatem, eamque non modicam, neque contemnendam. Denique probatur illa eadem ſententia ſolutione argumentorum, quæ aduerſus illam, ineunte citato capite præcedenti, ſunt à nobis propoſita.

Ad primum eorum dicendum eſt, relationem 94.
cauſæ ad effectum vt exiſtentem, & productum pro aliqua anteriori temporis differentia, non vero ad eum vt poſſibilem, dici ab Ariſtotele obiecto illo lib. 5. Metaphyſ. cap. 15. prædicamentalem, & reuera eſſe talem: quare licet ſit de conceptu relationis prædicamentalis, vt non ſit eſſentialis, ſed accidentaria; aut vt non dicat perfectionem fundamento intrinſecam; tamen relatio cauſæ creatæ ad ſuos effectus vt poſſibiles poterit eſſe ei eſſentialis, & perfectionem ei intrinſecam importare: at de relatione hac cauſæ creatæ ad effectum vt poſſibilem, non vero vt exiſtentem diſputatio eſt in præſenti. Adde quod probabiliſſimum ſit, vt in Metaphyſica oſtendetur, omnem veram, realemque relationem, ſiue in fundamento intrinſeca, & eſſentialis, ſiue ex parte accidentalis, & extrinſeca, eſſe prædicamentalem: quamuis ergo relatio cauſæ creatæ ad omnem ſuum effectum, etiam vt poſſibilem ſit eſſentialis, adhuc eſſe poterit prædicamentalis: nec quod prædicamentalis ſit, tollet ne ſit eſſentialis.

Ad ſecundum argumentum contrarium eorum, 95.
quæ à nobis ſupra ſunt obiecta, dicendum eſt, non aliud eo conuinci, quam quod relatio cauſæ creatæ ad ſuum effectum poſſibilem, merito cuius dicitur eum potens producere haud ſit modus inter vtrumque interiectus: eius enim modi nulla eſſe poteſt neceſſitas, cum ſuppoſita entitate cauſæ creatæ, & effectus, ſiue actionis poſſibilitate, haud ſuperſit vlla indifferentia ad denominationem potentis, de quâ loquimur, vel oppoſitam: nulla, inquam, indifferentia, quæ tolli poſſit per eum modum: nequaquam tamen argumento facto efficitur, quod denominatio illa potentis, ac relatio in ea imbibita non ſit eſſentialis entitati cauſæ creatæ: ſic non poteſt intelligi entitas actionis creatæ, & exiſtentia effectus, quin actio effectum producat: & tamen relatio actionis ad effectum non conſiſtit in vtroque, ſed eſt actioni omninò, & adæquatè intrinſeca, & eſſentialis.

Ad tertium argumentum contrarium deſumptum ex cauſa prima ad creatos effectus tranſcendentaliter non relata, nec cum iis eſſentialiter connexa. Quod quidem inter eam, & cauſas ſecundas comparatione ſuorum effectuum ſit ſufficiens diſparitatis ratio, conſtat ex ſecunda ratione, quâ paulo ſupra noſtram in præſenti ſententiam tutatus ſum.

Ad quartum argumentum contrarium dicendum eſt, eo quidem concludi, quod cauſa creata per

per actionem poſſibilem denominetur potens agere, ſiue operari: cæterùm cum hoc cohærere, quod per ſuammet eſſentiam, & entitatem ſit ita potens, ac relata ad effectum poſſibilem. Nec verò abſurdum alicui videri debet, quod in cauſa creata ſit duplex denominatio potentis operari: altera omnino intrinſeca, partim extrinſeca: quandoquidem in Dialectica lib. vltimo, cum ſermo eſſet de eſſentia veritatis, demonſtratum eſt à nobis, quod in omni actu eſſentialiter vero ſit duplex denominatio veri: nimirum præter eſſentialem, alia quadantenus extrinſeca, & proficiſcens ab obiecto: necnon alias non paucas denominationes id habere, vt earum quælibet in ſuo genere ſit gemina, & multiplex. Ex his concluditur, quàm probabile eſt, omnes cauſas creatas de facto exiſtentes referri tranſcendentaliter ad ſuos effectus, tam certum mihi videri, abſolutéque tuendum, ſaltem poſſibiles eſſe alterius ordinis cauſas creatas, ſiue ſecundas, quæ ita ad ſuos referantur effectus, eſſentialemque cum iis connexionem ſortiantur.

TRACTATVS III.

De exiſtentia cauſæ in communi.

CAPVT PRIMVM.

Quatenus exiſtentia ad cauſandum neceſſaria ſit?

1. ASSERO primò: Exiſtentia ad cauſandum eſſentialiter requiritur, ita vt nihil cauſare poſſit etiam diuinitus, quin actu exiſtat, aut ſecundum ſe, aut in aliqua temporis differentia. Hæc aſſertio nulli non placitura ſuadetur, primò: quia quid manifeſtius, quàm quod non habet eſſe, eſſe conferre non poſſe, & quod non eſt actu, actu operari non poſſe? Secundo: quia non eſſet, cur Pater æternus foret realiter improductus à ſecunda, & tertia perſona: quod enim pro priori ſigno originis, quo Pater exiſtens ſecundam, & tertiam perſonam anteuertit, nondum eſſe exiſtentes intelligantur, non obeſt, quo minus pro eo ſigno ab iis nondum exiſtentibus Pater producatur: ſiquidem exiſtentia ad cauſandum neceſſaria non eſt: aliunde verò produci non magis in Patre, quàm in reliquis perſonis imperfectionem arguere poſſet. Pari ratione non eſſet, cur mutua cauſalitas, tractatu ſequenti impugnanda, repugnaret: licet enim pro priori naturæ, quo cauſa effectum anteuertit, effectus nondum exiſtat: non erit, cur ab effectu pro eo priori dependere nequeat, cum exiſtentia ad cauſandum minimè requiratur. Vnde merito Ariſtoteles 4. Metaphyſ. cap. 4. t. 16. hanc doctrinam non tam docet, quam ſupponit: *ea, quæ non ſunt, quæ pacto aut loquuntur, aut ambulabunt:* id ipſum docent plerique Patres: vnus pro omnibus ſufficiat Gregorius Thaumaturgus diſput. de anima ibi: *niſi forte ita quis inſaniat, vt id, quod non eſt eius quod eſt, cauſam eſſe affirmet.*

2. Aſſero ſecundo: res quo non exiſtit inſtanti, diuinitus cauſare poteſt, idque eſto immediatè ante non extiterit: pro cuius probatione animaduertendum eſt, quamcunque rem duplicem ſortiri exiſtentiam: aliam abſolutam, permanentem, & ſecundum ſe, quæ cum eſſentia rei realiter identificatur: aliam reſpectiuam, ſucceſſiuam, & in tempore, à re realiter diſtinctam, nimirum durationem ſucceſſiuam: quæ vel vltra exiſtentiam rei ſecundum ſe inſtans temporis realiter diſtinctum intime complectitur: vel eſt modus, qui rem durantem, & inſtans fluxum, atque caducum interiacet. Prior autem exiſtentia à poſteriori realiter ſeparabilis eſt more reliquorum, quæ in creatis realiter diſtinguuntur. Quibus conſtitutis in hunc modum argumentor: Vt aliqua res cauſare poſſit ſaltem diuinitus in inſtanti A. verbi gratia, tantum opus eſt, vt ſimpliciter, & abſolutè exiſtat: at poteſt abſolutè, & ſimpliciter res exiſtere, eſto in inſtanti A. non exiſtat, eo modo quo à nobis explicabitur infrà lib. 7. tract. 2. cap. 5. igitur poteſt res aliqua diuinitus operari in inſtanti A, tametſi in eo minimè exiſtat. Maior perſpicua eſt: quia rationes à nobis paulo ſuprà propoſitæ ad probandam neceſſitatem exiſtentiæ ad cauſandum, de exiſtentia abſolutè, & ſecundum ſe ſumpta duntaxat procedunt. Minor etiam perſpicua eſt: ſiquidem exiſtentia abſoluta permanens, & ſecundum ſe Petri verbi gratia eſt realiter ſeparabilis à duratione, qua in inſtanti A. exiſtit, & abſque ea reperiri poteſt: at per exiſtentiam abſolutam, & permanentem, ſiue ſecundum ſe Petrus abſolutè, & ſimpliciter exiſtens denominatur: ergo in ſenſu diuiſo durationis A, & quin illa detur, Petrus abſolutè, & ſimpliciter exiſtit, ſicut ad operandum oportet.

3. Aſſero tertiò: res quo non exiſtit inſtanti naturaliter cauſare nequit. Hæc aſſertio eſt omnium Philoſophorum demptis Thomiſtis apud Hurtadum diſp. 8. Phyſicor. eam perſpicuè docet Ariſtoteles 2. Phyſicor. cap. 3. t. 36. & 37. ibi: *quæ efficiunt vt ſingula, atque ea, quorum ſunt cauſæ, ſimul ſunt, & non ſunt:* quaſi diceret, exiſtente effectu cauſam ſimul exiſtere, & non exiſtente cauſa effectum ſimul non exiſtere. Probatur manifeſta experientia: quis enim vſpiam gentium ignem, poſtquam extinctus eſt, & quo non exiſtit inſtanti, amburere? canem, poſtquam mortuus eſt, mordere? hominem, poſtquam deceſſit, moueri? aut cauſam vllam, poſtquam deſtructa eſt, adhuc operari conſpexit, aut audiuit? Complures ſanè ab inimicis interfecti ſe proculdubio vlciſcerentur, ſi cum vita vindictæ omnis poteſtatem non amitterent.

4. Deinde: res, quo non exiſtit inſtanti, naturaliter operari nequit, eſto ſtatim extitura ſit, vt vel ipſi Thomiſtæ fatentur, & de ſe manifeſtum eſt: ergo etiam res, quo non exiſtit inſtanti, naturaliter operari nequit, quantumuis immediatè ante extiterit. Conſequentia in aperto eſt: quia tam non exiſtit modò, quod extitit, quàm quod extiturum eſt; & tam excitiſſe, quàm extiturum eſſe ex æquo eſt denominatio extrinſeca rei, prout ad præſentem temporis differentiam refertur: cur ergo vna denominatio, potius quàm alia ad operandum profit? Præterea: ſi cauſa nunquam extitiſſet, aut certe in inſtanti immediatè antecedenti non extitiſſet naturaliter operari non poſſet in hoc inſtanti, quo non exiſtit, vt ipſi aduerſarij fatentur: ergo eſto in inſtanti immediatè antecedenti cauſa extiterit; tamen in hoc inſtanti,

quo

quo non existit, operari naturaliter nequibit: siquidem tam non manet in hoc instanti, quod solùm immediatè ante extitit, quàm quod nunquam, aut certè immediatè ante non extitit.

5. Quod autem dicunt, manere causam virtualiter, non formaliter; in esse causæ, non in esse entis omninò friuolum est: quia causam, quo non existit instanti, manere virtualiter, & in esse causæ; aut est manere actionem causæ non manente causa, & ita principium repetitur, & non ratio pro conclusione, sed conclusio pro ratione redditur; aut est manere virtutem aliquam causæ ab ea relictam: & hoc nihil dictu est, cum non sit, causam, quo non existit instanti, verè operari; sed virtutem in hoc instanti existentem in eo operari, de quo quis vnquam dubitauit? Quid? quod eadem ratione defendi posset, causam tantum extituram, quo nondum existit instanti, operari posse: eo quod in illo virtualiter, & in esse causæ existat; nec non causam immediatè ante non existentem, sed quæ mille retro annis extitit, in hoc instanti, quo non existit, naturaliter operari posse; scilicet quia in illo virtualiter, & in esse causæ existit.

CAPVT II.

Argumenta contraria soluuntur.

6. OBiicies contra primam assertionem: id quod non existit, potest tamen esse causa intrinseca entis: ergo à fortiori causa eius extrinseca esse potest. Antecedens suadetur: primò, quia veritas actus intellectus est ens, & denominatio quædam vera, & realis: at constituitur, & intrinsecè causatur ab obiecto, quod sæpe sæpius non existit. Secundò, quia ens artificiale, cathedra verbi gratia est verum, & reale ens: at constituitur formaliter iuxta plerósque Recentiores iis vbicationibus, & simul carentia aliarum vbicationum; quæ carentia simpliciter quid existens non est. Respondeo: id quod non existit, causa intrinsecè constitutiua esse nequit alicuius, quod adaquatè, & simpliciter existens, siue ens in actu sit: concreta autem per accidens in argumento adducta vel adæquatè, ac simpliciter entia non sunt: vel certè aliquo non existenti minimè constituuntur; quod de secundo concreto mihi exploratissimum est.

7. Obiiciunt contra secundam assertionem nostri Recentiores. Causa materialis diuinitus causare nequit eo temporis articulo, quo non existit: ergo idem de reliquis causis dicendum est. Antecedens suadetur: quia causa materialis intrinsecè vniri debet formæ, quam materialiter causat, vel per ipsam causalitatem materialem, vel per modum alium ab ea causalitate deriuatum: & nihil intrinsecè vniri potest alicui in eo instanti, in quo non existit: quo enim pacto quod non existit in instanti A. in eo tamen vniri possit albedini, ab eóve album denominari? igitur nihil causare materialiter potest in instanti, in quo non existit. Obiiciunt secundò: quia aliàs homo mortuus posset sëtire, & ratiocinari, mereri, & demereri, quo nihil absurdius confingi potest. Obiiciunt tertiò: modus existere nequit, etiam diuinitus, sine re, cuius est modus in aliquo instanti: at actio est modus causæ: igitur diuinitus nequit existere actio in instanti A. v.g. quin in eodem causa, siue agens existat.

8. Ad primum respondeo, vnionem postulare coëxistentiam essentialiter in eodem instanti suorum extremorum, præsertim si informatiua sit, ob rationes propositas. Cum ergo causalitas causæ materialis sit vnio quædam causæ materialis cum suo effectu, vt infrà lib. 5. tract. 3. cap. 3. constabit; sanè causa materialis, & eius effectus in eodem instanti non esse non poterunt: at hæc ratio in causis extrinsecis, de quibus solùm loquimur, minimè militat. Ad secundum respondeo, hominem mortuum diuinitus sentire, & discurrere, mereri, & demereri posse vi existentiæ absolutæ, & permanentis; quæ quia indiuisibilis est, semel habita, in hoc instanti non haberi potest; at absolutè non haberi nequit: quod si sermo sit de homine mortuo pro instanti, quo iam est mortuus; ita quidem fatendum est, illum pro eo instanti haud posse, etiam diuinitus sentire, discurrere, mereri, aut demereri: quia ad huiusmodi denominationes opus est vnione informatiua, qua necessario debet tum carere, vt prædictum est in solutione superioris argumenti. Hinc tamen haud benè arguitur ad alias operationes transeuntes, ad quas nulla requiritur vnio, vt paulo suprà monitum. Ad tertium respondeo, actionem esse modum causæ, non tamen necessariò ei intrinsecum, sed eum, qui vel de facto causæ extrinsecus est, vt plerique aduersarij docent; vel certè qui ei extrinsecus esse possit, ac soli passo intrinsecus: quocirca sicut cognitio in aliquo instanti existere potest, in quo eius obiectum minimè existit, quia est modus obiecti ei extrinsecus, & soli intellectui intrinsecus: ita similiter actio, &c.

9. Obiiciunt Thomistæ contra tertiam assertionem. Primò: dispositiones præuiæ ad formam geniti eam dispositiuè causant in eo instanti, quo primum producitur, & introducitur: at in eo instanti eæ dispositiones non existunt: aliàs accidentia aliqua corrupti in genito manerent, cum dispositiones ad formam geniti in corrupto præexiterint. Secundo: quia Sacramenta physicè causant gratiam: at eam causant, quo non existunt instanti: verba enim Baptismi gratiam baptismalem efficere nequeunt, nisi postquam prolata fuerint: iam autem prolata nunc non existunt, sed tantum immediatè ante extiterunt. Tertio: vt vnum corpus naturaliter agat in aliud, sufficit contiguitas vtriusque absque penetratione in eodem loco: ergo vt causa effectum producat, sufficiens erit contiguitas inter existentiam vtriusque absque eo, quod in eodem instanti simul existant.

10. Ad primum respondeo, doctrinam de resolutione facta vsque ad primam materiam corrupti omnino commentitiam, & improbabilem esse, vt l. 5. tract. 5. c. 2. ostendemus. Ad secundum: quidquid sit de causalitate Sacramentorum; an physica, vel solum moralis sit? certè verba Sacramentorũ, si physicè gratiam causant, id præstabunt non se totis, sed secundum vltimam sui partem gratiæ productæ coëxistentem: aut dici potest, verba Sacramentorum, quo non existunt instanti, physicè causare gratiam: cæterùm id non naturaliter, sed miraculosè euenire: ita vt in productione gratiæ duo miracula cócurrant, alterũ in eius productione

à causa quoad entitatem naturali: alterum vero in eius productione à causa non existenti. Ad tertiũ: à loco ad tempus perperam arguitur: aliàs qua ratione causa effectum à se loco dissitum producere potest, eadem ratione effectum à se tempore distantem producere posset: & sicut contiguitas localis vndequaque sit, æquè ad operandum sufficit: ita contiguitas temporanea vndequaque esset, & siue causa effectum anteuerteret, siue immediatè subsequeretur; ea, inquam, contiguitas ad operandum sufficeret: quæ tamen Thomistæ diffitentur.

TRACTATVS IV.

De prioritate causæ in communi.

CAPVT PRIMVM.

An prioritas naturæ eiusdem respectu sui possibilis sit?

1. QVÆRITVR: an aliquid se ipsum immediatè causare, seue ipso immediatè prius natura esse possit? Prioritas autem naturæ, cuius meminit Aristoteles in postprædicamentis & 5. Metaphys. cap. 11. in eo præcisè sita est, quod aliquid sit causa alterius: vnde illud in aliquo signo naturæ prius alio existit, quod est causa alterius, vel alterius causam intrinsece complet, & constituit; illud que in aliquo signo naturæ posterius alio existit, quod alterius effectus est. Prioritas naturæ alia est in actu primo, qua causa effectum causare potest: alia in actu secundo, qua eum actu causat. Deinde prioritas naturæ alia est in quo: alia est à quo. Prioritas naturæ in quo est prioritas naturæ cum prioritate temporis coniuncta: cum enim prioritas in quo sit prioritas temporis, sicut prioritas à quo est prioritas naturæ, sanè prioritas naturæ in quo erit vtriusque prioritatis complexio quædam: quare tum causa effectum prioritate naturæ in quo anteuertet, cum causa effectu prior tempore fuerit: prioritas naturæ à quo est mera prioritas naturæ, vt iam iam aiebam.

2. Prioritati naturæ affinis est duplex alia prioritas, originis nimirum, & virtualis: prioritas originis est, qua vnum aliud realiter producit, aut producere potest absque eo, quod alterius causa sit; hæc prioritas in solas personas diuinas conuenit, & Theologici muneris est. Prioritas virtualis, est qua vnum alterius principium non reale, sed virtuale est: sicut enim quod realiter distinguitur ab alio, illud realiter causare, & producere potest haud raro: ita similiter quod virtualiter distinguitur ab alio, illud sæpè sæpius producere, & causare poterit: quoties autem duo prædicata virtualiter distincta ita inuicem comparata sunt, vt si realiter distincta essent, vnum realiter ab alio causaretur; tunc vnum virtualiter aliud causat, atque producit: qua ratione cognitio diuina amorem diuinum virtualiter causat, & producit; quia si ab eo esset realiter distincta, eum realiter produceret: haud secus ac cognitio creata amorem à se realiter distinctum in aliquo genere causæ realiter causat, & producit. Deinde quoties duo prædicata virtualiter distincta respiciunt connotata natura priora, & posteriora, seu inuicem realiter producta, & producentia; tunc prædicatum illud, quod respicit connotata natura priora, erit prius virtualiter prædicato, quod respicit connotata natura posteriora: qua ratione animalitas rationalitatem, & intellectus voluntatem virtualiter antecedunt: nimirum quia sensio discursum, & intellectio volitionem natura antecedunt, & realiter causant.

3. Quibus constitutis, negatiua pars quæstionis in titulo præfixæ suadetur. Primò à priori: quia causa est principium influens esse in aliud: ergo in se ipsam influere, seue ipsam causare nequit. Secundo à posteriori: quia ex processione diuinarum personarum, qua secunda à prima, & tertia à secunda, & prima realiter procedit, earum realis distinctio colligitur, iuxta illud Theologicum effatum à nemine non receptum: *in diuinis omnia sunt vnum, nisi vbi obest relationis oppositio*: at, si idem se ipsum causare, aut producere posset, ex productione, qua aliæ personæ diuinæ ab aliis realiter producuntur, perperam earum realis distinctio colligeretur. Tertio: quia si idem se ipsum realiter producere, aut causare potest; cur natura diuina improducta est, curue se ipsam non producit, & ens à se non solùm negatiuè, verum etiam positiuè est? Quartò: quia nequit aliquid esse prius, & posterius tempore se ipso, vt manifestum est: igitur nequit aliquid esse prius, & posterius natura se ipso: siue, quod perinde est, sui ipsius causa, & effectus. Demum id ipsum Patres perspicuè docent: vnus pro omnibus sufficiat Bernardus de considerat. ad Eugenium lib. 5. prope medium ibi: *à se cepit nihil nisi fortè quis putauerit, quod non erat dare sibi potuisse, vt esse inciperet, aut fuisse aliquid, antequam esset*: quibus verbis non imbecillis nostræ sententiæ ratio continetur.

4. Verùm P. Suarez tom. 3. in 3. p. disput. 66. sect. 1. docet, idem causare posse se ipsum immediatè per secundam actionem, quæ aliam naturam priorem supponat; & hac ratione Christum à se ipso physicè causari sub speciebus Eucharistiæ. Contra tamen: quia non esset, cur tertia persona à semetipsa improducta esset; seque ipsam per secundam actionem non produceret: sic enim produci imperfectionem in eo arguere nequit; aliàs à Patre, & Filio produci non posset; aliunde verò cum identitate tertiæ personæ secum ipsa cohæret. Contra secundo: quia mutua prioritas naturæ repugnat, vt cap. sequenti ostendam, & à P. Suarez admittitur: at in hac eius sententia mutua prioritas declinari non potest: siquidem actio illa secunda existentia per eam producta prior natura esset, cum de conceptu actionis vt sic ea prioritas sit, vt vel ipse Suarez testatur 1. 2. tract. 3. disp. 8. sect. 2. ibi: *ordine naturæ actio antecedit terminum, &c.* Deinde existentia, à qua actio illa procedit, ea aperte prior est: igitur existentia, & actio, qua se producit, mutuo priores sunt. Rursus: si causa aliqua quoad secundam actionem se se producere posset, etiam quoad primam actionem, aliamque non supponentem se se producere posset: siquidem secunda illa actio, aut est adæquata; & ita se sola sine consortio alterius, cuiusve actionis poterit tribuere esse suo termino: ac proinde esse prima actio, per quam terminus existat & producatur: aut est in adæquata; & ita coniuncta cum

alia

alia actione etiam inadæquata efficiet vnam actionem adæquatam, & totalem; quæ cum sine consortio alterius cuiusuis esse possit; sanè actio illa ex parte prima esse poterit, siue ea per quam terminus à se ipso primo producatur.

CAPVT II.

An mediata prioritas naturæ eiusdem respectu sui possibilis sit?

5. IDest: an idem se ipsum mediatè causare possit, siue an duæ causæ mutuo sibi causæ esse possint? Pars negatiua, si de mutua prioritate, & causalitate in eodem genere sermo sit, omnibus sanctissima est, & suaderi potest: primò authoritate Patrum, præsertim Gregorij Thaumaturgi disp. de anima ibi: *nisi forte ita quis insaniat, vt id quod non est, eius quod est, causam esse affirmet: aut rursus cuius illud ipsum quod est, ex alio sic pendet, vt absque illo esse nequeat, eius ipsius, ex quo pendet, causam esse velit*: quæ verba mutuam prioritatem saltem in eodem genere apertissimè demoliuntur. Secundo: quia si mutua illa causalitas, & prioritas non repugnaret; idémque in eodem genere sui ipsius causa mediata esset: sanè aliquid sui ipsius vera, & propria causa esset: siue, quod perinde est, immediata sui causa esse posset, vt intuenti perspicuum erit. Consequens autem absurdum esse cap. præcedenti ostensum est. Tertio: quia mutua prioritas in quo, siue temporis repugnat: ergo etiam mutua prioritas à quo, siue naturæ saltem in eodem genere repugnat.

6. Verùm Thomistæ de mutua causalitate in diuerso genere diuerso modo philosophantur, eámque non repugnare arbitrantur: quos tamen impugnare arduum, & difficile non est. Primò à paritate rationis: siquidem mutua causalitas, siue prioritas in eodem genere iuxta ipsos repugnat: ergo etiam in diuerso genere: quæ enim vtrinque disparitatis ratio assignari potest? Secundo: quia mutua prioritas temporis, siue in quo omnino repugnat, siue inter res eiusdem generis, siue inter res diuersi generis intercedat: quo enim pacto tenebræ crastinæ luce hodierna posteriores tempore, eadem priores esse possunt, quantumuis lux, & tenebræ diuersi ordinis sint? igitur mutua prioritas, à quo, siue naturæ omnino repugnabit, siue in eodem, siue in diuerso genere sit. Tertiò: quia in sententia Thomistica, cur stando rationi Spiritus Sanctus in diuerso genere principij Patre, & Filio mutuo prior esse non posset? Demum: quia iuxta aduersarios pro priori naturæ, quo accidentia in genere causæ dispositiuæ formam ignis anteuertunt, ad eámque disponunt, intelliguntur existentia dependenter ab omnibus suis causis: at non dependenter à forma ignis nondum existenti: igitur forma ignis causa efficiens esse nequit accidentium eorum, à quibus dispositiuè causatur.

7. Opponunt Thomistæ, introductionem vnius formæ, & expulsionem alterius mutuo priores, & posteriores esse. Secundo, dispositiones ad formam ignis eam præcedere in genere causæ materialis, seu dispositiuè, eámque subsequi in genere causæ efficientis. Tertiò actionem creatiuam esse priorem in genere causæ efficientis suo termino, eoque in genere causæ materialis posteriorem esse, in eoque suscipi. Quartò, contritionem, qua quis ad gratiam disponitur, ab eo procedere efficienter, eaque priorem, & posteriorem esse. Quintò demum, actum charitatis in instanti, quo vrget præceptum diligendi Deum, esse causam, vt in eo instanti gratia conseruetur: vtpote quæ amitteretur, si in eo instanti charitatis actus à Deo præceptus non eliceretur: at eundem actum à gratia produci, eáque posteriorem esse. Verùm hæc argumenta non vrgent. Ad tria prima decursu Philosophiæ constabit. Ad duo postrema argumenta Theologica respondeo, actum contritionis, & actum charitatis præceptum ab auxilio extrinseco non à gratia, aut charitatis habitu effici. Sed de his latius alibi.

8. Recentiores nostri aliter mutuam prioritatem defendunt, censéntque duobus ignibus à Deo productis fieri posse, vt pro posteriori signo naturæ ignis A. per secundam actionem ignem B. producat, & è conuerso: cum enim alteruter ignis à Deo adæquatè, & sufficienter producatur: quid vetat, pro posteriori vnum produci ab alio per secundam actionem; siquidem ab alio pro priori naturæ à Deo productus independet: aut quid vetat, pari ratione alium à priori per secundam actionem produci? Contra tamen: quia implicat, aliquid causare aliud per secundam actionem: siquidem secunda illa actio rem existentem supponit, & ob id secunda appellatur: igitur ad hoc, vt existat, determinare nequit: ac proinde nec existentiam rei causare. Consequentia perspicua est: quia si secunda illa actio rem existentem essentialiter supponeret, ad eius existentiam determinare, eámve causare non posset, vt aduersarij fatentur, & merito: aliàs cur creatura aliqua ad existentiam Dei determinare non posset, quamuis Deum existentem essentialiter supponat: igitur actio in euentu, quo rem existentem hîc, & nunc supponit, ad eius existentiam hic, & nunc non determinabit. Deinde: mutua prioritas temporis etiam assignatis eidem rei duabus durationibus adæquatis omnino repugnat, vt intuenti perspicuum erit: igitur etiam mutua prioritas naturæ ne munere plurium actionum adæquatarum, primæ videlicet, & secundæ possibilis erit.

CAPVT III.

Quatenus prioritas temporis, & naturæ distinguntur.

9. PRima sententia est, eas distingui, velut superius, & inferius; aut speciem, & genus: ad modum, quo homo, & animal distinguuntur, & non velut duas species, aut duas rationes æquè immediatas eidem rationi communi: ad modum, quo species hominis, & species Leonis distinguuntur: quemadmodum enim omnis homo est animal, & non è contrario: ita iuxta hanc sententiam omnis prioritas temporis duarum rerum est prioritas naturæ inter durationes earundem, & ea, qua duratio vnius rei durationem alterius natura antertit: è conuerso verò omnis prioritas naturæ prioritas temporis non est, vt in causa, & effectu mutuo coæuis cernere est: vnde vtraque prioritas tanquam superius, & inferius more hominis, & animalis comparantur. Hanc sententiam Recentiores ingenio nobiles tuentur. Quorum vnicum fundamentum est: quia, quod res aliqua sit prior intentionaliter, siue in cognoscendo alia, est prioritas naturæ vnius cognitionis ad

aliam : ideo enim in demonſtratione à priori cauſa eſt prior intentionaliter, ſiue in cognoſcendo, quàm effectus : quia cognitio cauſæ eſt prior natura cognitione effectus, eámque infert, atque concludit : igitur ſimiliter, quod aliqua res ſit prior tempore, ſeu duratione, quàm alia ; eſt ſola prioritas naturæ vnius durationis ad aliam : igitur omnis prioritas temporis eſt prioritas quædam naturæ, licet non è conuerſo : ac per conſequens velut ſpecies, & genus comparantur.

10. Secundò : eadem ſententia ex Durando in 2. q. 2. ſuaderi poteſt : quoties vna duratio eſt prior natura, quàm alia duratio ; res, quæ durant, ita inſtitutæ ſunt, vt vna ſit prior tempore, quam alia : igitur omnis prioritas temporis eſt prioritas naturæ durationum, quamuis non è conuerſo : ac proinde tanquam ſuperius, & inferius comparantur. Antecedens ſuadetur : quoties vna duratio eſt prior natura, quàm alia inter res etiam, quæ durant, vna eſt prior duratione, quàm alia : ſicut ſi vna duratio ſit maior alia, & illam excedat, inter res, quæ durant ; opus eſt, vt altera alteram duratione excedat ; vnaque pluſquam alia duret : at rem aliquam eſſe priorem duratione, quàm aliam, eſt eſſe illam priorem tempore : haud ſecus ac rem aliquam excedere aliam duratione, eſt excedere illam tempore, & plus temporis conficere : ergo &c. Tertiò expendo pro eadem ſententia Clementem Alexandrinum 8. ſtromat. pag. penult. ibi : *quia non poteſt idem ſimul, & tempore eſſe prius quoad materiam, quatenus eſt cauſa, & tempore eſſe poſterius, quatenus eſt opus cauſæ* : quaſi diceret, eatenus aliquid eſſe prius, aut poſterius tempore, quatenus eſt cauſa, vel effectus, ſiue prius, aut poſterius natura.

11. Cæterùm : ſecunda, & contraria ſententia, nimirum prioritatem temporis duarum rerum non eſſe prioritatem naturæ durationum, quibus eiuſmodi res pollent, & ambas prioritates velut rationem ſuperiorem, & inferiorem neutiquam comparari, facilè ſuaderi poteſt : quia ordo, ſiue prioritas naturæ eſt ordo cauſæ, & effectus : at duratio prior tempore ex natura rei nequit eſſe cauſa eius durationis, quæ ſequutura eſt, cum ambæ in eodem inſtanti non coëxiſtant, nec diuinitus poſſint : igitur altera prior natura, quàm altera, eſſe nequit : ac per conſequens in eiuſmodi prioritate naturæ prioritas temporis ſita eſſe nequit. Secundò, quia probabilius eſt, creaturam permanentem ab æterno produci, & Deo coæuam exiſtere poſſe : at duratio Dei ab eius omnipotentia realiter indiſtincta durationem eius creaturæ cauſaret, eáque prior natura eſſet, quin tamen Deus prior tempore eiuſmodi creatura eſſet : igitur prioritas naturæ durationum non eſt prioritas temporis rerum, quæ durant.

12. Tertiò : quotieſcunque cauſa aliqua effectum ſuum producit, duratio cauſæ in hoc inſtanti eſt prior natura duratione effectus in eodem inſtanti : at non quotieſcunque cauſa effectum producit, eo prior tempore eſt : igitur prioritas illa naturæ prioritas temporis non eſt. Maior perſpicua eſt : quia duratio cauſæ in hoc inſtanti eam ad operandum in hoc inſtanti complet ex natura rei : igitur eſt prior natura effectu, & eius duratione. Tandem à paritate rationis : quia prioritas quoad locum non eſt ſpecies prioritatis naturæ, nec rem aliquam loco priorem alia eſſe in eo ſitum eſt, quòd vbicatio vnius vbicationem alterius natura anteuertat : ergo ſimiliter &c. Antecedens ſuadetur : tum quia vnum elementum eſt prius loco, quàm aliud elementum ſibi contrarium : at vbicatio vnius vbicatione alterius prior natura non eſt : quemadmodum enim vnum elementum aliud ſibi contrarium non cauſat, ſed deſtruit : ita ſimiliter vbicatio vnius vbicationem alterius cauſare, aut conſeruare non poterit, ſicut ad prioritatem naturæ oportet.

Ad primam rationem contrariam reſpondeo : cognitio vnius obiecti cognitione alterius obiecti prior natura, eiuſque cauſa eſſe poteſt : vnde prioritas in cognoſcendo in eiuſmodi prioritate naturæ cognitionum conſiſtere poterit : at fieri nequit, vt duratio anterior ſit cauſa durationis poſterioris, eámue natura anteuertat : atque adeò prioritas temporis in eiuſmodi prioritate naturæ ſita eſſe nequit. Ad ſecundam rationem reſpondeo, falsò in ea ſupponi prioritatem temporis cõſiſtere in prioritate durationis quomodolibet intellecta : ſiquidẽ rem aliquam eſſe priorem duratione reſpectu alterius, æquiuocè, & bifariã ſumi poteſt. Primò, vt ſit idem, ac durationem vnius rei eſſe priorem natura duratione alterius, & ita cum prioritate temporis non coincidit. Secundo, vt ſit idem, ac durationem vnius rei eſſe priorem tempore duratione alterius : & ita non differt à prioritate temporis, qua vna res durans aliam anteuertit. Ad tertiam rationem reſpondeo, D. Clementem ſolum voluiſſe cauſam vt plurimum anteuertere etiam tempore effectum : quod veriſſimum eſt, verum nobis officere nequit. 13.

TRACTATVS V.

De propinquitate cauſæ in communi.

CAPVT PRIMVM.

An, aut quatenus cauſa in diſtans operari poſsit?

PRIMA ſententia eſt, cauſam à paſſo omnino diſtantem in eo aliquid immediatè operari poſſe, eſto nihil in medio operetur : ita cum Scoto Scotiſtæ omnes, necnon Auicenna, Okamus, Gabriel, & alij Nominales apud Patrem Suarez diſp. 18. Metaphyſ. ſect. 8. n. 2. Secunda ſententia eſt, cauſam à paſſo omnino diſtantem nihil in eo immediatè operari poſſe, quantumuis aliquid in medio prius operetur : ita cum S. Thoma 1. p. q. 8. art. 1. & 3. Caiet. Capreol. Ferrara, & plerique Thomiſtæ, quibus extra ſcholam Thomiſticam Durandus, Molina, Conimbricenſes, aliíque plures adhærent. Tertia ſententia & inter duas priores media, eſt, cauſam efficientem creatam immediatè quidem operari poſſe in paſſum à ſe omnino diſtans, ſi tamen prius natura aliquid in medio operetur : ſecus vero ſi nihil in eo operetur. Hæc ſententia à P. Suarez diſp. 16. Metaphyſ. ſect. 8. defenditur, & à P. Hurtado diſp. 9. Phyſicor. ſect. 6. & P. Arriaga d. 7. Phyſic. ſect. 6. & inter Philoſophos, ac Theologos noſtræ Societatis hac tempeſtate non ſolum communis, verum etiam vnanimi, & pleno fermè 1.

fermè consensu recepta est. Cuius sententiæ, quæ proculdubio verior est, prima pars contra D. Thomam, & asseclas probatur. Primò: quia si totus mons flammis correptus ardeat, in maiori distantia calorem producet, quàm si solæ primæ arbores in supercilio montis collocatæ ardeant: vnde non solùm primæ montis arbores, verum etiam mediæ, & vltimæ in distans operabuntur: at non mediatè solum: ergo immediatè. Maior experientia ipsa testatissima est. Minor perspicua est: quia operari solum immediatè est operari immediatè in spatio sibi contiguo: & effectum in eo spatio productum alium sibi similem, licèt magis remissum prope se producere: & hunc alium; & sic vlterius, donec paulatim actiuitatis sphæra minuatur: at hoc pacto mediæ, & postremæ montis arbores in distans non operantur: siquidem spatium iis contiguum ignibus collucet, arboribúsque accensis occupatur, vt supponimus: ignis autem in alium ignem non agit, iuxta illud philosophicum axioma: *simile non agit in simile*: quare mediæ, & vltimæ montis arbores in spatio sibi immediato nihil operantur: vnde si aliquid operantur, vt non operari nequeunt, sanè operabuntur immediatè in distans.

2. Dices primò, hanc rationem ita sententiam Thomisticam oppugnare, vt sententiam Scotisticam, nimirum agens operari posse in distans nihil operando per medium propugnet, atque tueatur: quare in Scyllam, (vt aiunt) incidimus, dum Carybdim vitare cupimus. Respondeo, causam aliquam posse operari in distans, quin operetur in medio, si per accidens inueniat productum in medio effectum, quem producere debebat: idque ratione suprà posita apertè probari. At per se loquendo, & absque eo, quod in medio effectum à se producibilem antea productum reperiat, nullam causam in distans operari posse, quin in medio operetur: in quo solo nostrum cum Scotistis dissidium est, vt inferiùs constabit. Dices secundò: ob totius montis incendium in maiori distantia calorem produci, non quod mediæ, & vltimæ montis arbores in distans operentur, sed quod primæ montis arbores quidquid à tergo operaturæ erant, si solæ arderent, omne id versus aliam partem flammis non correptam operentur: quare arbores mediæ, & vltimæ ad productionem caloris in maiori distantia conducunt, non tam operando, quàm impediendo actionem primarum arborum versus aliam partem: Contra tamen primò: quia solas primas montis arbores in tanta distantia operari, & sphæra adeo longe, latéque diffusa gaudere, incredibile est. Contra secundo: quia esto totus ille calor à primis montis arboribus proficiscatur, vti hæc solutio contendit: tamen à sola prima earum superficie eum oriri improbabile est: igitur primarum arborum media, & vltima superficies in distans operantur: cum ergo non operentur aliquid in medio, nimirum in prima superficie de se in summo calida: sanè immediatè in distans operabuntur.

3. Dices tertiò, montem vndequaque flammis correptum in maiori distantia calorem producere, quàm si solæ priores eius arbores flammarent: non quod mediæ, & vltimæ montis arbores in distans operentur, sed quod in spatiis sibi contiguis exhalationes quasdam accendant, quæ per aëra sparsæ in spatiis remotioribus calefaciunt: Contra tamen primò: quia aëre omnino tranquillo, ac quieto, & nullo vento flante, qui eas exhalationes igneas longum per inane deferat; adhuc mons accensus in maiori distantia calorem producet, quam si solæ primæ eius arbores arderent. Contra secundò: quia fax decem librarum in longè maiori distantia illuminabit, quàm prima eius superficies ne vnius quidem libræ: at hoc ideo esse nequit, quia fax exhalationes quasdam lucidas à se longè, latéque dimittit: aliàs etiam sol easdem à se dimitteret, ac proinde illuminando decresceret.

Secundo eadem verioris sententiæ pars probatur: quia candor verbi gratia parietis species intentionales in potentia visiua à se distanti immediatè producit: igitur agens operando per medium in distans immediatè operari potest. Antecedens suadetur: quia candor parietis mediis solum speciebus per aëra diffusis species intentionales sui in potentia visiua non producit: ergo immediatè, siue per actionem à se proximè fluentem eas potentiæ visiuæ imprimit. Hoc etiam antecedens perspicuũ est: quia vna species impressa, aut nullo modo aliam immediatè producere potest; aut certè se sola, & sine concursu immediato obiecti per eam repræsentati aliam speciem producere nequit: aliàs cur interiecta manu inter oculos, & candorem parietis species, quæ ad latus sunt, alias candoris species inter manus, oculósque non producant, & hæ rursus alias: quo fieret, vt candorem cernere possem, quantumuis interposita manu inter eum, & oculos: quod tamen sensui, & experientiæ repugnant. Hoc apprimè declarari potest exemplo lucis, quæ quia alterius lucis immediatè productiua est, interposita manu inter oculos, & lucernam, sanè lux ad latus radians in spatio, quod est inter visum, & lucernam, lucem aliam producit. 4.

Huic argumento censet non nemo responderi posse, species intentionales aliarum specierum sui similium adæquatè productiuas esse: cæterùm eius ingenij esse, vt operari nequeant, nisi linea recta, quæ recta sit respectu primi agentis, à quo procedunt: quo fiet, vt species ad latera sparsæ in spatio oculos, manúsque interiecto alias candoris species producere nequeant: ab hac tamen regula species reflexas deducunt, quas inquiunt, operari posse linea, quæ respectu primi agentis, à quo deriuantur, directa non sit. Verùm hinc prima huius solutionis impugnatio emergit: siquidem species faciei, v. gr. in speculo refracta alias species sui similes ad oculos remittit: vbi non solum non operatur linea recta respectu primi agentis, verum etiam linea omnino opposita, & aduersa: ergo à fortiori species directæ operari poterunt linea, quæ respectu primi agentis, à quo remittuntur, obliqua sit, & non recta: vbi semel species intentionales aliarum adæquatè productiuæ sint. Deinde impugnatur ea solutio: quia quod species nequeant nisi linea recta, quæ eiusmodi sit respectu primi agentis, à quo diffunduntur, ideo præcisè est, quia se solis, & sine immediato concursu primi agentis eas producere nequeunt: aliàs cur ad operandum spatium à primo agente rectà porrectum sibi præfigerent. 5.

Tertiò eadem nostræ sententiæ pars probatur: quia luna lucem suam à sole mutuatur, vt constat ex deliquio lunæ, cui toties obnoxia est, quoties inter eam, & solem tellus interponitur: quæ 6.

sane interpositio lunæ eclypsem causare non posset, si luna lucem propriam, & à sole minimè mutuatã sibi vendicaret: at lunæ lux non deriuatur à sole nec ab eo producitur mediatè, siue media luce, quæ lunæ proxima; & contigua sit: cum hæc remissior sit luce lunari: igitur ea lux à sole immediate producitur, & deriuatur: ac proindè agens aliquod in distans immediatè operari potest. Idem argumentum fieri potest in luce, in speculo, aut crystallo refracta, quæ, cum luce intermedia, & sibi contigua intensior sit, non ab ea, sed à sole à se distanti accenditur.

7. Secunda pars nostræ sententiæ contra Scotum, & assectas probatur: quia omnia agentia actiuitatis sphæra sibi præscribunt, & in certa quadam distantia, & non maiori operari possunt: at si operari possent in distans non operando per medium, nullam actiuitatis sphæram sibi præstituerent, & in quauis distantia operari possent: ergo, &c. Maior experientia euidens est. Minor suadetur: quia si agentia naturalia, vt agant in passum distans, in medio operari non debent: quid refert spatium, quod inter ea, & passum interijcitur, esse paruum, aut magnum, vt in eo operentur? qua ratione intellectus obiectum in quauis distantia intelligere potest, & siue spatium inter illum, & obiectum sit magnum, siue paruum: eodem modo illud percipere: nimirum quia vt intellectus obiectum dissitum intelligat prius ea, quæ in medio sunt, intelligere inissue virtutem suam defatigare non debet. Secundo eadem nostræ sententiæ pars suadetur: quia clausa cubiculi fenestra sol cubiculum illuminare nequit: at huius nulla alia ratio esse potest, nisi quia sol nequit lucem in cubiculo producere, quin eam in medio producat: eam vero in medio producere nequit, si fenestra clausa; atque adeo lucis incapax sit: igitur sol lucem in distanti producere nequit, quin eam in spatio intermedio producat: ac perconsequens quoduis aliud agens, &c.

8. Respondent aliqui, solem in visceribus terræ mineralia producere, quin tamen ea in medio producat: igitur quãtumuis sol, &c. aut aliter, vt sol in visceribus terræ mineralia producat, satis est, vt qualitates accidentarias à mineralibus distinctas in medio producat: igitur vt sol cubiculum illuminare possit, satis erit, vt calorem aliamue qualitatem à luce distinctam in medio producat: at quatumuis clausa fenestra lucem in medio producere nequeat; certè calorem, cuius fenestra capax est, aliam ve qualitatem in medio producere poterit: cur ergo ea producta lucem in cubiculo eius fenestra clausa producere nequeat, si aliunde non obstet, aut si ratio a nobis allata spectetur?

9. Hæc obiectio nos cogit, vt explicemus; quo pacto agentia in medio agere debeant ad hoc, vt in distans actionem traijciant? agentia ergo naturalia actione continuata per medium agere debent, vt in distans operentur: quod ita intelligendum non est, quasi actio per medium diffusa partes eiusdem rationis, aut interse vnitas habere debeat: sol etenim in corporibus cælestibus solam lucem; in aere lucem, & calorem; in penetralibus terræ, non lucem, sed calorem, & siccitatem, aliasque qualitates, & medijs ijs plures formas substantiales producit: quare actio per medium diffusa debet esse continuata per subordinationem, & causalitatem: ita vt qualitas in vicino producta aliam qualitatem eiusdem, aut diuersæ rationis in longinquo producat, & hæc aliam, & sic de reliquis, donec ad passum principale ab agente distans perueniatur: cuius ratio est, quia actio, qua agens ad terminum à se distantem producendum paulatim pergit, est via quædam ad termiuum: vnde continuata esse debet, sicuti exposuimus. Cum ergo nulla qualitas inferior lucem producere possit; sed potius lux calorem, aliasque qualitates inferiores producat, vt experimento compertum est; mirum accidere non debet, quod sol medio calore, aliaue qualitate inferiori in fenestra clausa producta ad productionem lucis in cubiculo perringere nequeat: si enim ita pertingeret, eius actio per medium diffusa non esset continuata per causalitatem, & subordinationem: at quantumnis Sol mineralia in extremis terræ partibus non producat, sed calorem, siccitatem, aliasque qualitates; quia tamen hæ dispositiones sese ipsas inuicem per medium producunt; sanè actio solis vsque ad viscera terræ, in quibus tandem mineralia producantur, quodam modo continuata est.

CAPVT II.

Argumenta contraria soluuntur.

OBiicies contra primam nostræ sententiæ partem ex Capreolo in 1. dist. 87. ad 8. 10.
Agens est quodammodo actus ipsius passi, & passum est quodammodo in potentia ad ipsum agẽs: at actus, & potentia omnino indistantes esse debent: ergo & agens, & passum. Obijcies secundo ex Molina 1. p. q. 8. art. 1. disp. 2. illud Actorum cap. 17, ibi: *quamuis non longe sit ab vnoquoque nostrum, in ipso enim viuimus, mouemur & sumus:* nec non illud Dauidis Psalm 138. ibi. *quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam: si ascendero in cœlum, tu illic es? si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Quibus Scripturæ locis asseritur, Deum præsentem nobis esse, vbicumque simus; quia in nobis operatur: at hæc nulla esset, si agens aliquod in distans operari posset. Obijcies tertiò ex P. Vasquez tom. 2. in 1. p. disp. 189. cap. 2. quia Angeli ab omnibus censentur præsentes esse corporibus assumptis, in quibus loquuntur, & operantur; & Dæmones energumenis, qui ab ijs vexantur: non alia ratione, nisi quia Angeli, & Dæmones in jis corporibus operantur: at hæc ratio nulla esset, si agens in passum à se distans operari posset.

Ad primum respondeo: agens non est actus secundus, & formalis respectu passi, sed actus primus, & efficiens: nec maiori proprietate passum respectu agentis potentia est: quare non est, cur agens, & passum indistantia esse debeant; cum solum actus formalis, & secundus potentiæ in eodem genere præsens esse debeat. Ad secundum respondeo, Paulum testimonio adducto sermonem habere, non de præsentia, aut indistantia physica, sed de sola præsentia intentionali, quia Deus à nobis cognosci facile potest: Athenienses 11.

nienſes enim cæcitatis arguit, eo quod Deum, cui viuere ; mori, & operari velut primo Authori debeant, minimè agnoſcerent : cum tamen ex eius effectis eum facile agnoſcere poſſunt. Regius autem Vates ſermonem habet de præſentia intentionali, qua Deus cuncta penetrat, intelligit, & prouidet, vt Hieronymus, Genebrardus, Euthymius, Chryſoſtom. Bellarminus, & alij docent: & ex ipſo Pſalmi argumento, & initio colligitur ibi: *Domine probaſti me, & cognouiſti me: tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam, intellexiſti cogitationes meas de longe, &c.* Hæc autem præſentia intentionalis, qua Deus vbique eſt, rectè colligitur ex eo, quod Deus vbique operetur : cum Deus quod operatur, id cognoſcere neceſſario debeat. Quia vero complures Theologi cum D. Thoma 1. p. q. 4. art. 1. cenſent ex iis locis colligi immenſitatem Dei, eiuſque præſentiam phyſicam ſpatiis omnibus, quotquot in infinitum diffuſa ſunt : ideo ſi mauis, dicito, cauſam adæquatam non poſſe non eſſe indiſtantem à paſſo, in quo operatur : cum ergo Deus vbique aliquid adæquatè operari poſſit : ideo neceſſario vbique eſt : cauſa vero creata nihil adæquatè, & ſine conſortio Dei operari poteſt : ac proinde non poſtulat indiſtantiam à paſſo, in quo operatur. Ad tertium reſpondeo : Angeli corpora, ſiue vera, ſiue phantaſtica mouere, alióue modo in iis operari poſſunt, quantumuis ab iis diſtent, vt Scotus, Okamus, Gabriel, & Herueus in 1. diſt. 37. apud P. Suarez diſp. 18. ſect. 8. perſpicuè tradunt : quare corporibus præſentes eos eſſe ex eo, quod in ijs operentur, coniecturaliter tantum colligi, non certo deduci poteſt : cùm enim alicubi eſſe debeant, vbi vero inter nos ſint, clarè non conſtet ; ibi certè eos eſſe credibilius eſt, vbi operantur : hæc autem ratio coniecturalis valet, eſto Angelus, & quoduis agens in diſtans operari poſſit.

12. Obiicies primò contra ſecundam noſtræ ſententiæ partem. Baſiliſcus hominem à ſe diſtantem viſu interimit, & oculus puerum à ſe diſtantem faſcinat : & lupus hominem à ſe prius viſum locutione ad tempus priuat : at eæ cauſæ hos effectus nociuos in diſtans operantur, quin in medio operentur : nec enim aëri intermedio nocent, in eove qualitatem aliquam ei nociuam producunt. Obiicies ſecundò : magnes ferrum à ſe diſtans attrahit, in eoque qualitatem aliquam eius attractiuam producit : at nihil in medio operatur, aerem enim medium ad ſe non attrahit. Deinde torpedo aquis immerſa piſcatoris à ſe diſtantis manum torpore afficit, piſceſque alias à ſe diſtantes eodem torpore afficit, eaſque hac arte capit, & veſcitur, vt tradit Ariſtoteles lib. 9. Hiſtor. animal. cap. 37. at nihil in medio operatur : quid enim illud eſſe poteſt ? Obiicies tertiò : phantaſia in cerebro reſidens mouet, & alterat appetitum in corde exiſtentem, & à ſe diſtantem : & appetitus etiam manus, pedéſque à ſe diſtantes mouet : at nihil in medio operantur : appetitus enim manus, pedéſque mouens reliquum corpus interiectum non mouet, vt experimento conſtat : phantaſia etiam appetitum cordis mouens nihil in medio prius operatur : quid enim illud eſſe poteſt ? Rurſus : Angelus alteri Angelo à ſe diſtanti loquens, eique ſenſus ſuos exprimens aliquid in eo operatur : at nihil in medio operatur : an enim cum medio ſermocinatur, eiue ſecreta ſua pandit ?

13. Cætetum nè hæc vrgent. Ad primum reſpondeo : Baſiliſcus, faſcinantis oculus, & lupus homini à ſe viſo nocent, qualitatéſque noxias in eo producunt : cæterum eaſdem qualitates fundendo prius per medium aera : quia vero aer intermedius non habet humores, qui putrefieri poſſint : ideo eæ qualitates ei perceptibiliter nocere nequeunt ; eſtò eumnonnihil fortè inficiant. Ad ſecundum reſpondet Alexander lib. 2. quæſtion. natural. magnetem in ferro diſtanti nullam qualitatem attractiuam producere, illudque non tam attrahi à magnete, quàm innata virtute, & naturali pondere ſe ſe ad magnetem velut ad centrum mouere. Verùm hæc ſolutio diſplicet : tum quia ſi ferrum innata virtute magnetem quaſi centrum peteret, in quantauis diſtantia ad eum moueretur, vt in elementis cernere eſt : ignis enim in infimis terræ cauernis clauſus ſurſum erumpit, & portio terræ quantumuis euecta deorſum proruit : at ferrum in quauis diſtantia ad magnetem non pergit. Tum quia ſi ferrum propria, & innata virtute ad magnetem ſe ſe moueret, eadem motio fieret, eſto ferrum ingentis eſſet molis, & magnes minimæ, & exiguæ : quid enim obeſſe poteſt exiguitas magnetis, ſi magnes ferrum non mouet, nec attrahit ? at contrarium experientia exploratum eſt. Tum demum : quia ſi magnes, cepa, aut allio, aut ſanguine hirci limatur, ferrum neutiquam attrahet : ergo quia inde virtus eius attractiua debilitatur. Quocirca melius reſpondetur, magnetem vbi ferrum attrahit, aliquid in eo, necnon in medio operari : cæterùm magnes ob id medium ad ſe non attrahit : quia non qualitatem attractiuam, ſed aliam diuerſæ rationis per medium diffundit : vel quia non qualitatem per medium ſpargit, eius qualitatis vis attractiua non eſt reſpectu aeris, ſed reſpectu ferri ob ſpecialem eius diſpoſitionem : quâ ratione ſpecies impreſſæ per aera diffuſæ ei perinde ac viſui obiectum non repreſentant. Ad exemplum torpedinis ſimiliter dicendum eſt, eam agere per medium, vt docet Plinius apud Patrem Suarez ſupra num. 26. ibi : *odore, & quadam aura ſui afficit membra.* Quibus verbis inſinuat, torpedinem quandam ſui auram, atque mephitim per medium exhalare.

14. Ad tertium reſpondeo phantaſiam neruis coniunctam eorum miniſterio humores ad cor vſque alterare, & mouere : quare aliquid per medium agere, vbi appetitum cordis à ſe diſtantem mouet. Deinde appetitus qualitates quaſdam loco motiuas, & impulſiuas per medium corpus ad manus pedeſque traiicit : ideo vero corpus intermedium non mouent : quia earum vis loco motiua non reſpectu corpus intermedij, ſed reſpectu manuum, pedumque eſt. Secundò etiam dici poteſt, nec phantaſiam efficienter de obiecto ad obiectum mouere appetitum : neque appetitum de loco ad locum mouere corporis membra diſtantia, ſed ipſum appetitum per quandam ſympathiam cum phantaſia, & corporis membra per ſimilem cum appetitu ſympathiam ſe ſe mouere : quare cum in præſenti in diſtans operatio non ſit : quid mirum ſi per medium nihil agi debeat ? Ad id quod adducitur de locutione Angelica, in præſentiarum dicendum eſt, eam conſiſtere in actu voluntatis, quo Angelus loquens vult vt audiens ſecretum ſui cordis noſcat : Deus

autem intuitu huius actus tenetur concurrere cum ſpecie impreſſa eius ſecreti in Angelo auſcultante præſuppoſita ad cognitionem, qua de eiuſmodi ſecreto certior fiat; ſecluſo verò eo voluntatis actu Deus eiuſmodi concurſum præſtare non tenetur, ſed potius cohibere: id enim conſentaneum, ac debitum eſt commercio, quod Angeli, velut creaturæ rationales poſtulant. Quare Angelus Angelum à ſe diſtantem alloquens nihil in eo efficit: cur ergo per medium operari debeat?

15. In calce huius tractatus, & capitis ſciſcitabitur fortaſsè aliquis: an approximatio agentis reſpectu paſſi, omnium conſenſu, ad operandum requiſita, requiratur tanquam conditio præuia ad effectum, & non ſolum concomitans? Pater Arriaga diſput. 7. Phyſicor. ſect. 6. partem negantem manifeſtam arbitratur: quia cum vnum corpus mouet aliud, approximatio localis vtriuſque in eorum vbitatibus ſita eſt effectus motus: ergo non eſt conditio ad motum præuia: cur ergo ad alias operationes conditio præuia eſſe debeat? Verum oppoſita, & communis ſententia mihi magis probatur: quia approximatio intentionalis, ſiue repræſentatio obiecti non concommitanter, ſed præuiè ad agendum intentionaliter, ſiue amandum requiſita eſt: ergo approximatio phyſica non concommitanter, ſed præuiè ad agendum phyſicè requiſita erit. Secundo: quia ideo ignis calefacit lignum, quia ei poſitiuè approximatur, non verò è conuerſo: ergo approximatio eſt conditio ad calefactionem præuiè, & antecedenter requiſita: hæc enim irreciproca cauſalis inter res realiter diſtinctas naturalis anteceſſionis certiſſima index eſt: & quidem alias omnes conditiones ad agendum præuiè de medio tolli poterunt. Quod autem in contrarium Arriaga adducit, momenti non eſt: ſicut enim licèt iuxtà ipſum natura ad reliquos effectus producendos ſubſiſtentia, velut conditione præuiâ indigeat; ad producendam tamen ipſam ſubſiſtentiam ea velut conditione præuia ad ſe ipſam non eget: ita ſimiliter quamuis vnum corpus ad mouendum aliud, illudque ſibi approximandum approximatione locali, velut conditione præuia non egeat: inde tamen minimè colligi poterit, eam ad reliquos effectus conditionem præuiam non eſſe.

TRACTATVS VI.

De vnitate cauſæ in communi.

CAPVT PRIMVM.

An cauſa totalis reſpectu effectus eiuſdem vna tantum eſſe debeat?

1. DE cauſa partiali proculdubio eſt, eam reſpectu vnius effectus non vnam tantum, ſed multiplicem tam in eodem, quàm in diuerſo genere eſſe: deinde duas cauſas materiales totales reſpectu vnius formæ naturaliter repugnare exploratum eſt: aliàs eadem forma in duobus hominibus, aut equis eſſe, & eorum materias informare poſſet. Rurſus duas formas, ſiue duas cauſas formales adæquatas in eodem ſubiecto eſſe, ſi formæ ſubſtantiales ſint, naturaliter repugnat, vt lib. 2. edocuimus: ſecus verò ſi accidentariæ ſint, cum eadem anima verbi gratia intellectionem, & volitionem actus, & habitus vbicationem, & durationem ſuſcipiat. Quare an reſpectu vnius effectus vna tantum cauſa totalis eſſe debeat: ſiue, vt alij loquuntur, an ad eundem effectum duæ cauſæ totales concurrere poſſint in ſola cauſa efficienti, & finali locum habere poteſt: in quibus etiam animaduertendum eſt, ſermonem non eſſe de cauſis totalibus in actu primo, ſiue de cauſis de ſe ſufficientibus ad hoc, vt alterutra ſe ſola effectum produceret: ſic enim compertum eſt, duas eiuſdem effectus cauſas totales, imò infinitas ſyncathegorematicè eſſe poſſe: vnde ſolum quæſtio eſt de cauſis totalibus in actus ſecundo: quarum videlicèt quæuis actione totali, & ſe ſola ad effectum ſufficienti gaudeat. Quo conſtituto:

2. Aſſero primò, cauſam efficientem totalem de potentia Dei abſoluta reſpectu vnius effectus vnam tantum eſſe non debere, ſed plures eſſe poſſe: ita cum P. Valentia tom. 4. diſp. 1. quæſt. 3. punct. 3. & Patre Suarez 1. Metaphyſ. diſp. 26. ſect. 4. num. 14. plerique DD. noſtræ Societatis. Probatur primò: quia effectus ſupernaturaliter prodire poteſt à cauſa efficienti, à qua naturaliter produci nequit; gratia verbi gratia ab aqua, vt inferius oſtendam: ergo quamuis naturaliter produci nequeat effectus à duplici cauſa totali, tamen ab ea ſupernaturaliter produci poterit. Secundo quia eadem numero forma in duabus materiis adæquatè diſtinctis ſuſcipi, ab iiſque in genere cauſæ materialis totaliter cauſari diuinitus poteſt, eſto naturaliter nequeat: haud ſecus ac, quod non minus eſt, forma ab omni cauſa materiali diuinitus abſolui poteſt: ergo ſimiliter idem effectus à duplici cauſa totali diuinitus produci poteſt, tametſi naturaliter nequeat. Tertiò: vnicum corpus à duplici vbicatione totali diuinitus à poſteriori dependere poteſt, vt ex myſterio Euchariſtiæ conſtat: ergo ſimiliter idem effectus à duplici cauſa totali diuinitus à priori dependere poteſt.

3. Aſſero ſecundò: cauſa efficiens totalis naturaliter & de potentia ordinaria reſpectu vnius effectus vna tantum, & non multiplex eſſe debet. Hæc concluſio, quæ teſte Suarez vbi ſuprà omnium fermè Philoſophorum eſt, in hunc modum probatur: quia ſicut natura neceſſaria prouidet, ita ſuperflua abhorret: at vna cauſa totalis reſpectu vnius effectus ſufficit, & duæ ſuperfluunt: igitur duæ à natura abhorrent, ſiue naturaliter repugnant. Huic argumento reſpondent nonnulli: primò duas cauſas totales in actu ſecundo: ſiue, quod perinde eſt, duarum cauſarum duas actiones totales non eſſe ſuperfluas: quia neceſſariæ ſunt ad hoc, vt vtraque cauſa virtutem ſuam oſtentet, quam certè neutra tantundem oſtentaret, ſi effectum inadæquatè ſolum produceret. Secundo alij reſpondent, eas actiones totales ſuperfluas non eſſe: quia ad perfectionem vtriuſque cauſæ neceſſariæ ſunt: ſiquidem vtraque cauſa minus perficeretur per actionem, ſi inadæquatè tantum ageret, quàm ſi adæquatè, & totaliter ageret, ex his ſolutionibus prior actionem

eſſe

esse extrinsecam agenti, posterior esse intrinsecam supponit. Tertiò alij ab vtroque præscindunt, & respondent, eas actiones totales superfluas non esse: quia quæuis earum necessaria est, vt pereunte altera effectus non pereat, sed in rerum natura consistat.

4. Verùm hæ omnes solutiones eodem argumenti genere euerti possunt: siquidem eadem ratione dici posset, eandem causam duplici actione totali in eundem effectum concurrere posse: quod etiam aduersarij negant, & de se manifestè absurdum est: aliàs eadem causa ad eundem effectum concurrere posset triplici actione totali, quadruplici, sextuplici, & sic vlterius; donec agentis tota actiuitas exhauriretur: cur enim vbi in vna actione totali status non sit, in vno potius, quàm in alio actio actionum totalium numero sisti oporteat? Sequela verò ad homines perspicua est: etenim duarum actionum totalium ab eadem causa versus eundem effectum prodeuntium quæuis necessaria esset, vel ad maiorem ostentationem virtutis effectricis, vel ad maiorem eius perfectionem intrinsecam, vel ad hoc, vt pereunte vna actione effectus per alium existeret: vnde neutra earum superflua esset. Eodem argumento probari posset contra aduersarios, idem corpus, vbi ad locum mouetur, per duplicem vbicationem totalem in eo naturaliter constitui posse: & eandem materiam per duplicem causalitatem materialem totalem formam naturaliter sustentare posse: aliaque id genus exempla afferri possent, quibus quidem adducta solutio infringi, & assertio nostra principaliter probari posset.

5. Secundò eæ solutiones impugnantur: quia vt aliquid non sit absolutè superfluum, neque natura illud resecare contendat, satis non est, vt ad aliquid necessarium sit: sic enim nihil absolutè superfluum, aut naturæ repugnans esset: cum nihil sit, aut esse possit, quod ad aliquid necessarium non sit: nimirum ad complendum numerum entium vniuersi, qui certè sine eo idem non esset: vel ad producendos suos effectus, si quos obtinet: vel ad existendum à suis causis, aliaue similia: quare illud absolutè superfluum, & naturæ repugnans, quod ad finem præcipuum, ad quem à natura destinatur, superfluum est: at si duæ causæ per actiones totales in eundem effectum concurrant, quæuis earum actionum superflua erit in ordine ad præcipuum finem, ad quem à natura destinatur: igitur absolutè superflua erit; eáque, quam natura resecare contendat, quantumlibet necessaria sit ad perfectionem intrinsecam, aut extrinsecam agentis, aut ad supplendam alteram, si deficiat.

6. Minor huius discursus, in qua tota difficultas est, suadetur: quia finis præcipuus actionis est tribuere esse effectui: & quamuis per eam causa virtutem suam perficiat, aut ostentet: hæc tamen perfectio, & ostentatio suæ virtutis propter effectum est, & ad tribuendum ei esse præcipuè destinatur: nec inter aduersarios vllum comperio, qui præcipuum actionis finem inficietur, aut ausit: at in ordine ad hũc finem duæ actiones totales superfluæ sunt: cum duæ partiales ad tribuendum effectui sufficiant.

7. Quartò, & verosimilius alij respondent, naturam per se quidem à superfluo abhorrere, neque vnquam ad' eius perfectionem causas aliquas destinare: cœterùm eam per accidens superfluum permittere, videlicet si causæ aliquæ ad eius productionem sufficientes per accidens coeant: qua ratione monstra, in quibus plura redundant, & superfluunt, homo v. g. triceps, qualem fuisse Geryonem antiquitas aut perhibuit, aut fabulata est, præter naturam, non tamen contra eam sunt: videlicet quia ad eorum productionem causæ naturales per accidens applicantur: igitur si per accidens duæ causæ eidem passo sufficienter applicentur ad hoc, vt quauis absente altera effectum adæquatè produceret: non erit, cur ambæ simul per duas actiones totales naturaliter effectum non producant, quantumuis superfluæ sint: ea enim superfluitas à concursu per accidens plurium causarum oritur: vnde non est, cur naturæ pugnet, esto ab ea non intendatur.

8. Contra tamen: quia monstra in plures partes non necessarias superflua, & redundantia, ideo naturaliter non repugnant: quia causæ naturales ad eorum productionem sufficienter applicatæ sunt, & si ea non producerent, aliunde virtutem suam exercere, & omissionem illam compensare non possent: cum enim semen sed solam organizationem corpoream producendam virtutem habeat: sanè si ad triplicis capitis v. g. organizationem producendam virtutem applicatam habeat, eámque ad superfluum euitandum non exerceat: certè aliunde eam exercere, aut omissionem illam compensare nequibit: at si duæ causæ, duo v. g. ignes eidem passo sufficienter applicentur ad hoc, vt alteruter illud totaliter calefaciat, tamen esto alteruter in eo calorem totaliter non producat, sed potius concursum suum attemperet: adhuc versus aliam partem virtutem suam exercere, & per intensionem, aut per extensionem compensare quod omittit, optime potest: ergo non est, cur duæ illæ causæ per duas actiones totales, & monstrosas in eundem effectum concurrant: quare cum suprà plures actiones totales respectu eiusdem effectus naturalis repugnare docuimus, eo quod superfluæ sint; addendum insuper est, & quia ea superfluitas ad exercendam totam virtutem causarum sufficienter applicatarum necessaria non est.

9. Assero tertiò: respectu eiusdem effectus duæ causæ finales adæquatæ in actu secundo naturaliter repugnant: ita P. Vasquez tom. 1. in 3. p. disp. 10. cap. 6. à num. 77. & probatur: quia naturaliter saltem repugnant duæ causæ efficientes adæquatæ in actu secundo respectu eiusdem effectus, vt nuper probatum est: ergo & duæ finales seruata proportione. Rursus aut est sermo de finibus extrinsecis, aut intrinsecis: si de his; eos quidem nec naturaliter; nec, quod plus est, diuinitus esse posse duos adæquatos comparatione eiusdem effectus, manifestum est: quomodo enim vnus actus voluntatis duos fines adæquatos intrinsecè, & immediatè respicere possit? eo enim ipso, quod actus ille intrinsecè, & essentialiter vtrúmque finem respiciat, sine vtróque in ratione obiecti, & finis ne diuinitus esse potest: igitur vterque est finis inadæquatus, & partialis actus: haud secus, ac eæ actiones effectiuæ, partiales censentur, sine quibus simul sumptis effectus esse nequit: sin autem sermo est de finibus extrinsecis, ideſt, quos actus finaliter causatus non respiciat intrinsecè, aut immediatè, sed tantum mediante anteriori actu, à quo ducat originem: ita etiam perspicuum est, quod non possint naturaliter

raliter dari duo fines adæquati in actu ſecundo reſpectu vnius, eiuſdemque effectus, nam v.g. cum electio aliqua materialis, & ſiſtens intrinſecè in ſolo medio, oritur à duplicis finis intentione duplici: tametſi alterutra ſeorſim ab alia ſufficeret ad dirigendam voluntatem, vt eligeret: tamen ambæ debent attemperare ſuum concurſum in electionem: ita vt actio directiua vnius ſit partialis, & non talis: actióque etiam, qua dirigit altera, conſimiliter ſit inadæquata, non vero adæquata, ſeu totalis: quemadmodum vſuuenit vt duarum cauſarum efficentium influxu ad eundem effectum.

CAPVT II.

Argumenta contraria ſoluuntur.

10. COntra primam aſſertionem opponent Thomiſtæ,& Scotiſtæ;quorum plerique contrariam ſententiam tuentur. Effectus à duplici cauſa totali proficiſcens, ab vtraque penderet, & non penderet: quæ implicatoria ſunt: penderet quidem;quia omnis effectus à ſua cauſa à priori pendet: non penderet, quia pendere à cauſa, eſt ea indigere ad exiſtendum: at effectus à duplici cauſa totali ad exiſtendum indigere nequit: cum alterutra ad tribuendam exiſtentiam ſufficiens ſit. Reſpondeo, dependentiam bifariam ſumi poſſe:nimirum pro eo, quod eſt habere eſſe ab alio ſiue cum indigentia alterius, ſiue ſine illa:aut pro eo, quod eſt indigere alio ad habendum eſſe: cauſa ergo in priori ſenſu à duplici cauſa adæquata pendet: in poſteriori vero ab ea non pendet: dependentia autem, & non dependentia in alio, alioque ſenſu prædicata contradictoria neutiquam ſunt.

11. Secundò ſic arguunt alij:effectus procedens à duplici cauſa totali eſſet duplex, & non eſſet duplex realiter: conſequens repugnat: ergo & id vnde ſequitur. Prior pars contradictionis, quæ ſequi intenditur, eſt manifeſta: nimirum effectum non fore duplicem, ſed vnum: hoc enim vtrinque ſupponitur. Poſterior pars ſuadetur:primo quia effectus ille haberet totum ſuum eſſe ab alterutra cauſa ſeorſim:totum autē eſſe ab vna ſeorſim, & totum eſſe ab alia ſeorſim ſunt duo eſſe, vt vocula ſeorſim videtur manifeſte denotare: effectus ergo foret non vnus, ſed realiter duplex. Secundò, id præſtarent actiones adæquatæ in actu ſecundo, quod cauſæ adæquatæ poſſunt præſtare in actu primo: hæ autem duos producere valent effectus: illæ igitur ſi darentur, duas producerent re ipſa:effectus ergo ab eis promanans duplex eſſet. Tertiò vt actio eſſentialiter ponit entitatem effectus in genere cauſæ, aut cauſalitatis efficientis: ita etiam eſſentialiter ponit eſſe actum, ſiue productam in genere cauſæ formalis: & actio adæquata nequit eſſe multiplex,& gemina: quin eſſe actus, & productus ſit multiplex: ſiue, quod perinde eſt: quin per eam effectus ſit bis actus, ac productus:ſimiliter ergo geminari nequit, aut multiplicari, quin entitas effectus eandem multiplicitatem, ac geminationem ſubeat.

12. Reſpondeo negata ſequela,quoad poſteriorem eius partem. Ad primam probationem contrariam dicendum eſt, voculam illam, *ſeorſum*, qua tota nititur arguere multiplicitatem, & geminationem in eo ſolo ſupra quod appellat. At cum dicitur, effectum procedere poſſe adæquatè in eodem inſtanti reali,& habere poſſe totum ſuum eſſe ab vna cauſa adęquata ſeorſim,eiuſmodi particula,*ſeorſum*, appellat non ſupra entitatem, aut eſſe effectus, ſed ſupra eius cauſas adæquatas,earumque cauſalitates: vtrarumque ergo multiplicitatem, & diſtinctionem arguit, non vero effectus quoad ſum eſſe; aut entitatem. Et quidem probatio mille patitur inſtantias, eaſque meo iudicio manifeſtas. En vnam, & alteram: nam corpus ſecundum totum ſuum eſſe eſt ſeorſum in loco: rurſus idem corpus ſecundum totum ſuum eſſe eſt in alio loco ſeorſum. Dicant ergo aduerſarij: an eſſe totum, quod corpus illud habet ſeorſum in vno loco, coniunctum cum toto eſſe, quod ſeorſum habet, in alio loco; ſint duo eſſe? Negabunt, ne negent corpus aliquod poſſe etiam diuinitus poni in duobus locis circumſcriptiuè:negandum ergo ipſis eſt pari iure,quod in probatione prima inferunt. Præterea Petrus ſecundum totum ſuum eſſe cognoſcitur ſeorſum à Gabriele Angelo: deinde idem ſecundum totum ſuum eſſe cognoſcitur etiam à Michaele ſeorſum: an obſecro ob id Petrus erit non vnus, ſed multiplex, geminumue ſortietur eſſe adæquatum?

13 Ad ſecundam probationem contrariam dicendum eſt, eius maiorem eſſe falſam: cauſæ namque adæquatæ in actu primo ſunt aptæ ad producendos infinitos effectus, nullique diſtinctè præ alio illigantur: quis tamen auſit; eam amplitudinem actionibus adæquatis tribuere? Quod ſi ſenſus propoſitionis illius maioris tantum ſit actiones adæquatas id præſtare in actu ſecundo, quod cauſæ in actu primo poſſunt præſtare per ipſas, earumque miniſterio: fatemur hac moderatione adhibita admittendam eſſe maiorem:cæterùm,negamus, cauſas adæquatas per actiones adæquatas ad eumdem terminatas effectū plures effectus poſſe producere:vnde nec ipſæ actiones id poterunt in actu ſecundo. Quid? quod hæc probatio inſtantiam etiam patitur manifeſtam: ſiquidem cauſæ adæquatæ poſſunt ſucceſſiuè duos effectus adæquatos producere: & tamen actiones adæquatæ, quarum vna in primo iuſtanti producat effectum totum, ac totaliter; & alia ſimiliter eum efficiat in ſequenti nequaquam poſſunt ſucceſſiuè producere duos effectus, ſed vnum indiuiſibilem, eum ſcilicet, quem eſſentialiter reſpiciunt.

14 Ad tertiam probationem dicendum eſt in primis, ea non adeò manifeſtè concludi eſſe actum, ſeu productum geminari debere, ſi geminetur actio: quando namque dicitur, res bis produci; poſſet quis dicere particulam, *bis*, non appellare ſupra concretum producti, vt tale: eo quod non appellet ſupra effectum, quem eiuſmodi concretum in recto importat, ſed ſupra productionem in abſtracto: quaſi ſenſus ſit, eandem rem bina productione effici. Et quidem idem duplici actione productum raro, aut nunquam dici ſolet duplex productum, duóve producta: quemadmodum, ſi duplex albedo in ſubiecto ponatur, ſæpè non duo alba, ſed vnum album dici ſolet. Sed eſto antecedens illius tertiæ probationis

bationis sit verum, quid inde ? idcirco enim multiplicatur in effectu esse actum, seu productum ad productionis multiplicitatem : quia productio identificatur cum ea denominatione producti, in eaque exprimitur, nec implicitè tantum delitescit : atqui cum entitate effectus nullam habet identitatem realem, & implicitam, multoque minus explicitam : non est ergo, cur entitas effectus geminari debeat ad illius distinctionem, & geminationem. Addo, tertiam hanc probationem eadem infringi posse instantia, qua secunda paulo superius labefactata, vt intuenti constabit.

15. Tertiò arguunt alij : si Petrus v. g. & Paulus producerent adæquatè eundem effectum, eius dominium esset penes vtrumque, idque integrè, & insolidum : consequens est absurdum, & impossibile : ergo & illud ex quo sequitur. Verùm in primis cur saltem duo ignes non possunt adæquatè efficere calorem : nec enim sequitur vtrumque habiturum dominium illius adæquatum, cum sint ambo vt rationis expertes, sic omnis dominij incapaces. Secundò cur saltem vnus eorum hominum Petrus v. g. solus non possit effectum duplici actione adæquata producere ? tum enim non multiplicata persona rationali dominium effectus cuadere non poterit multiplex. Tertiò quid est, quapropter duo etiam homines nequeant esse causæ adæquatæ eiusdem effectus, dummodo sint non liberi, sed vnius domini serui, ac mancipia ? Nec enim ob id fiet, vt ambo sint domini insolidum effectus producti: seruus enim quod adquirit, aut facit, non sibi id, sed domino suo lucratur. Quartò tandem cum dominium rei sit eius proprietas quædam, & perinde sit, quem esse dominum rei, atque hanc esse eius propriam : sanè dominium sonat exclusionem quandam in suo conceptu quidditatiuo, & essentiali : proinde non est mirum, quod vt sit adæquatum, & insolidum, oriri non possit ex actione adæquata quacunque, sed tantum ex negatiuè tali, eiusque rationis, quæ producat effectum sola, & sine alia. At tametsi duæ causæ adæquatæ concurrant ad eundem effectum, non propterea geminæ actiones erunt adæquatæ negatiuè : siue, quod eodem redit, neutra earum erit vnica, aut sola : non est ergo quapropter ex ambabus duo resultent in causis etiam rationalibus dominia adæquata, & insolidum.

16. Quartò arguunt alij, & quidem satis ingeniosè, in hunc modum. Supponatur, luminosum *A* non habere virtutem, nisi ad lucem vt duo; eademque, & non maiori virtute illuminatiuâ esse præditum, luminosum *B*. Aut ergo possunt ambo adæquatè producere vnam, eandemque lucem vt duo, aut non possunt ? Si secundum, dicatur, sanè vt respectu talis effectus, sic nec respectu alterius vllius poterunt dari duæ causæ adæquatæ. Sin autem dicatur primum, profectò haud ægrè poterit falsitatis conuinci : nam si ambo illa luminosa producerent adæquate lucem vt duo, exhauriretur vtriusque virtus, & non exhauriretur. Consequens repugnat : ergo & id vnde sequitur. Fore, vt exhauriretur vtriusque virtus, perspicuum est : siquidem eorum quodlibet produceret totum suum effectum, nec partialiter tantùm, sed totaliter, & quanto potest conamine, & efficacitate : hoc autem quid est, quàm amborum virtutem exhauriri, totamque impendi, & exerceri, nihilque illius otiosum remanere ? Futurum etiam, vt non exhauriretur virtus vtriusque, non minus esse videtur in aperto : siquidem eiusmodi luminosa *A* scilicet, & *B* possunt producere quatuor gradus lucis : tam ergo certum est, ea posse plus aliquid producere, quàm lucem vt duo, ac exploratum est, lucem vt quatuor, siue quatuor lucis gradus plus, maiusque quidpiam esse, quàm lucem vt duo : cùm ergo plus possint producere, vt dictum est, quàm lucem vt duo ; certè hanc adæquatè producendo, eotum virtus nequaquam exhauriretur.

Sed in primis id displicet in hoc argumento, 17.
quòd per illud probetur, non posse etiam diuinitus duas formas substantiales simul recipi in eadem materia, contra quam ipsimet arguentes sentiunt. Sequela probatur : quia alioqui virtus informatiua vtriusque formæ exhauriretur, & non exhauriretur. Quòd exhauriatur, patet; quoniam quælibet earum formarum informaret materiam totalem, ac sibi adæquatam, nec quomodocumque, sed adæquatè, ac totum suum effectum formalem ei communicando. Quòd etiam non exhauriretur, iuxta aduersariorum discursum, videtur non minus manifestum, quia possent illæ formæ informare duas materias totales, quas constat esse plures, quàm vnam solam materiam : si ergo vnam solam ambæ infirmarent, certè earum virtus informatiua non exhauriretur. Deinde, vt expendenti constabit, eodem aduersariorum argumento efficeretur, nec duo corpora posse esse in eodem loco, ne scilicet vtriusque corporis virtus locum occupandi exhauriretur, & non exhauriretur ; nec è contrario duo loca adæquata recipere posse idem corpus, ne scilicet vtriusque loci virtus receptiua corporum simul exhauriretur, & maneret inexhausta.

Absolutè respondeo, fore vt præcisè exhauriretur virtus vtriusque luminosi, de quibus supra. Ad rationem autem oppositam, qua probatur, fore vt etiam non exhauriretur, dicendum est, non terminos secundum se, sed eorum actiones productiuas totales, siue adæquatas exhaurire virtutem causarum quarumuis : vnde lux vt quatuor producta per duas actiones adæquatas, quarum altera terminaretur ad duos gradus lucis, & alia ad alios duos, non est maioris momenti, nec plus aliquid in ordine ad exhauriendam virtutem vtriusque luminosi, quorum meminimus, quàm lux vt duo bis ab iis adæquatè producta : cum vtrobique actiones adæquatæ sint totidem, & nec plures, nec pauciores. Falsum ergo est, quòd non exhauriretur vtriusque luminosi virtus, dum ad lucẽ vt duo adæquatè concurrerent. Sic, quia iuxta disputata superius non materiæ secundum se, sed earum informationes exhauriunt virtutem informationem causæ formalis ; fit certè, vnam materiam bis adæquatè informatam, duplicivè forma effectam æquiualere duabus materiis, per duas itidem formas semel informatis ; ac proinde ambarum formarum virtutem præcisè exhaustum iri, casu quo in eadem materia reciperentur. 18.

Contra secundam assertionem communiter 19.
opponi consueuit : Duo ignes v. g. eidem passo sufficienter applicari possunt : at eo ipso, quòd ita applicentur, non poterit non alteruter formam ignis in eo totaliter producere : ergo idem effectus à duabus causis totaliter, & adæquatè prodire potest. Maior contra Caietanum. 1. p. quæst. 57.

quæſt. 57. art.... ſuadetur : quia ſi globus ligni in medium ignem proiiciatur ; punctum medium globi , ſiue eius centrum ſicut æqualiter à tota eius peripheria , ſiuè circumferentia diſtat : ita etiam à diuerſis partibus ignis , quibus ea peripheria vndique circumfuſa eſt , æqualiter diſtat : ergo etiam diuerſæ partes ignis ab eo æqualiter diſtant : ac proinde aut omnes , aut nullæ ad illud comburendum ſufficienter approximatæ,& applicatæ ſunt. Minor probatur : quia cauſa neceſſaria ſufficienter applicata operatur quantum poteſt : cum ergo ad formam ignis in paſſo proximè applicato totaliter producendam duo ignes ſufficienter applicati , & approximati ſint, non poterunt non totaliter eam producere: ſiquidem cauſæ neceſſariæ ſunt.

20. Reſpondeo : duo ignes eidem paſſo ſufficienter applicati , ſiue approximati eſſe poſſunt ad formam ignis in eo totaliter producendam : cæterùm ob id formam ignis in eo totaliter non producent : quia vt cauſa aliqua neceſſaria operetur præter virtutem approximatam, ſeu localiter applicatam opus eſt, vt ea virtus aliunde impedita non ſit : in eo autem euentu virtus vtriuſque ignis ad formam ignis totaliter producendam ex alterius æque potentis , & approximati conſortio impeditur : eo quod vterque in alterius conſortio concurſum ſuum minuere , & temperare poſtulet ob rationes , quas ſuprà expendimus. Quod ſi non de applicatione locali, ſed de applicatione abſolutè ſumpta , & prout cum expeditione ad operandum coincidit , ſermo ſit : ſanè in eo euentu duo illi ignes ſufficienter applicati non ſunt ad formam ignis totaliter producendam.

21. Tertiæ aſſertioni noſtræ refragantur P. Suarez tom. 1. in 3. p. diſp. 5. ſect. 4. Balthaſar Tellez diſput. 29 Phyſ. ſect. 3. aliique complures. Pro quorum ſententia aduerſus noſtram tertio loco aſſertam obiicies primò. Poteſt quis complacens in ſanitate vno actu , & altero in recreatione ita moueri ex prædictis complacentiis ad deambulationem vtrique fini vtilem, vt deficiente quauis earum , altera ad voluntatem deambulandi vi eiuſdem directionis actualis , qua antea in actu ſecundo moueret : igitur vtráque complacentia , vterque finis in actu ſecundo ad voluntatem efficacem deambulandi adæquatè dirigit : motio enim , ſiue directio actualis , quæ ſe ſola ſine alia maneret , adæquata , & totalis eſt. Obiicies ſecundo : directio actualis eſt neceſſitas quædam,qua complacentia mouens pro poſteriori neceſſitat ad actum, reſpectu cuius motiua eſt: at non eſt,cur duplicis finis duplex complacentia ad voluntatem efficacem alicuius medij duplicem neceſſitatem adæquatam non inducat : ergo non eſt , cur duplici directione actuali adæquata ad eam non dirigat. Minor perſpicua eſt : quia duplex complacentia duplicis finis naturaliter inferre poteſt duplex imperium efficax medij ; quorum alterum velit electionem medij propter vnum finem intrinſecè,& alterum propter alium: at vtrúmlibet imperium ad electionem medij neceſſitat. Obiicies denique tertio : licèt natura ſuperflua abhorreat , voluntas tamen pro innata libertate ſuperfluas atque otioſa plerúmque amat: cur ergo ex cognitione , & complacentia duplicis finis per duas directiones totales, quantumuis ſuperfluas , ad electionem alicuius medij moueri nequeat?

Hæ tamen obiectiones facilè poſſunt repelli. 22.
Ad primum dicendum eſt , eius antecedens eſſe falſum,qua parte adſtruit directionem in actu ſecundo futuram eſſe eandem caſu , quo maneret vnius tantum finis complacentia ſine complacentia in altero : ambæ namque complacentiæ attemperant ſuum concurſum directiuum , quoties ſimul inſunt voluntati , eámque ad electionem medij impellunt : at cum poſtea vna ſola mouet ad eligendum medium ob alterius complacentiæ defectum : tunc certe quæ ſub remanet , concurſum directiuum , non attemperatum , ſiue dimidiatum confert , ſed plenum , integrúmque : quî ergo fieri poteſt , vt concurſus directiuus in vtróque caſu ſit idem , & non potius diuerſus ? niſi verò inter totum , dimidiúmque totius nihil interſit. Ad ſecundam obiectionem contrariam dicendum eſt , fieri quidem poſſe , & ſolere , vt ad eandem electionem bifariam neceſſitet duplex finis : cæterum non in hac neceſſitate , vt ſupponit argumentum , ſed in modo quodam directiuo ab omni actu voluntatis ſuapte natura diſtincto conſiſtere cauſalitatem finalem directionémve finis propriam : non eſt ergo , cur hæc poſſit eſſe duplex adæquata comparatione eiuſdem effectus à duobus finibus proficiſcentis. Ad tertiam obiectionem contrariam dicendum eſt , eo , ſi quid valeret , aut nihil , aut id certè probatum iri ; duas actiones effectiuas adæquatas reſpectu eiuſdem effectus naturaliter dari poſſe : voluntas enim noſtra reſpectu amoris liberi non ſe habet mere paſſiuè , ſed actiue,vel effectiuè : quamuis ergo huiuſmodi effectio adæquata non niſi ſuperfluè , & otioſè ab ea geminari poſſit reſpectu eiuſdem amoris liberi : at cum in eius arbitrio , & libertate poſitum ſit , talem efficere amorem ; non erit , cur in eo efficiendo ſuperfluere , & otiari non poſſit , cum pro innata libertate otioſa , & ſuperflua poſſit amare : conſequens autem eſt abſurdum : ergo & id , ex quo ſequitur. Porrò abſolutè reſpondendum , vti voluntas noſtra poteſt impoſſibilia amare, in eaque ſaltem inefficaciter affici , & ferri,quin impoſſibilia poſſit efficere , aut per actiones impoſſibiles verè , ac realiter operari , aut producere quidpiam etiam poſſibile : ita etiam nihil obſtare poſſe , quominus ſuperflua , & otioſa poſſit amare ; quin tamen exinde poſſit argui , quod per actiones adæquatas ſuperfluas,otioſáſque operari poſſit eundem effectum, ſiue tales actiones ſint finales,ſiue effectiuæ. Atque hæc hactenus.

TRACTATVS VII.

De cauſa efficienti creata.

CAPVT PRIMVM.

Qua virtute cauſa efficiens operetur immediatè ?

EXPLICATIS iis, quæ quatuor cauſarum generibus communia ſunt , ad cauſam efficientem cæteris nobiliorem progredior , quæ cum creata , & increata ſit ; ab ea ,

ea, quæ magis nota est, (creata nimirum) auspicari libet. Porro creaturas propriè efficere, & operari certo certius est: aliàs qua ratione libertatem exercere, aut in actu secundo viuere, aut mereri, vel demereri possent? cum libertas, vita, meritum, & demeritum in actione sita sint, & in sola passione consistere nequeant? Aut qua ratione illud Dei loquentis cum Abrahamo: *quia fecisti* rem hanc: aut cum Caino: *quid fecisti*: aliáve Scripturæ loca explicari possent? Verum qua virtute res creatæ immediatè operentur, adeò exploratum non est: siquidem substantias se ipsis immediatè productiuas esse aliarum substantiarum, est etiam accidentium; nullumque accidens substantiæ productionem attingere Nominales, & Scotistæ, & nostri Recentiores ferè omnes arbitrantur; inter vtrósque medius incedit P. Suarez disputat. 18. Metaphys. sect. 3. vbi substantiam in consortio accidentis ad effectionem substantiæ concurrere mauult. P. Suarez sequitur Compton. d. 25. phys. sect. 4.

2. Assero primò: substantia est immediatè actiua saltem suarum proprietatum, eorúmque accidentium, quæ ei intrinseca sunt. Primò, quia nulla substantia creata de facto existit, quæ alicuius accidentis immediatè passiua non sit, nimirum quantitatis, aut qualitatis, durationis, aut vbicationis, alterius ve modi: igitur nulla substantia est, quæ alicuius accidentis immediatè actiua non sit: præsertim cum substantia ex genere suo perfectior accidente sit: igitur vt minimum substantia suarum proprietatum, & accidentium sibi inhærentium immediatè effectiua erit. Secundo, quia aqua extrinsecus calefacta pristinam frigiditatem recuperat, eámque in se producit: igitur substantia suarum proprietatum immediatè actiua est. Antecedens experientia constat. Consequentia perspicua est.

3. Respondent cum Iauello plures Thomistæ, aquam recuperare pristinam frigiditatem vi occultæ cuiusdam qualitatis. Verùm hæc occulta qualitas à qua causa producitur? si à solo Deo: cur etiam ab eo solo frigiditas produci nequeat, quin ad occultam qualitatem recurrere opus sit? si à substantia aquæ: ergo ab eadem frigiditas effici poterit; & vlterius substantia alicuius accidentis immediatè actiua conceditur. Deinde si ad inuisas qualitates, & occulta naturæ Sacramenta confugere sit fas, cur animæ ad producēdas potentias suas occulta qualitas non insit? aut cur ad causam primam in productione, & conseruatione plurium causarum secundarum ab omnibus sæpè recurritur, cum in occultam aliquam qualitatem refundi facilè possint? Respondent alij, frigiditatem in eo euentu à solo Deo produci. Contrà tamen, quia eadem ratione omnis causarum secundarum efficientia in Deum reiici posset: si enim aqua frigiditatem sibi cognatam, & secluso agente extrinseco infrustrabiliter debitam in se minimè producit, sed à solo Deo productum suscipit; cur calor v. g. alium calorem ad præsentiam sui necessario productum sibi tanquam causæ arrogare possit? Deinde deficiente substantia, quæ aliam substantiam producat, ad causam primam Thomistæ confugere renuunt, idque parum philosophicum esse asserunt; quo fic accidens substantiæ productiuum esse tueantur: inconsequenter ergo in præsenti ad causam primam redeunt.

4. Assero secundò: substantia saltem partialiter est effectiua alterius substantiæ: quia solum accidens substantiæ causa adæquata esse nequit: igitur substantia saltem in consortio accidentis ad aliam substantiam concurrere debet. Antecedens perspicuum est: quia causa adæquata effectus perfectionem adæquare, & superare debet iuxta illud philosophicum axioma: *causa vel formaliter, vel eminenter effectum continere debet*: at accidens substantia imperfectius est, & eius perfectionem adæquare, aut superare non potest. Respondent Thomistæ, accidens nomine substantiæ, seu in virtute substantiæ substantiam efficere: quare substantia, quam efficit, imperfectius esse posse. Pro quo notant, aliud esse, causam operationis esse, aliud, virtutem operandi esse: causa est id, quod operatur: virtus autem id, quo aliquid operatur: causa autem effectu imperfectior esse non potest, secus verò causæ virtus: vnde cum accidens substantiæ non causa, sed virtus eius productiua sit, non est, cur substantiæ perfectionem attingere, aut excedere debeat. Verùm quid hoc aliud, quam solutionis loco verba reddere, & præ rerum inopia nomina nominibus cumulare? Et in primis accidens in sententia Thomistica substantiam producit etiam non existente ea substantia, in cuius virtute, & cuius nomine operatur: at in eo euentu substantia non existens propriè causa dici nequit: igitur solùm accidens substantiæ causa dicenda erit, quod tamen cum eius imperfectione non cohæret. Deinde virtus effectiua substantiæ eius vera, & immediata causa est: perperam ergo causa, & virtus distinguuntur. Antecedens probatur: tum quia id, quo quid in actu secundo operatur, causalitas est: ergo id, quo quid in actu primo operatur, siue quo operari potest, causa est: at virtus effectiua substantiæ est id, quo substantia in actu primo fieri potest: eius igitur causa est. Tum, quia actus secundus effectus nuncupatur: igitur actus primus causa appellanda est: cum ergo virtus operandi actus primus sit, sanè causa censenda est: nisi forte Thomistæ inter actum primum, & secundum, causámque & effectum quid medium comminisci velint: cum tamen aliunde quidquid medium sonat, iam pridem exosum habeant.

5. Præterea: cum dicitur, substantiam solam esse causam substantiæ, & accidens virtutem eius productiuam: illámque vt quod, & hoc vt quo operari: illam nomine proprio, & hoc nomine substantiæ solius: aut his vocibus significatur, solùm accidens esse vere, & propriè productiuum substantiæ: eam tamen productionem non accidenti, sed substantiæ, cui inest, attribui: & hoc nihil dictu est: quid enim ea attributio, quæ omnino arbitraria, & extrinseca est, & accidentis vires non auget, prodesse potest, vt accidens substantia imperfectius eam tamen se solo producere possit? Aut per eas verborum ambages significatur, substantiam solùm esse causam mediatam, & remotam substantiæ: accidens autem esse causam proximam, & immediatam substantiæ: & hoc etiam aduersariis obesse, non prodesse potest: si enim accidens ratione suæ imperfectionis causa remota substātiæ esse nequit: à fortiori eius causa proxima esse non poterit: cum causa proxima remota perfectior in ratione causæ sit. Aut demum per eas voces significatur, solam substantiam esse immediatè productiuam alterius substantiæ: virtutem autem, qua immediatè productiua est, esse

accidens : & hoc terminos repugnantes inuoluit: quo enim pacto ſubſtantia media virtute accidentali à ſe diſtincta operari , & tamen immediatè operari poteſt? Equidem id immediatè productiuum ſubſtantiæ eſt, quod ab actione productiua ſubſtantiæ eſſentialiter reſpicitur : at actio productiua ſubſtantiæ, iuxta aduerſarios, ſolùm accidens eſſentialiter reſpicit , & cum eo ſolo neceſſario connectitur. Adde, qua ratione ab aduerſariis virtus productiua ſubſtantiæ eius cauſa eſſe negatur, eadem ratione dici poſſe, nullam creaturam cauſam eſſe , ſed tantum eſſe virtutem operandi ; & nomine cauſæ primæ , & vniuerſalis dumtaxat operari: quo nihil abſurdius dici poteſt.

6. Secundo alij reſpondent, accidens tantum eſſe cauſam partialem ſubſtantiæ, ad cuius productionem in conſortio cauſæ primæ concurrit : quare ſubſtantiâ imperfectiorem eſſe poſſe : ſic ſpecies impreſſa, iuxta plures , eſt cauſa efficiens partialis actus, quo tamen imperfectior eſt : ſic etiam habitus, iuxta non paucos, actum producit ; à quo , ſi præextitiſſet , generari , & produci poſſet : & tamen actus, & habitus æqualis perfectionis non ſunt ; ſed vel actus habitum , vel habitus actum ſuperat. Verùm eſto cauſa partialis ſecunda in alterius etiam ſecundæ conſortio concurrens effectu imperfectior eſſe poſſit , quod exempla allata conuincunt : cæterùm cauſa partialis , quæ talis ſit reſpectu ſolius cauſæ primæ ; in genere verò cauſæ ſecundæ adæquata, & totalis ſit; effectu imperfectior eſſe nequit. Quod in hunc modum oſtendo : quia calor v. g. calorem ſe intenſiorem, ſeu perfectiorem in nullo ſubiecto tanquam cauſa totalis ſecunda naturaliter producere nequit, vt experientia patentiſſimum eſt : igitur cauſa totalis ſecunda, quantumuis reſpectu primæ partialis ſit, effectu imperfectior eſſe nequit.

7. Secundo principaliter noſtra aſſertio probatur ad homines : quia accidens, iuxta pleroſque Thomiſtas , ſimpliciter , & propriè ens non eſt : nec magis cum ſubſtantia in ratione entis conuenit, quàm homo pictus in ratione hominis cum homine vero : igitur entis ſimpliciter, ſiue ſubſtantiæ cauſa, ſeu virtus productiua eſſe nequit : aliàs entia entis poſitiui vera cauſa dici poſſet : ergo ſubſtantia ſubſtantiæ cauſa neganda non eſt. Tertiò : quia, ſi ſubſtantia ab accidentibus ad eam diſponentibus ſolum produceretur , quatuor primæ qualitates omnium, quæ efficiuntur , cauſæ effectrices eſſent : at incredibile eſt, virtutem adeo extenſam , & vniuerſalem iis quatuor qualitatibus conuenire. Quartò demum : quia cuiuſuis effectus producti pene infinitæ cauſæ effectrices eſſent ; cum accidentia, quæ ad cuiuſuis formæ ſubſtantialis productionem quodammodo diſponunt, penè innumera ſunt.

8. Aſſero tertio : ſubſtantia eſt cauſa adæquata alterius ſubſtantiæ, ita vt ad eam accidens neutiquam efficienter concurrat. Probatur aſſertio: quia quoties datur cauſa vniuoca effectus , ea ſola ad eius productionem adæquatè concurrit : qua ratione in abſentia caloris lux calorem producit; cæterùm præſente calore non lux, ſed calor calorem producit : at ignis v. g. eſt cauſa vniuoca alterius ignis : igitur ſolus ignis ad alterius ignis productionem concurrit : equidem ſi cum igne ad productionem ignis calor concurrit, non erit, cur cum calore ad productionem caloris in extraneo ſubiecto ignis etiam non concurrat. Pater Hurtado hanc etiam aſſertionem in præſenti diſp. 9. ſect. 5. in hunc modum probat : cauſa adæquata eſt , quæ omnes formalitates effectus continet : at vnus ignis omnes alterius formalitates continet : ergo eius adæquata cauſa eſt. Maiorem probat : quia ea ratione voluntas actus naturalis adæquata cauſa eſt : quia eius omnes formalitates, naturalitatem nimirum , & vitalitatem continet : actus etiam ſupernaturalis adæquata cauſa non eſt : quia eius ſupernaturalitatem non continet , ſed ſolam eius vitalitatem. Verùm hæc ratio difficilis eſt : tum quia duo gradus lucis vnum ſolum, non duos gradus lucis , velut cauſa adæquata , producere poſſunt : & vnus gradus lucis vnum gradum lucis ſibi ſimilem producere nequit : aliàs lux nullam actiuitatis ſphæram ſibi præſtitueret , cum careat contrario, à quo eius actiuitas coërceri poſſit : at duo gradus lucis continent omnes formalitates aliorum duûm, & vnus gradus alterius vnius : ergo , &c.

CAPVT II.

Argumenta contraria ſoluuntur.

COmplura argumenta pro aduerſariorum ſententia adduci ſolent , quæ nullius momenti ſunt , & ad peruetuſtas quaſdam paræmias reuocantur , vt videre eſt apud P. Hurtado vbi ſuprà: quocircà iis omiſſis ea, quæ ab experientia deducuntur, expendenda mihi ſunt : ſiquidem ſæpeſæpius ſubſtantia producitur ad preſentiam ſolorum accidentium , & abſente omni ſubſtantia , à qua produci poſſit : ergo in iis euentis, ac proinde in quibuſuis aliis, ſubſtantia ab accidentibus producitur. Antecedens probatur : tum quia ferrum candens ſtupam comburit : at ferrum candens formam ferri retinet, & formam ignis non habet: igitur in eo euentu non forma ſubſtantialis ignis, ſed ſolus calor ferri ſtupam ignire poterit. Tum quia cernimus duorum lapidum attritu ignem elici, rotarum axes flammare, exhalationes celeri raptu per aëra libratas ardeſcere, ſagittas ſcintillare: at his caſibus ignis ab igne produci nequit : ergo ſolus calor motu excitatus ignem producet. Tum quia conſtat, mures, ranas , aliáſque beſtiolas ex ſola terræ putrefactioue ſæpè prognatas eſſe : cum ergo animalcula non ab aliis eiuſdem ſpeciei producantur : ſanè ab accidentibus putrem materiam diſponentibus ſolum produci poterunt. Tum demum : quia irradiatione lucis in ſpeculo refractæ lana applicata comburitur ; in quo certè euentu ſolus calor ignem producere poterit. 9.

Confirmatur primò : quia non niſi parum philoſophicè in productione ſubſtantiarum ad cauſam primam recurritur : igitur accidentia , ſaltem tanquam cauſæ partiales , ſubſtantias producunt. Confirmatur ſecundo : quia tametſi in præſentia cauſæ vniuocæ cauſa æquiuoca non concurrat , tamen deficiente cauſa vniuoca , cauſa æquiuoca concurrit : vnde lux calorem producit, eſto, ſi alius calor adeſſet, is ſolus calefaceret. Deinde licèt in præſentia cauſæ ſecundæ cauſa prima adæquatè concurrere nequeat , deficiente tamen cauſa ſecunda , cauſa prima eius concurſum ſupplet : vnde Deus calorem in abſentia ignis , alteriúſve calidi adæquatè conſeruat, cum tamen , ſi adeſſet ignis , aliudve calidum 10.

ab eo calor conseruaretur : ergo similiter quantumuis accidens in præsentia substantiæ aliam substantiam producere nequeat, tamen in eius absentia illam producere poterit. Confirmatur tertiò : ignis generans efficit, vt causa secunda adæquata, suas proprietates, v.g. calorem, siccitatem, vbicationem, durationem &c. nequit igitur esse causa adæquata efficiens ignis geniti : alioqui esset causa efficiens adæquata alicuius effectus se perfectioris, cum complexum ignis geniti, & proprietatum ignis generantis & est perfectius, quam solus ignis generans, & hîc non illius complexi, sed solius partis, nempe ignis geniti, perfectionem adæquet. Tum sic : hoc ipso quod ignis generans haud possit esse causa efficiens adæquata, secunda vtique, ignis geniti, necesse est, vt alia causa secunda eius effectiua admittatur : at quæ alia, nisi accidentia : hæc ergo etiam præsente igne alium ignem partialiter efficiunt : à fortiori ergo deficiente igne, qui possit alium generare ; alterius generatio, & effectio, saltem ex parte est accidentibus tribuenda.

11. Respondeo in primis, experientia à ferro candenti stupam amburente deducta contra Thomistas æquè militat : siquidem non quiuis calor ignis productiuus est, sed dumtaxat calor vt octo, vt ipsi arbitrantur : à quo ergo calor vt octo in stupa producitur ? non à calore ferri, cum hic vt octo non sit : aliàs formam ferri non compatereturr, eámque cum forma ignis, cuius proprietas est, commutaret : neque etiam à causa prima : aliàs hæc pari iure formam ignis in stupa produceret : ergo etiam Thomistis restat assignanda causa aliqua caloris vt octo in stupa productiua, quæ certè ignis productiua à nobis dici poterit, quin ea productio in accidens aliquod refundatur : igitur dicendum est, in ferro candente complures esse poros igniculis fœtos, & scintillis repletos : quod & experientia ferri scintillantis confirmat, & etiam ex eo perspicuum est : quia ferrum tunsionibus comprimitur, & in arctius spatium redigitur : non alia ratione, nisi quia eius pori, seu foruli clauduntur. Adde, partes etiam debiliores ipsius ferri in ignem conuerti : vnde stupa non à calore ferri, sed ab eius igne in ignem conuertitur.

Dices : si ferri candentis lamina tabulæ ligneæ applicetur, tota ignita, actutum apparebit, vt experientia constat : at si ab igniculis in ferri poris contentis ignesceret, non tota ignita appareret, sed præcisè quoad eas partes, quæ poris respondent : & laminæ figura non tota, sed interpuncta, variegata ei imprimeretur : igitur tabula illa lignea ab igniculis ferro candenti clausis minimè incenditur. Verùm facilè respondeti potest, igniculos ferro clausos partes ligni oppositas sibi amburere, has autem ambustas reliquas partes accendere : totum autem hoc vnico pene instanti peragi ; ita vt moraliter percipi nequeat, qualis pars materiæ ferro applicatæ prius amburatur : cum enim pori igniti innumeri sint, innumeras materiæ applicatæ partes sibi respondentes comburent : hæ autem partes combustæ partes sibi contiguas, & intermixtas, & à partibus ferri sibi oppositas calefactas, & pene vltimo dispositas eodem ferè instanti comburere poterunt : ita vt in ea combustione nulla successio, aut vicissitudo appareat.

12. Deinde secunda experientia deducta à rebus iis, quæ motu, & collisione accenduntur. in Thomistas retorqueri potest : nimirum à quibus assignari nequit causa productiua caloris, vt octo, qui ad formam ignis in iis euentis disponat : nec enim motus, nec raritas, vt alij, atque alij aduersariorum censent, eius caloris causa esse potest, vt numero sequenti ostendam : ergo vel ad causam primam, vel ad substantiam aliquam creatam iis recurrendum est : ergo eadem ratione productio ignis non in accidens aliquod, sed in substantiam creatam, aut increatam à nobis refundi poterit : quare ad eam experientiam dici debet, plerísque corporibus semina quædã ignis, & spiritus quosdam non formaliter, sed virtualiter igneos inesse : quod variis experimentis suaderi potest : siquidem ignes subterranei in abditis terræ cauernis à calore solis minimè cieri posse videntur : cum calor solis vel nullo modo, vel certè adeò intensus eo vsque descendere nequeat : ergo quia tellus his spiritibus referta est, qui motu, & conflictatione aëris erumpere conantis disponuntur, vt sulfureas venas, & varia bitumina accendant. Deinde exhalationes ignitæ noctu à calore solis minimè inflammantur : ergo intra poros, & concaua aëris hæ subtiles substantiæ concedendæ sunt, quæ certè interdum disponi possunt, vt aërem accendant. Idem argumentum in fulgetris, fulminibus, cometis, aliisque meteoris fieri potest ; quorum certè accensio non nisi in hæc ignis semina reuocari potest.

13. Præterea in casibus argumento adductis nec motus, nec raritas calorem vt octo causare possunt : igitur eæ substantiæ igneæ concedendæ sunt, à quibus tum eiusmodi calor, tum etiam ignis causetur. Antecedens probatur quoad primam partem : quia motus, siue impulsus calore imperfectior est : igitur eius causa adæquata esse nequit. Deinde quia motus in primo spatio temporis elicitus calorem vt octo ad ignis formam sufficientem minimè causat, vt compertum est : at motus ei succedens priorem calorem solùm conseruat : ergo nullus motus calorem vt octo igni sufficientem causare potest. Minor perspicua est : quia quoties vna lucerna æqualis alteri ei succedit, non nouam lucem producit, sed priorem conseruat : ergo cum vni motui alter æqualis succedit, non nouum calorem priore intensiorem producet, sed priorem conseruabit. Quoad secundam partem idem antecedens probatur : tum quia ratione motus nec sagitta, nec rotarum axes, nec collisi lapides rarefiunt : igitur in eo euentu à raritate calor vt octo produci non poterit. Tum quia calor raritate perfectior est : igitur raritas caloris causa esse nequit.

14. Quod ad animalcula ex putrefactione telluris prognata attinet, eadem ratione respondendum censeo virtute solis, & astrorum, terræ, & vaporum, aliarúmque causarum per accidens concurrentium elaborari fibram quandam substantialem, quæsit veluti semen animalis, & eius organizationem mire producat, & in illius corpus organizatum formam animalis efficienter influat. Quod autem in procreatione viuentium hic sit naturæ tenor, experientia testatur : ecquis enim nõ videat, in ouo, præter croceum, quod in pullũ cõuertitur, aliam esse massam quandam tenuem, quæ pullo producto superstes est, eiusque formam producit : aliàs cui muneri deseruire posset ? ad alimentum enim, & fomentum pulli non illa, sed oui albugo à natura destinata præcipuè est, esto etiam ea à pullo in suam substantiam conuertatur. Idem etiam

cernere eſt in grano tritici, in quo præter id, quod in ſpicam conuertitur, ſupereſt alia particula, quæ formam ſpicæ producit, & quam formicæ in cibum ſibi amputant. Porrò autem in iis ſubſtantiis ſeminalibus animaduertendum eſt, eas non concurrere tanquam cauſas ſecundas adæquatas ad formas ſubſtantiales, ſiue vitales, ſiue vitæ expertes, cum hæ ſemper, aut certè plerúmque iis perfectiores ſint: quare Deus velut cauſa prima ſupplet quod iis ſeminibus deeſt, & in quo à ſuis effectis perfectione ſuperantur. Et quidem præfatas ſubſtantias ſeminales, quales explicuimus, inſinuaſſe videtur iam olim Lucretius lib. 1. de natura rerum.

Verum ſemina multimodis immiſta latere
Multarum rerum in rebus communia debent.
At ſæpè in magnis ſit montibus, (inquis) vt altis
Arboribus vicina cacumina ſumma terantur
Inter ſe, validis facere id cogentibus Auſtris:
Donec fulſerunt flammæ fulgore coorto.
Scilicet, & non eſt lignis tamen inſitus ignis.
Verum ſemina ſunt ardoris multa: terendo
Quæ cum confluxere, creant incendia ſyluis.

15. Quamuis autem ſuperiorem ſolutionem valde probabilem exiſtimem; at etiam cum Scoto probabile arbitror, animalia ex putrefactione prognata à ſole, & corporibus cœleſtibus efficienter produci, & in primis diſtantia cœlorum huic effectioni non obſtat, vt ſuprà oſtendimus. Deinde quod cœli vitæ expertes ſint, neutiquam obſtat: licet enim viuentibus ſenſibilibus imperfectis imperfectiores ſint, adhuc ad eorum productionem efficienter concurrere poterunt: cum eorum cauſæ ſecundæ tantum inadæquatæ ſint; ſupplente Deo, quod iis deficit, vt paulo ſuprà aiebamus. Quid? quod cœli quantumuis vitæ expertes plantis perfectiores ſint, ſicut ad earum productionem oportet? nam id genus vita, qua plantæ pollent, imperfectiſſima eſt: & in eo tantum ab aggeneratione differt, quod planta in nutritione vitali materiam, qua alenda eſt, per poros ſenſim attrahat: ignis autem v.g. materiam, qua augendus eſt, ea ſubtilitate ſibi non attrahat, ſed in ſpatio priſtino relictam immutet, ac forma ignis afficiat. Hinc ad vltimam experientiam conſtat: ſiquidem vbi irradiatione lucis in chryſtallo refractæ lana approximata comburitur, & in ignem conuertitur, is effectus non alicui accidenti, ſed ſubſtantiæ ſolis attribui poteſt, ac debet.

16. Ad primam confirmationem contrariam dicendum eſt, accidenti concedendum non eſſe concurſum partialem ſimul cum ſubſtantia ad productionem ſubſtantiæ, eo fine, ne videlicet ſit recurſus ad cauſam primam: tum quia deficiente cauſa ſecunda proportionata recurſus ad cauſam primam abſurdus non eſt, ſed rationi, & Philoſophiæ conſonus: tum quia ſecluſo concurſu etiam partiali accidentis in ſubſtantiam adhuc ad cauſam primam ſolam recurrendum non eſt, cum ſubſtantia ſubſtantiæ productiua efficere videtur: ſiquidem ſubſtantiæ quædam ſeminales rebus omnibus inſitæ, vel ſi mauis, corpora cæleſtia, non verò accidentia, ſubſtantiam in iis euentis producunt. Ad ſecundam confirmationem: Cauſa prima perfectior eſt ſecunda, & cauſa æquiuoca perfectior etiam eſt vniuoca, lux v.g. calore: vnde cauſa prima defectum ſecundæ, & æquiuoca defectum vniuocæ ſupplere poteſt: at accidens perfectius non eſt, quam ſubſtantia, nec æquè perfectum: proinde ſubſtantia abſentis munus obire, aliámve ſubſtantiam producere non poterit.

Ad tertiam confirmationem reſpondent aliqui, 17.
complexum ignis geniti, & proprietatum accidentalium ignis generantis eſſe quidem extenſiuè perfectius igne generante, non tamen ſimpliciter & intenſiuè. Verum quàm falſa ſit hæc doctrina inde patet, quòd complexum hominis, & gratiæ ſanctificantis ſit ſimpliciter, & intenſiue perfectius ſolo homine: ſiquidem ſimpliciter, & verè loquendo Deus magis amat hominem gratum, ſanctúmque, quàm hominem ſe ſolo, & abſque ſanctitate ſumptum: quo nihil euidentius: ſimiliter ergo in præſenti, &c. Rurſus ſecundo, etſi perfectio ſimpliciter infinita ac ſumma alteri addita non faciat ſimpliciter, & intenſiuè maius, vt liquet in perſonis diuinis, quæ ſimul ſumptæ non ſuperant perfectione quamlibet ſeorſim: at de perfectionibus finitis aliter dicendum eſt, atque exiſtimandum: ignis autem genitus eſt perfectionis finitæ; neque non etiam proprietates ignis generantis ſunt finitè perfectæ: hæ igitur ſimul cum illo ſunt quid perfectius intenſiuè, quàm ſolus ignis genitus: ac proinde, quàm ignis generans, ſi cætera ſint paria.

Reſpondent ſecundo alij, ignem generantem 18.
pro vno ſigno naturæ efficere ſuas proprietates, & pro alio ſequenti ignem genitum: non eſſe autem abſurdum, quòd pro diuerſis naturæ ſignis, ignis generans efficiat aliquid ſe intenſiuè perfectius; dummodo in eodem ſigno, eodem que veluti conatu illud non producat: quo pacto in diuerſis inſtantibus realibus vnus ignis producit plures ignes realiter diſtinctos, ſeque intenſiuè perfectiores, quos tamen in eodem inſtanti reali nequit producere. Contra tamen, quia diuerſitas, ac ſucceſſio inſtantium naturæ eſt vera, ac realis ſimultas, tantúmque eſt ratione tenus ſucceſſio: cauſam ergo producere quidpiam ſe perfectius pro diuerſis inſtantibus naturæ eſt illud ſimul, ſemelque producere: at cauſa producens in diuerſis inſtantibus realibus aliquid ſe perfectius, non ſimul, ſed ſucceſſiuè illud producit: ex hoc igitur poſteriori ad iſtud prius perperam arguitur. Præterea tametſi quis poſſit in diuerſis inſtãibus temporis realis aſſentiri, & poſitiuè diſſentiri; ſecus tamen in diuerſis inſtantibus naturæ, ſiue ſignis eiuſdem inſtantis realis: cuius oppoſitum, etſi non nemo Neothericorum inſinuauit; at falſiſſimè. Quidquid autem de hoc ſit, omnibus euidentiſſimum eſt, haud poſſe intellectum in eodem inſtanti reali, pro que diuerſis eius ſignis aſſentiri, & non aſſentiri, ſiue habere aſſenſum, & carentiam aſſenſus: & tamen poteſt pro diuerſis inſtantibus temporis: pari ergo ratione in præſentiarum, &c.

Tertiò alij reſpondent, ſeu potius inſtant; ne- 19.
que accidentia ignis generantis ſimul cum eo coefficere ignem genitum, quippe quæ totam ſuam virtutem impendunt in productione accidentium ſibi omnino ſimilium, & æqualium, quibus paſſum diſponitur ad formam ſubſtantialem ignis geniti; neque etiam accidentia paſſi præſtare eam coëfficientiam, aut concurſum; cum enim ita diſponant materiam ad recipiendam formam ignis, vt hanc ne inadæquatè recipiant, quidni ita diſponant illam ad hoc, vt poſſit ignis generans efficere in ea ignem genitum, vt

ad

ad huius effectionem ne partialiter concurrant? Sed facilè aduerſarij eludunt hanc difficultatem, dicentes, accidentia ſolius paſſi efficere ſimul cum igne generante ignem genitum: quamuis autem ſint meræ diſpoſitiones ad receptionem, non verò cauſæ receptiuæ etiam partiales; at poſſe, ac debere eſſe non tantum diſpoſitiones ad effectionem ignis geniti, ſed etiam cauſas eius effectiuas inadæquatas: quia nimirum ignis generans non perinde eſſe poteſt cauſa adæquata efficiens ignis geniti, ſicut materia prima eſſe poteſt, ac debet cauſa adæquata receptiua formæ ſubſtantialis, qua conſtat ignis genitus.

20. Meliùs ergo, & faciliùs reſponderi poteſt ad tertiam illam confirmationem ſuperiorem, qua Recentiores communiter implicari, ac turbari video, ignem genitum, & proprietates ignis generantis non eſſe quid ſimpliciter perfectius ſolo igne generante: nimirum quia ignis generans eſt maior, pluréſque partes ſubſtantiales habet, quàm ignis genitus: partes autem illæ penes quas ignem genitum excedit, æquiualent proprietatibus, de quibus eſt ſermo; imò etiam iis præponderant: quare non eſt, cur per earum coniunctionem, & acceſſionem ignis genitus ſit ſimpliciter perfectior generante: id enim eſſet, ſubſtantiam aliquam, & accidentia cæteris paribus eſſe maioris perfectionis, quàm duas ſubſtantias: quo nihil inueriſimilius. Ratio autem, cur ignis generans maior ſit ac plurium partium, quàm genitus, perſpicua eſt: videlicet, quia agit in paſſo vniformiter difformiter, hoceſt priùs citiúſque in parte propinquiori, quàm in remotiori: quare ignis palmaris v. g. ſimul non ignefacit palmum materiæ ſibi approximatum, ſed partem illius anteriorem, ac ſe minorem: & ſic nunquam efficit ignem æqualis ſecum quantitatis, ſed minoris, prout dictum manet. Atque hinc patet, conceſſo confirmationis illius tertiæ antecedenti, eius conſequentiam, & conſequentię probationem reiiciendas eſſe, vt omnino falſas.

21. Porro autem, etſi hæc ſolutio plana, & expedita ſit in principiis eorum, qui in continuo non admittunt niſi partes in infinitum verſus minimum ſectiles: at quid dicendum, ſi continuum conſtet ex punctis, ſiue ſolis, vt multi arbitrantur, ſiue non ſolis, ſed potius partes variegantibus, earúmque infinitæ numeroſitati infinities immixtis? vbi enim hoc poſterius ita ſe habeat, certè in vno inſtanti A. v.g. punctum ignis generantis efficiet punctum ignis geniti ſibi æquale: nequibit igitur illud adæquatè efficere, & non potius in conſortio accidentium, iiſque adminiculantibus, partialémque præſtantibus concurſum: alioquì, cum ſuas proprietates efficiat, erit, vt ſit cauſa efficiens adæquata complexi ſe perfectioris. Verum enimuerò vti tres gradus lucis v.g. efficiunt duos in ſubiecto ſibi proximo, & duo efficiunt vnum; vnus autem ſe ſolo haud poteſt alium producere, ne videlicet lux omni careat actiuitatis ſphæra, atque fine, iuxta dicta ad finem cap. præcedentis: ita ſimiliter credendum eſt, non vnum punctum ignis, ſed duo ad aliud efficienter concurrere: quidni enim ignis ad inſtar lucis præſcribat ſibi per ſe, & non per accidens, aut ratione contrarij ſphæram actiuitatis in ignefaciendo? nulla autem melior eius ſibi vendicandæ, ac præſcribēdæ ratio, quàm ſi ignis generans, ſiue quoad partes diuiſibiles, ſiue etiã quoad indiuiſibilia maior ſit quàm genitus, & hic minor, minórque, donec tãdē finiatur.

Reſponderi etiam ſecundo poteſt ad tertiam illam confirmationem, permittendo diſputandi gratia, ignem generantem, eo quod efficiat ſuas proprietates, eſſe cauſam effectiuam tantum inadæquatam ignis geniti: at non ob id huius cauſa efficiens partialis erunt accidentia vlla: ſed vel ſemina ſubſtantialia ignis in paſſo latentia: vel certè corpora cœleſtia. Et quidem, ſi hæc cum igne ad alium ſimilem producendum, &, quod conſequens eſt, cum quouis agente ſublunari ad ſuos effectus concurrant, apprimè explicari poterit maxima illa dependentia huius mundi inferioris, ac ſub cœleſtis à mundo cœleſti, ſiue ſuperiori, non tantum in eſſendo, ſed etiam in operando. Quod verò attinet ad ſubſtantias ſeminales virtualiter igneas in paſſo repertas, neſcio, cur non poſſimus ad eas conſequentiſſime recurrere, eoque ſaltem iure, quo aduerſarij recurrunt ad accidentia ſe tenentia ex parte paſſi, iiſque ſubſtantiæ partialem effectionem attribuunt. 22.

CAPVT III.

An cauſa efficiens creata non ſolùm naturaliter, verùm etiam obedientialiter per ſe ipſam actiua ſit?

POtentia obedientialis actiua eſt quâ creatura in productione effectuum ſibi minimè connaturalium creatori ſuo obedire poteſt: aut qua velut inſtrumentum à Deo eleuari poteſt ad producendos effectus, quos nulla vi naturali producere poteſt; ſeu ad quorum productionem comprincipia neceſſaria ei indebita ſunt. Porro aliquam potentiam obedientialem actiuam re ipſa eſſe omnes Catholici Doctores, vno excepto Ioanne Vicentino Dominicano in relectione de gratia, conſtantiſſimè tuentur cum Auguſtino l. 9. in Geneſ. ad literam. c. 17. & 18. ibi: *ſuper hunc autem motum, curſúmque rerum naturalium poteſtas creatoris habet apud ſe poſſe de iis omnibus facere aliud, quam eorum quaſi rationes ſeminales habent.* Quod autem ibi ſermo ſit non ſolùm de potentia obedientiali paſſiua, verum etiam actiua, conſpicuum eſt: quia ſermo eſt de ea potentia ratione cuius, vt verbis Auguſtini indidem vtar, *lignum de terra ſciſſum aridum, perpolitum, ſine radice vlla, ſine terra, & aqua repente floreat, & fructum gignat, vt per iuuentam ſterilis fœmina in ſenectute pariat, vt aſina loquatur &c.* 23.

An autem hæc actiuitas obedientialis immediata ſit, ita vt ipſa entitas naturalis effectus ſibi minimè proportionatos, & connaturales per potentiam quandam inchoatam, & partialem immediatè attingat? an verò ea actuitas tantum mediata ſit, ita vt tota ratio agendi ſit habitus, aut qualitas, modúſve ſupernaturalis cauſæ naturali ſupernaturaliter addita inter Authores acerrimè decertatur. Theologi omnes noſtræ Societatis vnanimi, & pleno cõſenſu actiuitatem illam obedientialem immediatam affirmant. Contra verò Thomiſtæ eam negant tanta vtriúſque partis cõtentione, vt poſt controuerſiam de efficacia gratiæ nulla magis inter noſtros, & Thomiſtas controuerſa ſit. Porrò ſicut aduerſarij in explicanda actiuitate obedientiali mediata diuiſi ſunt: ita noſtri in explicanda actiuitate obedientiali immediata admodum non conſentiunt. Etenim P. 24.

Suarez tom. 1. in 3. p. diſput. 31. ſect. 6. cum non paucis cenſet, potentiam obedientialem immediatè actiuam eiuſmodi eſſe in ordine ad omnes effectus poſſibiles: ita vt nullus effectus quantumuis improportionatus ſit, ad cuius immediatam effectionem Deus quamuis creaturam eleuare nequeat: at P. Vaſquez tomo 2. in 1. part. diſput. 176. capite 3. cum nonnullis potentiam obedientialem immediatè actiuam in ſolis potentiis vitalibus ad ſolos actus ſupernaturales, & vitales admittit: aliàs autem potentiam obedientialem mediatè actiuam eſſe tuetur: cæterùm actiuitatem obedientialem immediatam nec adeò contractam, nec adeo diffuſam, ſicut ab aliis, aliiſque noſtrorum adſtruitur, ſed potius paulo aliter explicandam duxerim. Quare

25. Aſſero primò: voluntas habet potentiam obedientialem immediatè actiuam actuum ſupernaturalium: eadem eſt ratio de intellectu. Probatur primo authoritate Concilij Tridentini capite 16. ſeſſ. 6. can. 4. ibi: *ſi quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, ſed veluti inanime quiddam nihil omnino agere, meréque paſſiuè ſe habere, anathema ſit.* Vnde ſic argumentor: ſi tota ratio agendi conſenſum ſalutarem, & ſupernaturalem eſſet gratia, & voluntas eum immediatè non ageret: ſanè voluntas reſpectu eius conſenſus mere paſſiuè ſe haberet: ſicut lapis ſurſum proiectus medio impetu in ſe recepto reſpectu eius motus merè paſſiuè ſe habet: conſequens Tridentino apertè repugnat. Verum huius teſtimonij vim pro dignitate expendere non Philoſophici, ſed Theologici muneris eſt.

26. Probatur ſecundo: quia ad libertatem conſenſus ſupernaturalis oportet, vt ſicut ab aliquo immediatè, & vt quo ponitur? ita ab aliquo immediatè, & vt quo ſuſpendi, & cohiberi poſſit: quibus terminis vtor, ne aduerſarij ad ſolita verborum inuolucra, & latibula confugiant: at is conſenſus à nullo immediatè, & vt quo ſuſpendi poteſt, ſi tota ratio eum agendi ſit habitus ſupernaturalis: ergo data ea hypotheſi liber eſſe non poterit. Minor ſuadetur: quia in primis ab habitu ſupernaturali immediatè, & vt quo ſuſpendi nequit: tum quia in habitum charitatis, ſiue amoris Dei velut in cauſam nihil refundi poteſt, niſi actus amoris Dei: aliàs ab habitu charitatis actus temperantiæ, prudentiæ, alteriuſve virtutis naturalis: imò odium, Dei, quod plus eſt, immediatè prodire poſſet: at ſuſpenſio, ſiue cohibitio amoris Dei ſupernaturalis amor Dei ſupernaturalis non eſt. Tum quia ſi habitus charitatis actum ſupernaturalem amoris Dei immediatè, & vt quo ſuſpendere poſſet: haud aliter ac eum producere poteſt: ſanè habitus charitatis eſſet principium liberum in actu primo, vtpote quod agere, & non agere poteſt: quare præter voluntatem alia facultas libera eſſet, & in homine duplex liberum arbitrium eſſet: aliud naturale, & aliud ſupernaturale: & voluntas hominis ſolum medio habitu in actu primo libero ad conſenſum ſupernaturalem libera eſſet: ac per conſequens ſicut actus exterior propriè liber non eſt, quia ſolùm eſt liber medio actu interiori, à quo dimanat: ita ſimiliter voluntas non eſſet propriè libera in actu primo proximo ad conſenſum ſupernaturalem, cum ad eum duntaxat libera ſit per denominationem ab habitu libero, quem in ſe ſuſcipit: quæ certè periculoſa, & in ſcholis inaudita ſunt. Tum demum: quia conſenſus ſupernaturalis cohiberi non poteſt, niſi per nolitionem eius poſitiuam, vel per meram eius omiſſionem, quæ ſit virtualis, & interpretatiua nolitio conſenſus, vt certo certius eſt: at habitus charitatis conſenſum ſupernaturalem cohibere nequit per nolitionem eius poſitiuam, cum eiuſmodi nolitio poſitiua amor Dei formalis, aut virtualis non ſit; obiectumque charitatis nempe diuinam bonitatem neutiquam reſpiciat: neque etiam per nolitionem virtualem, & interpretatiuam; cui enim impoſſibilis eſt nolitio formalis, & poſitiua; ei nolitio virtualis, & interpretatiua omnino repugnat: quo enim pacto quod impoſſibile eſt eſſe, eſſe tamen prudenter interpretari poſſumus: at habitui charitatis nolitio poſitiua, & formalis repugnat.

27. Quod autem voluntas immediatè, & vt quo eum conſenſum ſupernaturalem ſuſpendere, & cohibere nequeat, pari ratione ſuadetur: quia nec per puram eius omiſſionem, nec per poſitiuam eius nolitionem eum ſuſpendere poteſt: ergo nullo modo. Prius probatur: tum quia, iuxta non paucos Thomiſtas, pura omiſſio impoſſibilis eſt: tum quia ea facultas ſola actionem purè omittere poteſt, quæ actionem conferre poteſt, eámque negare, quæ eam dare poteſt: at voluntas actionem productiuam conſenſus ſupernaturalis immediatè, & vt quo dare, & conferre nequit: ergo immediatè & vt quo eam per puram omiſſionem ſuſpendere, & negare nequit. Poſterius verò ſuadetur: tum quia, iuxta non paucos aduerſarios, libertas contradictionis non eſt ad actum, & nolitionem poſitiuam actus, ſed ad actum, & meram omiſſionem actus: at voluntas ad conſenſum ſupernaturalem libera libertate contradictionis eſſe poteſt, & ſolet: ergo libertas in ordine ad nolitionem poſitiuam conſenſus voluntati poſſibilem perperam explicatur. Tum quia nequit voluntas per nolitionem poſitiuam immediatè ſuſpendere, & cohibere niſi id, quod immediatè ab ipſa dependet: at conſenſus ſupernaturalis ab ea immediatè non dependet, ſed medio habitu: ergo &c. Maior peſpicua eſt: quia ideo non poſſum per nolitionem poſitiuam ſuſpendere, & cohibere perpetuum circum nos properantis cœli, motum verbi gratia, quia motus cœli à me non dependet: igitur, ſi conſenſus ſupernaturalis à voluntate immediatè non dependet, voluntas per poſitiuam nolitionem, cum immediatè ſuſpendere non poterit.

28. Tertiò probatur noſtra aſſertio: quia non repugnat potentia obedientialis immediatè paſſiua: ergo nec immediatè actiua. Antecedens perſpicuum eſt: quia voluntas immediatè paſſiua eſt gratiæ, & actuum, ac habituum ſupernaturalium; & humanitas Chriſti immediatè paſſiua eſt vnionis hypoſtaticæ: non naturaliter: ergo obedientialiter. Conſequentia ſine vllo diſcrimine eſſe videtur. Dices primò: pati formaliſſimè eſt ſubiici: quare creatura in patiendo formas ſibi non connaturales Deo ſubiici,

iici, & obedire poterit: at agere ſubiici non eſt. Verùm hæ voces inanes ſunt: ſiquidem in agendo perfectiſſima ſubiectio, & obedientia eſſe poteſt. Dices ſecundo, cauſas actiuas determinatam ſphæram actiuitatis ſibi præſcribere, vltra quam nihil operari poſſunt; cauſas autem paſſiuas ſphæram actiuitatis non habere: quare eæ, non illæ ad effectus ſibi minimè connaturales eleuari poterunt. Contra tamen, quia cauſæ paſſiuæ ſphæram paſſiuitatis, vt italoquar, ſibi præſcribunt: & tamen pati poſſunt diuinitus plura, quæ naturaliter ſuſcipere nequeunt: ergo eſto cauſæ actiuæ, &c. Antecedens perſpicuum eſt: etenim ſpiritualia formas merè ſpirituales ſuſcipere poſſunt, non vero formas materiales adæquatè, & materialia à contrario formas materiales, non ſpirituales ſuſtentare poſſunt: idemque aliis exemplis confirmari poſſet. Dices tertiò, cauſas efficientes propriè cauſas eſſe, ſecus vero paſſiuas: quare eæ, non illæ eleuari poſſunt: contra tamen primò, quia cauſa paſſiua propriè cauſa eſt, vt infra tract. 9. oſtendam. Deinde: ſi cauſa impropriè talis ea perfectione prædita eſt, vt effectus ſupernaturales à Deo eleuata cauſare poſſit, quanto magis id de cauſa propriè tali, & magis perfecta dicendum eſt?

29. Aſſero ſecundò: quæuis cauſa naturalis habet potentiam obedientialem, qua immediatè actiua eſt plurium effectuum, qui nec ratione vitalitatis, nec ratione alterius prædicati ab ea produci poſtulent: aqua v. g. eſt immediatè actiua gratiæ, ignis qualitatis doloriferæ in damnatis, & ſic de aliis. Aſſertio probatur primò, quia eiuſmodi obedientia, & ſubiecto longè perfectior eſt: & aliunde nulla in ea repugnantia apparet, vt ſolutione argumentorum perſpicuum erit: ergo in quauis creatura reſpectu creatoris concedenda eſt. Secundò quia magis gratia ſuperat naturam, & actiuitatem aquæ, quàm actus ſupernaturales naturam, & actiuitatem voluntatis excedunt: at voluntas diuinitus eleuari poteſt ad immediatam productionem actuum ſupernaturalium: ergo & aqua v.g. ad immediatam productionem gratiæ, aliorumque donorum ſupernaturalium. Antecedens perſpicuum eſt. Conſequentia videtur ſine vllo diſcrimine: ſi quid enim eſſet, maximè quia in actu ſupernaturali reperitur vitalitas, quæ voluntati ſpecialiter correſpondet; cum tamen in gratia nulla ſit formalitas, quæ aquæ ſpeciali titulo correſpondeat: aut quia actus ſupernaturalis poſtulet prouenire à voluntate licet è conuerſo: cum tamen nec gratia ab aqua produci poſtulet, nec vice verſa: at neutrum diſcrimen ſuſtineri poteſt.

30. Quod primum à Patre Vaſquez fusè traditum momenti non ſit, ſuadetur: quia gratia, & verba ſacramentorum, nimirum ſonus ſucceſſiuè editus in ratione qualitatis conueniunt: haud aliter ac voluntas, & actus ſupernaturalis in ratione vitalis conueniunt: imò prior illa conuenientia longè maior eſt, quàm hæc poſterior: ſicut enim qualitas gratiam tranſcendens longè diuerſæ rationis eſt, ac qualitas in ſono ſacramentali reperta; eo quod altera ſit qualitas ſupernaturalis; altera vero naturalis: ita ſimiliter vitalitas reperta in actu ſupernaturali ſupernaturalis eſt, cum tamen vitalitas voluntatis naturalis ſit: aliunde vero ſonus ad rationem ſacramenti elenatus cum gratia in eo conuenit, quod tam ſonus, quam gratia qualitas in actu ſecundo ſit, cum tamen voluntas tantum in actu primo vitalis, actus verò ſupernaturalis in actu ſecundo vitalis ſit: quare magis conueniunt in ratione qualitatis verba ſacramenti, & gratia, quàm voluntas, & actus ſupernaturalis in ratione vitalis: at voluntas actum ſupernaturalem diuinitus producere poteſt, eò quod cum eo in ratione vitalis conueniat: ſeu, quod perinde eſt, eò quod vitalitas in actu ſupernaturali ei correſpondeat: cur igitur verba ſacramentorum nequeant ſupernaturaliter producere gratiam, cum qua in ratione qualitatis conueniunt, & in qua hæc formalitas ei correſpondet?

31 Quod autem ſecundum diſcrimen Recentioribus magis probatum probabilius non ſit, ita ſuadetur: quia omnipotentia Dei, & eius abſoluta poteſtas ſuperat non tantum exigentiam ſolius cauſæ, verum etiam exigentiam cauſæ, & effectus ſimul: at Deus ita ſuperat exigentiam ſolius cauſæ, vt cauſam eleuare poſſit ad immediatè producendum aliquid, cuius productionem cauſa non exigat: ergo etiam ita ſuperat exigentiam cauſæ, & effectus ſimul & ſemel, vt eleuare poſſit cauſam ad producendum aliquid, cuius productionem nec cauſa, nec effectus poſtulet: aliàs dominium Dei diminutum, & imperfectum eſſet, nimirum quod exigentiam ſolius cauſæ, non vero cauſæ, & effectus ſimul ſuperare poſſet. Rurſus, iuxta aduerſarios, duæ cauſæ diuinitus eleuari poſſunt ad producendum totaliter eundem effectum: at neque duæ cauſæ poſtulant eundem effectum totaliter producere, ſed potius concurſum ſuum attemperare: neque effectus à duabus cauſis totalibus produci poſtulat: ergo licet aqua gratiam producere, aut hæc ab illa produci minimè poſtulet: adhuc illa ad huius immediatam productionem euehi ſupernaturaliter poterit. Præterea nec Deus naturaliter poſtulat, aut poteſt creare accidentia Euchariſtica, nec hæc etiam à Deo creari poſtulant, ſed potius educi: & tamen ſupernaturaliter à Deo creantur: ergo quamuis cauſa aliqua effectum ſupernaturalem producere non poſtuler, nec effectus ſupernaturalis ab ea cauſa produci poſtulet, tamen ſupernaturaliter eleuari poterit eiuſmodi cauſa, vt eum effectum immediatè producat. Deinde idem corpus in duobus locis diuinitus collocari poteſt, eſto nec corpus eos locos adæquatos occupare, nec ij loci corpus continere poſtulent: & humanitas Chriſti Verbo vnitur; eſto nec humanitas, Verbum eam vnionem poſtulent: ergo ſimiliter in præſenti, &c.

32 Aſſero tertiò: quæuis cauſa creata ad quoſcumque effectus ſupernaturales potentiam obedientialem immediatè actiuam neutiquam ſortitur. Aſſertio probatur: primò, quia cauſa naturalis certam, ac definitam actiuitatis ſphæram ſibi præſcribit, vltra quam nihil operari naturaliter poteſt: ergo etiam cauſa obedientialis certam, ac limitatam actiuitatis ſphæram ſibi præſcribit, vltra quam nihil ſupernaturaliter agere poſſit. Antecedens experientia certiſſimum eſt. Conſequentia probatur: quia ideo actiuitas naturalis ad omnes effectus poſſibiles non eſt, ſed potius certam ſibi ſphæram præſcribit, quia eſt actiuitas cauſæ creatæ, & imperfectæ: at actiuitas etiam obedientialis eſt actiuitas cauſæ

creatæ, & imperfectæ, cum sola causa creata, & imperfecta subiici, & obedire possit. Dices, causam obedientialem non operari viribus propriis, sed alienis, nimirum Creatoris, à quo eleuatur: cum ergo creator nullam actiuitatis sphæram sibi præfiniat, mirum non est, quod causa obedientialis eius virtute operans nullos actiuitatis fines habeat: at causa naturalis viribus propriis operatur: contra tamen, quia etiam causa obedientialis viribus propriis partialiter operatur, haud secus ac causa naturalis: ergo non minus vna quàm altera limitatam actiuitatis sphæram sibi præstituit. Antecedens ex nuper positis compertum est, quia comprincipia supernaturalia causam obedientialem eleuantia tota ratio agendi non sunt, sed potius ipsa causa obedientialis suas in agendo partes habet: igitur viribus propriis partialiter operatur: quod autem viribus propriis instrumentaliter tantum, & minus principaliter operetur, cum tamen vires creatoris eam eleuantis magis principales sint, neutiquam in contrarium obstat: siquidem causa etiam naturalis viribus propriis instrumentaliter, & minus principaliter operatur: & creator cum ea concurrens potiores & magis principales in agendo partes sibi vendicat.

33. Secundò probatur tertia assertio: causa formalis quosdam habet effectus formales, quos naturaliter tribuere potest; alios vero quos obedientialiter, & à Deo eleuata potest; & longè plures, quos ne obedientialiter inferre valet: ergo similiter causa efficiens creata, &c. Antecedens exploratum est: siquidem intellectio humana hominem intelligentem naturaliter denominat: quod si in qualitate sita sit in Angelo poni, & eum intelligentem denominare obedientialiter potest: alios autem effectus formales, nimirum volentis, subsistentis, quanti, albi, &c ne obedientialiter, aut à Deo eleuata tribuere potest. Consequentia probatur: quia ideo causa formalis aliquos effectus formales, non omnes etiam obedientialiter tribuere potest: quia est finita, & limitata: si enim intellectio creata v. g. eam infinitatem haberet ratione cuius omnibus formis creatis possibilibus æquialeret, ita vt esset non solum intellectio, verùm etiam subsistentia, vbicatio, duratio; sanè omnes omnium formarum possibilium formales effectus saltem obedientialiter tribuere posset: at etiam causa efficiens finita, & limitata est: ergo quoscunque effectus efficere nequibit.

CAPVT IV.

Argumenta contraria soluuntur.

34. OBiicies contra primam assertionem: si voluntas virtute partiali sibi cognata, & identificata, actus supernaturales à Deo eleuata producere posset, respectu eorum causa principalis, & non instrumentalis futura esset: at voluntatem esse causam principalem actuum supernaturalium, & gratiam causam instrumentalem, & minus principalem absurdum, & parum catholicũ est: ergo, &c. Maior suadetur: quia vt ait S. Thom. 3. p. q. 62. art. 3. in corp. causa instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum, quo ab agente principali mouetur: ergo si voluntas per virtutem suæ formæ, siue essentiæ identificatam operatur actus supernaturales, eos non instrumẽtaliter, sed principaliter operabitur. Hanc obiectionem idcirco apposui, vt quid sit causa principalis, & instrumentalis breuiter expediam, quæstionemque merè vocalem ab aliis fusiùs, quàm oportet, agitatam, quasi in transcursu delibem: eius autem diuisionis sensus vagus, & æquiuocus est: siquidem primò causa principalis dici solet suppositum, cui actio tribuitur: instrumentalis vero forma, siue virtus, per quam suppositum agit: qua ratione homo principaliter intelligit, anima autem intellectionis instrumentum est. Secundò causa principalis dici solet, quæ immediatè effectum attingit: instrumentalis verò, quæ non effectum, sed dispositionem aliquam ad effectum immediatè attingit: qua ratione ignis ignem immediatè producens, eius causa principalis est: calor autem ignis insitus respectu ignis producti causa instrumentalis est, eò quod solum calorem ad ignem disponentem immediatè producat. Tertiò, causa instrumentalis dici solet, quæ ab alio mota, & præuie affecta operatur: qua ratione serra dicitur causa instrumentalis respectu artificis, à quo impellitur, & agitur: principalis vero dicitur ea, quæ potius mouet, quàm mota operatur.

35. Verùm vt rectè annotat P. Suarez disput. 17. Metaphys. sect. 2. hæ omnes acceptiones causæ principalis, & instrumentalis impropriæ sunt: quis enim neget, ignem ignis à se immediatè producti, & calorem caloris causas principales esse? cum tamen neque calor, neque forma ignis supposita sint: aut quis neget, speciem impressam esse causam instrumentalem actus intellectus, & habitum actus voluntatis? cum tamen nec species impressa, nec habitus dispositionem aliquam ad actum intellectus, aut actum voluntatis, sed immediatè ipsos actus operentur. Deinde nec species impressa, nec habitus voluntatis præuium aliquem impulsum, aut motum suscipiunt ad hoc, vt voluntati, aut intellectui cooperentur: & tamen non causæ principales, sed instrumenta intellectus, & voluntatis censentur. Quare causa principalis & instrumẽtalis proprie sumptæ bifariam explicari possunt, ac debent: primo per ordinem vnius causæ ad aliam; secundò per ordinem causæ ad effectum. Quod ad priorem sensum attinet, causa principalis dici solet, quæ per virtutem ab alia secum concurrente non acceptam operatur: instrumentalis vero, quæ per virtutem ab alia causa secum concurrente acceptam operatur: & hac ratione Deus omnium effectuum causa principalis, causæ vero creatæ mera eius instrumenta dici solent. Quod ad posteriorem sensum attinet, causa instrumentalis dici consueuit causa obedientialis, siue eleuata ad effectum; aut certè causa naturalis productiua effectus se nobilioris: causa autem principalis, quæ effectum æquè, aut minus nobilem naturaliter producit, vel certè non tanquam eleuata, sed tanquam eleuans operatur.

36. Quibus constitutis argumento respondere promptum est, negata maiori: quia aut actiuas voluntatis comparatur cum effectu: & ita instrumentalis, non principalis est, cum non vt eleuans, sed vt eleuata per principia sibi indebita effectum supernaturalem producat: aut ea actiuitas comparatur cum causis, quibus cooperatur,

ratur, & ita etiam instrumentalis est: siquidem voluntas actum supernaturalem per virtutem à Deo secum concurrente acceptam operatur, imò eum operatur per virtutem à gratia secum concurrente acceptam, cum gratia in genere causæ formalis voluntatem potentem operari denominet: D. Thomas autem de causa principali, & instrumentali impropriè sumptis intelligendus est. Obiicies secundò: concors est Patrum sententia contra Pelagium, viribus naturæ nihil supernaturale, aut ad salutem vtile à nobis fieri posse iuxta illud Pauli: *non est volentis, nec recurrentis, sed Dei miserentis:* at si habitus supernaturalis non esset tota ratio agendi, aliquid supernaturale, & salutare à nobis fieret viribus naturæ, nimirum viribus voluntatis, quæ vires naturæ sunt. Deinde communis Patrum sententia est contra Semipelagiano, salutis opus totum, & integrum Deo tribuendum esse, & non partim Deo, partim naturæ: sic vt alij omittantur, Augustinus de dono perseuerantiæ cap. 9. ibi: *tutiores igitur viuimus, si totum Deo damus, non autem hos illi ex parte, & nobis ex parte committimus:* at, si gratia non esset tota ratio agendi actum salutarem, ac supernaturalem, opus salutis non integrum, ac totum, sed cum natura diuisum Deo attribui posset, ac deberet.

37. Respondeo, id solum Patres contra Pelagium eniti, vires naturæ sibi relictas nihil supernaturale, aut ad salutem vtile efficere posse, easque solum adiutas, & præuentas gratia Dei principalius concurrente operari posse; sicut ad vitam, & salutem oportet: idque Paulus eo loci tantum contendit, vt constat ex Augustino in enchiridio cap. 32. ibi: *restat ergo, vt propterea rectè dictum intelligitur, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuuandam, & adiuuat præparandam.* Vbi Augustinus naturam, siue voluntatem hominis aliquas in agendo partes habere fatetur: aliàs qua ratione ad agendum à Deo præparari, & adiuuari posset? quia vero voluntas non nisi à Deo principalius operante præparata, & adiuta agit, ideo totum Deo tribuitur: at hoc totum nostræ sententiæ non repugnat, sed potius cum ea belle colludit. Quod autem ad Semipelagianos attinet, eorum error fuit, non totum opus salutis totalitate, vt aiunt effectus Deo tribui debere, sed initium operis libero arbitrio, eius vero progressum gratiæ Dei tribuendum esse: at nos cum Augustino vbi suprà de dono perseuerantiæ, totum opus salutis tam quoad eius initium, quàm quoad eius progressum; siue, quod perinde est, totum opus totalitate effectus Deo tribuimus: tantumque contendimus, totum opus salutis totalitate causæ Deo, eiusque gratiæ ita tribui non posse, vt voluntas nullas in eo partes habeat.

38. Obiicies tertiò: ea potentia obedientialis, aut naturalis, aut supernaturalis est: medium enim inter vtramque repugnare videtur: at neutrum dici potest. Minor probatur, quia in primis ea potentia naturalis non est: siquidem est potentia ad actus supernaturales, ad quos potentia naturalis repugnat. Deinde supernaturalis esse nequit, siquidem ea potentia naturæ voluntatis identificatur: ergo naturalis, & non supernaturalis est. Respondeo: ea potentia neque naturalis omninò, neque omninò supernaturalis est, sed obedientialis, & neutra, siue ex naturali, & supernaturali mixta: siquidem ex parte fundamenti, siue entitatis, quæ potest, naturalis est: ex parte vero termini, ad quem est posse, supernaturalis est; cum terminus potentiæ huius obedientialis supernaturalis sit; aut absolutè, & quoad substantiam, vt cum aqua gratiam producit; aut certè respectiuè, & quoad modum; vt si idem corpus semetipsum in duobus locis adæquatis circumscriptiuè collocaret. Obiicies quartò, non posse causam producere effectum, cum quo improportionata est; & similiter operari non posse quidquam, quod sit extra sphæram actiuitatis suæ: at voluntas cum actu supernaturali improportionata est, & hic extra eius actiuitatis sphæram: igitur voluntas nequit eleuari, vt actum supernaturalem immediatè efficiat. Respondeo, voluntatem intrinsecè, & de se esse improportionatam cum actu supernaturali; non negatiuè, quasi carentiam proportionis cum eo intrinsecè, & essentialiter importet; sed tantum præsciuè, eò quod à comprincipiis, quibus cum eo proportionetur, omninò præscindat, eaque minimè postulet: cæterùm extrinsecè, & in consortio principij eleuantis cum actu supernaturali proportionata est: quare principio supernaturali adiuta immediatè eum efficere poterit.

39. Obiicies quintò contrà secundam assertionem: non potest causa vlla eleuari ad producendum vllum effectum etiam supernaturalem, nisi vel effectus à causa prouenire, aut causa effectum producere postulet: ergo, &c. Antecedens probatur primò: quia bellua v. g. ad discurrendum ne diuinitus eleuari potest: non alia ratione, nisi quia neque bellua denominationem discurrentis postulat: neque discursus aliquis nobis innotescit, qui eam denominationem belluæ tribuere postulet: igitur similiter, quoties nec potentia physica effectum producere, nec effectus à potentia physica produci postulat; potentia ad effectum immediatè producendum ne diuinitus euehi poterit: cur enim ab actione intentionali ad physicam rectè argui nequeat? Secundò, quia creatura ne diuinitus eleuari potest ad creandum aliquem effectum: non alia ratione, nisi quia nec creatura creare aliquid, nec aliquid à creatura creari postulet: ergo similiter in præsenti, &c. Tertiò, quia relationes diuinæ suaptè natura non productiuæ ad extra, vt modo pro comperto supponimus, ad producendum ad extra aliquem effectum creatum supernaturaliter euehi, aut se se euehere nequeunt: non alia ratione, nisi quia nec relationes diuinæ immediatè operari ad extra neutiquam postulant: nec creatura aliqua ab iis immediatè, siue non media omnipotentia produci postulat: ergo similiter in præsenti, &c.

40. Respondeo, negato antecedenti. Ad primam eius probationem: non ideo bellua intelligere etiam diuinitus nequit, quia nec bellua denominationem intelligentis recipere, nec intellectio eam belluæ tribuere potest: siquidem humanitas Christi per subsistentiam Verbi diuinitus subsistit, cum tamen nec humanitas eam denominationem recipere, nec Verbum eam humanitati tribuere postulent. Quare ideo bellua intelligere nequit, quia denominatio intelligentis intrinsecè, & essentialiter importat non solum intellectionem, verum etiam subiectum capax intelligendi;

intelligendi; id, quod omnibus denominationibus commune eſt: ſubiectum autem intelligendi capax, eſt ſolus intellectus: hæc enim duo ſynonyma ſunt: adeoque denominatio intelligentis intrinſecè, & eſſentialiter intellectum includit: cùm ergo bellua intellectu non polleat, ſanè denominationem intelligentis ſuſcipere ne diuinitus poterit. Ad ſecundam probationem probabilius eſt, creaturam aliquam à Deo aſſumi poſſe ad immediatè creandam aliam: quod ſi id impoſſibile malis, non ob rationem repugnantiæ in argumento allatam, ſed ob aliquam aliam ſpecialem ideo erit. Ad tertiam probationem: relationes diuinæ, quantumuis immediatè operatiuæ ad extra naturaliter non ſint; & is operandi modus nec ab ipſis relationibus, nec a creaturis poſtuletur; tamen diuinitus, ſiue miraculosè immediatè operari ad extra poſſunt: haud ſecus ac omnipotentia Dei, quantumuis naturaliter creatiua quantitatis non ſit, & nec omnipotentia quantitatem creare, nec hæc ab illa creari poſtulet; tamen miraculosè omnipotentia quantitatem creare poteſt, & de facto creat: cæterùm hæc potentia, qua relationes diuinæ diuinitus operari immediatè ad extrà poſſunt, obedientialis, ſiue eleuata dici non poteſt; eò quod diuinæ relationes nullam cauſam ſe nobiliorem reſpiciant, à qua eleuari, aut cui ſubiici, & obedire poſſint.

41. Vltimò contra vltimam aſſertionem obiicies; dominium Dei in creaturas, quo iis ad ſupernaturales actiones vti poteſt, perfectiſſimum, & ſummum eſt: igitur etiam ſubiectio creaturarum, qua creatori in immediatè operando ſuprà naturam obedire poſſunt, perfectiſſimum, & ſumma eſt: ac proinde ea qua maior eſſe nequit: at, ſi creatura quæuis ad certos ſolum, & definitos effectus ſupernaturaliter producendos à Deo euehi poſſet; ſanè ſubiectio creaturæ reſpectu creatoris non eſſet ſumma, & perfectiſſima, eaque qua maior excogitari non poſſet. Reſpondeo, ad perfectionem diuini dominij, & obedientiæ creaturarum neutiquam attinet id, quod implicat: quare quòd Deus eleuare nequeat intellectum ad ſimul aſſentiendum, & diſſentiendum eidem obiecto, nec dominio Dei intellectum, nec huius ſubiectioni, & obedientiæ quidquam derogat: cum ergo virtus obedientialis immediatè actiua omnium effectuum poſſibilium contradictionem implicet, vt ſuprà oſtenſum eſt: ſanè ea nec ad perfectionem diuini dominij in creaturas, nec ad harum obedientiam, & ſubiectionem pertinere poteſt.

TRACTATVS VIII.

De cauſa efficienti increata.

CAPVT PRIMVM.

An cauſa prima cum ſecundis immediatè concurrat?

1. DVRANDVS in 2. diſt. 1. q. 5. cenſet, Deum cum cauſis ſecundis ad ſuos effectus immediatè non concurrere, nec poſſe; & eatenus ad eos concurrere, quatenus tribuit earum cauſis eſſe, & virtutem, per quam eos operentur. Hæc opinio ſacris literis parum conſona eſt, vt conſtat ex Pſalm. 138. ibi: *ſi deſcendero in infernum, ades, ſi ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illic manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua:* & ex illo Pauli ad Roman. 11. *in ipſo viuimus, monemur, & ſumus:* & ex illo Iſaiæ 26. *omnia opera noſtra operatus eſt in nobis.* Quod autem in ſacræ paginæ teſtimonia de concurſu immediato Dei in omnes omnium creaturarum effectus intelligenda ſint, perſpicuum eſt: quia intelligi debent de concurſu vero, & proprio, & non improprio, & tranſlatitio: at ſolus concurſus immediatus proculdubio verus, propriuſque eſt: quorum alterum, & alterum oſtendimus ſupra tract. 1. cap. 2. huiuſmet libri.

Quamquam autem authoritate penè certum ſit, Deum immediatè cum cauſis ſecundis concurrere: ſi tamen rationum momenta ſpectentur, adeò certum non eſt: miſſis aliorum rationibus, quas in præſenti refert, & refellit Arriaga, communem ſententiam hac ratione potiſſimum ſuadeo. Nulla virtus finita, qualis haud dubie eſt cuiuſcumque creaturæ, ſe ſola poteſt rem à non eſſe ad eſſe transferre: ergo nec immediatè rem vllam ſe ſola producere: atque adeò ad immediatè operandum neceſſario poſtulat concurſum virtutis ſimpliciter infinitæ, qualis eſt ea, qua Deus pollet. Antecedens probatur, quia ad transferendam rem à non eſſe ad eſſe requiritur virtus ſimpliciter infinita: ergo virtus finita, qualis eſt creaturæ, ſe ſola rem ab eſſe ad non eſſe traducere nequit. Rurſus hoc antecedens probatur: quia non eſſe hominem v. g. & eſſe hominem ſimpliciter infinitè diſtant: at ad hoc, vt aliqua virtus actiua actiuitate ſua terminos ſimpliciter infinite diſtantes attingat, & rem per actionem ab vno ad alium transferat, ſimpliciter infinita eſſe debet. Maior probatur: quia imperfectio non hominis eſt ſumma, & ſimpliciter infinita cum omnis perfectionis eſſentialiter incapax ſit: perfectio vero hominis non eſt ſimpliciter infinita, & ſumma, cum alicuius imperfectionis capax ſit: ergo non homo, & homo ſimpliciter infinitè diſtant: ſiquidem ad diſtantiam ſimpliciter infinitam duorum extremorum ſatis eſt, vt vnum extremum ſit ſimpliciter infinitum: vt in Deo, & Angelo cernere eſt. Tum quia non eſſe ſimpliciter hominem, & eſſe ſimpliciter hominem habent infinitam ſimpliciter latitudinem, & extenſionem, qua ambiunt, & continent omnia entia tam exiſtentia, quàm poſſibilia; tam creata, quàm increata: quæ quidem numero, & perfectione ſimpliciter infinita ſunt: igitur à non homine ad hominem diſtantia ſimpliciter infinita eſt. Minor vero ſuperioris ſyllogiſmi perſpicua eſt: quia vt virtus loco motiua, aut impulſiua v. g. rem ab vno ſpatio ad aliud infinitè diſtans per motionem, aut impulſionem transferre poſſit, debet eſſe infinita in aliquo genere, & ſecundum quid: haud ſecus ac ſpatia ipſa in genere loci, & ſecundum infinitè diſtant: ergo vt virtus actiua aliqua, &c. Simili ratiocinationis genere in Dialectica lib. 8. tract. 2. cap. 2. oſtendi repugnare trinitatem creatam: qua vna natura creata tribus realiter diſtinctis identificetur: quare tam repugnare arbitror concurſum immediatum

Alicuius

alicuius creaturæ ſe ſola, & abſque conſortio cauſæ primæ, quam in creatis myſterium triados repugnat.

3. Confirmatur primò: ſi Deus ſolum medio aliquo Angelo ſuperioris ordinis à ſe producto effectus creaturarum cognoſceret, aut decerneret; eoſque immediatè intentionaliter non attingeret, eius voluntas, & intellectus imperfectionis expertes eſſe non poſſent: ergo ſi ſolum mediis cauſis creatis à ſe productis eorum effectus producit, & immediatè eos phyſicè non attingit, eius omnipotentia imperfectioni obnoxia non eſſe non poterit. Confirmatur ſecundò: ſi Deus ſolum eſſet in tempore, & loco mediis creaturis ab eo vtrobique productis, & non immediatè, & intime perfectè æternus, immenſuſque non eſſet: ergo ſimiliter ſi Deus effectus cauſarum ſecundarum ſolum mediis ipſis cauſis à ſe productis operaretur, & non immediatè, & proximè, perfectè quidem omnipotens non erit. Equidem non conſpicio, cur Deus per eſſentiam immediatè vbique eſſe debeat, & per potentiam etiam immediatè vbique eſſe non debeat? Argumenta Durandi ferè nullius momenti ſunt, & à P. Suarez, Hurtado, & aliis in præſenti rectè ſoluuntur: ſi quæ verò difficultatem continent, decurſu tractatus à nobis explicabuntur.

CAPVT II.

An cauſa prima, & ſecunda eadem actione concurrant?

4. Aſſero primò: Cauſa prima, & cauſa libera ſecunda eadem numero actione concurrunt: ita Doctores omnes noſtræ Scholæ: & apertè ſuadetur: quia actio cauſæ liberæ à Deo immediatè dependet, & producitur, vti contra Durandum oſtendimus: at non per aliam actionem à ſe diſtinctam: ergo per ſe ipſam. Minor probatur, quia actio illa diſtincta à Deo profecta libertatem actionis creatæ euerteret: ſiquidem more reliquarum actionum actione creaturæ, quam velut terminum reſpicit, prior natura eſſet; & cum ea eſſentialem connexionem haberet: qua ratione phyſica prædeterminatio, aut prærequiſita cauſæ neceſſariæ ad operandum libertatem adimunt. Tum ſic: actio cauſæ liberæ per ſe ipſam eſſentialiter à Deo producitur, & dependet: ergo per eam Deus eius terminum immediatè producit? Conſequentia probatur: tum quia ideo per actionem illam liberam cauſa creata eius terminum producit, quia ipſamet actio à cauſa creata immediatè producitur: ergo, &c. Tum quia eo ipſo, quòd vnio aliqua ſeipſa eſſentialiter alicui extremo vniatur, nequit illud extremum alteri, ad quod terminatur, immediatè non vnire: ergo eo ipſo, quod actio libera creaturæ ſe ipſa eſſentialiter producatur à Deo, nequit non denominare Deum producentem terminum, ad quem ipſa terminatur.

5. Obiicies primò: vna, & eadem actio oriri nequit ab agentibus ſpecie diuerſis: at cauſa prima, & ſecunda, agentia ſpecie diuerſa ſunt. Secundò: vna indiuiſibilis actio nequit eſſe immanens, & tranſiens; vitalis, & non vitalis: at actio Dei, qua aliquid ad extra operatur, eſt non vitalis, & tranſiens: & actio libera creaturæ circa eundem effectum eſt immanens, & vitalis. Ad primum reſpondeo, negato antecedenti: quia non magis differunt ſpecie duo agentia, quàm agens, & effectus: at vna indiuiſibilis actio agens, & effectum eſſentialiter reſpicit tanquam reciproca vtriuſque relatio: ergo etiam duo agentia ſpecie diuerſa eſſentialiter reſpicere, ab iiſque prodire poterit: id quod expreſsè docet S. Thom. 2. part. quæſt. 185. art. 3. ad 2. *vna actio non procedit à duobus agentibus* (ſupple totalibus vnius ordinis:) *ſed nihil prohibet, quòd vna, & eadem actio procedat à primo, & ſecundo agente.* Ad ſecundum: vna eademque actio poteſt eſſe immanens, & tranſiens; vitalis, & non vitalis reſpectu diuerſorum agentium: haud aliter ac vnus, idemque voluntatis actus reſpectu diuerſorum obiectorum; amor & odium; efficax, & inefficax; gaudium, & deſiderium eſſe poteſt.

6. Aſſero ſecundò: cauſa ſecunda neceſſaria, & cauſa prima diſtinctis realiter actionibus concurrunt. Probatur, quia Deus effectum cauſæ neceſſariæ, eiuſque actionem voluntate abſoluta, & efficaci decernit: at ea voluntas ab actione creaturæ realiter diſtinguitur, vt compertum eſt: & aliunde eſt partialis actio, qua Deus tranſeunter operatur: ſicut voluntas efficax Dei terminata ad exiſtentiam Angeli, actio creatiua Angeli partialis, & inadæquata eſt, vt lib. 5. tract. 2. oſtendam: igitur actio Dei circa effectum cauſæ neceſſariæ ab actione cauſæ neceſſariæ circa eundem effectum diſtinguitur. Obiicies primò: actio cauſæ neceſſariæ dependet, & producitur à cauſa prima: eſt enim aliquid, & ſine Deo factum eſt nihil: at non per aliam actionem: ergo per ſe ipſam: ac proinde eſt actio non minus cauſæ primæ, quam ſecundæ. Minor perſpicua eſt: quia actionis non datur actio: aliàs daretur proceſſus in infinitum. Obiicies ſecundò ex P. Hurtado in præſenti: ſi actio Dei in eius voluntate abſoluta, & efficaci circa effectum, & operationem cauſæ primæ neceſſariæ conſiſteret, actio Dei eſſet quædam prædeterminatio phyſica, qua Deus cauſam ſecundam ad operandum prædeterminaret: ſiquidem actionem creaturæ natura antecederet, & aliunde cum ea eſſentialiter connexa eſſet.

7. Ad primum reſpondeo: in primis, quatenus dari poſſit actionis neceſſariæ actio etiam reſpectu eiuſdem agentis fuſè oſtendemus infra, cum de creatione egerimus. Deinde tranſeat, actionis non dari actionem ab eodem agente: quia aliàs fortè daretur proceſſus in infinitum: ſicut enim prima actio ſeipſa immediatè ab agente egredi nequit, tametſi eius actio ſit: cur ſecunda ab eo immediatè egrediatur, & non potius per aliam tertiam, & ſic ſine fine? At actionis datur actio à diuerſo agente, eo quod actio vnius agentis alterius agentis terminus eſſe poſſit: haud ſecus ac cognitio, quæ reſpectu ſui obiecti cognitio eſt, reſpectu alterius cognitionis obiectum eſt: atque adeò per aliam cognitionem cognoſci poteſt. Ad ſecundum reſpondeo, illud eodem modo militare, ſiue actio Dei in eius voluntate abſoluta efficaci ſita ſit, ſiue non: ſiquidem ea voluntas, eſto actio Dei non ſit, cum actione cauſæ creatæ eſſentialiter connectitur, eamque natura antecedit: cur igitur prædeterminatio quædam cenſenda non eſt? Rurſus: Deus in omnium ſententiæ

tentia causas secundas non li- tas in actu primo necessitat: omnis enim necessitas eiusmodi causarum à Deo proficiscitur, tanquam à causa: at necessitare in actu primo, est prædeterminare: igitur argumentum positum omnibus soluendum est. Quare absolutè respondeo: prædeterminatio physica propriè accepta, & provt à Thomistis explicari consueuit, est qualitas quædam, aut actio causis secundis liberis, aut necessariis ad operandum proximè expeditis superueniens, easque ad operandum determinans: at voluntas efficax Dei, in qua eius actio à nobis collocatur, causis secundis necessariis proximè ad operandum expeditis non superuenit, quinimò formalissimè eas ad operandum expedit, & complet: vnde prædeterminatio non est, provt hæc communiter vsurpari solet, & inter nostros, atque Thomistas controuertitur.

CAPVT III.

An causa prima cum secunda ad actum peccati physicè concurrat?

8. PAter Hurtado in locupletiore philosophiæ suæ editione partem negantem latè, & eruditè explicat, eamque periculosam, aut erroneam non esse defendit. Verùm nec ipse P. Hurtado, nec alius alicuius nominis Theologus hac temperatè eam absolutè tueri sustinet; & merito quidem: primò, quia Deus concurrit concursu immediato, & physico ad omnem perfectionem, & entitatem physicã, qualiscumque sit: at actus peccati, odium liberum Dei v.g. habet entitatem, ac perfectionem physicam, cum vitale, spirituale, &c, sit: igitur ad illud Deus concursu immediato, & physico concurrit. Maior suadetur: quia ad infinitam, omnique ex parte illimitatam perfectionem diuinæ voluntatis spectat, vt media illa Deus sit causa moralis immediatè intendens omnem perfectionem, seu bonitatem moralem creatam, vt omnibus in confesso est, & de se compertum est: igitur similiter ad infinitam, omnique ex parte incircumscriptam profectionem diuinæ omnipotentiæ spectat, vt Deus media illa sit causa physica immediatè producens omnem perfectionem, & entitatem physicam creatam.

9. Secundò idem suadetur: quia quod Deus immediatè concurrat ad actum studiosum oritur ex eo, quod eiusmodi actus creatura sit, & in fieri à non esse ad esse transferatur, vti supra ostensum est: at etiam actus prauus, videlicet odium Dei creatura est, & non esse ad esse transfertur. Rursus Deus per immensitatem localiter attingere debet quodcumque spatium, quantumuis in eo aliquid Deo indignum, eique exosum existat, iuxta illud Dauidis: *si descendero in infernum, ades:* igitur similiter Deus per omnipotentiam suam physicè attingere debet quamcumque perfectionem, & entitatem physicam, ac per potentiam in ea esse, quantumuis cum aliqua imperfectione, aut malitia morali Deo inuisa cohæreat. Tandem, si qua ratione Deus concursu physico, & immediato ad actum peccati non concurreret, haud secus ac ad actus bonos physicè concurrit; maximè quia Deus non minus peccati, quàm bonorum operum author dici, & censeri posset contra illud Concilij Tridentini sess. 6. can. 6. ibi: *si quis dixerit mala opera, ita vt bona Deum operari non permissiue solùm, sed etiam propriè & per se, adeò vt sit proprium eius opus; non minus proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, anathema sit:* at cum concursu physico, & immediato Dei in actum peccati optimè consensit, Deum non esse Authorem peccati, sicuti bonorum operum Author est. Pro cuius luce, & intelligentia, & præcipuæ contra nostram sententiam rationis solutione.

10. Præmitto primò, causam aliam esse physicam, aliam moralem. Rursus, causam physicam, aliam esse per se, aliam per accidens. Causa physica est, quæ opus aliquod physicè producit: causa moralis est, quæ ad opus aliquod moraliter concurrit, videlicet, quæ illud suadet, aut præcipit, aut non impedit; cum tamen impedire teneatur, aut demum ad illud liberè, & spontaneè se determinat: qua ratione omnis causa merens, aut demerens meriti sui, aut demeriti causa moralis dici consueuit. Causa physica per se est, quæ opus aliquod producit cum innata propensione, & inclinatione ad illud, vt facultas progressiua gressum perfectum: causa physica per accidens est, quæ secus ab ea inclinatione, & propensione effectum suum producit, vt facultas progressiua claudicationem. Præmitto secundò, Deum non esse causam moralem actus peccaminosi, quantumuis ad eum physicè concurrat: siquidem Deus non intendit, suadet, aut præcipit; sed potius minis, ac terroribus; promissis, ac illecebris; consiliis, & præceptis ab eo voluntatem humanam retrahit, & auertit: & quamuis illum non impediat, cum tamen non impedire minimè teneatur: ac demum is actus Deo perinde, ac voluntati formaliter liber, & spontaneus non est. Deinde Deus, nec causa physica per se peccati, quoad eius malitiam, esse potest: siquidem ad peccati malitiam cum inclinatione, & propensione innata ad illam minimè concurrit: eo quod eiusmodi malitia nec bonum Dei intrinsecum sit, vt constat, nec etiam extrinsecum, cum in eius gloriam per se non cedat, quamuis occasionaliter ei deseruiat.

11. Præmitto tertiò, Deum non esse causam physicam immediatam etiam per accidens peccati, quoad eius malitiam, ad eamque nullo modo physicè concurrere: quia quantumuis malitia peccati cum eius bonitate, & perfectione physica identificata sit realiter, tamen virtualiter ab ea distinguitur, vt ostendam in Metaphys. lib. 2. tract. 4. quare non est, cur Deus ad malitiam peccati physicè concurrat: siquidem ideo ad odium liberum Dei physicè concurrit, quia odiũ Dei perfectionem aliquam physicam inuoluit: at malitia eius odij, provt condistinguitur virtualiter ab eius entitate, & perfectione physica, nullam perfectionem physicam inuoluit: igitur ad eiusmodi malitiam, &c. Quibus constitutis, minor nostri argumenti suadetur; & præcipuum contra nostram sententiam argumentum enodatur: siquidem quantumuis Deus ad actum peccati physicè concurrat, eius tamen causa moralis, aut physica per se neutiquam est. Deinde peccati quoad eius malitiam nec causa physica per accidens est: at actus boni, seu studiosi causa moralis, & causa physica per se, & eius quoad totam illius bonitatem moralem causa est: igitur

quamuis

quamuis Deus ad actum peccati physicè concurrat, sicuti ad actum studiosum physicè concurrit; vnius tamen, & non alterius author censendus est, pro eo ac Patres, Concilia, & Scripturæ testantur.

12. Verùm contra hanc doctrinam obiicies primò: tam sancta est diuina omnipotentia, ac diuina voluntas: at d uina voluntas nequit esse causa moralis actus praui eum intendens: ergo nec diuina omnipotentia eius causa physica esse potest. Obiicies secundò: omnis causa libera est causa moralis eius operationis, quæ ei proximè, & immediatè libera est, vt nuper statuimus, & merito: aliàs qua ratione voluntas causa moralis dici debet eius actus, ad quem liberè se determinat? at actus peccati eo ipso, quod à Deo physicè producatur, ei proximè & immediatè liber est: siquidem omnia prærequisita ad hoc, vt Deus actum prauum ponat, indifferentia sunt ad eius existentiam, vel ad eius carentiam: nec enim ex parte Dei datur volitio aliqua efficax terminata ad peccatum, & cum eo præuiè connexa: nec etiam ex parte voluntatis actio aliqua præuiè connexa cum actione, qua Deus ad peccatum concurrit.

13. Ad primum respõdeo, hoc quod est, concurrere vitali, & morali modo ad peccatum, inuoluit speciale dedecus, & specialem repugnantiam cum sanitate, quæ puritas effectus à Dionysio cap. 12. de diuinis nominibus definitur: quam repugnantiam, & indecentiam non inuoluit concurrere mortuo, ac physico modo: vt vel suadent ea, quibus ostendimus, Deum summè sanctum ad peccatum physicè cnncurrere: vnde, quamuis voluntas peccatum velle nequeat, &c. Ad secundum respondeo, distincta duplici libertate, nimirum libertate indifferentiæ, & libertate spontanei, siue à coactione: libertas indifferentiæ est, qua causa operari, vel non operari potest, positis omnibus requisitis: libertas spontanei, siue à coactione est, qua causa aliquid spontè, siue sciens, volensque operatur: libertate ergo solius indifferentiæ actio peccaminosa immediatè, & formaliter Deo libera est: secus vero libertate spontanei, siue à coactione; cum eiusmodi actio transiens, non volitionem Dei, sed meram eius permissionem terminet: vt ergo aliqua causa titulo libertatis causa moralis sit, oportet, vt vtramque libertatem nuper explicatam respectu operis exerceat: quare cum Deus alteram, & non vtramque respectu actionis peccaminosæ exerceat, certè nomine libertatis peccati causa moralis esse non poterit. Ad extremum animaduerto, quod dictum est hoc capite, malitiam peccati nõ produci physicè à Deo, hoc intelligendum esse de malitia illa immediatè, & reduplicatiuè sumpta, siue vt malitia est, vtque ab entitate peccati distinguitur: ita enim eam produci à Deo, esset eam esse Deo rationem, ac veluti titulum productionis, quam terminat, nec non etiam talem esse, vt si per impossibile distingueretur realiter ab entitate, nihilominus terminaret influxum physicum diuinæ omnipotentiæ: at alterum alterũque falsũ est: & vtriusq; falsitas sufficit ad id, vt Deus nequeat dici causa etiam physica per se peccati. Sin autẽ sermo sit de malitia peccati specificatiue, & mediatè sumpta: ita quidẽ haud negauerim, eã absolute à Deo produci physicè: hinc tamen non fiet, nisi ad summum quod Deus sit causa physica per accidens peccati. Sed de his plura in Metaph.

CAPVT IV.

Qua volitione Deus omnipotentiam suam ad concurrendum cum causis secundis applicet?

PRæmitto primò, Deum per volitionem aliquam applicare omnipotentiam suam ad hoc, vt causis secundis cooperetur: si enim efficaciter nollet concurrere cum causis secundis, sanè iis neutiquam cooperaretur: igitur ad eam cooperationem volitione aliqua opus habet. Præmitto secundo, Deum applicare omnipotentiam suam ad cooperandum, & concurrendum cum causis secundis, & necessariis per volitionem absolutam, & efficacem eius, quod simul cum iis operaturus est: quia Deus applicat omnipotentiam suam ad concurrendum cum causis secundis per volitionẽ proportionatam earum naturis: eum ergo causæ secundæ necessariæ suaptè natura sint determinatæ ad vnum, Deus applicat omnipotentiam suam ad concurrendum cum illis per volitionem determinatam ad vnum: ac proinde per volitionem absolutam, & efficacem eius, quod simul cum illis operatus est. Præmitto tertiò, eadem ratione Deum applicare omnipotentiam suam ad concurrendum cum causis secundis liberis per volitionem indifferentem ad vtrumlibet: quæ volitio qualis esse debeat, præcipua capitis præsentis difficultas, atque materies est. 14.

Prima sententia est Thomistarum, Deum applicare omnipotentiam suam ad concurrendum cum causis liberis, illæsa earum libertate per decretum efficax, & absolutum suæ voluntatis. Verùm hæc sententia in simili refutanda est, cum de prædeterminatione physica cap. seq. egerimus. Secunda sententia est Patris Suarez disp. 32. Metaphys. sect. 4. num. 14. Deum applicare omnipotentiam suam ad concurrendum cum causis liberis per volitionem efficacem non tamen absolutam, sed conditionatam: qua videlicet efficaciter decernit concurrere ad effectum sub conditione, quòd voluntas creata ad eum concurrere velit. Cæterùm hæc sententia displicet: primò, quia cum ea volitione conditionata optimè cohæret, Deum efficaciter nolle, vt voluntas creata ad actum amoris v. g concurrat: at posita ea nolitione efficaci omnipotẽtia Dei ad producendum actum amoris proximè applicata, & expedita non est, sed potius impedita, & non applicata: igitur ea volitio conditionata cohæret cum hoc, quod omnipotentia Dei ad cooperandum causæ liberæ proximè expedita, & applicata non sit: ac proinde sola ea volitio omnipotentiam Dei ad cooperandum causæ liberæ non applicat, nec expedit. Maior in propatulo est: siquidem volitio conditionata efficax alicuius obiecti compossibilis est cum nolitione efficaci conditionis, sub qua obiectum est volitum: vt si quis Ecclesiam orandi causa visitare vellet, si foras egrederetur, egredi tamen foras absolutè nollet: at concursus voluntatis est conditio, aut quasi conditio, sub qua Deus suum concursum decernit: igitur volitio conditionata concursus sui generalis in Deo compossibilis est cum nolitione efficaci concursus voluntatis, sub cuius conditione suum concursum decernit. Secundò ea sententia mihi improbatur, quia iuxta eam Deus propriè, & simpliciter actionem 15.

prauam, & peccaminosam vellet; contra illud Dauidis: *quoniam non Deus volens iniquitatem, tu es.* Sequela suadetur: quia velle actum prauum conditionatè nimirum, si voluntas creata ad eum se determinet, est propriè,& simpliciter eum velle:haud secus ac scientia conditionata in Deo omnium consensu propriè, & simpliciter scientia est.

16. Tertia sententia est eiusdem Patris Suarez loco nuper laudato, aliorumque Recentiorum, Deum applicare omnipotentiam suam ad concurrendum cum causis liberis per decretum efficax, & disiunctiuum, qua hanc aut illam actionem, prauam videlicet,aut studiosam indifferenter vult, atque decernit: quod genus volitionis circa peccatum nullam in Deo imperfectionem arguere, & omnibus concedendum esse, hac ratione se conuicisse existimant: siquidem Deus vult efficaciter concursum indifferentem in actu primo ad peccatum, aut opus bonum; siue, quod perinde est, potentiam proximè expeditam ad vtrumlibet: at concursus indifferens in actu primò,siue potentia expedita ad peccatum, seu virtutis opus, essentialiter connectitur cum peccato,aut virtutis opere;& sine alterutro ne diuinitus esse potest:ergo Deus vult formaliter connexionem essentialem cum peccato,aut bono opere:ac proinde ipsum peccatum,aut bonum opus virtualiter vult eo volitionis genere,quod disiunctiuum, aut indeterminatum nuncupatur.

17. Contra tamen quia Deo repugnat per aliquam volitionem æque propendere in peccatum & opus bonum, & paribus momentis in vtrumque ferri:at si Deus applicaret omnipotentiam suam ad operandum per volitionem disiunctiuam respondentem his vocibus:*volo peccatum, vel opus bonum* per eiusmodi volitionem in peccatum, opusque bonum æquè propenderet, nec magis in vnum,quàm in aliud inclinaret. Rursus cognitio disiunctiua, & indeterminata propriè, & simpliciter cognitio est:ergo & volitio disiunctiua propriè, & simpliciter volitio est:ac per consequens Deus disiunctiuè volens peccatum,illud propriè, & simpliciter velle censendus est. Quod autem aduersarij arguunt Deum velle concursum indifferentem actu prauo,vel studioso indeterminatè sumptis essentialiter connexum, atque adeo immediatè peccatum, vel actum studiosum velle nullius momenti est: quia sicut causare mediatè non est propriè causare:ita similiter velle mediatè,aut in alio non est simpliciter,& propriè velle: vnde quamuis Deus mediatè,siue medio concursu indifferenti peccatum disiunctiuè sumptum velit, non propterea illud propriè,& simpliciter velle censendus est:nec inde argui poterit ad volitionem disiunctiuam,qua formaliter,& immediatè Deus peccatum,vel opus bonum velit:cum hæc volitio peccatum disiunctiue sumptum simpliciter,& propriè non velle nequeat.

18. Quarta sententia est P. Hurtadi, Raynaudi, & aliorum complurium, Deum applicare omnipotentiam suam ad concurrendum cum voluntate creata per voluntatem quandam permissiuã,quæ non ad actum aliquem eorum,quos voluntas elicere potest,de se terminetur,sed ad carentiam impedimentorum in hunc modum: *nolo impedire amorem,& nolo impedire odium.* Vnde si in Deo possibilis esset pura omissio,iuxta hanc sententiã omnipotentia Dei ad concurrendum cum libero arbitrio creato sufficienter applicata esset per hoc, quod omnem volitionem vsui liberi arbitrij contrariam purè omitteret. Contra tamen, quia Deus non minus operatur ad extra per voluntatẽ, quam per intellectum;vt certo certius est:at nullum effectum præsertim honestum, aut se solo, aut simul cum creatura operari potest, quin id quod operaturus est,positiuè sciat: igitur etiam quidquid operaturus est ad extra, positiuè velle debet,præsertim si honestum sit:atque adeò per meram nolitionem,&c. Secundò ea sententia impugnatur: quia iuxta eam Deus non esset causa moralis actus studiosi,quod non minus inconuenit,quàm è contrario esse causam moralem actus praui. Sequela in aperto est:nãque ideo Deus nõ est causa moralis actus praui,quia eũ positiuè nõ intendit,eumque præcisè non impedire vult: at hac etiam ratione actum studiosum vult, vel potius permittit, ad eiusque productionem omnipotentiam suam applicat. Tertiò impugnatur eadem sententia:quia vel actus,ad cuius productionem omnipotentia Dei cooperatura est,est actus studiosus,& naturæ rationali consentaneus:& ita non est,cur ad eius productionem non applicet omnipotentiam suam per voluntatem aliquam saltem inefficacem,quæ positiue ad illum terminetur: aut est actus prauus, & naturæ rationali dissentaneus:& ita etiam non est,cur ad eius productionem omnipotentiam suã non applicet per voluntatẽ aliquam positiuã:siquidem actus quãtumuis prauus physicam,& naturalem aliquã bonitatem, & perfectionem sibi vendicat:cur ergo ad hanc volitio aliqua Dei positiuè terminari, & per eam eius omnipotentia applicari nequeat?

19. Quinta,& postrema sententia est Patris Arriaga disp. 2. Physic. sect. 2. subsect. 3. aliorumque plurium, qui existimant Deum applicare omnipotentiam suam ad operandum simul cum causa secunda libera per voluntatem absolutam, & inefficacem; qua tam actum prauum, quàm actum studiosum quoad omnes vtriusque formalitates velit, atque intendat. Verùm hæc sententia nullo modo ferenda est: primò, quia iuxta eam Deus propriè, & simpliciter malum vellet. Respondent,Deum velle posse omne id, quod producere potest,eodem modo, quo illud producere potest: si enim Deum aliquid producere malum nõ est, cur illud velle malum sit?cum ergo Deus actum prauum producere possit,&c. Verùm facilè, iuxta nostra principia præcisiones obiectiuas tuentia, hæc responsio eludi potest: siquidem Deus peccatum quoad solam eius entitatem,& perfectionẽ physicam immediatè,& reduplicatiuè vt talẽ producit:at hac ratione etiã diuina volũtas illud amare,siue in eo cõplacere potest,nõ vero quoad omnes eius formalitates, sicut arbitrãtur aduersarij.

20. Secunda ea sententia impugnatur eo argumenti genere,quo superiores etiam impugnari possunt: quia cum volitione absoluta inefficaci actus studiosi, videlicet amoris Dei, optimè cohæret, Deum nolle efficaciter existentiam illius amoris: at ea nolitio efficax omnipotentiam Dei ad productionem amoris proximè expeditam,& applicatam esse non sinit:igitur volitio absoluta,& inefficax amoris ad eius productionẽ omnipotentiã Dei proximè non expedit,aut applicat:aliàs simul & semel esset applicata,& non applicata;applicata quidem, ratione volitionis inefficacis, quæ,iuxta aduersarios tota ratio applicandi est;

non

non applicata, ratione nolitionis efficacis, quæ proculdubio omnipotentiam implicat, nec cum arbitrio concurrat: ac proinde eam non applicatam reddit. Tertiò impugnatur ea ſententia, quia iuxta eam Deus non minus eſſet cauſa moralis actus praui, quàm ſtudioſi: ſiquidem ideo eſt cauſa moralis actus ſtudioſi, quia cum inefficaciter intendit: at etiam actum prauum inefficaciter intendit. Quartò demum: quia nulla cauſa creata ad operandum ad extra per voluntatem merè inefficacem applicari poteſt, ſiue ſe ſola operetur, vt aduerſarij non diffitentur, ſiue ſimul cum alia cauſa; vt cernere eſt in duobus hominibus, qui ad ferendum aliquod pondus concurrere nequeunt, abſque eo, quod illud ferre efficaciter velint. Explicent ergo aduerſarij, quatenus Deus ad operandum ad extra ſimul cum arbitrio creato per voluntatem merè inefficacem applicari poſſit.

21. Noſtra ſententia ſit, Deum applicare omnipotentiam ſuam ad concurrendum cum cauſa ſecunda libera per duplicem volitionem: aliam poſitiuam, permiſſiuam aliam: aliam inefficacem, efficacem aliam: quarum prima, inefficaci nimirum, & poſitiua actum bonum, & malum; hunc quoad ſolam eius entitatem, & perfectionem phyſicam, non vero quoad eius malitiam; illum vero quoad omnes eius formalitates intendit. Secunda vero nimirum permiſſiua, & efficaci neutrum actum impedire, ſiue efficaciter nolle ſtatuit. Contra has volitiones ſeorſim ſumptas plura militant, quæ negotium faceſſunt, vt ex ſuperioribus liquidum eſt: contra eas vero ſimul ſumptas nil obiici poteſt, quod momenti ſit, vt nunc nunc oſtendo. In primis iuxta hanc ſententiam rectè intelligitur, quatenus Deus peccatum non intendat, ſicut opus bonum intendit; & quatenus huius potius, quàm illius author, & cauſa moralis ſit, vt ſuprà cap. 3. fusè expoſuimus. Dices tamen: eo ipſo, quod Deus velit prædeterminationem phyſicam ad actum prauum, ipſum etiam actum prauum virtualiter, & æquialenter velle cenſetur ob connexionem eſſentialem, qua prædeterminatio cum actu prædeterminato connectitur: at entitas actus praui non minus connectitur cum eius malitia, imò multo magis, videlicet per identitatem realem: igitur Deus volens entitatem actus mali, eius etiam malitiam virtualiter, & æquialenter velle cenſendus eſt: quod tamen in apertum Dei dedecus cedere videtur. Reſpondeo: Deus volens efficaciter prædeterminationem phyſicam ad actum prauum, ipſum etiam actum virtualiter, & æquialenter velle tenetur; cum volitio efficax prædeterminationis incompoſſibilis ſit cum nolitione efficaci actus prædeterminati. Cæterùm volitio inefficax Dei terminata ad entitatem phyſicam actus praui non eſt incompoſſibilis cum nolitione efficaci malitiæ moralis, cum qua identificatur: vnde Deus volens inefficaciter etitatem actus praui, eius malitiam virtualiter, & æquialenter velle cenſendus non eſt.

22. Rurſus iuxta hanc ſententiam rectà intelligitur, qua ratione Deus per meram volitionem inefficacem operari ad extra ſimul cum arbitrio creato poſſit: eſto ſe ſol ad extra operari vi ſolius voluntatis inefficacis nequeat: cum enim actus liberi arbitrij non minus Deo, quàm ipſi arbitrio liber ſit libertate indifferentiæ; vti ſupra cap. 3. prælibauimus: ſanè Deus abſque vlla volitione efficaci ad eum actum concurrere poterit: haud aliter ac homo ad actum ſibi immediate liberum abſque vlla volitione efficaci præuia determinare poteſt: quæ ratio non militat in Deo, vbi ſe ſolo operatur; eius enim ſic operantis opera ei immediatè libera eſſe non debent. Præterea iuxta hanc ſententiam rectè intelligitur, quatenus actus liberi noſtri arbitrij liber eſſe poſſit: ſiquidem volitio diuina ad eum poſitiue terminata inefficax eſt: quæ vero efficax in Deo ad illum concurrente eſt, non ad illum, ſed ad carentiam impedimentorum terminatur: quæ certè carentia creaturæ libera non eſt.

CAPVT V.

An cauſa prima ſecundas ad operandum phyſicè prædeterminet?

PAtres Dominicanæ Familiæ in ea ſententia ſunt, vt exiſtiment, cauſas omnes ſecundas, antequam pro poſteriori actu operentur, accipere à Deo aliquid intrinſecum; ratione cuius ad operandum excitentur, moueantur, & determinentur: calorem v. g. aliquid phyſicè ſibi inhærens, quo ad producendum alium calorem prædeterminetur; & voluntatem præter cognitionem obiecti aliquid etiam phyſicum, & intrinſecum, quo ad amandum liberè prædeterminetur: hoc autem, quod cauſæ ſecundæ in actu ſecundo operaturæ à Deo præcipiunt, eius indolis, & naturæ adſtruitur; vt eo poſito, ne diuinitus quidem poſſit non operari cauſa ſecunda, cui imprimitur; eo vero deficiente neutiquam operari poſſit. Quare prædeterminatio phyſica à ſuis Authoribus vnanimi & pleno conſenſu appellatur: à nonnullis qualitas vitalis, nimirum illuſtratio aliqua intellectus, aut pia affectio voluntatis: ab aliis qualitas mortua, & non vitalis cenſetur. 23.

At vniuerſa Societas Ieſu contrariam ſententiam ſequuta eſt: & eiuſmodi prædeterminationem phyſicam arbitrij libertatem euertere, ſufficientiam gratiæ Dei de medio tollere, Deum authorem peccati conſtituere, cauſis neceſſariis ſuperfluam eſſe, & Conciliis PP. Scripturis, & antiquis Scholaſticis planè repugnare ſemper cenſuit. Delata eſt controuerſia ad Summos Pontifices: & cum noſtri modeſta ſententiæ ſuæ defenſione contenti eſſent, nullamque contrariæ ſententiæ notam, aut cenſuram molirentur; ſummo tandem orbis plauſu, & Eccleſiæ emolumento obtinuimus; & ſententiam noſtram velut tutam, catholicam, & ad hæreſes noſtri temporis profligendas vtiliſſimam defendi poſſe euicimus. Non vacat pro dignitate tractare quæſtionem hanc celeberrimam, qua totius orbis gymnaſia perſonant, præla laſſantur, & ingenia torquentur: quare omiſſis Theologicis argumentis, eam philoſophicè tantum tractare, ſolumque argumentum à libertate deſumptum breuiter expendere animus eſt. Potentia libera eſt, quæ poſitis omnibus requiſitis ad operandum, operari, & non operari poteſt: at voluntas prædeterminata, poſitis omnibus requiſitis ad operandum, præciſe operari, 24.

neutiquam vero non operari poteſt : ergo voluntas prædeterminata ad operandum liberè operari nequit. Maior eſt definitio libertatis à nullo non recepta. Minor probatur : quia prædeterminatio phyſica eſt vnum ex requiſitis ad operandum , & poſita ea non poteſt voluntas non operari , cum eſſentialiter connexa ſit cum operatione : igitur voluntas prædeterminata ad operandum liberè operari nequit. Mirum eſt, quantoperè torqueat hoc argumentum aduerſarios, & quot modis eius vim eluctari conentur.

25. Reſpondent primò Thomiſtæ , poſſe voluntatem prædeterminatam non operari in ſenſu diuiſo prædeterminationis, licet non in ſenſu compoſito ; idque ſufficere , vt liberè operetur : qua ratione homo liberè ſedet , quamuis in ſenſu compoſito ſeſſionis , ſiue dum ſedet , non ſedere nequeat : quia in ſenſu diuiſo ſeſſionis ſedere poteſt. Contra tamen primò : quia non operari in ſenſu diuiſo , ſicut ad libertatem oportet , eſt poſſe diuidere , & tollere omne id , quod cum non operatione incompoſſibile eſt : qua ratione poteſt quis in ſenſu diuiſo non ſedere , ſicut ad libertatem ſeſſionis opus eſt ; quia poteſt diuidere , ſiue tollere ſeſſionem incompoſſibilem cum non ſeſſione : at voluntas , iuxtà aduerſarios , diuidere prædeterminationem incompoſſibilem cum non operando eámve à ſe diſcutere nequit. Contra ſecundò : quia ſi ſenſus diuiſus , & compoſitus prædeterminationis libertati conſentaneus acceptatur pro hoc , quod eſt , poſita prædeterminatione non poſſe voluntatem non operari ; & ea non poſita poſſe eam non operari , vti à Thomiſtis ante Alueldam , quidquid ipſe obſtrepat , ſemper hucuſque vſurpatus fuit : ſi, inquam , ita accipiatur , non eſt, cur Beatus libere Deum non amet : ſiquidem quamuis poſita viſione Dei , eum non amare nequeat ; ea tamen ſublata eum non amare poteſt; &, quod plus eſt , non eſt , cur belluis libertas non inſit ; quamuis enim ſufficienter propoſito obiecto , illud non appetere nequeant ; ſublata tamen ea propoſitione obiecti , illud non appetere poſſunt. Contra tertiò , & efficaciſſimè: quia Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 5. can. 4. ſermonem habens de gratia efficaci , eamque cum libertate compoſſibilem eſſe contrà Caluinum ſtatuens , ita pronunciat : *liberum arbitrium à Deo motum , & excitatum poteſt diſſentire , ſi velit :* at poſſe diſſentire gratiæ efficaci, eſt poſſe non operari in ſenſu compoſito illius : ſiquidem in ſenſu diuiſo gratiæ efficacis, eaque non exiſtente , ei diſſentire nequit voluntas, quantumuis non operetur : ſicut præcepto non poſito, ac non exiſtenti nemo contrauenire, illúdue violare poteſt : igitur voluntas poteſt non operari in ſenſu compoſito gratiæ efficacis: cum ergo gratiam efficacem in prædeterminatione phyſica aduerſarij collocent , ſanè voluntas, &c.

26. Tandem ea ſolutio à noſtris confutari ſolet: quia voluntatem prædeterminatam non operari , eſt componere carentiam operationis cum prædeterminatione ad operandum : ergo poſſe voluntatem prædeterminatam operari , eſt poſſe componere carentiam operationis cum prædeterminatione. Antecedens à Thomiſticis admittitur, nec ab vllo mentis compote negari poteſt. Conſequentia eſt euidens : quia poſſe definitum, eſt poſſe definitionem : at voluntatem prædeterminatam non operari, & componere carentiam operationis cum prædeterminatione ſunt eſſentialiter idem, & ſe habent, ſicut definitum & & definitio : ergo poſſe vnum, eſt poſſe alterum. Tum à paritate : quia hæc conſequentia eſt euidens : eſſe hominem , eſt eſſe animal rationale : ergo poſſe eſſe hominem, eſt poſſe eſſe animal rationale : ergo etiam ſuperior conſequentia euidens eſt : tum ſic , voluntatem prædeterminatam ad operandum poſſe non operari , eſt poſſe componere carentiam operationis cum prædeterminatione : at voluntas prædeterminata ad operandum poteſt non operari , aliàs libera non eſſet : igitur poteſt componere carentiam operationis cum prædeterminatione , vel , quod perinde eſt , in ſenſu compoſito prædeterminationis non operari , quod tamen impoſſibile eſt.

27. Secundò alij reſpondent , voluntatem poſita prædeterminatione ad operandum , ſiue ex ſuppoſitione prædeterminationis non poſſe non operari ; & tamen liberè operari : eo quod eiuſmodi ſuppoſitio non ſit ſimpliciter antecedens, neque prædeterminatio ſit actus primus ad operationem, ſed actus quidam medius inter actum primum , qui in voluntate proximè expedita ad vtrumlibet conſiſtit , & actum ſecundum , qui in ipſa operatione conſiſtit: quare ſicut homo liberè ſedet , licet ex ſuppoſitione, quòd ſedeat, non ſedere nequeat : videlicet quia ea ſuppoſitio ſimpliciter antecedens non eſt , ſed potius ſimpliciter conſequens : ita ſimiliter , &c. Contra tamen primò : quia D. Thomas , à quo aduerſarij ne latum quidem vnguem ſe diſcedere profitentur , actum adæquatè diuidit in primum, & ſecundum 1. part. quæſt. 48. art. 5. ibi : *actus autem eſt duplex , primus & ſecundus : actus quidem primus eſt forma , & integritas rei : actus autem ſecundus eſt operatio.* & quæſt. 1. de potentia art. 1. ibi : *ſciendum quod potentia dicitur ab actu: actus autem eſt duplex , ſcilicet primus , qui eſt forma ; & ſecundus , qui eſt operatio :* igitur ſi Angelico Doctori ſtandum eſt, actus omnis medius inter primum, & ſecundum commentitius eſt: ac proinde in eiuſmodi actu prædeterminatio collocari nequit. Et quidem mirari ſatis non poſſum aduerſarios , qui nomen ſcientiæ mediæ, ſcientiæ conditionatorum re ipſa in Deo exiſtenti accommodatum tantoperè reſpuunt ; actum tamen medium nuſquam apud antiquos vſurpatum amplectuntur.

28. Contra ſecundò : quia prædeterminatio phyſica conſtituit voluntatem proximè expeditam ad operandum , eique ſic expeditæ neutiquam ſuperaddi poteſt , vt aduerſarij nituntur : igitur non eſt actus medius inter voluntatem proximè expeditam, & eius operationem. Antecedens ſuadetur : quia vt voluntas operetur , nihil aliud præuiè requiritur, quàm vt ſit proximè expedita ad operandum : quidquid enim aliud excogitari poteſt , ſuperfluum , & commentitium eſt : at , vt voluntas operetur , prædeterminatio præuiè requiritur , vt aduerſarij omnes fatentur: igitur prædeterminatio voluntatem proximè expeditam ad operandum conſtituit. Confirmatur , & declaratur : cognitio eſt actus primus reſpectu amoris , & non actus medius inter voluntatem potentem amare, & ipſum amorem: non

alia

alia ratione, nisi quia cognitio antecedit natura amorem, ad eumque intentionaliter aut mouet, aut determinat: at prædeterminatio physica præcedit natura operationem, ad eamque physicè non solum mouet, verum etiam determinat: quæ duo & ab ipsis aduersariis admittuntur, & vel ex ipsa prædeterminationis etymologia perspicuè colligi possunt.

29. Contra tertiò: quia vt actus ille medius admittatur, in eoque prædeterminatio physica collocetur, id omne ad tuendam libertatem inutile, & insufficiens est: siquidem quamuis actio sit actus quidam medius inter causam, & effectum; tamen si actio essentialiter connexa cum effectu, non esset in potestate causæ, nec hæc eam ponere, aut non ponere potest; sanè effectus causæ liber esse non posset, vt manifestum est: igitur quamuis prædeterminatio physica essentialiter connexa cum actione sit actus medius inter causam, & actionem; si tamen ea in potestate causæ non sit, nec eam ponere, aut non ponere possit: sanè actio causæ libera esse non poterit: at prædeterminatio physica non est in potestate voluntatis, nec voluntati eam ponere, aut tollere pro libito integrum est: igitur actio prædeterminata voluntati libera esse non potest.

30. Tertiò alij respondent prædeterminationem non esse suppositionem simpliciter antecedentem, sed quodammodo consequentem: quia licet antecedat actum bonum in genere causæ efficientis, eum tamen subsequitur in genere causæ materialis, siue dispositiuæ: eo quod actus bonus à Deo prædeterminatus sit dispositio, qua homo ad eam prædeterminationem à Deo accipiendam disponitur: vnde licet suppositа prædeterminatione non possit voluntas non operari, tamen liberè operabitur. Contra tamen primò: quia mutua illa prioritas in diuerso genere omninò repugnat, vt supra tract. 4. fusè ostendimus. Contra secundò: quia iuxta hanc solutionem ideo vnus homo, & non alius haberet physicam prædeterminationem, siue gratiam efficacem; quia vnus, & non alter ad eam libere se disponere voluit: quare cum vnus, & non alter conuertitur per gratiam efficacem, vnus se ab alio non solum in actu secundo, verum etiam in actu primo discernit. Quorsum ergo contra nos verba illa Pauli: *quis est, qui te discernit?* aduersarij ingeminant? cum iuxtà ipsos vnus homo se ab alio in actu primo discernat, & in nostra sententia solum in actu secundo homo se discernat: & iuxta ipsos efficacia gratiæ in actu primo in potestate voluntatis sit, iuxtà nos verò solum reddere efficacem eam in actu secundo voluntatis arbitrio subditum sit. Aut cur sequentibus Pauli verbis: *quid gloriaris, quasi non acceperis* contrà nos, quasi contra fautores liberi arbitrij tantopere gloriantur? cum ipsi longè plus, quàm nos libero arbitrio deferant; & consequutionem gratiæ, quæ efficax est, in potestate & merito voluntatis statuant, quam tamen nos soli Deo acceptam referimus. Parco aliis argumentis ne longus sim.

31. Quartò alij respondent, voluntatem prædeterminatam posse non operari posita prædeterminatione, & cum ea carentiam operationis componere: cæterùm infallibiliter operaturam, & carentiam operationis cum prædeterminatione nunquam compositurum. Contra tamen; quia prædeterminatio physica ad operandum, aut essentialiter, siue cum operatione connexa est: & ita est essentialiter, & physicè incompossibilis cum carentia operationis: ac proinde compositio carentiæ operationis cum prædeterminatione essentialiter repugnat: eo autem ipso quod essentialiter repugnet, ad eam nulla potentia dari potest: aut prædeterminatio physica non est essentialiter connexa cum operatione, sed tantum moraliter: eo quod difficultas cohibendi operationem posita prædeterminatione tanta sit, vt facta ea suppositione infallibiliter cohibenda non sit: & sic prædeterminatio illa non physica erit, sed moralis; de qua inter nostros Authores, & Thomistas in præsenti minimè controuertitur: & de qua facile probari posset iuxta superiora eodem modo tollere libertatem moralem, quo prædeterminatio physica libertatem physicam tollit.

Quintò alij respondent, potentiam liberam 32.
esse, non quæ indifferentia subiectiua potest operari, & non operari, positis omnibus requisitis; sed quæ indifferentia obiectiua potest operari, & non operari, positis omnibus requisitis; id est, quæ iis positis habet iudicium indifferens, quo vtramque contradictionis partem cognoscat: cum ergo cum prædeterminatione physica eiusmodi iudicium indifferens cohæreat, sanè cum ea libertas cohærere poterit. Verùm hæc solutio merito ab ipsis Thomistis iam deseritur: quia iudicium indifferens cum necessitate coniuncta esse potest, & se solo libertatem non adstruit: qua ratione quamuis humanitas Christi habeat iudicium indifferens boni, & mali; ad bonum tamen, & malum libera non est, sed vi vnionis hypostaticæ ad bonum necessitata: igitur quamuis voluntas prædeterminata ad operandum habeat iudicium indifferens circa operationem, & non operationem; non ob id liberè, sed potius necessario operabitur.

CAPVT VI.

Argumenta contraria soluuntur.

OBiiciunt primò aduersarij plura loca Aristo- 33.
lis, in quibus asserit, Deum esse primum motorem, primam causam primum liberum: ergo quia Deus prius natura mouet, causat, & liberè producit operationem creaturæ, quam ipsa eam operationē ponat: at id, per quod Deus prius natura, quā existat operatio creaturæ, eam causat, & liberè producit, & ad eam efficaciter mouet, siue determinat, prædeterminatio physica est. Respondeo, Deum dici primum mororem, primam causam, primumque liberum respectu cuiusuis operationis, & actionis creatæ: non quod actio Dei actione creaturæ prior natura sit, eamque naturaliter producat, cum vtraque actio eadem realiter sit, sed quod actio Dei prior dignitate sit actione creaturæ, sumpta actione in concreto: videlicet quia Deus per actionem sibi cum creatura communem principalius, & dignius effectum producit, quam creatura: eaque actio Deo magis, quam creaturæ adscribenda est. Obiiciunt secundò plura D. Thomæ loca, in quibus docet Deum mouere, applicare, & adiuuare causas

causas secundas ad operandum, præsertim q. 3. de potentia art. 7. ad 7. vbi expressè addit, causam primam addere secundæ virtutem aliquam quasi instrumentariam, qua ad agendum compleatur: at hæc intelligi nequeunt absque eo, quod Deus causas secundas ad operandum prædeterminet.

34. Verùm quàm longè absit D. Thomas à physica prædeterminatione eruditè ostendit Petrus à Sancto Ioseph ordinis Cistercienſis in aureo illo libello, quem ita inscripsit; *Defensio Sancti Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici aduersus Recentiores quosdam Theologos, qui prædeterminationem physicam ad actus liberos illi falsò affingunt:* nobis sufficiat illud testimonium D. Thomæ in 2. distinct. 38. quæst. 1. art. 1. ibi: *ipsa autem potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura; sed quod determinatè exeat in hunc actum, vel in illum non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate:* tum ita, quod voluntas exeat in hunc actum, non est ab alio determinante: ergo nec ab alio prædeterminate, cum prædeterminatio determinationem Includat. Quare quod ait sæpe numero D. Thomas, causam primam mouere, adiuuare, & applicare secundam ad operandum de solo concursu comitanti exponendum est: quod autem ait, causam secundam accipere à causa prima virtutem aliquam superadditam ad operandum, ab eo retractatum fuit 1. p quæst. 105 & 3. contra gentes cap. 7. vt rectè notat Suarez lib. 1. de concursu Dei cap. 11. n 6. & 7. esto autem retractatum non fuerit, nobis negotium non facessit: siquidem loco citat. tantum asserit D. Thomas eiusmodi virtutem superadditam causæ secundæ eam ad operandum complere, neutiquam vero eam cum operatione essentialiter connexam esse: vnde prædeterminatio physica censenda non est.

33. Obiiciunt tertiò: à principio indifferenti, vt indifferens est, nequit oriri determinatio: at voluntas ad operandum, & non operandum indifferens est: ergo ipsa se determinare non potest, ac proinde à Deo prædeterminari debet. Verùm maior argumenti, quamtumuis parœmiæ nomine personata, negari debet, eamque falsam esse perspicuum est: tum quia voluntas Dei est omninò indifferens ad volendum, & non volendum: & tamen ipsa se determinare ad alterutrum potest: siquidem ab alia causa superiori prædeterminari nequit: tum quia voluntas est indifferens ad peccandum, vel non peccandum: & tamen ad peccandum non à Deo, sed à se determinatur. Obiiciunt quartò: auxilium gratiæ efficax intrinsecè, & essentialiter efficax est: igitur ad consensum physicè prædeterminat. Antecedens probatur: tum quia maius beneficium confert Deus ei, cui auxilium efficax confert, quàm ei, cui inefficax confert: at si auxilium gratiæ efficax intrinsecè, & essentialiter efficax non esset; sed potius ad inefficaciam, & efficaciam indifferens, haud secus ac auxilium gratiæ inefficax indifferens est, non conferret Deus maius, sed æquale beneficium ei, quem efficaciter vocat, quàm ei quem inefficaciter vocat. Tum quia, si auxilium gratiæ efficax essentialiter tale non est, & inefficax esse potest, cum duobus auxiliis intrinsecè, & entitatiue æqualibus vnus homo conuerti, & alter non conuerti poterit: vnde vnus homo se ab altero discernere poterit; contra illud Pauli: *quis est, qui te discernit: quid habes, quod non accepisti,* &c.

Respondeo negato antecedenti. Ad eius primam probationem: quantumuis auxilium gratiæ intrinsecè, & essentialiter efficax non sit, facilè tamen exponi potest, quarenus Deus maius beneficium conferat ei, qui conuertitur; quàm ei, qui non conuertitur: eique cui gratia efficax; quàm cui inefficax tribuitur: siquidem Deus vni confert auxilium gratiæ, cum quo præuidit per scientiam mediam eum conuertendum, si vocetur; & alteri auxilium gratiæ, cum quo eum minimè conuertendum præuidit. Ad secundam probationem: Deus primario, & magis principaliter vnum hominem ab alio discernit: siquidem solus Deus gratuitò, & absque vllo merito, aut dispositione morali præuia ex parte hominis confert illi gratiam, qua cum eum conuertendum per scientiam mediam cognoscit; & ex suppositione gratiæ ipsam conuersionem magis principaliter efficit: alteri vero eiusmodi gratiam minimè largitur, nec in eo conuersionem operatur. Cæterùm ipse homo se ab alio secundariò, & minus principaliter discernit: eò quod gratiam sibi collatam non frustretur, pro eo, ac potest; sed potius ei consensum salutarem adiungat: quod tamen alter æquali gratia à Deo præuentus vitio suo non facit. Demum obiiciunt plura testimonia Scripturæ, quale est illud Prouerbior. 11. *cor Regis in manu Dei est, & quocumque voluerit, inclinabit illud.* & Ioan. 6. *nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum:* & Pauli ad Roman. 9. *non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.* Quæ tamen, & similia testimonia non de motione physicè prædeterminante intelligenda sunt, sed de motione suauiter excitante cor hominis: efficaciter tamen, & infallibiliter ratione scientiæ mediæ, qua Deus conspicit, motionem illam suauem, & ad vtrumlibet indifferentem; si tamen hic, & nunc homini conferatur, ab eo consensum assequuturam. Verùm satis sit, primoribus labris hæc attigisse. 36.

TRACTATVS IX.

De causa materiali, & formali.

CAPVT PRIMVM.

Quid sint causa materialis, & formalis, ac an dentur in rebus, & qua proprietate?

CAVSA materialis est, quæ intrinsecè sustentat formam aliquam, cum eaque totum constituit. De qua id in primis disputandum est, an detur in rebus? Negant enim aliqui Recentiores hoc argumento ducti: anima rationalis naturaliter produci nequit, nisi in corpore, tametsi possit extra corpus conseruari: at hoc non obstante corpus non est causa materialis animæ rationalis, nec hæc ab illo in genere vllius causæ dependet: similiter ergo, quamuis reliquæ formæ materiales 1.

les nec poſſint produci, nec etiam conſeruari, niſi in corpore aliquo; non propterea à corpore vllo, tanquam à cauſa materiali dependebunt: nulla igitur eſt in rebus cauſa materialis: ſi qua enim eſſet, maxime reſpectu formarum materialium; non autem harum intuitu, vt poſitum eſt: nullarum ergo intuitu. Addunt in hac ſententia eſſe ſapientiſſimum Leſſium in opere de ſummo bono. Sed confutantur in primis authoritate Scholaſticorum omnium, apud quos nihil celebrius, quàm quadrimembris diuiſio cauſæ in efficientem, finalem, formalem, & materialem. Et verò Leſſius in contrarium adductus, re tamen vera non eſt contrarius: hoc enim ad ſummum velle poteſt, cauſam materialem eſſe impropriè cauſam: quod tametſi falſum ſit, temerarium non eſt: cum tamen non niſi temerè dici poſſe videatur, nullam dari cauſam materialem: qua ratione temerarium eſſet aſſerere, nullam dari ſubſtantiam increatam: & tamen abſque temeritate dici poteſt, ſubſtantiam increatam eſſe impropriè, & nobiſcum analogicè ſubſtantiam, potiuſque eſſe ſuperſubſtantiam, quàm ſubſtantiam propriè loquendo. Secundo refellitur eadem ſententia; noſtráque, & communis Doctorum ſuadetur ex Concilio Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. vbi ſtatuit, gratiam eſſe vnicam cauſam formalem noſtræ iuſtificationis: quî autem fieri poteſt, vt detur in rebus cauſa formalis ſine cauſa materiali, cum altera ſit correlatiuum alterius? Tertiò à priori id ipſum inferius conſtabit, cùm oſtenderimus, cauſam materialem eſſe propriè cauſam. Quartò tandem ſuadetur eneruatione argumenti in contrarium adducti: quod enim argumenti genus eſſe poteſt magis enerue, quàm id, quod eſt à minori, ſiue minus veriſimili ad maius, ſiue maiorem habens veroſimilitudinem? At minus eſt dependere à corpore in ſolo fieri, quàm in fieri ſimul; & conſeruari; minuſque veriſimile eſt, priorem illam dependentiam ſufficere ad cauſam materialem, quàm poſteriorem: quanquam ergo vi prioris dependentiæ materia non ſit cauſa materialis animæ rationalis, inde tamen non niſi perperam argui poterit, eam non eſſe cauſam materialem, ſiue paſſiuam reſpectu formarum materialium. Deinde ad idem argumentum abſolutè dici poteſt, cæteras omnes formas ſubſtantiales ab anima rationali diſtinctas, ſuaptè natura eſſe materiales, propterea quod nec produci, nec conſeruari poſſint, niſi in corpore, ſiue materia: & tamen anima rationalis, ſalua fide catholica, dici non poteſt materialis, ſiue corporea; ex eo quod naturaliter nequeat primò produci, niſi in corpore: ſimiliter ergo prior connexio aliarum formarum ſubſtantialium cum materia ſufficiet, vt hæc ſit earum cauſa materialis, ſiuè paſſiua: & nihilominus non ſufficiet poſterior connexio animæ rationalis cum corpore ad id, vt ab illo tanquam à cauſa materiali dependeat.

2. Cauſa formalis eſt ea compoſiti pars, quæ ad illud principalius concurrit. Quæ definitio ſatis conſtat ex iis, quæ diſſeruimus ſuprà lib. 2. tract. 1. cap. 5. ad finem, cum ſermo eſſet de diſtinctione formæ à ſubiecto, ſiue materia. Eadem definitio colligitur etiam ex Ariſtotele in hunc modum definiente formam: *quæ eſt ratio eſſentiæ*: cum enim ex duabus partibus vnione penetratiua copulatis, quælibet eſſentiam intrinſecè conſtituat, eiuſque ratio ſit tam forma, quàm materia; ſanè forma ſiue cauſa formalis definiri nequit *ratio eſſentiæ* vtcunque, ſed præcipua, & magis principalis ratio, ſiue pars eſſentiæ: nec niſi hoc pacto explicata definitio Ariſtotelica poteſt ſuſtineri. Effectus formalis formæ, alius eſt intrinſecus, alius extrinſecus, nimirum prout forma ſubiecto intrinſeca, vel extrinſeca fuerit: aliuſque eſt primarius, alius ſecundarius: effectus formalis primarius formæ eſt, quem forma per ſe, vel per accidens conſtituit: alius eſt ſecundarius, non quem forma conſtituit, ſed quem media alia forma poſitiua, aut negatiua à ſe deriuata infert: qua ratione calidum eſt effectus formalis primarius caloris: ſiccum verò, aut non frigidum, effectus eius formales ſecundarij: effectus formalis primarius formæ diuinitus impediri poſita forma nequit, ſecus vero effectus formalis ſecundarius; eo quod vna forma cum alia connexionem non eſſentialem, ſed naturalem interdum ſibi vendicet: prior effectus formalis à Deo ſuppleri nequit, ſecus verò poſterior: Deus enim lignum calidum denominare nequit ſine calore; ſine eo tamen lignum deſiccare, aut non frigidum denominare poteſt.

3. Cauſam formalem dari in rebus, licèt negent Recentiores ſuprà memorati, nullo tamen iure negari poteſt. Quod ſuadetur primo ex communi conſenſu Scholaſticorum. Secundo ex Concilio Trident. ſeſſ. & cap. ſuperiùs citatis. Tertiò etiam probatur à priori, & vnà oſtenditur, cauſam formalem eſſe non impropriè, vt aliqui putant, ſed propriè & verè cauſam: ſiquidem cauſa formalis compoſiti ſubſtantialis, & per ſe influit eſſe in illud: at compoſitum ſubſtantiale, & per ſe eſt aliud adæquatè à forma, qua conſtituitur, vt ſuprà lib. 2. tract. 8. demonſtratum manet: cauſa ergo formalis influit eſſe in aliud: eſt ergo verè & propriè cauſa, cum hæc definiatur *principium per ſe influens eſſe in aliud* iuxta dicta tract. 1. cap. 1. huiuſmet libri: tantum ergo abeſt, vt non detur in rebus cauſa formalis, vt in cauſis ſtrictè & propriè talibus ea ſit numeranda. Rurſus: ad rationem veræ, ac rigoroſæ cauſæ ſatis eſt, vt aliquid influat eſſe in aliud quomodocunque, & ſaltem inadæquatè aliud à parte rei: ſed albedo, verbi gratia verè fluit eſſe in album, cum ei ſuum eſſe communicet per identitatem, communicare autem, & influere in idem recidant: & aliunde album eſt inadæquatè aliud ab albedine: cur ergo albedo vera cauſa albi eſſe nequeat? Datur ergo in rebus cauſa formalis, eáque cauſæ rigorem, & proprietatem totam obtinet. Denique albedo tribuit eſſe finitum albo, cum ſe ipſam albo tribuat, & communicet: at quod alicui eſſe finitum tribuit, verè & propriè cauſa eſt, vt definientes cauſam in communi oſtendimus: ergo &c. Atque de cauſa materiali, quod etiam propriè cauſa ſit, iiſdem rationibus rectè applicatis facilè poteſt probari: namque cum influit eſſe in totum ſubſtantiale per ſe, ſanè ad aliud à ſe adæquatè diſtinctum concurrit: cum verò in totum per accidens eſſe influit, ac ſe ipſum per identitatem inadæquatam ei communicat, profectò ad aliud à ſe inadæquatè diſtinctum concurrit: Cur igitur vtrobique vera cauſa non ſit? eo vel maximè, quod vtrique compoſito tribuat eſſe finitum.

CAPVT II.

De cauſalitate cauſæ materialis, & formalis.

4. Mihi ſemper placuit cum Fonſeca lib. 5. Metaphyſ. cap. 2. quæſt. 1. ſect. 4. & quæſt. 2. ſect. 2. & Conimbricenſib. hic cap. 7. quæſt. 8. art. 1. cauſalitatem materialem, ſiue paſſionem, qua ſubiectum formæ alicui ſubeſt, eámque intrinſecè ſuſtentat, atque in genere cauſæ materialis cauſat, eſſe vnionem, qua ita vnitur formæ, eámque intrinſecè perficit, vt hæc abſque illo naturaliter eſſe, aut conſeruari nequeat. Probatur autem: quia ſi cauſalitas cauſæ materialis ſiue paſſio in prædicta vnione non conſiſteret, maximè quia in actione eductiua: at non in hac: igitur in ſola vnione, prout à quauis diſtinguitur actione, ſiue effectione. Maior eſt aduerſariorum, qui paſſionem, ſiue cauſalitatem cauſæ materialis collocant in actione productiua, ſiue effectiua formæ; in actione, inquam, eius genij, vt ſe ipſa ſit vnio ſui ad ſubiectum, in quo forma ſit ſuſcipienda. Minor autem eluceſcet infrà lib. 3. tract. 3 cap. 3. cum actionem eductiuam à paſſione, ſiue cauſalitate cauſæ materialis realiter diſtingui fusè probauerimus. Secundò ſuadetur eadem ſententia: quia omnis alia cauſalitas paſſiua præter vnionem, qualem ſuperius explicuimus, eſt inutilis, ſuperflua, & abſque vllo fundamento ſolido conficta, vt ſolutione argumentorum, quæ in contrarium obiici ſolent, iam iam oſtendo.

5. Obiicies igitur primò: ſi vnio materiæ cum forma eſſet cauſalitas materialis, ſiue paſſio materiæ reſpectu formæ; ſanè eiuſmodi vnio eſſet ordine naturæ prior, & poſterior, quàm forma. Conſequens autem eſt abſurdum, vt conſtat ex dictis ſuperiùs tract. 4. cap. 2. Sequela probatur, quia in primis eſſet prior natura ſuo termino, vt citat. lib. 5. tract. 1. cap. 2. conſtabit: deinde eſſet poſterior natura, quàm forma: ſiquidem ideo à priori datur vnio formæ cum materia, quia forma exiſtit: non verò ideo forma exiſtit, quia vnitur materiæ: igitur forma eſt prior natura, quàm eius vnio cum materia: ac proinde vnio eſt poſterior, quàm forma.

6. Obiicies ſecundò: ſi materia per vnionem in genere cauſæ materialis formam cauſaret, etiam ipſam vnionem per ſemet ipſam materialiter cauſaret: haud ſecus ac cauſa efficiens, quia per actionem effectiuam producit terminum, etiam ipſam actionem per ſemetipſam producit: at materia vnionem per vnionem ipſam materialiter non cauſat: ergo &c. Minor probatur: quia vnio diuinitus creari poteſt (quæ enim repugnantia in hoc eſſe poteſt) ac proinde ſine dependentia à ſubiecto produci poteſt: quod ſi per ſe ipſam eſſentialiter in genere cauſæ materialis à ſubiecto dependeret, & hoc illam cauſaret; ſanè ſine hac dependentia produci; aut, quod perinde eſt, creari ne diuinitus poſſet. Obiicies tertio: ſi vnio eſſet cauſalitas materialis, ſiue paſſio; qua forma à materia penderet, prius natura forma, à cauſa efficienti, quàm à cauſa materiali in actu ſecundo penderet. Conſequens eſt abſurdum: ergo &c. Maior probatur: quia prius natura forma à cauſa efficienti producitur, quàm materiæ vniatur; cum adeò vniatur, quia efficienter producta eſt: atque adeò ſi per vnionem à cauſa materiali pendet, prius natura à cauſa efficienti, quàm à materiali pendebit. Minor probatur: quia forma nequit intelligi exiſtens, niſi dependenter ab omnibus ſuis cauſis ab ea præ requiſitis, vt ex terminis notum videtur: igitur nequit intelligi exiſtens in vno ſigno natura dependenter ab vna cauſa, & in alio poſteriori ab alia cauſa; ſeu, quod perinde eſt, prius natura dependens ab vna cauſa, quàm ab alia.

7. Obiicies quartò: ſi cauſalitas cauſæ materialis, ſiue paſſio in vnione prout à nobis explicata conſiſteret; ſanè Verbum diuinum in genere cauſæ materialis cauſaret vnionem hypoſtaticam, eámque ſuſtentaret, & pateretur: conſequens eſt abſurdum: ergo, &c. Maior perſpicua eſt, quia vnio hypoſtatica intrinſecè vnitur Verbo; ita vt ſine eo eſſe, aut conſeruari naturaliter; &, quod plus eſt, diuinitus nequeat: igitur non eſt, cur Verbum eam in genere cauſæ materialis non ſuſtentet, ſi in eiuſmodi vnione cauſalitas materialis collocetur. Minor probatur: quia omnis cauſalitas materialis, ſiue paſſio coniuncta eſt cum mutatione eius, quod patitur, & cauſat materialiter aliud à ſe diſtinctum: at Verbum diuinum omnis mutationis, & viciſſitudinis expers eſt, vt fide ſanctum eſt: igitur & omnis paſſionis, ſiue cauſalitatis materialis: ac proinde vnionem hypoſtaticam pati, aut materialiter cauſare non poterit. Obiicies tandem ea, quæ adduci ſolent ad probandam paſſionem, ſiue cauſalitatem materialem ab actione eductiua realiter indiſtinctam eſſe: quæ ſanè plura, & non facilia ſunt.

8. Ad primum reſpondeo: cauſalitas materialis, ſiue paſſiua materiæ reſpectu formæ à nobis in vnione collocata, eſt prior natura, quàm forma; non quoad eſſe formæ, ſed quoad eius ineſſe, nimirum quoad denominationem vnitæ, quam intrinſece & eſſentialiter conſtituit, cauſátque: eſt verò poſterior ordine naturæ, quàm forma quoad eſſe formæ, vt obiectio facta conuincit: quare penes aliud, & aliud, non verò penes idem eſt prior, & poſterior natura, quam forma; in quo nulla eſt repugnantia. Dices tamen: ſicut materia eſt prior forma quoad ineſſe formæ: idque ſatis eſt, vt abſolutè dicatur materia cauſa paſſiua formæ, eaque prior: ita ſimiliter forma eſt prior materia non ſecundum ſe, ſed ſecundum eius ſubeſſe, ſiue quoad vnionem, qua materia formæ ſubeſt: cur igitur forma non dicitur abſolutè cauſa formalis materiæ, eáque prior: iam ergo mutua prioritas toties à nobis impugnata in rebus concedenda eſt. Reſpondeo in primis, non inconuenit formam etiam dici cauſam formalem materiæ in ſenſu poſito: ac per conſequens materiam ac formam mutuo ſe priores, ac poſteriores natura eſſe, non penes earum eſſe, ſed penes earum ineſſe, & ſubeſſe. Hoc enim quid aliud eſt, quàm ambas eſſe priores vnione, qua copulantur? Quod autem alibi diximus, formam eſſe cauſam formalem ſolius compoſiti, non verò materiæ; id certè de materia quoad eius eſſe præcisè intelligendum eſt. Præterea reſponderi aliter poteſt, eſſe cur materia abſolutè dicatur cauſa formæ, eáque prior potius, quam forma materiæ, cauſa, eaque prior: ſiquidem vnio per quam dicitur forma in eſſe, eſt etiam forma quædam: vnde materia cum ſit cauſa formæ ſubſtantialis quoad illam vnionem, ſiue in eſſe: certè cenſetur cauſa formæ ſubſtantialis

ſtantialis ſecundum eſſe aliquod formale illi additum, ſiue prout eſt forma completa: at verò vnio per quam materia dicitur ſubeſſe formæ, non eſt materia: vnde quamuis forma ſit cauſa materiæ quoad illam vnionem, ſiue quoad ſubeſſe, non propterea erit cauſa materiæ quoad eſſe aliquod materiale, ſiue prout materia eſt, ſed potius quoad eſſe formale, ſiue materiæ quoad formam aliquam additam: quod ſatis non eſt, vt abſolutè dicatur cauſa materiæ.

9. Aliter etiam ſolui poteſt primum illud argumentum contrarium, ac valdè probabiliter dici, cauſalitatem materialem, qua materia cauſat formam, non ſuſcipi in vtroque extremo, ſed eſſe in ſola materia, & priorem eſſentialiter forma: ac proinde materiam eſſe propriam cauſam non ſolum compoſiti, verum etiam formæ ſecundum ſe, ſiue penes eius eſſe. Itaque vnio, in qua eiuſmodi cauſalitas materialis à nobis collocatur, reuera ſuſcipietur tanquam in ſubiecto in materia duntaxat, & non in forma: quin potius reſpectu huius erit eſſentialiter prior, & non poſterior: quam doctrinam problematicè defendi ſuprà lib. 2. tract. 7. cap. 5. Porrò autem huic poſteriori ſolutioni noſtræ non obſtant cauſales ſuprà obiectæ, nimirum ideo forma vnitur, quia exiſtit: non autem ideo forma è contrario exiſtit, quia vnitur materiæ: ſiquidem ita comparatæ ſunt, vt prior earum atque affirmatiua, ſit vera à poſteriori, & falſa à priori: poſterior verò, & negatiua è conuerſo ſit falſa à poſteriori, & vera à priori. Quod autem communiter opponi ſolet, vnionem non poſſe non recipi in forma, propterea quod ita intrinſecè afficiat, & perficiat illam, vt ſine ea nullatenus eſſe, aut conſeruari poſſit; quod ad receptionem, & cauſalitatem materialem ſufficere videtur, vt exemplis accidentium omnium conſtat: hoc, inquam, opponi ſolitum facilè dilui poteſt, ſi dicamus ad cauſalitatem materialem non ſufficere, quod proximè præmiſſum eſt, ſed vlterius requiri, vt id quod ſubiectum neceſſario afficit, ac perficit; eo ſit poſterius in præuiſione diuina: quamnis enim hanc poſterioritatem ſuprà lib. 2. tract. 1. cap. 5. negauerimus eſſe neceſſariam ad ſubiectum denominationis; at probabile eſt aliter philoſophandum eſſe, ſi ſermo ſit de ſubiecto inhæſionis, ſiue cauſalitatis materialis.

10. Ad ſecundum argumentum contrarium reſpondeo, vnionem ne diuinitus creari poſſe, idemque dicendum eſſe de reliquis modis, vt oſtendetur infrà lib. 5. tract. 2. cap. 6. & quidem oppoſitum ab aduerſariis non probatur, nec poteſt. Ad tertium reſpondeo; formam, aliúmve quemuis effectum poſſe prius prioritate naturæ dependere ab vna cauſa, quam ab alia: ſicut omnium conſenſu effectus prius prioritate dignitatis ab vna cauſa, quâ ab alia pendere poteſt: nec verò effectus in quouis inſtanti naturæ dependenter ab omnibus ſuis cauſis, & requiſitis exiſtens intelligi debet; ſed ſatis eſt, vt in quocunque inſtanti reali exiſtat in eo dependenter ab omnibus cauſis ad eum requiſitis exiſtat. Ad quartum reſpondeo, ad rationem cauſalitatis materialis opus eſſe, vt ea ſubiectum intrinſecè perficiat, & compleat; & hanc conditionem in definitione cauſalitatis materialis ſubaudiendam eſſe: cum ergo Verbum diuinum, eo quòd infinitè perfectum, & completum ſit, per vnionem hypoſtaticam à ſe realiter diſtinctam intrinſecè perfici, & compleri nequeat; ſanè eam pati, aut in genere cauſæ materialis ſuſtentare non poterit. Aut dicito, Deum cauſare in genere cauſæ materialis vnionem hypoſtaticam abſque vlla tamen mutatione ſui, eo quod ab illa de nouo intrinſecè perfici, aut compleri nequeat: quod enim cauſare aliquid in genere cauſæ materialis imperfectionem, aut mutationem ex genere ſuo non arguat, atque adeo actu, & re ipſa Deo conueniat, expreſsè docet Pater Fonſeca lib. 5. Metaphyſ. cap. 2. quæſt. 12. à ſect. 2. Ad vltimum argumentum contrarium inferius lib. 5. tract. 3. cap. 3. fiet ſatis.

11. Hactenus de cauſalitate materiali, ſiue paſſiua materiæ reſpectu formæ: quod autem attinet ad cauſalitatem materiæ, qua materia compoſitum conſtituit, ferè omnes cenſent eam eſſe vnionem, qua formæ vnitur: Verùm diſtinguendum eſt: aut enim comparatur materia cum toto per accidens, quod conſtituit; & cauſalitas materialis, qua huiuſmodi totum cauſat in vnione eius cum forma accidentaria ſita ſit: quum implicet, materiam huic numero formæ accidentariæ albedini verbi gratia, vniri, quin hoc numero album ex iis reſultet; eo quod hoc numero album in hac materia, hac albedine & hac vtriuſque vnione eſſentialiter conſiſtat: igitur vnio materiæ cum forma ob eiuſmodi connexionem, & determinationem cauſalitas materiæ reſpectu totius per accidens cenſenda eſt. Aut comparatur materia cum toto per ſe, & ſubſtantiali: quod ex eo, & forma reſultat; & reſpectu huiuſce totius cauſalitas materialis, vnio materiæ non cum forma, ſed cum ipſo toto, à quo realiter diſtinguitur, cenſeri debet: cum enim poſſint exiſtere in rerum natura hæc numero materia, & hæc numero forma, earúmque hæc numero vnio, quin ex iis hoc numero totum ſubſtantiale, & per ſe verbi gratia, hic numero homo reſultet; ſanè in eiuſmodi vnione talis reſultantia, ſiue cauſalitas materialis collocanda non eſt; ac proinde in ſola vnione materiæ cum ipſo toto debet collocari. Quo autem pacto cum hac doctrina cohæreat, totum ſubſtantiale & per ſe non generari, ſed creari conſtabit inferius lib. 5. tract. 2. cap. 6. Ex dictis intelliges, quid dicendum ſit de cauſalitate cauſæ formalis: ſiquidem reſpectu totius per accidens, à quo tantum in adæquatè diſtinguitur forma, non eſt aſſignabilis alia cauſalitas, quàm eius vnio cum ſubiecto: at totum ſubſtantiale, & per ſe cauſat per vnionem ſui, non tam cum ſubiecto, quàm cum eiuſmodi toto, vt proximè dictum, declaratúmque eſt in ſimili.

***

TRACTATVS X.

De Causa Finali.

CAPVT PRIMVM.

Quid, & quotuplex sit Causa Finalis?

1. FINIS ab Aristotele, & reliquis Philosophis definiri solet: *cuius gratia, vel propter quem aliquid fit*, vbi animaduertendum est, ly *fit* intelligi non debere de actione physica, vt communiter intelligi consueuit: Deus enim semetipsum propter se, & gratia sui amans se sui amoris finem sibi præstituit: haud secus ac homo semetipsum propter se amans amoris sui finis est: at amor, quo Deus semetipsum absolutè amat, physicè fieri nequit; imò amor eius relatiuus, quod plus est, fieri nequit, quantumuis produci possit: ergo ly *fit* in definitione finis de actione physica, & propria intelligendum non est, sed de sola actione intentionali, & affectiua; ita vt definitio sit hæc: Finis est, propter quem aliquid amatur: quo sensu intellecta Deo, & creaturis vniuocè, & propriè conuenire poterit. Finis diuidi consueuit in finem *qui*, & finem *cui*: finis *cui* est persona, cui bonum aliquod cupimus: finis *qui* est bonum ipsum, quod alicui cupimus: vnde cum amico ægroto salutem cupio, amicus est finis *cui* eiusmodi desiderij, & sanitas finis *qui*. Doctores Nominales censent, solùm finem *cui* propriè finem esse; quia id est propriè finis, in quo voluntatis intentio sistit, & qui propter se, & non propter aliud amatur: at intentio voluntatis non sistit in fine *qui*; propter se, sed propter finem *cui* amatur: ex solo enim amore, & complacentia amici salutem ei exopto, alioquin non magis salutem, quàm ægritudinem desideraturus. Verùm finem *qui* propriè finem esse Aristoteli, & reliquis Philosophis magis consentaneum est; apud quos nihil frequentius, quàm finem esse primum in intentione, & vltimum in executione: & formam esse finem generationis, non verò ipsius generantis: quæ, & similia de solo fine *qui* intelligi possunt. Ad rationem oppositam respondeo, intentionem voluntatis sistere in fine *qui* velut exequibili; eúmque propter sui, & non propter alterius executionem amari: quod satis est, vt in suo genere finis esse, ac dici possit.

2. Illud autem rationi contrariæ detulerim, finem *cui* principaliorem esse, ac magis, & principalius amari, quàm finem *qui*: quia hic, quantumlibet propter se in suo genere ametur, tamen absolutè, & simpliciter propter finem *cui* amatur: cum tamen finis *cui* propter finem *qui* neutiquam ametur; nec enim amicum esse amo, vt sanus sit, sed eum sanum esse cupio, vt absolutè sit, & viuat. Dices: cum per actum spei summum bonum mihi desidero, summum bonum est finis *qui*, ipse verò sum finis *cui*: at per eum actum summum bonum à me magis amatur, quàm ego-met ipse, & non è conuerso: aliàs si is actus bonum creatum magis, quam summum, & increatum bonum amaret, inordinatus esset. Verùm quemadmodum actus misericordiæ verbi gratia bonum creatum actualiter, & explicitè attingit, nimirum subleuationem alienæ miseriæ; summum verò bonum non nisi habitualiter, & implicitè attingit, quatenus in illud per actum charitatis à se distinctum referibilis est; ac proinde magis amat bonum creatum, quàm increatum; & tamen ob id inordinatus non est: ita similiter actus spei, quo summum bonum mihi cupio, atque in votis habeo, inordinatus non erit; quamuis per eum me metipsum magis, quàm summum bonum amem. 3.

Finis secundò diuidi consueuit in finem intrinsecum, quem videlicet actus immediatè attingit; & extrinsecum, quem actus non immediatè, & per se, sed medio alio actu, aut à se deriuato, aut se priori, suique principio attingit: quid autem sit, vnum actum ab alio oriri, & dirigi inferius ex professo ostendam. Hinc aliqui deducunt cum P. Ripalda lib. 3. de ente supernaturali disp. 50. sect. 2. actum bonum, & supernaturalem etiam à fine aliquo turpi extrinsecè volito simpliciter vitiari posse: vt cum quis ex intentione vanæ gloriæ venialiter mala ad confessionem Sacramentalem accedit: in eo enim euentu confessio sacrilega nullo iure censenda est, atque adeo bona, & supernaturalis est; cum tamen à fine inanis gloriæ quem extrinsecè respicit, propriè mala & turpis non esse nequeat. Quod autem communiter responderi consueuit, in ea hypothesi solam confessionem externam extrinsecè vitiari, & ob finem extrinsecum vanæ gloriæ fieri, attritionem verò internam bonam, & supernaturalem ad eiusmodi finem nullo modo conducere, nec ob illum extrinsecè elici, ab eóve vitiari: hoc, inquiunt præfati authores, momenti non est; siquidem esto attritio interna, & supernaturalis ad finem inanis gloriæ, bonámque opinionem apud confessarium assequendam immediatè, & directè non conducat; mediatè tamen & indirectè ad eum finem conducit: confessio enim externa ad eum immediatè, & directè conducit: attritio autem ad confessionem externam ponendam conducit immediatè, & directè; quia sine illa hic & nunc confessio non poneretur; nec pœnitens confessionem externam sacrilegam, & attritione interna minimè informatam vanæ gloriæ, & opinionis gratia vllatenus eligeret: quare de primo ad vltimum, vt aiunt, attritio interna ad finem vanæ gloriæ, & opinionem bonam consequendam mediatè conducit; ac proinde ab illa extrinsecè quidem, sed tamen propriè vitiari poterit. Hæc Ripalda & alij. Quos ego verissimè opinari opinor: qua parte statuunt, actum bonum, & supernaturalem oriri posse à fine prauo, quem non respiciat intrinsecè, sed tantum extrinsecè. At quod aiunt, eum ab illo propriè, ac simpliciter vitiari, id mihi valdè displicet. Deus enim nequit esse author vllius effectus propriè mali, in eóve complacere: at non potest non esse author actus boni, & supernaturalis, in eóque complacere: haud ergo potest actus bonus, & supernaturalis denominari propriè malus ratione finis mali, quem extrinsecè respicit. Quapropter ab eo non nisi secundum quid, & impropriè vitiosus poterit denominari, vt agens de act. human. ex professo ostendi.

CAP

CAPVT II.

An finis moueat ſecundum eſſe reale, vel potius ſecundum eſſe intentionale; & an cauſa finalis ſit propriè, & ſtrictè cauſa?

4. AVt, quod perinde eſt, in quo eſſe; reali, vel intentionali; bonitate cognita, & amata, vel potius cognitione ipſa, & amore ſita ſit virtus motiua, & cauſatiua finis, cauſaue finalis? Prima ſententia eſt, virtutem motiuam, ſeu cauſatiuam finis, cauſamve finalem non in eſſe reali, & phyſico, ſed in ſolo eſſe intentionali ſitam eſſe: haud ſecus ac cum aqua calida calefacit, virtus calefactiua, totáque ratio calefaciendi non in entitate aquæ, ſed in calore conſiſtit. Ita Auicenna 6. Metaphyſ. cap. 5. Hurtadus de anima diſp. 13. ſect. 3. Soncinas 5. Metaphyſ. quæſt. 3. & cum eo perplures Thomiſtæ, præſertim neother ci. Secunda ſententia eſt, virtutem cauſatiuam, & motiuam finis, cauſamve finalem in ſolo eſſe reali, & phyſico finis conſiſtere, & eſſe apprehenſum, ſiue apprehenſionem bonitatis obiectiuæ finis eſſe meram conditionem, ſine qua bonitas obiectiua non moueret: haud aliter ac applicatio ignis; eiuſque verſus paſſum approximatio non tam eſt virtus effectiua, cauſaue efficiens, quàm mera conditio, ſine qua ignis non efficeret. Ita Auerroës 11. Metaphyſ. commento 36. Scotus in 1. diſt. 1. quæſt. 4. Caietanus, & Ferrara, Okamus, & Gabriel, Suarez, Arriaga, & alij. Verum inter has ſententias extremè oppoſitas media quædam eligenda eſt, & virtus motiua, ſeu cauſatiua finis, cauſáque finalis, ſiue motiua, nec in ſolo eſſe reali, nec in ſolo eſſe intentionali, ſed in vtroque collocanda eſt.

5. In primis cognitionem ipſam ſanitatis verbi gratia rationem cauſæ finalis, & motiuæ ſortiri, & ad amorem finis, & mediorum ſimpliciter mouere ſuadeo. Primò: quia mouere intentionaliter voluntatem ad amandum, eſt eam intentionaliter dirigere ad amandum: haud ſecus ac dirigere phyſicè ſagittam verbi gratia eſt eam mouere, & verſus ſcopum aliquem impellere: at cognitio bonitatis obiectiuæ finis ad eius amorem dirigit: ergo & mouet; ac proinde rationem cauſæ motiuæ, & finalis ſibi vendicat. Secundo, quia omnium conſenſu præmiſſæ ad concluſionem mouent: ergo à ſimili cognitio finis, &c. Tertiò, quia gratia præueniens hominem ad conſenſum mouet, iuxta illud Concilij Tridentini ſeſſ. 6. cap. 16. can. 4. *ſi quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nil cooperari*, &c. at gratia præueniens in illuſtratione intellectus, & pia affectione voluntatis conſiſtit: igitur illuſtratio intellectus, ſiue cognitio alicuius bonitatis obiectiuæ, & finalis propriè mouet.

6. Rurſus bonitatem obiectiuam finis ad amorem ipſius finis, & mediorum ad finem conferentium mouere, ac rationem cauſæ motiuæ, & finalis ſibi vendicare ſuadeo. Primò, quia id mouet voluntatem ad amorem mediorum, cuius gratia voluntas media eligit: at gratia bonitatis obiectiuæ, finis verbi gratia ſanitatis ſecundum eius eſſe reale voluntas media ad ſanitatem vtilia eligit: ergo &c. Minor perſpicua eſt, quia voluntas non eligit media ad conſequendam cognitionem ſanitatis, ſiue gratia illius, vt pote quæ ſine mediis præhabetur, & quæ eſto adſit, ad leuandam ægritudinem inutilis eſt: igitur voluntas ad conſequendam ipſam ſanitatem, & gratia ſanitatis ſecundum eius eſſe reale media eligit. Secundo, quia obiectum voluntatis in motiuum, & terminatiuum diſſecari conſueuit: ſicut ergo obiectum ſecundum eſſe reale & phyſicum amorem terminat, ita etiam ſecundum idem eſſe eum mouere poterit; atque adeò finis ſecundum eſſe reale, &c. Tertiò, quia in creatis id, quod eſt finis voluntatis rationem cauſæ motiuæ & finalis ſuo quaſi iure ſibi aſſerit; ſicut quod eſt materia, rationem cauſæ materialis; & quod eſt forma, rationem cauſæ formalis ſibi vindicat: at ſanitas verbi gratia ſecundum eſſe reale finis voluntatis eſt; ſiquidem finis eſt id, quod propter ſe amatur, & cuius gratia cætera amantur: ſanitas autem ſecundum eſſe reale propter ſe amatur, & propter eam ſecundum eſſe reale obtinendam media amantur.

7. Obiicies tamen primò pro prima ſententia initio capitis memorata: Cum quis finem impoſſibilem, & chimæricum, alium Deum verbi gratia amori ſuo præſtituit, eiuſmodi finis voluntatem mouet: at non ſecundum eſſe phyſicum, & reale, quo prorſus deſtituitur: ergo duntaxat ſecundum eſſe cognitum, fictumvè. Rurſus omnis cauſa, ſiue virtus cauſatiua exiſtentiam ad cauſandum poſtulat; at vt finis moueat; & in genere cauſæ finalis ad electionem mediorum concurrat, non petit exiſtere ſecundum eſſe reale; &, quod plus eſt, non poteſt: aliàs electionem mediorum exiſtentia per ea intenta anteuerteret: igitur finis ſecundum eſſe reale; & phyſicum rationem cauſæ finalis, ſiue motiuæ ſibi non vendicat, ſed præcisè ſecundum eſſe cognitum, & intentionale, quod nunquam non exiſtit, quoties finis mouet, munuſq; cauſæ finalis exercet. Præterea id cenſeri debet virtus cauſatiua finis, ſiue cauſa finalis, & motiua, per quod conſtituitur formaliter finis in ratione finis: at finis conſtituitur formaliter in ratione talis per ſolam cognitionem, & amorem, ſiue per ſolum eſſe intentionale: ergo &c. Maior perſpicua videtur. Minor probatur: quia idem eſt, aliquid eſſe finem, ac eſſe cognitum, & amatum propter ſe: at cognitum, & amatum propter ſe conſtituitur formaliter in ratione talis per ſolam cognitionem, & amorem: ergo etiam in ratione finis. Ad primum reſpondeo, per eſſe phyſicum, & quodammodo reale à nobis intelligi eſſe ſaltem inadæquatè diſtinctum à cognitione, & complacentia: hac autem ratione finis chimæricus ſortitur eſſe phyſicum, quod cauſa finalis eſſe poſſit. Ad ſecundum reſpondeo, maiorem in ſolis cauſis phyſicis veram eſſe, cauſamque finalem, ſiue intentionalem ex genere ſuo neutiquam poſtulare exiſtentiam ad hoc, vt cauſet. Ad tertium reſpondeo, aliquid eſſe finem eſt illud eſſe bonum, cognitum, & amatum propter ſe: at aliquid eſſe bonum cognitum, & amatum propter ſe conſtituitur formaliter non ſolùm per cognitionem, & amorem, eſſe ve intentionale, ſed etiam per bonitatem ſibi intrinſecam, & eſſentialem, ſiue per eſſe reale: quare maior argumenti concedenda, minor verò neganda eſt.

8. Obiicies pro ſecunda ſententia initio capitis propoſita:

proposita: id solum est causa finalis, & motiua, siue virtus causatiua finis, quod est formaliter finis: haud aliter ac id solùm est causa materialis, aut formalis, quod forma, & materia, siue subiectum est: at sola sanitas verbi gratia secundum esse reale, non verò cognitio sanitatis est formaliter finis: siquidem id solùm est formaliter finis, quod voluntas primò intendit, sanitas autem, non eius cognitio à voluntate intenditur. Deinde mouere est aliò impellere: at bonitas obiectiua finis voluntati proposita eam ad se trahit, eámque aliò non impellit, in quo differt à veritate obiectiua: ergo bonitas illa voluntatem non mouet; ac proinde, &c. Ad primum respondeo in primis, non semper id solum, quod finis est, rationem causæ finalis sortitur: sicut etiam non solum id, quod materia est, aut etiam materia constat, rationem causæ materialis subit: siquidem animus, & Angelus causæ materiales suarum proprietatum, & accidentium à nobis admittuntur, cum tamen neuter materia sit, eáue coalescat. Vnde quamuis sola bonitas obiectiua finis sit, non verò eius cognitio, & complacentia; non propterea sola illa causa finalis censenda. Deinde verum esto, si maiis, id quod finis est, rationem causæ finalis subire: cæterum illud etiam quod formaliter finem constituit, causa finalis dici debet: cum ergo cognitio, & complacentia finis finem formaliter constituat, causa finalis dici poterit: at hæc ratio non militat in materia, & forma, cum nihil materiam formaliter constituat, quod materia non sit. Ad secundum respondeo, mouere est impellere quomodolibet, & siue ad se, siue ad aliud: qua ratione magnes ferrum mouere dicitur, quamuis illud non aliò, sed versus se impellat.

9. Porro autem, vt ad dubium titulo capitis secundo loco positum deueniam, causam finalem esse propriè, strictéque causam suadeo: siquidem finis in tantum causat, in quantum per cognitionem, aut amorem causam efficientem ad agendum mouet, & applicat: at hoc pacto mouere, & applicare est verè causare: igitur causa finalis vera causa est. Minor probatur: quia mouere causam efficientem ad productionem effectus est mouere ad existentiam effectus à causa efficienti; ac proinde absolutè mouere ad existentiam effectus: at mouere absolutè ad existentiam effectus est tribuere existentiam effectui, siue influere existentiam in effectum: ergo causa mouens, & applicans causam efficientem ad productionem effectus verè influit esse in effectum, siue in esse effectus verè influit, sicut ad rationem veræ causæ requiritur. Confirmatur, & declaratur: effectus verè pendet à cognitione, & amore, & ab iis oritur, vt omnes fatentur: ergo etiam cognitio & amor in effectum esse influit, sicut ad rationem veræ causæ requiritur: cum ergo cognitio, & amor in genere causæ finalis concurrant, &c.

10. Verùm enimverò explicandum restat, quatenus causa efficiens à reliquis tribus causarum generibus minimè differat, si reliqua tria non minus quàm efficiens veræ causæ sint; formalis quidem, & materialis, vt tract. præcedenti manet demonstratum; finalis verò, vt in præsenti statuimus. Causa ergo efficiens est, quæ tribuit esse effectui, quem non constituat, & ad quem non moueat, aut dirigat: quare causa materialis, & formalis compositum non efficient; quia intantum ei esse tribuunt, in quantum illud constituunt. Quod si totum à suis partibus realiter non distinguatur, adhuc facilius est discrimen causæ materialis, & formalis ab efficienti; quia causa formalis, & materialis esse à se indistinctum; & causa efficiens esse à se distinctum effectui tribuit: causa autem finalis ab efficienti differt, quia causa finalis ad existentiam effectus dirigit, & mouet, eam verò non efficit: dirigere autem, & efficere ex terminis diuersa sunt. Confirmatur, quia si aliqua de causa iuxta nostram sententiam causa formalis, materialis, & finalis ab efficienti non differrent, maximè quia esse verè influunt, & communicant: at hæc ratio nulla est, alias Pater æternus Filij causa efficiens esset. Quare sicut hoc, quod est influere, siue tribuere esse cum aliqua limitatione, sumi solet, & debet; ratione cuius Pater æternus Filium non efficiat, esto esse in eum influat: ita similiter cum aliqua limitatione sumi debet; ratione cuius causa materialis, formalis, & finalis causata sua non efficiant, siue causæ efficientes non sint, quâtumuis esse verè influant, & communicent: ea autem limitatio est, quæ à nobis proximè suprà tradita est.

CAPVT III.

Quos effectus Finis sibi vendices?

CVm quis finem aliquem consequi studet, varios habet actus: primus est simplex complacentia finis: secundus amor eius efficax: tertius electio medij ad eum necessarij: quartus executio ipsius finis: quorum actuum quis sit effectus finis, & à qua causalitate ab eo dependeat, in præsenti disputari potest. Quod ad primum attinet, communiter dubitatur, an affectus ipsius finis siue efficax, siue inefficax sit, effectus finis sit. Pater Vasquez 1. 2. disp. 4. cap. 2. negat: primò, quia finis est cuius gratia, siue vt explicat Arimenensis cuius amore aliquid fit: atque adeo id erit effectus finis, quod ex amore finis procedit: at complacentia, aut amor finis ex amore finis minimè procedunt; cum complacentia finis eius amorem præcedat, amórque finis se ipsum necessario concomitetur. Secundo, quia si amor ipsius finis esset effectus finis, amare bonitatem obiectiuam finis propter se esset operari propter finem: vnde belluæ propter finem operari possent, siquidem bonum delectabile propter se appetunt: cum ergo belluæ propter finem operari nequeant, ideo erit, quia sola electio mediorum est effectus finis, solúmque eligere media ad finem vtilia est operari propter finem; belluis verò ad eiusmodi electionem iudicium de conducentia mediorum ad finem omnino deest. 11. 12.

Verùm cum P. Suarez disput. 23. Metaphys. sect. 3. probabilius mihi videtur, affectum finis eius effectum esse, siue eiusmodi affectus efficax, siue inefficax sit: quia finis est omne id, quod propter se amatur: at finis propter se amatur seorsim ab electione mediorum, & pro priori ad illam: ergo finis seorsim ab electione mediorum, & pro priori ad illam propriè finis est, rationémque, & officium causæ finalis exercet: cum ergo pro eo priori rationem causæ finalis respectu electionis exercere nequeat, eam proculdubio exercebit

comparatione

comparatione intentionis ipsius finis, hæcque eius effectus censendus est. Secundo idem suadeo, quia omnis actio humana, & deliberata est effectus finis, siue propter finem, vt omnes Theologi docent cum D. Thoma 1.2.qu.1.art.1. corp. ibi: *obiectum autem voluntatis est finis, & bonum; vnde oportet, quod omnes actiones humanæ propter finem sint.* Ad primam rationem oppositam: fieri aliquid gratia alterius, sicut ad effectum finis oportet, non est præcisè fieri amore alterius, sed etiam fieri ob bonitatem alterius cognitam: cum ergo amor finis ob bonitatem eius cognitam fiat, sanè gratia finis fiet, eiúsque effectus censendus est. Ad secundam rationem: cap. 5. perspicuè constabit, cur belluæ propter finem non operentur, vt vt amor finis eius effectus sit.

13. Secundò dubitari solet: an electio mediorum sit propter finem, eiusque effectus? Nonnulli, quos supressis nominibus citat Arriaga d.8. Physic. sect.7. censent, electionem mediorum non esse propter finem, eiusve effectum; solùmque id conuenire posse in executionem mediorum, quia solùm id est effectus finis, eumque propter, quod amatur propter finem, velut vtile ad eius consecutionem: at electio mediorum hac ratione non amatur, sed potius per eam media amantur. Verùm hic loquendi modus (de re enim constat) sequendus non est, quia id est effectus finis, eumque propter esse potest, quod ex intentione finis causatur: at electio mediorum ex intentione finis causatur: equidem, sicut conclusio formalis est propter obiectum præmissarum, quia ex assensu illius obiecti oritur, quamuis alium assensum reflexum non terminet, quo quis conclusioni formali propter præmissas assentiat, vt compertum est; ita similiter, vt electio mediorum sit propter finem, opus non est, vt terminet amorem aliquem reflexum, quo tanquam vtilis ad finem ametur. Tertiò dubitari solet; an executio ipsius finis sit effectus finis, siue propter finem? Haud pauci negant, quia finis, iuxta Aristotelem, est, cuius gratia cætera fiunt: at finis ipse inter cætera. siue alia à se numerari nequit: ergo finis non definitur causa sui, sed causa aliorum à se; ac proinde non sui, sed aliorum causa esse poterit. Deinde si executio finis esset effectus finis, finisque causa sui ipsius; pari ratione causa efficiens sui ipsius causa esse posset: consequens autem absurdum est. Verùm oppositus sentiendi, & loquendi modus communior, veriorque est: qui enim finem executioni mandat, eum exequitur propter aliquid; sicut etiam media propter aliquid exequitur: alias magis temerè, & inconsultè finem ipsum, quam media ad finem exequeretur: igitur executio finis propter finem, eiusque effectus est. Cum autem finis definitur id, cuius gratia cætera, videlicet media, fiunt, ibi implicitè asseritur, ipsum finem fieri gratia sui; cum fieri finis, & fieri mediorum ad finem essentialiter coniuncta sint. Deinde, ideo nihil causa efficiens suimetipsius esse nequit, quia causa efficiens ad causandum præuiè existere postulat: quare si aliquid se ipsum causaret, existeret prius, quàm existeret: hæc autem ratio in fine non militat, cum existentiam ad causandum minimè postulet.

CAPVT IV.

Quam causalitatem finis sibi vendicet?

14. CAusalitas, siue actio causæ finalis nihil aliud est, quàm dependentia illa, qua complacentia finis ab eius cognitione, amor à complacentia, electio ab amore finis, vniusque medij electio ab electione alterius dependent, ac diriguntur. Porrò directionem hanc actualem, seu causalitatem finis nonnulli collocant in coëxistentia, & aggregato actus dirigentis, & actus directi. Cæterùm impugnantur primò: quia stat optimè existere actum dirigentem, & actum directum in eodem instanti reali, quin alter ad alterum dirigat, eumvè in actu secundo regulet? actualis igitur directio, & causalitas finis in ea coëxistentia non consistit. Consequentia est perspicua. Antecedens probatur: nam potest quis immemor alicuius finis v.g. sanitatis eligere deambulationem gratia alterius finis, & in eodem instanti reali pro posteriori signo rationis recordari prioris finis, nempe sanitatis, eiusque cognitionem, & complacentiam habere: quæ enim in hoc euentu repugnantia, aut contradictio? At tunc daretur coëxistentia vtriusque actus absque directione alius ad alium, siue causalitate finali: neque enim fieri potest, vt cognitio, & complacentia finis vllius dirigant ad electionem se natura priorem.

15. Alij secundo eandem sententiam cum moderatione aliqua sequuntur, & existimant directionem actualem, causalitatémque finis, præter coëxistentiam iam iam explicatam vlterius inuoluere voluntatem, qua Deus ex præuisione actus dirigentis concursum præparet, & exhibeat ad actum directum. Verùm hæc sententia, licet difficultatem superioris argumenti effugiat, duobus tamen argumentis impugnatur: nam nulla causalitas naturalis superat perfectionem causæ, cuius causalitas est, vt per causalitatem causæ efficientis materialis, & reliquas discurrenti constabit? directio igitur in actu secundo, siue causalitas causæ directiuæ perfectionem causæ directiuæ non superat: superaret autem, si actum dirigentem, & actum directum, & quod caput est, diuinam voluntatem concursus sui præparatiuam comprehenderet: igitur in eo aggregato collocari non debet. Rursus secundo: actio causæ efficientis in simili aggregato causæ, & effectus adiuncto actu aliquo diuinæ voluntatis constitui posset; quod tamen ipsi aduersarij inficiantur. Dices, hoc postremum non sequi; quoniam assignari nequit obiectum diuinæ voluntatis constituentis simul cum causa, & effectu actionem causæ efficientis, nisi ea voluntas se ipsam velit: haud enim vult solùm causam, & effectum, dum influxum causæ in effectum vult: hæc enim duo simul reperiri possunt, absque influxu illo vnius in alium: in quid igitur ea voluntas fertur, nisi in se ipsam feratur, hunc in modum: *volo me ipsam*, quo nihil absurdius, aut ad agendum inutilius dici, vel excogitari potest? At obiectum diuinæ voluntatis, quæ directionem in actu secundo constituit, facilè explicatu est; siquidem est actio causæ efficientis, videlicet voluntatis,

aut intellectus actum directum producentis: actio, inquam, illa à Deo volita ex præuiſione actus dirigentis.

16. Impugnatur tamen hæc cuaſio: quia eadem ratione dici poſſet, obiectum voluntatis conſtituentis actionem cauſæ efficientis, actum intellectus verbi gratia eſſe cauſalitatem cauſæ directiuæ, quæ in modo conſiſtat: igitur vbi vnus actus ſine modo ad alium dirigat, actio effectiua in aggregato, & non in modo ſuperaddito collocanda eſt. Impugnatur ſecundo, quia actus dirigens, & actus directus, & actio effectiua actus directi ſimul exiſtere poſſunt, abſque eo quod alter actus ad alium in actu ſecundo dirigat, vt numero ſuperiori probauimus: igitur cum Deus vult eam directionem in actu ſecundo, modum aliquem ab his tribus diſtinctum vult: aut ſi eandem directionem conſtituit, quin eam directè velit, ſed potius tria illa ſpeciali modo, quem aduerſarij cum dependentia illa ex præuiſione diuina explicant: ita ſimiliter actio cauſæ efficientis diuina voluntate conſtitui poterit, nimirum ſi ea voluntas concurſum cauſæ efficientis ſolùm conſtituat, & non velit, tantúmque cauſam & effectum ſpeciali aliquo tendendi modo velit, & decernat. Tertiò non defuere qui cum P. Ripalda tom. 1. de ente ſupernat. diſp. 48. directionem actualem in prædicto aggregato trium illorum conceptuum, & vlterius in defectu quodam conditionato conſtituant; vt actus tunc dirigere cenſeatur; cum inſuper verum eſt, actum directum defuturum, ſi actus directiuus deficeret, tunc autem non dirigere; cum verùm eſt, non defuturum, eſto actus directiuus abeſſet. Hæc ſententia iiſdem fermè difficultatibus, quibus ſuperior, obnoxia eſt; vt eas huc applicanti conſtabit. Deinde ideo actus directus deficeret in abſentia actus dirigentis, quia ab eo pendet, ac dirigitur: igitur potius defectus ille conditionatus in ordine ad dependentiam ac directionem actuum, quam è diuerſo explicari debet. Præterea aliud eſt, eſſe occaſionem, aliud eſſe cauſam: defectus autem conditionatus vnius actus reſpectu alterius facere poteſt, vt alter alterius occaſio, non verò cauſa ſit.

17. Alij aliter rem explicant, & autumant actum directum produci efficienter per actionem eſſentialiter pendentem ab actu dirigente, quoties hic dirigit. Contra tamen primò: quia actio pruductiua actus directi, & finaliter cauſati eſſentialiter pendet à cauſa materiali, & etiam à cauſa efficienti: & tamen neutra ad eum in actu ſecundo dirigit, ſed altera eum efficit, & altera eum recipit: quamuis igitur ea actio à cognitione & complacentia finis eſſentialiter pendula ſit non propterea eiuſmodi cognitio, & complacentia ad eam dirigent. Rurſus: ſi actus intellectus, & voluntatis in actione conſiſtant, vt plures aduerſarij cenſent, fiet ſanè ex contraria ſententia, actum dependentem ab vno fine, non poſſe etiam diuinitus pendere, aut dirigi ab alio, à quo antè non dependebat. Conſequens autem videtur abſurdum. Sequela probatur: nam actio, quæ ſemel eſſentialiter non pendet ab aliquo, nunquam poteſt eſſentialiter ab eo pendere, cum eſſentiæ rerum ſint inuariabiles: atqui directio, qua de agimus, in ea dependentia eſſentiali, iuxta contrarios, ſita eſt: qua ergo directione ſemel caruit effectus finalis, eam nunquam poſtea poterit ſortiri. Atque hinc obiter fit, ex eadem ſententia inferri, innumeras eſſe definitiones, diuiſiones, & argumentationes, deſcriptiones, ac demonſtrationes in materia aliarum ſcientiarum, omnino irregulares, & à Dialectica minimè dirigibiles: etenim in aliis ſcientiis plures intellectiones (quæ, vti ſupponimus diſputandi gratia, actiones ſunt) eſſentialiter non pendent ab actibus Dialecticæ, eæ videlicet, quæ abſque directione Dialecticæ de facto fiunt: igitur plures ſe ipſis ab actibus Dialecticæ eſſentialiter pendere nequeunt, ac per conſequens neque ab iis dirigi: quod tamen quis incredibile non cenſeat? Poſtremo alij directionem iſtam, cauſalitatem que finis in ente rationis, & fictitio conſtituunt: quorum tamen opinionem lib. 2. Dialecticæ abundè profligauimus.

Noſtra ſententia ſit, directionem iſtam 18.
actualem conſiſtere in modo quodam vero, & reali, qui inter actum dirigentem, & actum directum medius, & hoc prior, illóque poſterior ſit: haud aliter ac cauſalitas cauſæ efficientis in modo diſtincto communiter conſtituitur. Porrò inter hos modos non vnum diſcrimen interuenit: nam primò munus vnius eſt efficere, alterius verò dirigere, ac mouere, quæ longè diuerſa apparent: ſecundo alter eſt neceſſarius ad exiſtentiam effectus, alter ſolùm vtilis, & proficuus: tertiò vnus circa ſolùm effectum verſatur, alter verò circa effectum, & eius effectionem, ad eam dirigendo, & mouẽdo. Tandem alter ſimpliciter facit, alter ſecundum quid duntaxat: vtriuſque natura ex ſequentibus obiectionibus amplius eluceſcet.

Obiicies primò: actio illa directiua, cum ſit 19.
ens reale, realiter producitur: ſed non per aliam actionem, ne detur actionis actio, & ſic in infinitum procedamus: igitur per ſe ipſam producitur, ac efficitur: igitur eſt actio cauſæ efficientis: falſo igitur directio in modo ab actione cauſæ efficientis diſtincto conſtituta à nobis eſt. Reſpondeo, dari poſſe actionis actionem diſtinctam, in diuerſo tamen genere: nam actio intentionalis, amor ſcilicet, & cognitio per actionem phyſicam à ſe diſtinctam, iuxta innumeros Authores, producitur: cauſalitas etiam cauſæ materialis, ſiuè paſſio per actionem effectiuam à ſe diſtinctam, iuxta non paucos probabiliter opinantes producitur. Denique in diuinis generatio paſſiua Filij; ſiue, quæ perinde eſt, ipſa filiatio per generationem actiuam, nimirum paternitatem verè producitur: cur ergo actio directiua per actionem effectiuam à ſe diſtinctam produci nequeat abſque vllo progreſſu in infinitum? qui tantum locum habet, cum vna actio per aliam eiuſdem generis producitur, effectiua v.g. per aliam effectiuam: non enim potior eſt ratio, cur prima effectio ſecundam, quàm ſecunda tertiam, tertia quartam, & ſic in infinitũ terminent: omnes nãque ſimiles ſunt.

Obiicies ſecundo: cum ex cognitione alicuius obiecti illud voluntas liberè amat, directio cognitionis ad amorem ab actione effectiua amoris indiſtincta eſt: igitur idem ſeruata proportione dicendum eſt de actibus non liberis, quoties alij ad alios dirigunt. Conſequentia videtur bona. Antecedens probatur, nam directio illa in actu ſecundo non eſt poſterior effectione amoris; aliàs tarda, & inutilis foret: nec illa eſt prior; aliàs euerteret libertatem talis actionis effectiuæ amoris, qua nimirum prior eſt, & cum qua aliunde eſſentialiter connexa eſt; eo quod 20.

amor

amor dirigi in actu secundo, & non effici, ne diuinitus possit: igitur necessario effectionem amoris concomitatur, ac proinde cum illa identificatur: cur enim, si distinctæ essent, prius natura, ac posterius existere nequirent? Respondeo, me non inficiari actionem directiuam alicuius actus, & actionem eius effectiuam in eandem coalescere, verum id non ex natura, & conceptu actionum, sed ex natura peculiari actus, & eius libertate oritur: proinde non est, cur in actibus suapte natura non liberis actio eorum effectiua, & directiua non distinguantur.

CAPVT V.

Quæ agentia propter finem operentur?

21. CReaturam rationalem, qualis est homo, & Angelus, propter finem operari omnibus exploratum est: vnde tota huius capitis controuersia ad Deum, & creaturas insensibiles, & irrationales reuocatur. Pro quibus prima assertio sit, Deus operatur propter finem. Hæc assertio suadetur primò ex sacra pagina: *vniuersa propter semetipsum operatus est Deus.* Prouerb. 16. & alibi sæpe. Secundò quia operari propter finem inuoluit perfectionem simpliciter simplicem, idest omnis imperfectionis expertem: illud autem catholicè controuerti potest, quæ operationes Dei sint propter finem, immanentes, an transeuntes? eæ-vè, quæ ad extra sunt, an potius eæ, quæ ad intra sunt, nimirum volitiones ipsæ Dei, quibus aliquid intendit, aut eligit? Communior Scholasticorum sententia est, solas priores operationes Dei esse propter finem, posteriores verò, nempe volitiones Dei, non esse propriè propter finem, sed propter rationem formalem: quod multipliciter suaderi potest. Primò, quia finis est cuius gratia aliquid fit: atque adeo id solùm propriè propter finem esse potest; quod propriè fieri potest: at volitio Dei immanens id cum reliquis prædicatis Dei commune sortitur, quod fieri propriè nequeat; iuxta illud Symboli: *genitum, non factum.* Deinde finis, & causa finalis generaliter fando in idem coincidunt: sicut forma v.g. & causa formalis in idem recidunt: at diuinæ volitionis nulla causa finalis esse nequit: siquidem diuina voluntas vno, eodémque realiter actu finem intendit, & media eligit: vnde diuina intentio tam nequit esse causa finalis diuinæ electionis, quàm idem nequit esse causa sui ipsius.

22. Verùm oppositum longè probabilius arbitror: tum quia cum finis definitur, cuius gratia aliquid fit, ly *fit* non de actione physica, sed de intentionali, & affectiua explicari debet, vt sensus sit, finem esse cuius gratia aliquid amatur, aut quod gratia sui amatur: at Deus à semetipso gratia sui amatur, idque anteaquam aliquid ad extra operetur: igitur finis est, munusque finis exercet, anteaquam ad extra quidquam operetur; atque adeo in ordine ad operationes suas ad intra: quo fiet, vt hæ propter finem non esse nequeant. Tum quia volitio interna Dei ad eius infinitam, summámque bonitatem propter ipsam terminatur, vt certo certius est, ergo illam respicit non solùm tanquam rationem formalem, vt aduersarij philosophantur, verum etiam tanquam finem: alioqui pari licentia dici posset, creaturas à Deo produci propter semetipsum, tanquam propter rationem formalem, non verò tanquam propter finem: vnde nullum nobis suppeteret fundamentum ex sacris literis ad probandum, Deum operari propter finem: quod enim asserunt Deum omnia propter semetipsum operari, & similia testimonia nō de fine, sed de ratione formali explicari possent. Tum quia in creatis principium producens realiter, & causa efficiens reciprocantur; & tamen in Deo minimè recurrunt, vt in mysterio Trinitatis cernere est: igitur quamuis in creatis principiū finale, vt ita loquar, siue finis cum causa finali conuertatur (quod etiam falsum esse cap. 2. ostendimus) cæterum in diuinis non coincident: atque adeò volitio Dei interna propter finem esse poterit, quin causam finalem sortiatur. Tum demum, quia causa finalis est causa intentionalis, & iuxta plerósque aduersarios impropria, & metaphorica: igitur quamuis ex eo, quod diuinæ volitionis diuina bonitas finis sit, rectè inferatur, aliquid esse causam finalem sui, nihil absurdi inferri, aut deduci poterit, vt cap. 3. propè finem exposuimus.

23. Secunda assertio sit: agentia naturalia, & insensibilia non operantur propter finem, qui respectu illorum finis sit, siue ad quem ipsa se moueant, aut determinent. Probatur assertio, quia nullum agens potest operari propter finem, ad eumve se mouere, quin illum cognoscat, & intendat: at agentia naturalia, & insensibilia nullum finem cognoscere, aut intendere possunt: ergo &c. Maior probatur, quia, si quis amico poculum veneno temperatum propinet, inscius mali, quod propinat; is sanè neutiquam poculum illud amico propinabit eo fine, vt mortem asciscat; nec amici mortem velut finem sibi præstituet, quantumuis aliquid ad mortem amici vtile ponat: non alia ratione, nisi quia mortem amici ex ea actione sequuturam minimè cognoscit, aut intendit: igitur nullum agens potest operari propter finem, quin eum cognoscat, & intendat: enimvero agentia naturalia operari possunt propter finem, non qui finis sit respectu illorum, sed qui finis sit respectu agentis primi; & in quem non ipsa se agant, aut moueant, sed in quem à primo agente per intellectum, & voluntatem agantur, & moueantur: quo spectat tritum illud axioma, *opus naturæ est opus intelligentiæ:* & illud effatum Aristotelis 4. de generat. animal. capite 4. omnia, quæ natura, vel arte fiunt, ratione aliqua sunt.

24. Assertio tertia sit: bruta non operantur propriè propter finem, qui respectu illorum finis sit. Probatur assertio, quia agens, quod operatur propter finem, rationem aliquam habet eius, quod operatur: cum finis ratio motiua, siue ratio propter quam definiatur: at bruta propriè loquendo nullam habent rationem eius, quod operantur: ergo propter finem propriè non operantur. Minor probatur, quia cum bruta irrationalia, & ratione carentia sint; sanè eius, quod operantur, nulla ratio propriè sumpta ab iis exigi potest: quo arguendi genere vsus est Bernardus serm. 81. in cant. vbi de brutis ita loquitur: *inde est, quod non iudicantur, quia non iudicant; quonam quippe ratione ab iis exigatur ratio, quam non acceperunt?* Rursus: si belluæ propter finem operari possent, vnum propter aliud velle, & amare

poſſent, cum finis definiatur is, cuius gratia, ſiue propter quem aliquid amatur: at belluæ vnum propter aliud amare, aut velle non poſſunt: ergo &c. Minor probatur, quia ſi belluæ vnum propter aliud amare poſſent, ſimiliter etiam vnum propter aliud cognoſcere poſſent: at vnum propter aliud cognoſcere nequeunt, alias diſcurſiuæ, & rationales forent; cum diſcurrere aliud non ſit, quam aliquid cognoſcere propter aliud prius cognitum. Quamuis autem Porphyrius libr. 3. de abſtinentia, & Plutarchus in dialogo, qui inſcribitur quod brutis ratio inſit; & apud eundem Plutarchum lib. 5. de placitis cap. 2. Pythagoras, & Anaxagoras rationem brutis conceſſerint, id tamen omnino irrationabile eſt; & non ſolùm rationi, verumetiam fidei contrarium. Sequela vero perſpicua eſt, quæ enim vtrinque diſparitatis ratio eſt? aut cur eo ipſo, quod vis appetitiua bruti non minus perfecta ſit, quàm eius vis cognoſcitiua, ſicut per illam vnum velle, & appetere propter aliud poteſt, per hanc vnum cognoſcere propter aliud nequeat?

25. Præterea, quamuis intellectus ab apprehenſione vnius obiecti ad apprehenſionem alterius gradum faciat, tamen intellectus per ſolas apprehenſiones propriè non diſcurrit, nimirum ob imperfectionem apprehenſionis, & quia ad perfectionem iudicij non accedit; & quamuis belluæ ex natura ſenſitiua vnius obiecti ad alterius notitiam perueniant (quod aduerſarij diffiteri non poſſunt, cum belluas ex appetitione vnius obiecti ad appetitionem alterius procedere non renuant) quamuis, inquam, belluæ ex natura vnius obiecti ad notitiam alterius procedant, tamen propriè non diſcurrunt, nec ratiocinantur ob imperfectionem notitiæ ſenſitiuæ, & quia ad perfectionē notitiæ ſpiritualis non accedit: igitur ſimiliter, quamuis belluæ ex appetitione præuia vnius obiecti ad appetitionem alterius procedant; vna tamen appetitio intentio finis, & alia appetitio electio medij appellari non poterunt; nimirum ob imperfectionum appetitionis ſenſitiuæ, & quia ad perfectionem appetitionis ſpiritualis, ſiue volitionis non accedit.

26. Tandem, ſi bruta poſſent operari propter finem, ex præuia cognitione & amore alicuius boni moueri, ſeu dirigi poſſent ad amorem mediorum, quæ ad eius boni conſecutionem vtilia ſunt; ſicut in hominibus propter finem operantibus vſu venit: at bruta ex præuia cognitione, & amore alicuius boni ad amorem mediorum vtilium moueri nequeunt. Primò, quia ſicut hirundo verbi gratia hinc indéque volitat, paleas colligit, aliáque ad nidificandum vtilia peragit: ita ſimiliter ad vitæ ſuſtentationem alimenta neceſſaria conquirit: at ex præuia cognitione, & amore vitæ alimenta ad vitam neceſſaria non conquirit, cum quid ſit vita, penitus ignoret: ergo neque ex præuia cognitione, & amore nidi &c. Secundò quia aues nonnullæ futuram tempeſtatem longè ante declinant, & fugam ad id vtilem, & neceſſariam capeſſunt iuxta illud Virgilij 1. Georgicor. ibi.

Nunquam imprudentibus imber
Obfuit, aut illum ſurgentem vallibus imis
Aeriæ fugere grues &c.

27. At non, quia præuiam eius cognitionem habeant; aliàs certiorem futurorum cognitionem & notitiam, quàm homines haberent, meliuſque ſibi prouidere poſſent: igitur ſimiliter aues alia ad conſequendum bonum aliquod vtilia peragentes ex præuia cognitione, & amore eius boni non mouentur: haud aliter ac ex præuia cognitione, & metu alicuius mali cum neutiquam declinant, vt nunc nunc oſtēdi. Tertiò, quia arbor folia producit, quibus fructum naſciturum protegat, & ab eo cœli iniurias arceat; & tamen folia non producit ex præuia cognitione, & intentione finis illius, ad quem conducunt: vnde ergo colligi poteſt, belluas, cum nonnulla ad finem aliquem vtilia exequuntur, ex præuia finis intentione, & cognitione moueri.

Oppoſitam ſententiam tuetur P. Rodericus diſp. 8. Phyſicor. ſect. 6. Primò, quia cum cani v.g. panis offertur, ex præuia cognitione, & appetitione panis oblati porrigentem verſus progreſſiuè mouetur: igitur motum progreſſiuum tanquam medium vtile ad panem obtinendum eligit, atque adeo propter finem operatur. Antecedens ſuadetur, quia ſi ex præuia cognitione, & appetitione panis canis non moueretur; pari licentia dici poſſet, canem nil cognoſcendo, aut appetendo agere; ſed abſque vllo appetitu elicito, aut cognitione operari: vel naturali pondere actum, haud ſecus ac grauia, & leuia in centrum feruntur: aut extrinſecus attractum; haud ſecus ac magnes à ferro attrahitur: quod & ſi nonnulli belluis ipſis magis belluini admiſerint, ſenſui tamē repugnat, & quod caput eſt fidei, Iſaiæ 1. ibi: *cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui.* Secundò eadem ſententia probari poteſt, quia cum hirundo v.g colligit paleas, eas propter nidificandum colligit: ergo propter finem operatur. Conſequentia probatione non eget. Antecedens probatur, quia collectio palearum iucunda, & delectabilis non eſt, ſed potius moleſta, & laborioſa: igitur ab hirundine propter ſe non appetitur, ſed præcisè quia eſt vtilis ad nidi conſtructionem; atque adeo propter illam, tanquam propter finem: id quod ſenſiſſe videtur D. Thomas 1. p. q. 78. art. 4. ibi: *ſimiliter auis colligit paleas, non quia delectat ſenſum, ſed quia eſt vtile ad nidificandum.* Tertiò eadem ſententia ſuaderi poteſt: quia complures volucres futuram tempeſtatem longe antè declinant: igitur eam præcognoſcunt, atque adeò ex præuia cognitione, prævióque metu alicuius mali media ad illud euitandum capeſſunt, ſicut ad operandum propter finem oportet. 28.

Ad primum reſpondeo: quatenus belluæ, eſto cognoſcant, & appetant, ex præuia tamen cognitione, & appetione vnius obiecti aliud non appetant: & rurſus quatenus, eſto ita appetere poſſent, propter finem tamen operari non poſſunt, paulo ſuprà oſtenſum eſt. Ad ſecundum reſpondeo cum P. Vaſquez tom. 1. in 1. 2. q. 4. art. 2. actio illa colligendi paleas, quamuis nulli ſenſui exteriori delectabilis ſit; & paleæ neque colore viſum, neque ſonore auditum, neque mollitie tactum, neque ſapore guſtum delectent: tamen eiuſmodi opus reſpectu ſenſus interni delectabile eſt, atque adeo ab aue non gratia alterius, ſed ſiſtendo in ipſo appeti poteſt: hoc autem genus internæ delectationis prouidentiſſimus author naturæ quibuſdam obiectis ſenſui externo iniucundis annectere debuit, ne animantibus plura deeſſent, quibus fines ſuos conſequi poſſent: & hac ratione D. Thomas exponendus eſt. Ad tertium reſpondeo, probabilius eſt, nullam futuræ tempeſtatis præuiam cognitionem belluis ineſſe: quod verò ex Poëtis 29.

adducitur,

adducitur, poëticè & impropriè accipiendum est, Nec obstat, quod volucres futuram tempestatem infallibiliter declinent: siquidem ideò est, quia causæ futuræ tempestatis, sicut aërem commouere, ac turbare possunt: ita & humores auium occultè mouere, & alterare possunt: humores autem ita alterati in iis apprehensionem excitant, qua fugam sibi commodam, & delectabilem apprehendunt; quare eam tempestatis insciæ capessunt. Porrò quatenus volucres aut tempestatem declinent, aut futuram etiam serenitatem aucupentur, quin alterutrum præsentiant, solùm ex eo quod illarum humores multis, mirisque modis præuie alterentur, non minus Philosophicè, quàm poëticè explicuit Virgilius vbi suprà Georgicor. 1.

Haud equidem credo: quia sit diuinitus illis
Ingenium: aut rerum fato prudentia maior:
Verùm vbi tempestas, & cœli mobilis humor
Mutauere vias: & Iupiter humidus austris
Denſat erant quæ rara modò, & quæ denſa relaxat.
Vertuntur ſpecies animorum: pectora motus
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat,
Concipiunt: hinc ille auium concentus in agris
Et latæ pecudes, & ouantes gutture corui.

TRACTATVS XI.

De causa exemplari.

CAPVT PRIMVM.

Quid, & quotuplex sit exemplar?

1. ARISTOTELES de causa exemplari pauca egit, & ex professo non disputauit, eo quod illam ad aliquam quatuor causarum reuocandam esse supposuerit: qualis ergo sit causa, ad quam reductiuè pertinet, & in quo eius natura collocanda sit, hic accurate examinandum est. Exemplar Latinis id sonat, quod Grecis idæa: verbum autem idæa ab *eſdeo* siue inspicio deriuatum significat id, *in quod inſpiciens artifex operatur* iuxta Aristotelem 1. Met. cap. 7. text. 32. quem D. Thomas 1. p. q. 15. & cum eo reliqui Theologi sequuntur. Exemplar, siue idæa in solis creaturis rationalibus locum habet; neque belluæ exemplaria, aut idæas vllas sibi proponunt, vt perperam contendit P. Rodericus disp. 8. Physic. sect. 8. n. 88. tum quia vt ex definitione idææ, siue exemplaris ab Aristotele tradita constat, idæa, siue exemplar locum habet in solis iis agentibus, quæ arte pollent: at ars, quæ suapte natura practica est, in belluis non reperitur, vt constabit ex dicend. in Met. lib. 7. tractat 5. cum de notitia practica egerimus: tum quia teste D. Thoma quæst. 3. de verit. art. 1. exemplar, siue idæa est *forma, quam imitatur effectus ex intentione agentis determinantis ſibi finem.* At sola agentia rationalia finem sibi determinant; & belluæ non tam se ad finem determinant, quàm à primo agente ad eum determinantur: ergo sola agentia rationalia non verò irrationalia idæas, siue exemplaria sibi proponunt. Tum quia Clemens Alexandrinus libr. 4. stromatum ex communi omnium sensu docet, *mentem esse locum idæarum:* at belluæ mente, & ratione destitutæ sunt. Tum demum, quia idææ passim à Patribus appellantur rationes rerum: at rationes rerum in irrationalibus locum habere non possunt. Porro autem ad idæam, siue exemplar propriè sumptum opus non est, vt illud liberè imitetur artifex, vt nonnulli parum scitè arbitrantur. Primò, quia siue definitionem exemplaris ab Aristotele traditam; siue eam, quam D. Thomas protulit; siue ea, quæ Patres communiter de idæis differunt, respiciamus, nullum fundamentum esse potest; vnde libertas idææ propriè sumptæ conditio esse colligi possit? gratis ergo ea conditio postulatur. Secundò, quia non est, cur Deus artificem creatum ad imitandum exemplar internum propriúmque cogere, & necessitare non possit, sicut ad imitandum exemplar externum eiusmodi necessitas, & coactio proculdubio esse potest: igitur ad exemplar libertas non requiritur. Tertiò quia idæa, aut est ars, aut certe cum arte coniuncta est, vt ex definitione idææ perspicuum est: at ad artem, siue notitiam practicam libertas non requiritur, vt in Met. cit. libr. 7 tractat. 5. edocebimus: cur ergo ad idæam siuè exemplar ea requiratur?

2. Exemplar aliud est internum, aliud externum: vtrúmque indicauit Seneca epist. 66. ibi: *nihil autem refert, vtrum foris habeat exemplar, ad quod referat oculos, an intus, quod ipſe ibi concepit, & poſuit:* de priori loquutus est Boëtius de consolatione. metro. 9.

Tu cuncta ſuperno ducis ab exemplo pulchrum
Pulcherrimus ipſe mundum mente gerens.

3. De posteriori intelligendum est illud Exod. 25. *inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Quanquam autem non pauci censeant, hanc diuisionem exemplaris propriam esse: cæterum cum P. Suarez disputatione 25. Metaphys. sect 1. numero 18. probabilius est, eam esse impropriam, eo quod exemplar externum, quod visu percipitur; remotè impropriè, & per accidens exemplar dici possit, remotè quidem, quia eatenus imago B. Mariæ à D. Luca depicta est exemplar ad aliam similem depingendam, quatenus imago illa ob oculos posita, & mente concepta excitat in mente, & regulat cognitionem imaginis, quæ depingenda est: imago verò depingenda prout ab intellectu cognita effectionem sui immediatè regulat, eiusque idæa, & ratio est, aut secundum esse cognitum, aut secundum esse reale, quod cognoscitur, vt cap. sequenti explicabitur: igitur exemplar externum non immediatè, sed mediate, & remotè rationem exemplaris sibi vendicat: eo autem ipso, quod exemplar externum remotè tantum exemplar sit, solùm impropriè exemplar esse potest; sicut enim causa remota impropriè tantum causa est, sic seruata proportione exemplar remotum impropriè duntaxat exemplar est. Deinde exemplar externum per accidens tantum exemplar est; cum enim præcisè ratione interni, & proprij exemplaris, cui deseruit, ad effectionem operis conferat; quoties sine exemplari externo idæa

interna operis perfectè haberi poteſt, vt non ſolum in artifice increato, verum etiam creato ſæpè accidit; toties certè ſine exemplari externo opus artificiosè perfici poteſt: & ita per ſe exemplar externum ad executionem operis non requiritur.

CAPVT II.

Exemplar, ſiue cauſa exemplaris in quo conſiſtat?

4. PRima ſententia eſt, exemplar eſſe obiectum ipſum, quod artifex operaturus ſibi proponit: ita Thomiſtæ communiter cum Caietano 1. p. qu. 16. art. 2. & Ferrara 1. contra Gent. cap. 54. & Ægidio in 1. diſt. 36. q. 5. ad 2. & Scotiſtæ cum Scoto in 1. diſt. 35. quæſt. 1. & Mairone ibidem, & Baſſolo quæſt. 2. art. 2. & Nominales cum Okamo quæſt. 5. & Gabriel. quæſt. 5. art. 2. Aliacenſi in 1. quæſt. 6. art. 3. eámque Durandus ſequitur diſt. 36. quæſt. 3. Quanquam autem plerique Authores præfatam ſententiam ſequantur, vt ex iis, quos retulimus, conſtat: cæterum in aſſignando obiecto, quod rationem exemplaris ſortiatur, non parum diuiſi ſunt: ſiquidem Thomiſtæ idæam, ſiue cauſam exemplarem in Deo cenſent eſſe, non obiectum illud creatum, quod producendum eſt, ſed obiectum increatum; nimirum diuinam eſſentiam, ad cuius imitationem, ſiue participationem producendum eſt. Scotiſtæ verò, & Nominales, & reliqui extra ſcholam Thomiſticam, è contrario cenſent, idæam, ſiue cauſam exemplarem eſſe rem ipſam producendam non ſolùm in creatis (quod etiam Thomiſtæ non renuunt (verumetiam reſpectu Dei.

5. Secunda ſententia eſt, exemplar, ſiue idæam eſſe cognitionem, quæ circa operis effectionem, & modum illius efficiendi in intellectu artificis præexiſtit: ita Alexander Alenſis 1. part. quæſt. 23. memb. 4. art. 1. Bonau. in primo diſt. 35. art. 1. q. 1. Capreolus in 1. diſt. 36. quæſt. 1. art. 1. Pater Suarez diſp. 35. Metaphyſ. ſect. 1. num. 10. Tertia ſententia eſt Patrum Molinæ 1. p. quæſt. 15. diſp. 2. art. 2. & Vaſquez 1. part. diſp. 75. cap. 2. idæam, ſiue cauſam exemplarem in Deo eſſe ſolam cognitionem, qua opus in lucem producendum in mente diuina præextitit: in nobis verò eſſe obiectum à cognitione realiter diſtinctum, nec non ab opere ipſo efficiendo, videlicet eiuſmodi obiectum, ad cuius inſtar, & ſimilitudinem res fieri poſſit; non tamen quod re ipſa ante operis effectionem exiſtat, ſed tantùm quod ab artifice creato confingitur: qua ratione architectus ædificaturus paruam quandam domum, ſibi prius mente proponit. Quarta ſententia eſt quorundam ſcholaſticorum, qui idæam, ſiue cauſam exemplarem tam in Deo, quam in agentibus creatis cenſent eſſe verbum, ſiue ſpeciem expreſſam operis efficiendi, quam in mente artificis cognitio eiuſdem operis producit: quos Pater Molina vbi ſuprà artic. 1. Commemorat ſuppreſſis nominibus. Quinta ſententia, ab Ariſtotelicis Platoni aſſignata, eſt; idæam, ſiue cauſam exemplarem non eſſe cognitionem rei producendæ, nec eſſe rem ipſam producendam ab artifice præcognitam, nec eſſe diuinam eſſentiam, ad cuius ſimilitudinem, & participationem res producenda eſt, nec eſſe idolum aliquod commentitium ab artifice fictum; nec etiam verbum mentis, quod circa opus efficiendum artifex in mente ſua producat, & exprimat; ſed ſubſtantiam quandam inſenſibilem, incommutabilem, æternam increatam; pluribus indiuiduis ſpecificè communem, & ab iis participabilem: in qua ſententia Platonem fuiſſe innuit Clemens Alexandrinus lib. 5. ſtromat. verſus finem, ibi: *vnum quidem mundum nouit barbara philoſophia, qui perficitur intelligentia; alterum verò ſenſibilem: illum quidem archetipum, hunc verò imaginem eius, qui exemplar dicitur.*

Quod ad vltimam ſententiam attinet, ea fidei, & rationi apertè repugnat, vt in Dialectica lib. 8. oſtendimus, vbi etiam Platonem ab ea alienum eſſe explicuimus. Quod verò ad quartam, & penultimam ſententiam attinet, ea etiam proculdubio falſa eſt: quia ſi per impoſſibile Deus nō eſſet trinus, neque verbum realiter produceret, aut exprimeret; ſanè in eo euentu idææ in eo ponendæ eſſent: ergo idææ in verbo conſiſtunt. Antecedens certiſſimum eſt, ſiquidem in eo euentu Deus quantumuis non trinus per intellectum, & voluntatem ageret, & res creatas tales produceret, quales eas ab æterno prænouit, earúmque rationes in mente haberet: igitur idæas rerū efficiendarū haberet, cum omne agens per intellectum, & voluntatem nihil agere queat, quin eius idæam, ſiue rationem, aut ſpeciem habeat. Quod verò ad tres priores ſententias attinet, eas ſolis vocibus diſſidere arbitror, cum inter earum Authores conſtet, ſolam cognitionem rei efficiendæ eius effectionem anteuertere, remque ipſam non niſi obiectiuè, & ſecundum quid præexiſtere numero, aut ſpecie antea quam producatur: quare totalis in id vnum reuocatur, quid exemplar nuncupari debeat, cognitione ipſa, an aliquod eius obiectum? 6.

Inquo diſſidio ipſe partim cum his, partim cum illis loquendum arbitror; & nomen idææ, ſiue cauſæ exemplaris æquiuocum eſſe, & conuenire propriè, ac ſtrictè tam cognitioni, quæ in mente artificis reſidet, quàm obiecto, ad quod terminatur: quem ſentiendi modum in hunc modum ſuadeo. Primò, quia cauſa finalis tam de obiecto ratione ſui cognito, & amato, quàm de ipſa cognitione, ſiue amore prout ab obiecto diſtinguitur, verè & propriè dicitur: ergo ſimiliter idæa, ſiue cauſa exemplaris &c. Antecedens tractatu præcedenti probatum eſt. Conſequentia videtur perſpicua à paritate rationis, quæ eo maior eſt, quo cauſa exemplaris ad cauſam finalem præ reliquis cauſarum generibus reuocanda eſt. Secundo quia conceptus, alius eſt formalis, qui in actu mentis conſiſtit: alius obiectiuus, qui in obiecto mentalis actus conſiſtit: at eorum alter dicitur conceptus, quia id per illum concipimus alter vero quia eſt id quod concipimus: vt certè ex communi ſcholaſticorum loquendi vſu perſpicuum eſt: ſimiliter ergo cauſa exemplaris, ſiue idæa, quæ cum conceptu coincidit, vel certè ab eo admodum non diſcrepat, interdum de actu intellectus, & interdum de eius obiecto dici poterit. Tertiò quia idæa, ſiue cauſa exemplaris omnium conſenſu eſt ratio operis efficiendi: at ratio, alia eſt formalis in actu intellectus ſita, quo pacto Auguſtinus lib. 2. de ordin. eam definit eſſe *motionem mentis ad ea, quæ diſcutiuntur connectenda, aut diſtinguenda:* alia obiectiua 7.

ctum in ratione cognita consistens: quo pacto communiter dici consueuit obiectum formale habere in se rationē, vnde cognoscatur, aut ametur: ergo, &c. Demum quia Plato primus idearum author teste Augustino lib. 83. quæstion. quæst. 46. & Aristotele, Cicerone, Seneca, & aliis; Plato, inquam: idæam, siue causam exemplarum modò in actu mentis, modo vero in eius obiecto, siue in vtrouis seorsim collocat: ita in phœdone ibi: *idea est Dei intelligentia, seu quod à mente diuina intelligitur:* quæ eius verba Clemens Alexandrin. lib. 5. stromat. non longè ab initio commemorat.

8. Eundem sentiendi, & loquendi modum per partes suadeo; & in primis actum mentis, idæam siue causam exemplarem esse confirmo. Primò authoritate Patrum, qui apud P. Suarez vbi supra plerique eodem modo sentiunt, atque loquuntur: ex quibus modo sufficiant Dionysius, & Augustinus: ille cap. 5. de diuin. nominib. ibi: *exemplaria autem esse dicimus in Deo existentium rationes substantificas, & singulariter præexistentes, quas Theologia prædefinitiones vocat, & diuinas & bonas voluntates:* hic lib. octoginta trium quæstion. quæst. 46. ibi: *sunt namque idæ principales formæ, quædam vel rationes rerum stabiles, atque incommutabiles, quæ ipsæ firmatæ non sunt; ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo se habentes, quæ in diuina intelligentia continentur.* Secundò ratione, quia exemplar est id, quod imitatur artifex, siue ad cuius instar, & similitudinem operatur: at huiusmodi est cognitio, qua artifex modum operis efficiendi præintelligit: ergo ea cognitio, exemplar, siue idæa est. Maior à nemine non conceditur. Minor probatur, quia artifex rem operatur, atque in lucem edit, sicut eam præcognoscit; aut, quod perinde est, rem talem producit, qualem eam cognouit: at particula *sicut*, & particula *qualem*, ac *talem* imitationem quandam, siue similitudinem operis cum eius cognitione denotat: ergo, &c. Aut aliter artifex rem operatur, prout ei per cognitionem representatur: at representatio est similitudo, & imitatio quædam intentionalis obiecti: ergo ad similitudinem, & imitationem cognitionis rem cognitam operatur.

9. Deinde rem ipsam cognitam rationem exemplaris, siue ideæ sortiri facilè suaderi potest. Primò authoritate Augustini lib. octoginta trium quæstion. quæst. 26. vbi postquam idæas rationes rerum agendarum esse explicat, addit ibi: *quo constituto atque concesso, quis audeat dicere, Deum irrationaliter omnia condidisse? quod si rectè dici, & credi non potest; restat, vt omnia ratione sint condita; nec eadem ratione homo, qua equus: hoc enim absurdum est existimare: singula igitur propriis sunt creata rationibus.* Quibus verbis idæas, siue rationes, quibus Deus creaturas condidit, plures, atque inter se distinctas esse affirmat: quod vt propriè, & cum rigore intelligatur, oportet Augustinum idæas collocasse non in actibus diuini intellectus propriè, & cum rigore inter se distincti pluresve non sunt, sed eorum obiectis, quæ realiter, & propriè distinguuntur, ac plura sunt. Secundò quia exemplar, siue idæa appellari potest, *id in quod inspiciens artifex operatur*, teste Aristotele 1. Metaphys. cap. 7. text. 32. aut, quod perinde est, *id in quod artifex operaturus inspicit.* At artifex creatus operaturus non in suam cognitionem inspicit, sed in opus, quod operaturus est: & quamuis artifex increatus in suam etiam cognitionem inspiciat, id tamen euenit ob infinitatem diuinæ scientiæ, quæ supra se necessario reflectit, non vero quia per se ad operandum necessarium sit: igitur exemplar in hac acceptione soli obiecto conuenit. Aut paulo aliter exemplar est id, ad cuius imitationem, & similitudinem artifex operatur: at huiusmodi est obiectum, quod artifex operaturus sibi proponit: ergo, &c Maior indubitata est. Minor probatur, quia qualis est res cognita ab artifice, talis ab eo producitur: igitur ad similitudinem, & imitationem rei cognitæ artifex operatur, cum vti supra explicuimus, particulæ illæ *talis*, & *qualis* inter ea, ad quæ referuntur, & supra quæ appellant similitudinem, & imitationem denotent. Ex quibus efficitur, notionem idææ, siue exemplaris non vnam esse provt communiter dici, & existimari consueuit, sed duplicem, & vtramque propriam, & rigorosam.

CAPUT III.

Argumenta contraria soluuntur.

10. QVorum pleraque nostram sententiam quoad vnam, aut alteram eius partem confirmant: quæ vero eam quoad eius vtramque partem oppugnant, aliorumque sententiis fauent, in præsenti dissoluenda sunt. Obiicies ergo primò contra priorem nostræ sententiæ partem: idæa, siue exemplar in Deo nequit esse diuina cognitio: ergo à fortiori nec in artifice creato. Consequentia perspicua est. Antecedens probatur, quia si idæa diuinæ mentis esset cognitio Dei, idæa diuinæ mentis in ratione idææ imperfecta esset. Consequens est absurdum: ergo, &c. Maior probatur, quia idæa est id, ad cuius similitudinem opus exprimitur: quare cum similitudo inter opus, & eius idæam imperfecta est, idæa in ratione idææ imperfecta non esse non poterit: at vbi idææ diuinæ mentis in cognitione sita sit similitudo inter idæam illam, & opus necessario imperfecta erit; igitur idæa illa in ratione idææ imperfecta etiam erit Minor perspicua est, quia similitudo inter cognitionem, & eius obiectum intentionalis, metaphorica, atque adeo imperfecta est: igitur, vbi idæa diuinæ mentis in eius cognitione consistat, similitudo inter idæam diuinam, & obiectum idæatum imperfecta erit. Obiicies secundò, cognitio, & amor finis nequaquam finis appellari possunt, esto causa finalis, aut virtus causatiua finis à nonnullis appellentur; solumque obiectum cognitum, & amatum propter se finis nuncupatur: igitur etiam exemplar, non cognitio, sed eius obiectum nuncupandum est. Antecedens ex definitione finis perspicuum est. Consequentia etiam sine discrimine videtur, cum finis, & examplar affinia valdè sint, & dirigendi, ac mouendi munus sibi vendicent. Reliqua argumenta, quæ communiter adduci solent, omitto; eo quod non tam cognitionem à ratione exemplaris excludant, quàm obiectum, etiam exemplar appellandum suadeant: quod nos vltro fatemur.

11. Ad primum respondeo, vt idæa aliqua in ratione idææ omnino perfecta sit, satis est, vt inter

eam,& eius obiectum, ſiue idæatum ſimilitudo intentionalis omnino perfecta ſit : cum ergo inter diuinam cognitionem,& eius obiectum ſimilitudo intentionalis omnino perfecta ſit ; eo quod Deus eo modo cognoſcat, & repræſentet ſibi rem,quo res ipſa à Deo producenda eſt ; eóque modo ab eo producatur, quo ab eius cognitione repræſentata eſt ; ſanè idæa diuinæ mentis omnino perfecta erit; ideæa verò creatæ mentis haud ſemper omnino perfecta eſt, cum inter illam, & eius obiectum ſimilitudo intentionalis omnino perfecta non intercedat ; & artifex creatus nunquam perfectè cognoſcere poſſit rem eo omninò modo,quo extitura eſt, & quoad omnia eius prædicata ; & ſæpè ſæpius res aliter exiſtat, quàm ab eo eſt intenta,cognitaue. Quod autem ſimilitudo intentionalis impropriè, & analogicè ſimilitudo ſit, non obſtat, quominus idæa illam concernens in ratione idææ perfecta ſit : ſicut veritas in ſimilitudine,& conformitate quadam intentionali conſiſtit, qua nimirum obiectum exiſtit, ſi cut per actum repræſentatur: & tamen, quamuis hæc ſimilitudo,& conformitas analogica ſit & impropria,& non qualis inter hominem, & hominem,aut animal & animal intercedit; adhuc veritas eam concernens in ratione veritatis perfecta, & conſummata eſſe poteſt. Ad ſecundum reſpondeo : ea, quæ cap. præterito adducta ſunt,duplicem illam rationem exemplaris, quarum altera in actu,altera in obiecto reluceat,verè & propriè admitti poſſe, ac debere conuincunt: cæterum nihil eſt, quod cogat, duplicem rationem finis ; alteram in cognitione,& amore, alteram in obiecto ipſo cognito ſitam admitti debere,vt conſtat ex iis,quæ tract. ſuperiori diſſeruimus : quare à fine ad exemplar, quoad præſens attinet,perperam arguitur.

12. Obiicies contra poſteriorem noſtræ ſententiæ partem. Primò quia idæa diuinæ mentis in obiecto cognito neutiquam conſiſtere poteſt : ergo nec idæa creatæ mentis. Antecedens probatur, quia ſiquod obiectum à Deo cognitum eſſet idæa diuinæ mentis, maximè obiectum formale, & primarium diuinæ cognitionis, ſiue id, quod formaliter, & neceſſariò cognoſcit,vt ad eius ſimilitudinem creaturas producat : qua ratione obiectum etiam formale,& primarium cognitionis creatæ eſt idæa artificis creati : at obiectum formale, & primarium diuinæ cognitionis non eſt idæa diuinæ mentis : ergo &c. Minor probatur,quia obiectum formale, & primarium cuiuſuis cognitionis diuinæ eſt eſſentia diuina,in qua ſola creaturas cognoſcere poteſt : at eſſentia diuina, idæa creaturarum producendarum eſſe nequit, (quantumuis cum Caietano, & Ferrara vbi ſuprà Thomiſtæ communiter oppoſitum ſentiant) ergo &c. Minor ſuadetur : tum quia aliàs idæa increati artificis creaturis producendis imperfectè ſimilis eſſet : atque adeo in ratione idææ,quæ ſimilitudinem concernit, imperfecta eſſet, cum eſſentia Dei non niſi imperfectè à creaturis participetur. Tum quia idæa creaturarum in Deo eſt illud obiectum, quo cognito,& ſublato quouis alio, Deus creaturas producere poſſet : at ſi per impoſſibile Deus ſolam ſuam eſſentiam cognoſceret,& in ea creaturas non cognoſceret,creaturas producere nequiret : igitur eſſentia Dei prout ab eo cognoſcitur, idæa eſſe non poteſt.

13. Obiicies ſecundò cumaliis : ſi quod obiectum eſt idæa, maximè opus efficiendum ab artifice prægnitum,antea quam fiat : at opus efficiendum ſui exemplar, ſiue idæa eſſe nequit : ergo &c. Maior perſpicua eſt,quia ſi quod obiectum eſt idæa operis, maximè illud quo cognito, & ſublato quouis alio,opus ab artifice exprimi,ſeu produci poteſt : huiuſmodi autem eſt opus ipſum ab artifice prægnitum, vt intuenti conſtabit. Minor verò probatur, tum quia exemplar, & imago ab eo deducta verè ſimilia eſſe debent: at opus efficiendum ſibi ipſi verè ſimile eſſe nequit,cum vera,& realis ſimilitudo omnium conſenſu extrema realiter diſtincta poſtulet : igitur opus efficiendum ſui ipſius exemplar, aut idæa eſſe non poteſt. Tum quia exemplar eſt vera cauſa eius,cuius exemplar eſt : haud ſecus ac finis vera cauſa eſt : at opus efficiendum ſui ipſius vera cauſa eſſe nequit,cum à ſe ipſo verè & realiter diſtingui nequeat. Tum demum, quia exemplar,& idæa eſt obiectum formale, & primarium cognitionis præuiæ, qua artifex ad operandum dirigitur,ſiue id, in quo formaliter, & primario artifex modum efficiendi operis, ſiue opus efficiendum prægnoſcit, ſi quod obiectum rationem ideæ, & exemplaris ſibi vendicat : at obiectum formale, & primarium diuinæ cognitionis nequit eſſe opus efficiendum,vt innuit Auguſtinus lib. octoginta trium quæſtion. quæſt. 46. de idæis conuerſ. ibi : *non enim extra ſe poſitum quicquam intuebatur,vt ſecundum id conſtitueret, quod conſtituebat : hoc enim opinari ſacrilegum eſſet :* igitur idæa ſaltem diuinæ mentis opus efficiendum eſſe non poteſt. Et quidem, cum artifex ſcientiam operis ab exemplari hauriat, & in ea ſcientia ab exemplari dependeat, ægrè intelligi poteſt, qua ratione opus efficiendum reſpectu Dei exemplar eſſe poſſit, cum ab eo ſcientiam haurire, aut ad ſciendum dependere nequeat.

14. Ad primum reſpondeo ; in primis non eſt,cur diuina eſſentia ſit idæa operis efficiendi, & non magis ipſum opus efficiendum à Deo prægnitum : quod autem opus efficiendum non ſit obiectum formale diuinæ cognitionis,eam à ratione idææ,& exemplaris neutiquam excludere poteſt : vel quia non eſt, cur idæa operis ſit obiectum formale cognitionis, qua artifex ad operandum dirigitur,& non potius ipſum opus efficiendum,quod prout prægnoſcit, ſemetipſum regulat : vel quia idæa in Deo ad ſummum debet eſſe obiectum formale terminatiuum cognitionis,qua ad operandum dirigitur : at ipſum opus efficiendum eiuſmodi cognitionis diuinæ obiectum formale terminatiuum eſſe poteſt, eſto diuina eſſentia eius obiectum formale motiuum, & primarium ſit. Deinde dici etiam poteſt, diuinam eſſentiam eſſe idæam operis efficiendi, vbi ſemel in ea creaturæ cognoſcantur. Ad priorem rationem contrariam : ſicut ipſa cognitio Dei in ratione idææ perfecta eſt, eſto ſimilitudo inter illam & opus intentionalis, metaphorica, ac proinde imperfecta ſit : ita etiam diuina eſſentia in ratione idææ perfecta eſſe poteſt, quantumuis opus eam perfectè non imitetur,eiue perfectè non aſſimiletur : ſufficit ergo ad hoc, vt diuina eſſentia perfecta idæa ſit, vt intentionaliter,& in aliquo genere,ſiue ſecundum quid operi aſſimiletur : aut,quod perinde eſt,vt opus productum

ductum imitetur diuinam eſſentiam, quantum Deus illud eam imitari poſſe ſpectata eius natura præcognouit, aut eam imitari decreuit: at opus à Deo productum. Angelus v.g. aſſimilatur diuinæ eſſentiæ, quantum Deus eum aſſimilari poſſe inſpecta eius natura præcognouit, & quantum voluit: igitur ea ſimilitudo, & imitatio intentionaliter, & in aliquo genere ſumma eſt: quod ad perfectionem diuinæ ideæ ſufficit. Ad poſteriorem rationem oppoſitam reſpondeo, maiorem eſſe veram, ſi intelligatur, ideam operis eſſe illud obiectum, quo cognito, & præciſo quouis alio, quod in illo, & ex illo non cognoſcatur, opus ab artifice produci poteſt: ſecus vero ſi ſenſus ſit, ideam eſſe id, quo cognito, & ſublato per impoſſibile quouis alio obiecto, quod in illo cognoſcatur, & à quo tanquam à termino cognitio modi operandi dependeat; nihilominus effici poteſt opus atque executioni mandari. Minor autem ſolum vera eſt in hypotheſi impoſſibili, in qua quidem ſumpta maior falſa eſt: vnde cum maior, & minor cum iiſdem terminis ſumptæ & in eodem ſenſu cum proportione acceptæ ſimul veræ non ſint, ſed altera vera, altera falſa; ſanè ex iis nihil concludi poteſt.

5. Ad ſecundum argumentum reſpondeo, opus efficiendum ab artifice ſaltem creato præcognitum idea non eſſe nequit, cum artifici creato aliud obiectum, quod exemplar ſit, aſſignari nequeat; eo quod non perinde ac Deus arte facta in ſua eſſentia, modumve ea operandi conſpicere poſſit. Ad priorem rationem contrariam: opus ſibi ipſi provt cognito, ſiue in concreto cum cognitione vere, & realiter ſimile eſſe poteſt; eo quod à ſe ipſo provt cognito, aut cum cognitione ſumpto realiter inadæquatè diſtinguatur; eaque diſtinctio ad veram ſimilitudinem ſufficiens ſit: & hac ratione dicitur, opus tale productum eſſe, quale ab artifice præcognitum fuit: vnde opus in concreto cum cognitione, & ſimul cum illa ſui ipſius exemplar, & idea eſſe poteſt. Aut dic, opus efficiendum in indiuiduo ab artifice, non cognitioni ſed in ſpecie, aut genere, ſiue in confuſo cum aliis arrefactis ſibi ſimilibus: vnde idæa operis efficiendi erit non hoc opus in particulari, ſed ratio communis ab eo, & aliis ſimilibus abſtracta, quam complures idolum imaginarium operis nuncupant: cum ergo eiuſmodi ratio communis realiter inadæquatè diſtinguatur ab opere, ei realiter & vere ſimilis eſſe poteſt, provt ad rationem exemplaris oportet.

16. Ad ſequentem rationem eadem ratione dicendum eſt, diſtinctionem realem inadæquatam, quæ inter exemplar obiectiuum, & eius imaginem intercedit, ſufficere ad hoc, vt eius vera, & realis cauſa ſit: quantumuis inde fiat, exemplar quodammodo ſui ipſius veram cauſam eſſe, haud aliter ac ſui ipſius exemplar eſt. Aut dicit, exemplar obiectiuum per ſe loquendo in ipſo opere efficiendo in indiuiduo ſumpto conſiſtere, ſuique ipſius omnino cauſam exemplarem eſſe poſſe, eo quod cauſa exemplaris provt in obiecto conſiſtit, vera & ſtricta cauſa non ſit: ſicut & cauſa finalis non quæ in cognitione, & amore, ſed quæ in ipſo obiecto cognito, & amato ſita eſt, vera & propria cauſa non eſt. Ad poſtremam rationem, opus efficiendum eſt obiectum formale terminatiuum cognitionis, qua artifex increatus ad operandum dirigitur. Auguſtinus autem in contrarium adductus tantum negat, Deum aliquid extra ſe ab æterno phyſicè exiſtens ſibi imitandum proponere; ſecus vero aliquid extra ſe obiectiuè, & in eſſe cognito exiſtens; quod reſpectu diuinæ cognitionis obiectum formale terminatiuum ſit: hæc autem ratio obiecti formalis in opere efficiendo reperta ſatis eſt, vt idea eſſe poſſit; imò etſi nullo modo obiectum formale appelletur, ideæ rationem ſortiri poterit: quorum alterum; & alterum ſupra explicuimus. Quod vero opponitur, artificem ſcientiam ſumere, & ad ſciendum dependere ab exemplari, non eſt, cur vniuerſim verum eſſe debeat: quare, quãuis Deus ſcientiam ab obiecto creato non hauriat, ab eoque ad ſciendum propriè non dependeat, obiectum tamen diuinæ cognitionis exemplar, & idea obiectiua eſſe poterit.

CAPVT IV.

An cauſa exemplaris vera cauſa ſit, & ad quam ex quatuor generibus cauſarum reuocanda eſt?

EXemplar formale in cognitione artificis ſitũ, verè & propriè cauſam eſſe perſpicuum eſt ex iis, quæ de fine tract. præced. diſſeruimus, vbi cauſam finalem in cognitione, & amore obiecti propter ſe ſitam verè cauſam eſſe ſtatuimus; eo quod ad effectionem verè, & propriè moueat, & dirigat: ea autem motio, & directio, cauſæ exemplari, provt conſiſtit, aut omninò, aut ex parte in cognitione artificis, vere & propriè conuenit. Quod ſi de exemplari obiectiuo ſermo ſit, illud, provt diſtinguitur à cognitione cui obiicitur, propriè cauſam non eſſe cap. præcedenti ad finem ſtatuimus: quod idem de fine ſeruata proportione dicendum eſt. Porrò inter Authores maiori contentione, quàm vtilitate decertatur, ad quam cauſam ex quatuor communiter receptis exemplar formale reuocandum ſit? Caietanus quæſt. 6. art. 3. & quæſt. 44. art. 3. Argentinas in 1. diſt. 45. art. 2. Fonſeca 9. Metaphyſ. cap. 2. q. Ægidius de Euchariſt. prop. 37. Conimbricenſes, & alij exiſtimant, exemplar ad cauſam formalem reuocandum eſſe eſſe. Verùm immerito in primis, quia cauſa formalis concurrit intrinſecè conſtituendo: at cauſa exemplaris non concurrit intrinſecè conſtituendo, ſed potius extrinſecè regulando opus: ergo non eſt, cur altera ad alteram reuocetur. Secundò quia eadem ratione finis ad cauſam formalem reuocari poſſet, atque deberet: ſicut enim cauſa exemplaris dat eſſe, & ſpeciem effectui, quod proprium formæ videtur: ſicut, inquam, exemplar hac ratione eſſe, & ſpeciem effectui tribuit; ita etiam finis ſeruata proportione eſſe, & ſpeciem effectui tribuit cum ad effectum moueat; & quod hic ſpecie effectus potius quam alius exiſtat, à diuerſitate finis proficiſcatur: quæ ergo vtrimque diſparitatis ratio eſt? 17.

Alexander Alenſis 1. part. quæſt. 23. Bonau. in 3. diſtinct. 11. art. 1. quæſt. 3. Scotus in 1. diſt. 2. q. 2. Heruæus quæſt. 1. Suarez diſp. 25. Metaphyſ. ſect. 2. num 8 cenſent, cauſam exemplarem ad efficientem reduci poſſe, & debere; eo quod per exemplar, 18.

exemplar, & ideam operis cauſa efficiens ad eius effectionem diſponatur. Contra tamen quia eadem ratione cauſa finalis ad efficientem reuocari deberet: ſiquidem per finem ſibi præſtitutum cauſa efficiens ad effectionem operis diſponitur, & intentionaliter applicatur. Dices cum P. Suarez ſupra num. 14. finem ſupponere cauſam efficientem proximè aptam operari, eique ſic conſtitutæ ſuperuenire ad hoc, vt eam ad agendum moueat; vnde ad cauſam efficientem reuocari non poſſe. Cæterùm exemplar conſtituere formaliter cauſam efficientem proximè expeditam, & aptam ad operandum, eique ita conſtitutæ neutiquam ſuperuenire: quare ad eum reuocari poſſe. Contra tamen, quia etiam cauſa finalis non ſupponit cauſam efficientem proximè aptam, & expeditam ad operandum, ſed potius eam ad operandum formaliſſimè expedit; &, vt ita loquar, adaptat: ſiquidem congnitio finis ad primum eius amorem iuxta Patrem Suarez in genere cauſæ finalis concurrens voluntatem conſtituit proximè aptam, & expeditam ad efficientiam amoris: & id ſeruata proportione dicendum eſt de amore finis comparatione electionis mediorum, & de electione comparatione executionis eorundem.

19. Quamobrem cauſam exemplarẽ ad finalem reuocandam eſſe probabilius arbitror: tum quia cauſa materialis, & formalis cõcurrunt intrinſecè cõſtituendo, aut per modum ſubiecti, aut per modum formæ: cauſa efficiens efficiẽdo; cauſa vero finalis nec conſtituendo, nec efficiendo, ſed dirigendo, & mouendo abſque effectione, aut conſtitutione: at hac ratione cauſa exemplaris concurrit: ergo nec in genere cauſæ materialis, nec formalis, nec efficientis, ſed in genere cauſæ finalis concurrit: atque adeò ad cauſam finalem reuocanda eſt. Deinde, quia hac ratione diſpoſitiones ad agendum, & conditiones ſine quibus non ad cauſam finalem reuocantur, vt tract. 1. oſtendimus: ergo etiam cauſa exemplaris ad eam reuocanda eſt. Præterea, quia ſicut finis cauſat intentionaliter per voluntatem, ita exemplar per intellectum: & ſicut finis in intentione eſt prior ſeipſo in executione, ita etiam exemplar in cognitione eſt prior ſe ipſo in executione. In ſuper, quia exemplar eatenus ſortitur rationem cauſæ, quatenus media cognitione ſui dirigit ad executionem alicuius finis, idque ipſum quod provt cognitum eſt exemplar, provt intentum eſt finis: quâ ratione D. Thomas ſupra citatus definit, *exemplar eſſe formam, quam imitatur artifex ex intentione agentis determinantis ſibi finem*: igitur exemplar ad cauſam finalem reuocari debet. Denique quia in tantum agens dicitur finis ſui effectus, inquantum effectus ad ſimilitudinem, & inſtar agentis produci debet teſte D. Thoma 3. contra Gent. cap. 19. ibi: *agens dicitur finis effectus, in quantum effectus tendit in ſimilitudinem agentis*. At etiam in tantum aliquid dicitur exemplar alicuius effectus, in quantum effectus ad ſimilitudinem, & imitationem exemplaris producendus eſt: igitur ob hanc analogiam exemplar ad cauſam finalem eſt reuocandum.

Non me latet Henricũ Gandauenſem quodlib. 9. q. 2. & alios, quintum & nouum genus cauſæ aſſerere, nimirum cauſam formalem, extrinſecam ſeu formam extrinſecam rei, cui eſſe ſpeciemque dat; & in hoc genere cauſæ exemplar concurrere, & cauſare. Verùm in primis contra quoſdam Platonicos quintum genus cauſæ, videlicet ideas aſſerentes Ariſtotelica opinio quatuor tantum cauſas enumerans in ſcholis iam inualuit: quare hæc Henrici ſententia ad Platonicorum quorundam proximè accedens, reiicienda eſt. Deinde, ſicut cauſa exemplaris, ſic etiam finalis ad cauſam illam formalem extrinſecam reuocari deberet: ſicut enim cognitio artificioſa per modum ideæ concurrens, eſt forma quædam operi extrinſeca, & artifici intrinſeca: ſic etiam intentio finis in genere cauſæ finalis concurrens eſt forma quædam extrinſeca ei, quod fit propter finem, & intrinſeca ei, qui propter finem operatur: cur ergo cauſa exemplaris magis, quàm finalis, cauſa formalis extrinſeca eſſe, aut appellari debeat?

LIBER

LIBER QVINTVS

DE

Actione productiua corporis naturalis.

TRACTATVS PRIMVS.

De actione productiua Corporis naturalis Secundum rationem communem actionis

CAPVT PRIMVM.

An actio vt sic distinguatur ab agente, passo, & termino?

1. COMMVNIOR, & verior sententia est, distingui ea distinctione, quæ realis modalis, siue modi à re appellari consueuit: quam D. Thomas, Scotus, Durandus, Aureolus, Bacconius, Argentinas, Venetus, Suarez, Vasquez, Molina, & extra scholam Nominalem fermè omnes sequuntur: eam in hunc modum suadeo: potest dari hoc agens, hoc passū, & hic terminus quin hic terminus ab hoc agente generetur; igitur actio generatiua à triplici illo cōceptu realiter distinguitur: cum ergo non tanquā res à re aliàs sine fine abiremus) certè tanquam modus à triplici illo conceptu distingui debet: consequētia perspicua est, quia separabilitas realis, realis distinctionis infallibilis index est: antecedens verò probatur, quia Danielis 3. cap. cum tres iuuenes Hæbræi in ardentem fornacem, Barbari Regis iussu, coniecti essent, & inter medios flammarum globos nil ab igne paterentur; in eo certè euentu reperiebatur hic ignis, hoc passum applicatum, & hic natiuus calor, qui certè ab igne illo Babilonico proficisci posset, & tamen calor ille non ab igne, sed ab intrinseco productus est.

2. Respondent primò nonnulli Thomistæ, actionem non esse hoc agens, hunc terminum, passumve vtcumque, sed hunc terminum prout ab hoc agente, passoque effluentem & hoc agens prout in hunc terminum influens. Verùm in iis præpositionibus *ab*, & *in* fallit modus actionis, quem intendimus, vt superiori argumento vrgeri potest. Respondent secundo Nominales, actionem consistere in agente, termino, passo, & voluntate Dei efficaci, qua decernit, vt hic terminus dependenter ab hoc passo, ab hoc agente producatur. Verùm hæc solutio in simili suprà impugnata est, cum de vnione ageremus: inintelligibile enim prorsus est, ecquid eius voluntatis obiectum sit, nisi ipsa sui obiectum sit: quod ad explicandam actionem futile quidem est.

3. Secundò, quòd voluntas verbi gratia producat actum amoris, ei formaliter liberum est; at quòd Deus eum actum velit, aut non velit, non ei, sed soli Deo liberum est: ergo productio amoris in voluntate Dei sita esse nequit. Tertiò (& paulò aliter) actio quatenus ab agente distinguitur, & media ea agens operatur, ab agente produci debet; aliàs qua ratione per eam agens terminum producere poterit? haud secus ac vna causa media alia à se distincta producere aliquem effectum nequit, quin causam ipsam producat: at agens creatum volitionem Dei producere nequit: ergo media illa nil aliud producere potest. Quartò, & recidit in idem, actio productiua amoris, qua voluntas in eum liberè influit, aut in volitione Dei efficaci, aut inefficaci consistit: neutrum dici potest: ergo: non primum, quia aliàs actio illa libera esse non posset, sed potius determinata ad vnum: non secundum, quia potest dari hæc voluntas Petri verbi gratia hic amor, & hæc volitio Dei inefficax, quin hic amor (si quod probabile est, & pro nunc supponi potest, & debet) qualitas sit, quin à Petro producatur, vel quia à solo Deo producitur, vel certè quia à Paulo producitur: igitur hoc, quod est, hunc amorem ab arbitrio Petri produci, in eius arbitrio, & ipso amore, ac volitione inefficaci Dei consistere nequit.

Quod de actione generatiua hactenus ostensum est, idem de actione creatiua, conseruatiua, omnique aliâ causalitate cuiuscúmque causæ superiori argumento ostendi potest. Quæ verò in contrarium opponunt Ochamus, Gabriel, Gregorius Ariminensis, nostérque Gregorius 1. part. q. 2. punct. 1. in simili soluta sunt, cum de vnione ageremus.

CAPVT II.

An actio terminum naturâ anteuertat?

NOn nulli recentiores, quibus multum defero, contra communem antiquorum sententiam sentiunt, actionem non esse priorem natura termino, sed se habere omninò concomitanter cum illo. Quorum primum fundamentum est, quia munus actionis est determinare indifferentiam potentiæ ad hunc actum, etiam in sensu composito ipsius potentiæ, & actus, vt capite præcedenti explicuimus: at hoc munus exercere potest actio absque vlla antecessione naturæ: igitur actio eiusmodi antecessionem minimè efflagitat, cum ad suum munus exercendum minime necessariò sit. Minor, in qua est tota difficultas, suadetur

ſuadetur primò à priori, quia vbi actio reſpiciat eſſentialiter hunc terminum, & hanc potentiam productiuam, ſufficienter determinat indifferentiam vtriuſque: igitur ad exercitium huius muneris nulla requiritur anteceſſio. Secundò à paritate, quia vnio determinat indifferentiam extremorum, quæ ſimul eſſe poſſunt, abſque eo quod coaleſcant ad totum aliquod componendum; & tamen vnio non antecedit, ſed potius ſubſequitur extrema: igitur ſimiliter actio, &c. Idem argumentum fieri poteſt in vbicatione reſpectu loci, & locati; in duratione reſpectu temporis, & temporati; & vniuerſim in omnibus modis reſpectu extremorum, quæ modificant.

5. Secundò probatur idem intentum; quia in oppoſita ſententia nullum peccatum, nullave malitia, aut dignitas ſupplicij daretur in amando formaliter; contra illud Auguſtini definientis, peccatum per hoc, quod ſit dictum, factum, aut concupitum contra legem Dei: vbi in concupiſcentia, ſeu amore, aut proſequutione obiecti turpis malitiam, & peccatum agnoſcit: ſequela verò probatur, quia actio amoris haberet commune cum cæteris actionibus præcedere natura amorem, quem producit: at pro illo priori concipitur tota malitia, ſicut tota libertas, & indifferentia: igitur non conſiſtit formaliter in ipſo amore, & proſequutione obiecti turpis.

6. Cæterùm potior mihi eſt communis ſcholaſticorum ſententia, qui vno conſenſu tribuunt prioritatem naturæ actioni comparatione ſui effectus. Quod enim omnes ſtatuunt, actionem eſſe viam ad terminum, arguit aliquam prioritatem in actione reſpectu termini: cum ergo eiuſmodi prioritas nec temporis, nec loci eſſe poſſit; eo quod actio, & terminus in eodem tempore & loco vel ſemper, vel plerumque ſint: nec etiam poſſit eſſe in ſubſiſtendi conſequentia; cùm potius terminus in ſubſiſtendi conſequentia actione anterior ſit, & à termino non teneat conſequentia ad actionem, ſicut è conuerſo: reliquum eſt, vt ſolam prioritatem naturæ in actione reſpectu termini omnes agnoſcant.

7. Argumentor ſecundò: quia actio eſt determinatio potentiæ ad conferendam exiſtentiam effectui: at ſine anteceſſione naturæ hoc præſtari nequit: igitur actio effectum natura antecedit: minor ſuadetur, quia ſi actio determinaret ad exiſtentiam effectus abſque præceſſione naturæ, poſſemus ſimiliter comminiſci cauſam aliquam determinare ad exiſtentiam effectus, quin antecederet natura effectum: conſequés autem, quamuis à pauculis antiquis admittatur, antiquatum modò eſt, & à ſcholis merito relegatum: ſequela probatur, non alia ratione cauſa antecedere deberet effectum, niſi quia eum ad exiſtendum determinat: at in oppoſita ſententia munus determinandi ad exiſtentiam optimè intelligitur abſque præceſſione naturæ.

8. Argumentor tertiò: cognitio creata dirigens ad amorem nequit non antecedere natura amorem, vt aduerſariis etiam exploratum eſt: non alia de cauſa, niſi quia ratione ſuæ directionis habet mouere, & determinare voluntatem ad amandum: igitur pari ratione actio, quæ ex ſuo conceptu determinat, & mouet potentiam non intentionaliter, ſed quod plus eſt phyſicè ad terminum illum natura anteuertit. Quartò argumentor ex Aureolo in 2. diſtinct. 1. quæſt. 9. rem produci à Deo eſt, eſſe effectiuè à Deo: at rem eſſe effectiuè à Deo, eſt prius natura, ſiue ratione *à quo*, quàm eam exiſtere ſecundum ſe: igitur productio rei, &c. minor ſuadetur, quia non ideò res eſt effectiuè à Deo, quia exiſtit, ſed potius è contrario, ideo exiſtit, quia eſt effectiuè à Deo. Ergo. Hac ratione obiectum diuinæ ſcientiæ ea quodammodo prius eſt, quia eſt vera hæc cauſalis, & PP. ſolemnis, ideo res fore videtur à Deo, quia futura eſt, & non è conuerſo.

9. Argumentor tandem authoritate Ariſtotelis, cui in quæſtionibus de homine (cuiuſmodi eſt præſens) fides præcipuè habenda eſt: quarto ergo Metaphyſicæ cap. 5. ita loquitur: *aliquid eſt aliud præter ſenſum, quod ſenſum neceſſario antecedit, quippe cum id, quod mouet, prius natura ſit eo, quod mouetur:* at actio mouet ad exiſtentiam termini. Rurſus hæc habet 2. Metaphyſ. cap. 11. ibi: *ſemper enim eſt medium inter eſſe, & non eſſe generatio:* igitur actio generatiua eſt prior, quàm eſſe rei, & poſterior, quàm eius non eſſe; cum ergo nequeat eſſe prior tempore, quàm eſſe rei; ſicut eſt poſterior tempore, quàm eius non eſſe, reliquum eſt, vt ſit prior natura, quàm eſſe rei. Deinde ſubiungit Philoſophus ibi: *non enim fit ex generatione, quod fit, ſed eſt poſt generationem:* non tempore, vt compertum eſt: ergo natura. Præterea id ipſum habet lib. 9. Metaphyſ. cap. 6. ibi: *actus enim numero eſt poſt generationem:* & paulo ſuperius: *poſterior namque generatione eſt, qui ſecundum numerum actus eſt:* quæ clariora ſunt quam vt expendi debeant: Ariſtotelem ſequuntur D. Thomas 1. p. quæſt. 45. art. 3. ad 3. Vaſquez 1. p. diſp. 173. cap. 4. num. 11 & omnium clariſſimè Pater Suarez 1. Metaphyſ. diſp. 28. ſect. 2. num. 18. prope finem ibi: *comparatione effectus ſimpliciter eſt prior natura cauſa in actu etiam vt actu agens, quia actio ipſa eſt prior natura ſuo termino* & 1. 2. tractatu 3. diſp. 8. ſect. 2. ibi: *ſecundò concipi poteſt* (puta voluntas) *vt prior natura ſuo actu in quantum ordine naturæ actio antecedit terminum*, &c. vbi actioni productiuæ amoris, in qua ſpecialis difficultas prioritatem naturæ attribuit.

10. Ad primum argumentum reſpondeo: vt actio exerceat munus determinandi, ad exiſtentiam termini dependenter ab hoc principio, non ſufficit, quod eſſentialiter reſpiciat vtrumque extremum abſque eo, quod alterum natura anteuertat, vt conſpicere eſt in potentia, & actu vitali: nam vnio vtriuſque vtrumque eſſentialiter reſpicit, & tamen non determinat potentiam vitalem, vt actui vitali exiſtentiam conferat: igitur ſolus reſpectus eſſentialis ſeorſim ab antecedentia non ſufficit ad munus determinandi, de quo agimus: vnio autem & reliqui modi in argumento oppoſiti propterea extrema ſua ordine naturæ non anteuertunt, ſed potius ſubſequuntur, quia nullus eorum determinat rem ad hoc, vt abſolutè exiſtat, ad modum quo actio determinat, ſed præcisè ad hoc, vt exiſtat tali modo. nimirum in tempore, in toto, in loco, in ſubiecto, &c.

11. Ad ſecundum argumentum reſpondeo primò: nihil intereſt malitiam, & libertatem non reperiri formaliter in amore, ſed tantum denomi-

natiuà,

natiuè, & mediatè ab actione præcedente: quod autem Augustinus supra & alij Patres innuunt peccari, & delinqui amando, & concupiendo obiectum turpe; id intelligendum est de amore in fieri, qui est ipsa actio productiua amoris, non de amore in facto esse: quæ solutio eò probabilior est, quò communior sententia constituit malitiam in priuatione rectitudinis subsequuta ad actum, non vero in actu ipso, siue amore, nisi ad summum inchoatiuè, & radicaliter. Secundò respondeo, amorem ipsum esse immediatè & formaliter liberum; siue, quod perinde est, esse ita immediatè, & formaliter productum, vt non produci potuerit: tametsi enim actio terminum natura antecedat, siue inter potentiam, & terminum media sit: cæterùm non antecedit, nec mediat nisi tanquam ratio producendi: hoc autem non obstat, quominus amor immediatè & formaliter sit productus cum indifferentia ad vtrumlibet, ac proinde liber; qua ratione vnum extremum immediatè, & formaliter vnitur alteri, quamuis vnio inter vtrumque mediet. Ex his constat, quo iure nonnulli decreta Dei efficacia concomitantia tamen, & libertati consona admittant.

CAPVT III.

An actio suaptè natura successiua sit?

12. IOannes Cardinal. de Lugo disput. 19. de Incarnat. sect. 1. num. 10. docet, actionem omnem singulis momentis variari, esseque re vera successiuam, & à duratione prorsus indistinctam. Eandem sententiam complures Recentiores postea sequuti sunt, & adeò illustrarunt, vt quæstio hæc superioribus sæculis vix, aut parum agitata, nunc celeberrima sit, & paucis quidem secunda in tota Philosophia.

13. Præfatæ igitur opinionis primum fundamentum est huiusmodi. Duratio non est consequens rem durantem: igitur est productio rei, & è conuerso. Consequentia liquet; quia productio nihil aliud est, quam prima determinatio rei, vt existat, & extrahatur à suis causis: at duratio, eo ipso quod non sit consequens rem productam vt productam, est prima determinatio illius vt existat: determinatio quidem, quia fieri nequit, vt res duret quin existat, quod perinde est, ac durationem aliquo modo determinare rem ad existendum: prima vero, quia aliam determinationem non supponit: si quam enim supponeret, maximè actionem, qua tamen posterior non est, si verum est antecedens argumentis. Quod autem verum sit.

14. Probatur primò, quia ex eo quod duratio sit consequens rem durantem, & hæc illam antecedens, sequitur dari & non dari hanc ipsam antecedentiam: consequens est absurdum: ergo & illud ex quo sequitur, Sequela ostenditur: nam pro eo signo, quo res existens antecedit durationem *B*, v. g. vt proxima causa illius, intelligitur existens in instanti *B*: at existere in instanti *B*, est effectus formalis durationis *B*, igitur intelligitur pro illo signo duratio *B*, ac proinde res vt existens, & producta antecedit pro illo signo priori, & non antecedit durationem *B*, vti prædictum est. Maior ostenditur, pro illo signo intelligitur res existens immediate post instans *A*; at existere immediatè post instans *A*, est formaliter existere in *B*: ergo, &c. rursus hæc maior probatur, in illo signo intelligitur res durans cum necessitate causandi durationem *B*, quia res durans non comparatur cum sua duratione vt causa libera, sed vt causa naturalis, & necessaria; sicut cum vbicatione, & cæteris proprietatibus; at hæc necessitas oriri nequit nisi ex eo, quod intelligatur existens immediatè post instans *A*: ergo, &c.

15. Secundò probatur idem antecedens: res existens, & producta pro signo, quo concipitur anteuertens natura durationem *B*, concipitur proximè expedita ad illam causandam: at hæc expeditio proxima ad eam causandam tantùm reuocari potest in existentiam rei immediatè post instans *A*, antecedens: igitur pro illo priori existit immediatè post instans *A*, atque adeò existit in instanti *B*, sequenti: hic autem est effectus formalis durationis *B*: igitur concipitur pro illo priori duratio *B*, quod repugnat, si duratio consequitur rem durantem: non est ergo eam consequens.

16. Tertiò probatur idem antecedens: pro illo priori intelligitur in re existente, & producta necessitas causandi durationem *B*, potius quàm aliam; at hæc necessitas solum proficisci potest ex eo, quod tunc existat instans *B*, & non aliud: igitur pro illo priori & res existens, & instans *B*, existens: igitur intelliguntur coëxistentia; quod cum fieri nequeat, nisi per durationem *B*, certè pro illo priori intelligitur duratio *B*, aliundè iuxta aduersarios in illo priori non intelligitur: igitur ex eiusmodi prioritate repugnantia, & contradictionem implicantia deducuntur. Maior probatur; tum, quia vt proximè superius dictum manet, res existens, & producta non comparatur cum duratione, vt causa libera, sed necessaria, & naturalis; quemadmodum cum cæteris suis proprietatibus: igitur pro priori concipitur cum determinatione, & necessitate causandi durationem, quam pro posteriori habitura est: tum etiam, quia actus primus proximus tunc habet necessitatem causandi secundum, quando cum eo connectitur essentialiter, & ab illo est indiuiduus, & inseparabilis penes omnem potentiam, tam ordinariam, quam absolutam; in qua indiuisione, & inseparabilitate stat discrimen causæ necessariæ à libera: at actus primus proximus rei existentis ante durationem *B*, ab ea omnino inseparabilis, & indiuidua est: siquidem nequit res diuidi, ac separari à duratione *B*, nisi vel non existat omnino, vel existat cum diuersa duratione, res autem cum non existit, vel cum existit affecta distincta duratione à duratione *B*, non est in actu primo proximo ad causandam durationem *B*. Quis enim dicat, me non existentem, vel modo tantum existentem posse proximè expediri ad causandam durationem, qua coëxistam Antichristo, & non potius ad hunc actum primum proximum, & expeditum requiri, vt futura ad illud instans sæcula, & tempora elabantur? res ergo vt existens in actu primo proximo ad causandam durationem *B*, nulla po-

reſtate ab ea diuidi, ſiue ſine ea reperiri nequit. Porrò minor ſyllogiſmi ſuadetur: illa neceſſitas cauſandi durationem *B*, oriri nequit ab exiſtentia rei ſecundum ſe, quæ dabatur in inſtanti *A*. antecedenti ſeorſim ab illa neceſſitate; nec etiam oriri poteſt à voluntate Dei efficaci ad durationem *B*, terminata; nam voluntas omnis Dei, vtpote æterna, reperitur in quocumque inſtanti, cum tamen neceſſitas illa cauſandi determinate durationem *B*, præ alia promiſcue in quouis inſtanti non reperiatur, ſed nunc ſit, cum antea non fuerit, nec poſtea ſit futura: reſtat ergo huiuſmodi neceſſitas à ſola exiſtentia inſtantis *B*, prouenire: ac proinde pro illo ſigno antecedenti intelligitur exiſtens inſtans *B*, quæ erat minor probanda.

17. Secundum eius ſententiæ fundamentum eſt: decretum exiſtentiæ, & productionis rei præſcindit ab vbicatione rei, decernitque rem ſecundum ſe, nihil ſtatuendo de vbicatione, quæ ad aliam volitionem ſpectat: at decretum de exiſtentia, & productione Dei non præſcindit à duratione, quam res habitura eſt, ſed potius eam ſimul cum exiſtentia decernit: ſignum igitur eſt, durationem non eſſe diſtinctam ab actione, ſicut ab ea vbicatio diſtinguitur; aliàs ſi foret ab actione diſtincta perinde ac vbicatio, ſicut decretum actionis præſcindit ab vbicatione, pariter à duratione præſcinderet. Minor probatur: nequit Deus decernere, vt res exiſtat, & producatur, quin eam decernat vel vt primò exiſtentem, vel vt ſemper exiſtentem, vterque autem exiſtendi modus importat durationem, aut temporaneam, aut æternam.

18. Confirmatur, & illuſtratur: res pro priori ſigno exiſtens eſt indifferens ad hanc, vel illam vbicationem, cum ex ea ſuppoſitione verſus hanc, aut verſus illam ſpatij partem moueri poſſit: at nequit pro priori aliquo ſigno eſſe exiſtens cum indifferentia ad hanc, vel illam durationem, ſed ſemper cum neceſſitate, & determinatione ad aliquam durationem in particulari, vt ſuperius oſtenſum eſt: igitur quia ante productionem, & exiſtentiam rei præcedit decretum alicuius determinatæ durationis: ſed non eſt, cur decretum durationis præcederet productionem rei, niſi quia ſimul eſt decretum productionis: neque eſt, cur decretum durationis ſit decretum productionis, niſi quia productio eſt duratio: igitur de primo ad vltimum duratio eſt indiſtincta à productione.

Tertium eiuſdem ſententiæ fundamentum eſt: actio libera eſt indiſtincta à duratione: ergo & quæuis alia: antecedens ſuadetur; ſi actio libera eſſet diſtincta à duratione, eſſet permanens & prior natura durationibus ſucceſſiuè fluentibus, vt ab aduerſariis conceditur: at ex hac prioritate actionis liberæ permanentis comparatione durationum ſucceſſiuè labentium, ſequitur tolli omnem rationem meriti noui, & diſtincti à conſeruatione actus liberi, quod manifeſtè falſum eſt: ſequela ſuadetur: quemadmodum ad meritum requiritur libertas, ita ad nouam, & diſtinctam rationem meriti noua, & diſtincta libertas, at ſi actio ſit permanens, & prior duratione, atque adeo ab illa diſtincta, dari nequit nouum exercitium libertatis diſtinctum ab eo, quod dabatur in primo inſtanti: nam illud nouum exercitium libertatis nequit eſſe actio ſecundum ſe; cum hæc in primo inſtanti præceſſerit: nec etiam duratio ſequens nouum exercitium libertatis eſſe poteſt; ſiquidem vt ſuperius viſum eſt, actus primus proximus ad qualemcumque durationem habet neceſſitatem, & determinationem eſſentialem ad illam; ac proinde per eam non libertas, ſed neceſſitas, & determinatio antecedens exercetur. Quid autem aliud intelligi poteſt, quo denuo libertas exerceatur? Hæc huius ſententiæ fundamenta.

CAPVT IV.

Contraria ſententia eligitur, & probatur.

19. DEſerenda tamen non eſt communis Theologorum, & Philoſophorum ſententia diſtinguens actionem à duratione; quam expreſsè interminis vt aiunt, ſequuntur Ouiedo controu. 16. phyſic. part. 1. à §. 8. Martinon diſp. 10. de Incarnat. ſection. 3. num. 28. Amicus de Angel. diſp. 2. num. 228. & 229. & Suarez diſput. 21. Metaphyſ. ſect. 2. num. 6. Eam à priori ſuadeo, primò: aliud eſt, rem exiſtere dependenter ab his cauſis determinatis, aliud exiſtere in hoc determinato tempore potius, quàm in alio: at munus actionis eſt determinare rem, vt exiſtat priori modo; durationis vero vt poſteriori: igitur actio, & duratio ſortiuntur numera diſtincta, & realiter ſeparabilia, ac proinde diſtinguuntur realiter: aliàs equidem nec quantitas à qualitate, nec vbicatio à duratione, nec vniuerſim vllus modus ab alio realiter diſtingueretur, & omnes modi in eodem coaleſcerent, quod quantum à modo, & ratione alienum ſit, quis non conſpiciat? Maior, quæ ſola indiget probatione, ſic oſtenditur: illa duo ita comparata ſunt, vt alterum ab altero ſeparari poſſit, cum optime cohæreat rem exiſtentem in hoc tempore, etiam facta hac ſuppoſitione habere indifferentiam, vt dependeat ab his vel illis cauſis; & rurſus rem exiſtentem dependenter ab his cauſis determinatis, etiam facta hac ſuppoſitione, habere indifferentiam, vt exiſtat in hoc, vel illo tempore: igitur alterum ab altero diſtinguitur.

20. Argumentor ſecundò, ex prioritate actionis ad rem productam: ſiquidem productio antecedit natura rem productam: at duratio non antecedit natura rem durantem: igitur actio à duratione diſtinguitur: Maior ex dictis ſupra perſpicua eſt: minor ex ſola apprehenſione terminorum conſtat. Quis enim concipiat prius natura rem exiſtere in tempore, quam abſolutè exiſtere? Certè pro illo priori abſolutè exiſteret, & non exiſteret abſolutè: non exiſteret abſolutè, vt ſupponitur: exiſteret abſolutè, quia exiſtere in tempore abſolutam exiſtentiam concernit?

Argumentor tertiò, ex poſterioritate durationis ad rem durantem, ſiquidem actio non eſt poſterior

posterior natura re producta : at duratio est ea posterior : igitur actio à duratione distinguitur: Maior est euidens, aliàs pro priori aliquo naturæ res creata existeret, & non vi actionis : minor ostenditur : ideo res durat, siue existit in hoc tempore, quia absolutè existit, & non è conuerso : igitur duratio est posterior, existentia: huiusmodi enim irreciproca causalis, sicut inter res indistinctas prioritatem ac posterioritatem logicam arguit, ita similiter inter res distinctas prioritatem, ac posterioritatem naturæ nusquam non arguit, vt in cognitione, & obiecto, vbicatione & re vbicata, aliisque similibus conspicere est.

21. Argumentor quartò, Æternitas, quæ est duratio propria Dei, est ipsius attributum, & subsequitur ratione nostra existentiam naturæ diuinæ, nec non determinationem, vt existat, quæ quidem ab ipsa natura diuina minimè distinguitur: igitur duratio creaturæ est attributum ipsius, eiusque existentiam & determinationem, vt existat, ratione subsequitur : cum ergo determinatio rei creatæ, vt absolutè existat, sit eius productio; sanè duratio rei creatæ subsequitur actionem qua producitur, ac proinde ab illa distinguetur. Antecedens est omnium Theologorum cum Sancto Thoma 1.part. quæst. 10. vbi ex immutabilitate Dei eius æternitatem colligit, nec nisi post quæstionem de immutabilitate Dei eius æternitatem indagat, vnde æternitatem immutabilitate, ac per consequens ipso esse immutabili posteriorem censuisse videtur. Nec valet, si respondeas, hoc argumento tantùm concludi distinctionem rationis inter actionem, & durationem; quia vbi semel in creatis actio, & duratio ratione distinguantur, non erit, cur alicubi realiter distinctæ non reperiantur : haud secus ac animal, & rationale in nobis ratione tantum distincta, in belluis realiter distincta reperiuntur. Tum etiam, quia tametsi subsistentia diuina naturam diuinam non subsequatur, quasi attributum realiter distinctum, tamen in creatis aliter vsu venit : igitur quamuis duratio propria Dei, siue eius æternitas tantùm subsequatur, & distinguatur ratione nostra à determinatione diuinæ naturæ, vt existat; tamen duratio creata aliter se habebit respectu rei creatæ, & determinationis vt existat.

22. Argumentor quintò, & præcedenti argumento lucem adhibeo : tametsi in diuinis sint productiones reales ad intra, cæterum natura diuina non durat per illas, vel saltem per solas illas, sed habet æternitatem absolutam, & essentialem condistinctam ab omni prædicato notionali, & relatiuo, vt in confesso est apud omnes Theologos, & suadent optimè loca Patrum adducta à Patre Didaco Ruiz disp. 12. de Trinit. sect. 1. & 2. igitur similiter natura creata non durat per productionem aliquam realem, sed per modum à productione distinctum. Nec valet, si respondeas, productionem realem habere rationem durationis comparatione solius rei, quam producit : productiones autem ad intra in diuinis non producunt naturam, sed solas relationes: vnde non natura, sed relationes per actiones ad intra durabunt. Hoc, inquam, refelli potest, primò : quia in sententia negante tres æternitates relatiuas, proprietas relatiua per se produci-

tur, quin per se, sed per prædicatum absolutum, & essentiale duret Secundò, quia productio ad intra licet solam subsistentiam, & non naturam producat, naturam tamen subsistentem denominat : igitur quamuis naturam non producat, eam tamen durantem denominabit, vbi semel duratio non minus, quàm subsistentia esse statuatur.

23. Argumentor sextò : stante eodem principio producente, & eodem termino producto nequit productio eadem non esse : at in quocumque instanti principium productiuum Angeli, verbi gratia, est idem, cum sit solus Deus, in quem nulla mutatio, aut vicissitudinis obumbratio conuenit, & Angelus productus est idem : igitur in quocumque instanti productio Angeli est eadem, & non varia, & successiua pro varietate instantium labentium : maior aperta videtur, vbi enim causa sit eadem, & effectus non diuersus; quæ, oro te, diuersæ actionis necessitas, aut vtilitas esse potest ? Et declaratur à simili : implicat actionem intentionalem esse diuersam, quin ea diuersitas à diuersitate principij, aut termini originem trahat : ergo similiter, &c. Antecedens suadetur de actione intentionali cognoscendi obiectum (misso amore, cuius eadem est ratio) eo ipso, quòd vna cognitio diuersa sit ab alia, non potest non esse, aut de obiecto diuerso, aut ab intellectu diuerso, aut certa diuersa specie : igitur actio intentionalis principio, aut termino inuariato variari nequit.

24. Argumentor septimò : Motus solis, verbi gratia, per orbem aut circulum, quem spatio diurno circumlabitur, à duratione distinguitur : at motus ille coalescit ex diuersis actionibus, quibus plures vbitates solares aliæ post alias producuntur : igitur omnis actio à duratione distinguitur : si enim actiones successiuæ, & quæ terminum suaptè natura transeuntem causant, adhuc à duratione distinguuntur; potiori iure id de actione productiua rei permanentis, & minimè fluxæ, aut instabilis dici debet. Maior suadetur; potest idem numero motus plus, aut minus durare : at idem numero motus durationis plus, aut minus durare nequit, cùm determinatum temporis spatium essentialiter respiciat : igitur motus distinguitur realiter à duratione : maior probatur, quia potest idem numero motus esse tardior, aut velocior; quemadmodum eadem numero quantitas permanens potest esse rarior, aut densior: at motus est tardior, aut velocior prout plus, minusve durat.

25. Tandem argumentor, Quod est immortale, & æternum, ab vno momento, & puncto temporis pendere non potest : at quæuis actio creatiua est immortalis, & æterna : igitur nulla creatio Angeli ab vno temporis momento essentialiter pendet, ac per consequens singulis momentis actio creatiua Angeli alia, atque alia non est, prout ad durationem oportet : minor suadetur, quia actio creatiua Angeli vel in volitione Dei, vel in ipso Angelo sita est, & ita immortalis non esse nequit : vel, quod aduersariis duntaxat reliquum est, in modo aliquo creato, qui Angelo essentialiter adhæreat, eius creatio sita est : & ita eam immortalem esse hac ratione suadeo, quia ideo anima rationalis est immortalis, & æterna (idem de Angelo, & materia prima

iudicium eſto) quia creatur : at creatio Angeli in modo ei intrinſeco collocata neceſſario creatur : ergo eſt immortalis: minor ſuadetur, tum quia quemadmodum vnio vnire nequit extrema, quin ipſa vniatur; aut generatio generare, quin ipſa generetur; aut duratio, & vbicatio in tempore & loco conſtituere, quin ipſæ tempori, & loco commenſæ ſint : ita ſimiliter creatio Angeli eo ipſo, quòd modus ſit, creare non poterit, quin ipſa creetur: tum etiam, quia creatio Angeli vbi in modo conſiſtat à nullo ſubiecto, ſeu cauſa materiali pendere poteſt, nec enim à Deo, vt compertum eſt, nec etiam ab Angelo; aliàs prior & poſterior natura eſſet: igitur independenter à ſubiecto producitur, ac proinde creatur: Maior autem probatur, quia ſi anima rationalis non crearetur, nec independenter à materia fieret; æqua & par eſſet illius conditio, ac cæterarum formarum materialium: at hæ mortales, & corruptibiles ſunt: ergo & illa mortalis, & corruptibilis eſſet, ſi increata, & independens à materia eſſet: ideo igitur immortalis eſt, quia creatur, & à materia non pendet, id quod perſpicuè docet Auguſtinus tom. 1. lib. de immortalitate animæ ibi : *temperatio autem corporis in ſubiecto* corpore eſt tanquam calor, non eſt ergo temperatio corporis animus, ſed vita eſt animus, etſi nulla res ſe deſerit, & id moritur quod vita deſerit, non igitur animus mori *poteſt*. En reuocat Auguſtinus immortalitatem, animi in eius independentiam à corpore, cuius temperatio ſit; ſiue, quod perinde eſt, in independentiam à ſubiecto, & cauſa paſſiua oppoſitam dependentiæ, qua calor, & aliæ formæ ſubiectis ſuis inhærent. Auguſtino Concinit Thomas 1. 2. quæſt. 85. art. 6. corpore ibi : *Et quamuis omnis forma intendat perpetuum eſſe quantum poteſt, nulla tamen forma aſſequi poteſt perpetuitatem præter animam rationalem, eo quod ipſa non eſt ſubiecta omnino materiæ corporali.*

CAPVT V.

Argumenta contrariorum ſoluuntur.

26. PRo quorum ſolutione notanda eſt differentia inter ſimultatem facultatis proximæ ad diuerſas, & oppoſitas durationes *A* videlicet & *B*, & poteſtatem, ſeu facultatem proximam ſimultatis earum durationum: & pari ratione diſtingui oportet inter ſimultatem neceſſitatis ad diuerſas, & eſſentialiter ſucceſſiuas durationes, & neceſſitatem ſimultatis earum durationum: quemadmodum communiter in materia de auxiliis diſtingui ſolet ſimultas poteſtatis ad amorem & odium, & poteſtas ſimultatis vtriuſque: vti enim exiſtente odio in voluntate ſimul cum poteſtate ad odium datur poteſtas ad amorem, quæ eſt ſimultas poteſtatis, non tamen datur in voluntate poteſtas ad amorem ſimul cum odio eliciendum, quæ eſt poteſtas ſimultatis vtriuſque actus: ita proportione ſeruata, exiſtente Petro in inſtanti *A* ſiue cum duratione *A* datur in eo facultas proxima, & neceſſitas ad durationem *B* non tamen inde ſequitur quod detur in eo facultas proxima, nedum neceſſitas ſimultatis vtriuſque durationis, ſiue, quod idem eſt, ad vtramque ſimul ponendam. Secundò notanda eſt differentia inter inſtantia naturæ, & inſtantia temporis : ſicut enim quæ ſunt ſimul tempore, ſiue in eodem inſtanti temporis non eo ipſo ſimul natura, ſiue in eodem inſtanti naturæ eſſe debent : ita ſimiliter quæ in eodem inſtanti naturæ ſunt, aut intelliguntur non eo ipſo in eodem tempore coëxiſtere debent : qua ratione cum Deus videt Antichriſtum extiturum pro priori ſigno rationis, aut quaſi naturæ ante æternam eius ſcientiam, intelliguntur ſimul intellectus diuinus, & exiſtentia temporalis, quam conſpicit, quin propterea intellectus Dei, & exiſtentia Antichriſti in eodem inſtanti temporis, ſeu durationis realis, ab æterno ſimul ſint, aut eſſe queant.

Quibus conſtitutis : ad primum argumentum reſpondeo primò, miſſo antecedenti, in quo aſſumitur concomitantia durationis, & rei durantis abſque vllo naturæ ordine, & negando conſequentiam : optimè enim ſtat, durationem ſe habere concomitanter cum exiſtentia, quam afficit, quin propterea eam producat, haud ſecus ac productio ad intra in diuinis naturam Dei natura non ſubſequitur, ſed potius cum ea ſimul natura eſt, vt omnes fatentur, & tamen eam durare non facit: ratio à priori vtriuſque eſt diuerſum munus actionis, & durationis, vt vt ſe concomitentur, ſicut initio capitis antelapſi expoſuimus. 27.

Reſpondeo ſecundò, negato antecedenti : ad primam & ſecundam eius probationem, quæ in eandem coincidunt, aſſero facultatem proximè expeditam, & neceſſitatem ad durationem *B*. quæ datur pro priori ad durationem *B* non proficiſci ex eo, quod res durans exiſtat immediatè poſt inſtans *A* ac proinde vlterius non ſequi rem exiſtere pro eo priori in inſtanti *B* ſed ex decreto Dei efficaci circa durationem *B* regulato per ſcientiam de exiſtentia rei ſecundum ſe, ex cuius præuiſione concipit diuina voluntas tale decretum. Porrò ſicut exiſtit tale decretum pro quocumque inſtanti etiam in antecedenti, aut conſequenti inſtans *B* non conuenit etiam pro inſtanti *A* & quouis alio diuerſo ab inſtanti *B* dari facultatem proximam, & neceſſitatem ad durationem *B* vt enim ſupra prænotauimus, ſimultas neceſſitatis, & neceſſitas ſimultatis longè diſſident: vnde in re exiſtente pro quocunque inſtanti datur non ſolum facultas proxima, ſed & neceſſitas ad omnes durationes, quas per totam æternitatem habuit, aut habitura eſt; quin tamen detur in ipſa pro vllo inſtanti facultas proxima, nedum neceſſitas ad ſimul habendas, ſeu componendas eas durationes : quod exemplo amoris, & odij dilucidè, ni fallor, explicatum eſt. 28.

Ad tertiam probationem antecedentis reſpondeo primò : neceſſitatem, quæ ad durationem *B* cauſandam pro priori naturæ reperitur, non eſſe reuocandam in exiſtentiam inſtantis *B* pro illo priori, ſed reuocari poſſe, & debere in decretum Dei, quo ex præuiſione exiſtentiæ ſecundum ſe decernit efficaciter durationem *B* in quo nullum eſſe inconueniens numero ſuperiori oſtenſum eſt. Reſp. ſecundò; eiuſmodi neceſſitatem reuocari etiam poſſe in exiſtentiam inſtantis *B* intellectam pro illo priori : quod enim ſubinde infertur 29.

exiſtentiam

existentiam productam coextituram instanti *B.* pro illo priori, atque adeò duraturam prius natura, quam intelligeretur eius duratio, admodum non vrget: vt enim superius secundo loco notatum est, rectè possunt duo intelligi pro eodem signo naturæ, quin propterea tempore, seu duratione reali coëxistant: vnde tametsi pro illo priori intelligatur res secundum se, nec non instans *B.* necesse non erit, vt pro eo priori res, & instans *B.* duratione reali sibi coëxistant, siue, quod perinde est, vt res in instanti *B.* realiter duret, atque existat.

30. Ad secundum argumentum; largior gratis decretum existentiæ, & productionis non præscindere à duratione, sed in eam in diuiduè ferri: verum ob id duratio ab actione indistincta non erit, haud aliter ac decretum Dei de productione non præscindit ab existentia per eam producta; sed ambas per modum vnius decernit; & tamen actio, & existentia distinguuntur realiter. Rursus amor essentialis, & comprehensiuus Dei non præscindit vnam subsistentiam diuinam ab alia, sed simul, & collectiuè in totas tres fertur, & tamen realiter distinguuntur: pari ratione diuinus amor dirigi nequit in obiectum aliquod creatum, quin suprà se reflectat, vt suprà obiectum partiale; nefas tamen esset inde colligere indistinctionem obiecti creati à diuino actu, cui obiicitur: igitur quamuis decretum Dei minimè præscindat productionem rei ab eius duratione, id argumento esse non poterit ad vtramque identificandam. Secundò respondeo, negato antecedenti: ad cuius probationem aio, rem existere primò, aut semper, esse differentias accidentarias existentiæ secundum se, & hanc indifferentem esse, vt vel primò, vel semper, aut etiam primò in hoc instanti, aut primò in alio existat, aut producatur: vnde decretum Dei terminari potest ad existentiam sumptam secundum se, & nudè ab illis differentiis accidentalibus non minus, quàm à differentiis vbicationis subsistentiæ & similibus.

31. Ad confirmationem respondeo: sicut res creata est indifferens pro priori aliquo signo naturæ ad hanc, aut illam vbicationem; ita similiter ad hanc vel illam durationem, ad quarum alterutram determinatur per decretum Dei subsequens rem existentem secundum se, & eius præuisionem. Cæterùm aliter, & aliter res est indifferens ad diuersas durationes, & ad diuersas vbicationes: indifferentia enim rei ad hanc, aut illam vbicationem sæpè non est indifferentia actiua, cuius determinatio oriri potest à re existente secundum se, qua versus hanc, aut versus illam partem pro libito se se mouere potest: at indifferentia rei ad oppositas durationes est indifferentia quasi passiua, cuius determinatio non est à re durante, sed seorsim à libertate illius à solo Deo pro suo libito decernente, vt res duret, aut non duret pro hac, aut illa differentia temporis. Deinde etiamsi pro primo signo suæ existentiæ res haberet necessitatem ad hanc durationem, atque adeò decretum productionis esset decretum durationis, non propterea duratio cum productione confundi deberet, vt numero penè superiori explicuimus.

Ad tertium argumentum respondeo, durationem quantumlibet distinctam ab actione, nouæ tamen libertatis exercitium, & noui meriti materiam toties esse posse, quoties à voluntate actus liber liberè conseruatur: tum, quia duratio quamuis distincta ab actione eam concomitari potest, quin antecessio actionis eius libertati, aut meritò quidquam derogare possit. Deinde duratio actus liberi, eiusque conseruatio, quamuis sit necessaria respectu existentiæ actus liberi, ab eaque velut à causa naturali proficiscatur, respectu tamen voluntatis nostræ libera esse potest, haud aliter ac ipse actus habitui necessarius, voluntati tamen liber, & spontaneus est: quid? quod aliquis contendere posset ratione nouæ durationis nihil nouæ libertatis actui accrescere, aliquid tamen noui meriti ei accedere; quemadmodum in sententia Scoti, actus exterior actui interiori nil libertatis, aliquid tamen meriti superaddit.

TRACTATVS II.

De Actione creatiua corporis naturalis.

CAPVT I.

Creatio corporis naturalis, & cuiusuis alterius rei in quo sita sit?

CREATIO trifariam accipi solet: primo, latissimè pro quauis productione, siue eius terminus sit ens necessarium, & infinitum; siue ens contingens, & necessarium: qua ratione Sapientia Dei, siue Verbum diuinum creari dicitur. Eccles. 24. ibi: *ab initio, & ante sæcula creata sum:* Secundò pressius, pro sola ea productione, cuius terminus sit aliquod ens finitum, & contingens; & hac ratione personam aliquam diuinam creaturam esse, siue creari à Catholicis contra Arrium denegatur, omne verò ens præter Deum creari, siue creatura esse dicitur: tertio, & proprissimè pro ea sola productione, quæ rem independenter ab omni subiecto producit, qualis est ea, qua Angelus, aut animus rationalis, aut accidentia Eucharistica producuntur. Creatio in primo sensu magna ex parte Theologici instituti est; Philophici verò in secundo, & tertio sensu. Quod ergo ad quæstionem capitis titulo præfixam attinet: 1.

Prima sententia est, actionem creatiuam sitam esse in sola voluntate Dei efficaci, qua existentiam Angeli, aut animi verbi gratia efficaciter decernit, eamque in nullo alio consistere posse, ita Caietan. 1. p. q. 45. art 3. Capreolus in 2. dist. 1. quæst 2. Richardus ibidem. art. 1. q. 2. & 3. Valentia 1. p. disp. 3. q. 2. & alij complures. Secunda sententia est, creationem, siue productionem rei ex nullo præsupposito subiecto solùm consistere in ipso termino creato, Angelo verbi gratia aut animo, ita Scotus & assecłæ in 2. dist. 1. quæst. 5. Pater Vasquez 1. p. disp. 173. cap. 3. & alij non pauci. Tertia sententia est, creationem solùm consistere in modo reali medio inter agens & terminum, & qui agente posterior, termino verò prior sit, haud aliter ac actio generatiua in entitate modali sita est: ita Pater Molina 1. p. quæst 45. art. 3. Suarez disput. 20. Metaphys. sect 5. numero 12. Hurtado disput. 12. Physicor. à §. 21. Arriaga 2.

diſputatione 9. Phyſicor. Compton. diſput. 41. Phyſ. ſect. 3 & cum iis communiter noſtri recentiores.

3. Ipſe has omnes ſententias quoad id, quod affirmant, veras eſſe, & quoad id, quod negant, falſas eſſe arbitror; quamobrem dicendum eſt, creationem aliquam in ſola voluntate efficaci Dei conſiſtere, aliam verò in ſolo termino creato, & nonnullam in modo reali, qui à voluntate Dei, & termino creato modaliter, ſiue ex natura rei diſtinctus ſit; & vtrúmque interiaceat. Ab hoc philoſophandi modo non paucos eorum, qui pro oppoſitis ſententiis nuper commemorati ſunt, alioſque qui commemorari poſſent, ſtetiſſe cenſuerim: celebris enim inter antiquos eſt duplex acceptio creationis, quarum alia in ſola voluntate Dei conſiſtit, & creatio actiua nuncupatur; alia verò in termino creato conſiſtit, & creatio paſſiua appellatur.

4. Prima ergo noſtræ ſententiæ pars, nempe voluntatem Dei efficacem ſecundum ſe, & ſeorſim à quouis alio ſumptam creationem eſſe hoc pacto probatur: Munus, & officium actionis eſt determinare, vt hic effectus ab hac cauſa exiſtat: at voluntas efficax Dei ſe ſola, & circumſcripto quouis alio determinat, vt Gabriel verbi gratia à Deo exiſtat: igitur munus, & officium actionis, ac proinde eius rationem ſibi vendicat: alterius autem actionis, quàm creatiuæ rationem ſortiri nequit, eo quod Gabriel Angelus generari, aliaue actione, quàm creatiua produci nequeat; ac per conſequens rationem actionis creatiuæ ſortitur. Maior perſpicua eſt: quia ſiue de actione eductiua, ſiue de creatione modali, & ab agente & termino diſtincta, ſiue de creatione à termino indiſtincta ſermo ſit; quæcumque harum ab aduerſariis actio admittatur, ideò ſanè actio cenſenda eſt, quia determinat, vt hic effectus ab hac cauſa exiſtat: igitur eiuſmodi determinatio munus & officium actionis eſt: Minor etiam minus perſpicua non eſt; quia eiuſmodi volitio Dei efficax ad Gabrielem terminata eſt eſſentialiter connexa cum hoc, quod eſt, Gabrielem exiſtere à Deo, idque independenter à ſubiecto; hac enim ratione & non alia Gabriel exiſtere poteſt, igitur talis volitio determinat, vt Gabriel à Deo exiſtat; quemadmodum ratione ſimilis connexionis quæcunque alia actio indubitanter talis determinat, vt hic effectus ab hac cauſa exiſtat.

5. Dices, primo, non qualemcunque determinationem cauſæ ad effectum, & effectus ad cauſam, eſſe actionem, ſed determinationem modalem, & diſtinctam à cauſa, & effectu; & inter vtrumque mediam; cuiuſmodi ſanè non eſt volitio Dei. Contra tamen, quia determinatio illa modalis à cauſa, & effectu diſtincta, & vtrúmque intermedia, ſi quando admittitur, ideo eſt, quia cauſa, & effectus ſiue ſimul, ſiue ſeorſim ſumantur, indifferentes ſunt, vt effectus à cauſa effluat, & cauſa in effectum influat; qua ratione vnio etiam modalis ab extremis diſtincta ideo admitti ſolet, quia extrema indifferentia ſunt, vt ſe intrinſecè afficiant: at ſuppoſita volitione Dei efficaci ad Gabrielem terminata nulla eſt indifferentia, vt Gabriel à Deo exiſtat, Deuſve in Gabrielem influat: igitur determinatio illa modalis à Deo, & Angelo realiter diſtincta admitti nequit: nec de ratione creationis eſſe poteſt, vt in eiuſmodi determinatione conſiſtat: vnde quamuis volitio Dei efficax eiuſmodi determinatio non ſit, actio tamen creatiua eſſe poterit.

6. Dices ſecundo, determinationem, vt effectus exiſtat à cauſa, duplicem eſſe: aliam proximam, & formalem; aliam verò remotam, & radicalem; ſolámque priorem, non verò poſteriorem determinationem, ſortiri rationem actionis: cum ergo volitio Dei efficax non ſit determinatio proxima, & formalis; propior enim determinatio ad exiſtentiam Angeli eſt Angelus ipſe ſe ipſo determinatus, vt à Deo exiſtat, vel modus aliquis Angelo intrinſecè adhærens: quæuis, inquam, harum determinationum propior eſt Angelo, quàm volitio Dei; ſanè hæc rationem actionis creatiuæ ſortiri non poterit. Verùm cùm actio creatiua more reliquarum actionum ſit via agentis ad terminum, & ab agente quodammodo incipiat, & in termino deſinat, non eſt, cur propior ſit termino, quàm agenti, aut cur proxima ſit reſpectu termini potiùs, quàm reſpectu agentis: igitur quamuis volitio Dei propior ſit agenti, quàm termino; & reſpectu termini determinatio proxima non ſit, tamen rationem actionis creatiuæ ſortiri poterit. Equidem ſicut exiſtentia Angeli, iuxta aduerſarios, eſt eius creatio, eſto reſpectu Dei determinatio remota, & radicalis ſit, vtpote quæ eius volitionem efficacem ſupponit, ita è conuerſo volitio Dei poterit eſſe creatio Angeli, tametſi reſpectu illius determinatio remota, & radicalis ſit.

7. Primum argumentum pro ſententia contraria in hunc modum confici ſolet: ſi creatio Angeli eſſet volitio Dei efficax, ſicut volitio Dei eſt ab æterno, ita creatio Angeli eſſet ab æterno: at creatio Angeli ab æterno eſſe nequit: ergo: maior proculdubio eſt vera: minor probatur; quia ſi creatio Angeli eſſet ab æterno, Deus ab æterno Angelum crearet; quemadmodum Angelum ab æterno vult, quia eius volitio ab æterno eſt: at Deus ab æterno Angelum non creauit, ergo: maior perſpicua videtur: minor ſuadetur: tum, quia ſi Deus ab æterno Angelum creaſſet, Angelus ab æterno eſſet creatus; Deum enim creare Angelum, & hunc eſſe à Deo creatum relatiua, & reciproca ſunt, quæ autem eiuſmodi ſunt, teſte Ariſtotele, ſunt ſimul natura, tempore, & cognitione; nec vnum in aliquo nunc temporis, aut æternitatis ſine alio eſſe poteſt: at Angelus ab æterno creatus non eſt, aliàs ab æterno extitiſſet, quod hæreticum eſt. Tum etiam ex Prouerb. 8. capite. ibi: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret, à principio:* quibus verbis manifeſtè aſſeritur, diuinam ſapientiam à principio, ſiue ab æterno extitiſſe, antequam Deus quidquam faceret, ac proinde antequam Angelos faceret: eos ergo ab æterno non fecit, nec creauit.

8. Secunda ratio aduerſariorum, & priorem coadiuuans ita ſe habet: Volitio efficax Dei eſt ab æterno ante exiſtentiam Angeli: at actio creatiua Angeli eſſe non poteſt ante exiſtentiam

Angeli

Angeli in aliquo instanti æternitatis, aut temporis: cum enim omnis actio sit essentialiter, atque adeò summè connexa cum suo termino, in nullo instanti sine eo esse potest.

9. Tertia aduersariorum ratio huiusmodi est: actio eductiua, qua Deus formam ignis v. g. ab eius materia educit, in voluntate Dei efficaci sita non est: ergo nec actio creatiua: antecedens perspicuum videtur: consequentia suadetur: quia sicut voluntas efficax existentiæ Angeli de se essentialiter connexa est cum hoc, quod est Angelum à Deo independenter ab omni subiecto existere; ita etiam voluntas efficax existentiæ connaturalis formæ ignis essentialiter connexa est cum hoc, quod est, formam ignis à Deo connaturaliter, ac dependenter à subiecto existere: cur igitur vna voluntas sit actio creatiua Angeli potius quàm alia actio generatiua formæ ignis?

10. Quarta, & postrema aduersariorum ratio est: Angelum esse creatum, est denominatio intrinseca Angelo: at si creatio in voluntate Dei sita esset, ea denominatio non intrinseca, sed extrinseca Angelo esset: Maior probatur, quia esse creatum est modus quidam essendi, siue existendi, nimirum à causis: ergo est denominatio intrinseca rei creatæ; cur enim modus existendi in alio, qualis est passio, aut existendi in loco, qualis est vbicatio, aut existendi in tempore, qualis est duratio: cur, inquam, hi modi existendi intrinseci sint, & modus existendi à causa creante intrinsecus non sit?

11. Ad primum, & secundum argumentum sunt, qui respondeant, creationem Angeli præter voluntatem Dei efficacem intrinsece includere instans illud caducum & successiuum, pro quo Deus vult, Angelum existere; quo principio inconuenientia obiecta declinasse sibi videntur. Falluntur tamen: quia pro priori signo naturæ, pro quo Angelus existit ante durationem instantis illius *A*, v. g. aut quidquid sit de hac prioritate, quam non nemo inficias eat, certè Angelus secundum se, & præcisè ratione nostra, eo instanti *A* per aliquam actionem producitur: non per aliam, quàm per creatiuam: ergo per creationem producitur; atque adeò creatio per instans *A* intrinsecè non constituitur.

12. Quocirca alij malunt, creationem Angeli præter voluntatem Dei includere intrinsecè existentiam Angeli; quo etiam principio statuto inconuenientia in primo, & secundo argumento tacta euanescere videntur. Contra tamen, quia si creatio, aut, quod perinde est, relatio creantis in eo complexo consisteret, in eodem etiam relatio creati sita esset: vnde creatio Angeli se ipsam crearet, & Angelus à se ipso creatus esset, sicut in simili sæpè argumentabar. Vnde demum connotatores hic ad solita inuolucra, & latibula confugiunt, & respondent: tametsi sola voluntas Dei reipsa sit creatio, & Deum creantem denominet, hanc tamen denominationem Deo identificatam, ei ab æterno non conuenire, sed in tempore, eique etiam in tempore absque vllius entitatis intrinsece periculo deperire posse: Angelo nimirum, quem ea denominatio connotat tempore existente, aut pereunte. Verum quàm commentitia sint hæc connotata in Metaphys. vbertim declarabimus, & in Deo neutiquam admittenda esse speciatim ostendi potest, nisi id nostri instituti ratio vetaret.

Quapropter ad primum argumentum respondeo, creationem Angeli esse ab æterno, Deumque dici posse ab æterno creantem Angeli, & Angelum ab æterno creatum à Deo: si ly *ab æterno* appellet suprà *creantem & creatum*: secus vero si appellet suprà *Angelum*: haud secus ac Deus ab æterno dicitur, odisse peccatorem, & hic ab æterno Deo exosus: si ly *ab æterno* supra *odisse* & *exosus* appellet: secus vero si suprà *peccatorem* appellet: nec magis ex priori loquutione, quàm ex posteriori deduci potest, creaturam aliquam ab æterno extitisse. Eadem ratione, cùm sacra pagina passim asseritur, Deum nil fecisse, aut creasse ab æterno, ly *ab æterno* non supra *creasse*, aut *fecisse*, sed supra creationis, aut effectionis terminum appellare, ad eumque referri debet: & in eo sensu id verissimum est, & nostræ sententiæ neutiquam refragatur. 13.

Ad secundum argumentum respondeo, in primis per instantiam: non magis connectitur actio cum existentia termini, quàm volitio Dei efficax cum actione creatiua, ad quam iuxta aduersarios terminatur: siquidem vtrobique connexio essentialis est; at volitio Dei efficax quantumuis connexa cum actione creatiua est ab æterno, quin actio creatiua ab æterno sit, vt aduersarij contendunt: ergo similiter, &c. Deinde absolutè respondeo: actio creatiua Angeli in voluntate Dei sita, non est actio merè physica, sed intentionalis: quare sicut cognitio, & volitio alicuius obiecti, quia in illud iutentionaliter tendunt, quantumcunque cum eo absolutè connexæ sint, cùm eo tamen connexæ non sunt, nisi pro ea temporis differentia, pro qua à Deo cognoscitur, & efficaciter amatur; ita similiter actio creatiua, quia tendentia intentionalis, tametsi quâ actio est, cum existentia termini absolutè connectatur; tamen qua intentionalis, cum ea solum connexa est pro ea temporis differentia, pro qua à Deo eiusmodi existentia efficaciter decernitur: vnde ab æterno sine existentia termini esse poterit, esto sine ea esse nequeat, adueniente tempore, pro quo efficax est. 14.

Ad tertium respondeo: cùm Deus se solo, & sine consortio causæ secundæ aliquid generat, actio Dei generatiua in eius voluntate efficaci terminata, tam ad eius existentiam rei, quàm ad eius, à subiecto dependentiam formalissimè consistit, cum tamen, si creatiua esset in voluntate terminata ad existentiam rei, & carentiam dependentiæ collocanda esset. Cæterùm, cùm Deus simul cum causa secunda aliquid generat, per duplicem actionem generatiuam, inadæquatamtamen concurrit; quarum alia solius Dei propria est, & in eius voluntate consistit, vt iamiam exposuimus; alia vero Deo cum creatura communis est, & in modo physico consistit, videlicet quia actio creaturæ actio Dei non esse potest, vt constat ex libro præterito, cum de causa prima ageremus. 15.

Ad quartum respondeo; modos existendi in duplici differentia esse: alioque intrinsecos esse, quales sunt existere in loco, quod fit per vbicationem; existere in tempore, quod fit per durationem; existere in toto, quod fit per vnionem: 16.

exiſtere in alio, quod fit per paſſionem: alios vero eſſe extrinſecos, quales ſunt exiſtere, ſiue eſſe in intellectu, quod fit per cognitionem; exiſtere in voluntate, quod fit per amorem; exiſtere prope aliud, aut procul ab alio, quod fit per relationem prædicamentalem diſtantiæ, aut indiſtantiæ. Quare perperam aduerſarij modos omnes exiſtendi à productione diſtinctos, intrinſecos eſſe arbitrantur, vt inde colligant, rem eſſe creatam, aut productam, denominationem intrinſecam eſſe; cum potius alij ſint intrinſeci, alij extrinſeci: inter hos ergo, non inter illos rem eſſe creatam per decretum Dei connumerari poteſt, ac debet.

CAPVT II.

Secunda pars verioris ſententiæ ſuadetur.

17. VIdelicet, terminum ipſum creatum, qualis eſt Angelus, exemp. g. rationem actionis creatiuæ ſortiri. Munus actionis eſt, determinare, vt hic effectus ab hac cauſa dependeat, vt initio capitis antecedentis oſtendimus: at huiuſmodi determinatio exiſtentiæ Angelicæ ſecundum ſe ſumptæ conuenit: ergo munus, ac proinde rationem actionis ſibi vendicat: cum ergo actio generatiua eſſe nequeat, eo quod Angelo generari repugnet, proculdubio erit creatiua: minor perſpicua eſt, quia connexio, & determinatio coincidunt; at exiſtentia Angeli per ſeipſam eſſentialiter connexa eſt, cum hoc, quod eſt, Gabrielem, v.g. ab hoc agente Deo nimirum exiſtere.

18. Dices, actionis munus eſſe, determinare, vt hic effectus ab hac cauſa, hac numero dependentia dependeat, ſiue exiſtat: at exiſtentia Angeli Gabrielis quamuis determinet, vt hic Angelus ab hoc agente, Deo nimirum eſſentialiter dependeat, non tamen per hanc numero differentiam, ſed per hanc, vel per aliam. Verùm, hæc ſolutio non ſatisfacit: quia, cùm dicitur actionis munus eſſe, determinare, vt effectus à cauſa per hanc numero dependentiam dependeat, aut excluſiuè id intelligitur, vt ſenſus ſit, actionem, quà talem determinare, vt per ſe ipſam, & per nullam aliam actionem, aut dependentiam effectus à cauſa dependeat; & in hoc ſenſu maior ſyllogiſmi omnino falſa eſt; cum de ratione vnius actionis non ſit, aliam etiam adæquatam excludere: aut non excluſiuè, ſed poſitiuè maior ea propoſitio intelligitur, vt ſenſus ſit, modum inter Deum, & Angelum ideo actionem eſſe, quia determinat, vt Angelus à Deo per hanc numero dependentiam, nimirum per ſe ipſum, quatenus hic numero modus eſt, dependeat, & oriatur; & in hoc ſenſu maior vera eſt. Cæterùm non video, cur exiſtentia Angeli hac ratione non determinet, vt Angelus à Deo per hanc numero actionem, & dependentiam dependeat, ſiquidem determinat, Angelus per ſe ipſum, quatenus hic numero eſt, à Deo exiſtat, ac dependeat. Nec video quoad hoc, quæ inter exiſtentiam Angelicam, & entitatem illam modalem, quam aduerſarij comminiſcuntur, diſcriminis ratio eſſe poſſit; aut cur potius vna, quàm alia, hæc numero dependentia Angeli à Deo ſit, cum vtraque ex æquo cum Deo, & Angelo eſſentialiter connexa ſit.

Argumentor ſecundò: ſi aliquis effectus numerice ſumptus hanc etiam numero cauſam eſſentialiter poſtularet ita, vt ab illa non produci ne diuinitus poſſet, ſanè is effectus ab ea cauſa per ſe ipſum eſſentialiter produceretur, munuſque actionis ſibi vendicaret: at Angelus, quatenus hic numero eſt, primam cauſam eſſentialiter poſtulat, & ab ea non produci ne diuinitus poteſt: igitur Angelus &c. Minor in propatulo eſt: Maior probatur tripliciter, primò quia ideo modus actionis ab effectu diſtinctus à Philoſophis adinuentus eſt, quia effectus hanc numero cauſam non poſtulat, ſed vt ab hac, aut illa oriatur, de ſe indifferens eſt: igitur ſi aliquis effectus hanc indifferentiam cum eſſentiali determinatione commutaret, non per modum diſtinctum, ſed per ſe ipſum præcisè à cauſa dependeret. Secundo, quia ſi aliqua ſubſtantia eſſet eſſentialiter alligata ad hunc numero locum, ita, vt ab illo nulla vi diuelli poſſet, certè eiuſmodi ſubſtantia per ſe ipſam, & non per vbitatem diſtinctam eo loci eſſet, haud ſecus ac Deus per immenſitatem à ſe realiter indiſtinctam vbique locorum eſt, videlicet quia vbique locorum eſſe eſſentialiter poſtulat: ergo ſimiliter, &c. Tertiò, quia in diuinis relatio filiationis eſt actio, ſiue productio, qua filius à patre procedit, & originem trahit, non alia ratione, niſi quia filiatio diuina, quamuis ſit terminus productus, tamen eſſentialiter poſtulat à Patre, & non alio in eadem ſubſtantia produci: ergo ſimiliter effectus creatus eadem determinatione præditus, actio cenſeri poſſet. 19.

Oppones tamen, primò: quantitas Euchariſtica à Deo creatur: at non per ſe ipſam eſſentialiter: igitur creatio à termino diſtinguitur: maior de fide eſt: minor ſuadetur, quia quantitas Euchariſtica indifferens eſt, vt creetur, vel generetur, & vt dependenter, vel independenter à ſubiecto producatur: ergo creatio, vel independentia à ſubiecto ei eſſentialis non eſt, neque in ea conſiſtit. Oppones ſecundò: actio generatiua à termino genito realiter diſtincta eſt, vt ſup. tr. 1. cap. 1. oſtenſum eſt: ergo de actione creatiua, pari ratione, philoſophandum eſt. 20.

Verùm ad primum reſpondeo: quemadmodum terminus actionis generatiuæ non eſt ſola quantitas v.g. ſed quantitas, & eius etiam dependentia à ſubiecto, aut vnio cum ſubiecto; ita ſimiliter terminus actionis creatiuæ non eſt ſola quantitas ſimul cum eius independentia à ſubiecto: at quantitas ſimul cum ea independentia non eſt indifferens, vt creetur, aut generetur, vtve à ſubiecto dependenter producatur: vnde terminus creatus in tranſſubſtantiatione Euchariſtica eiuſmodi indifferentiam non ſortitur; ac proinde actio creatiua eſſe poteſt. 21.

Ad ſecundum reſpondeo: actio generatiua, qua effectus à cauſa ſecunda procedit, ab effectu omnino diſtinguitur, tanquam modus cauſam, & effectum interiacens, nimirum ob indifferentiam, qua cauſa ſecunda hunc, aut illum effectum; & effectus hanc, & illam cauſam ſecundam reſpicit: qua ratio in actione creatiua neutiquam militat. Cæterùm actio generatiua, qua effectus à cauſa prima dependet, in ipſo effectu conſiſtere poterit, cum effectus quiuis creatus cauſam primam eſſentialiter reſpiciat, & ab illa, vel non ab illa, ſed ab alia oriri neutiquam indifferens ſit. 22.

CAP

CAPVT III.

Tertia pars verioris sententiæ suadetur.

23. SCilicet, actionem creatiuam nonnunquam in modo quodam reali inter causam, & effectum medio consistere. Quia eadem numero actio est de se indifferens, vt creatiua, vel generatiua sit: quare si, quod probabilius est, accidentia Eucharistica in quantitate non suscipiantur de facto, eadem numero productio caloris ante consecrationem hostiæ generatio est, & post eius consecrationem actio creatiua: nimirum, prout producta dependentiæ à subiecto ei actioni abest, aut adest: at actio generatiua, qua ignis verbi gratia calorem producit, in modo reali consistit: igitur etiam actio creatiua caloris ab eius generatione non omnino distincta in modo quodam reali consistit.

24. Pro maioris propositionis luce, & intelligentia præmitto primò; actionem productiuam caloris ad solam caloris entitatem terminari, & hanc solam vi illius extrahi à statu possibilitatis ad statum existentiæ; vnionem vero caloris, eiusque à subiecto dependentiam alia actione realiter distincta ad statum actualis existentiæ produci: actio namque nihil aliud est, quàm determinatio, vt res existat à suis causis: igitur pro diuersitate existentiæ, rei que existentis diuersa determinatio, & actio assignatu opus est: at calor existens, eiusque vnio realiter distinguuntur: ergo diuersæ actiones eis respondent: hac ratione, quia calor, & eius vnio realiter differunt, diuersas realiter vbicationes, & durationes sortiuntur.

25. Præmitto secundò; productionem caloris non habere ex se, quod generatiua, aut creatiua sit, sed potius ab his duabus differentiis præscindere: operosum non est hoc secundum ex iis, quæ primò præmissa sunt deducere: nam ea productio solam formam caloris producit: at forma caloris secundum se nec pendet actu, nec independet à subiecto: igitur eius solius productio nec facit eam pendere, nec independere à subiecto; ac proinde nec generatiua, nec creatiua est, nisi aliud ei superueniat.

26. Præmitto tertiò; productionem caloris esse generatiuam illius prout coniunctam cum productione vnionis, seu dependentiæ caloris à subiecto; esse verò creatiuam prout coniunctam cum carentia illius dependentiæ: eatenus enim productio caloris est eius generatiua, vel creatiua, quatenus eum dependenter, vel independenter à subiecto producit: at vtrouis modo eum producit, prout cum actione productiua vnionis, seu dependentiæ coniungitur, ab eave superatur. Hæc, quæ præmisimus, & supposuimus ad probationem maioris, hac ratione accommodari possunt: nam productio caloris quod generatiua sit, habet ex consortio actionis, qua eius vnio, seu passio producitur; quod verò creatiua sit, ex carentia eius actionis, & vnionis: at productio caloris indifferens est ad huiusmodi consortium, aut carentiam, saltem diuinitus, ac supernaturaliter: igitur vt creatiua, vel generatiua sit, eo ipso indifferens est.

27. Secundo suadetur idem intentum: quia creatura ad creandum saltem supernaturaliter euehi potest: at eiusmodi creatio in modo quodam reali formaliter consistit: ergo: maior infrà suadebitur: minor probatur, quia talis actio creatiua in effectu creato Angelo verbi gratia non consistit, cum Angelus existere possit absque eo, quòd ab aliqua creatura creetur, nec etiam consistit in voluntate Dei, qua videlicet actionem causæ creatæ ne ex parte quidem compleri posse superius tract. 1. c. 1. ostensum manet: reliquum igitur est, vt ea actio creatiua in modo consistat.

28. Verùm contra hanc nostræ sententiæ partem obiici solet: si actio creatiua consisteret in modo, alicui subiecto inhærere, & ab eo in genere causæ materialis dependere deberet: siquidem eiusmodi modus esset in prædicamento accidentis: ergo esset accidens: cum ergo accidentis esse sit inesse, siue inhærere, sanè alicui subiecto necessario inesset, atque inhæreret: at nulli subiecto inhærere, ab eovè in genere causæ materialis dependere potest: quod enim eius subiectum assignari potest? non enim agens videlicet Deus, cui nihil inhærere salua eius immutabilitate potest, vt compertum est: non subiectum inhæsionis termini creati, cum eiusmodi subiectum nullum sit: nec tandem ipse terminus creatus, aliàs modus crationis termino suo natura prior, ac posterior esset: prior quidem, eo quòd omnis actio terminum suum natura anteuertat; posterior verò, quia ab eo in genere causæ materialis dependet.

29. Hæc obiectio in nostris principiis facilis solutu est: in primis namque maior argumenti falsa est, vt in Metaphysica ostendam, vbi præmiam illam, *accidentis esse est inesse*, à nonnullis Thomistis nullo iure in scholas inuectam esse nullo iure constabit: minor etiam argumenti facilè negari potest: subiectum enim cui modus actionis creatiuæ inhærere possit, nec est subiectum inhæsionis termini creati, nec ipse terminus creatus, sed agens, quod per eam creat: cum enim actio creatiua non à solo Deo, sed interdum etiam ab agente creato dependeat, idque non solùm de possibili, vt aiunt, verùm etiam quodammodo de facto, vt cum ignis verbi gratia species Eucharisticas calefacit; sanè actio creatiua agens aliquod, in quo suscipi, & cui inhærere possit, nimirum creaturam suapte natura respicit. Quid autem alij in suis principiis respondere possint; ipsi viderint.

CAPVT IV.

Quæ agentia creare possint?

30. ASsero primò: Deus optimus Maximus creare potest, & actu plura creauit, & ex nihilo produxit. Hæc assertio contra antiquos Philosophos iam fide sancta est: Genes. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram:* Pauli ad Hebræos 3. *qui omnia creauit, Deus est,* & in Conc. Lateranensi 2. cap. ibi: *Deus dicitur vnum vniuersorum principium, creator omnium inuisibilium, & visibilium, & spiritualium & corporalium, qui sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis vtrámque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam.*

31. Deinde ratione demonstrari eadem assertio potest:

teſt : quia creatio nullam implicationem inuoluit: ergo poſſibilis eſt , ſi cui autem agenti poſſibilis eſt, maximè primo agenti , cuius incircumſcripta perfectio perfectum illum agendi modum ſuo ſibi iure vindicare videtur : antecedens probatur, quia creatio,ſiue productio rei ex nihilo ita intelligenda non eſt,vt res ex nihilo,velut ex præſuppoſita materia educatur ; id enim impoſſibile eſt (quo enim pacto id,quod nihil eſt,eius quod aliquid eſt fulcrum , & receptaculum eſſe poteſt ?) ſed ita vt nihil terminus *à quo* rei ſit: in quo certè nulla terminorum repugnantia eſt ; cum aliud non ſit,quàm quod antea omnino nihil erat , & nec in ſe , nec in ſubiecto quaſi ſemine vllum eſſe habebat , modò aliquid in rerum natura eſſe.

32. Rurſus ; nobilior eſt influxus cauſæ efficientis, quàm cauſæ materialis : at Deus independenter ab omni cauſa efficienti creata poteſt rem producere : ergo à fortiori independenter ab omni cauſa materiali rem producere,atque adeo creare poterit. Præterea : cauſa finalis iuxta Ariſtotelem, cauſa cauſarum,& reliquis anterior eſt ; & tamen independenter ab omni fine creato Deus operari poteſt. Quid ni ergo,& independenter ab omni ſubiecto creato , prout ad creationem oportet? Demum , in ſubiectis non eſt procedere in infinitum de facto : ergo primum aliquod ſubiectum exiſtit in rebus : hoc autem à Deo produci debet, & non niſi independenter à ſubiecto , ab eo produci poteſt : ergo ita producitur , atque adeo creatur.

33. Pater Suarez diſput. 20. Metaphyſicæ ſect. 1. numero 14. hoc idem probat , primò : quia modus operandi eſt proportionatus modo eſſendi: cum ergo Deus independenter à ſubiecto exiſtat, independenter ab eo operari poterit. Secundò, quia virtus operatiua definita ad agendum in ſubiecto,& è ſubiecto,valdè contracta,& limitata eſt : ergo Deo attribuenda non eſt. Tertiò, quia Deo attribuendus eſt modus operandi altioris rationis , quàm is,qui cauſis ſecundis conſentaneus eſt : at talis operandi modus alius , quàm creatio eſſe nequit.

34. Hæc acutè,& grauiter excogitata ſunt : cæterum omnino non conuincunt. Ad primum enim reſponderi poteſt , modum operandi non ſequi modum eſſendi quoad independentiam à ſubiecto ; qua ratione Angelus naturaliter exiſtit independenter à ſubiecto , naturaliter tamen operari nequit independenter à ſubiecto : in eo ergo modus operandi modum eſſendi ſequitur, quòd quo perfectius eſt eſſe rei,eo perfectius operatur, ſiue perfectior illa operatio à ſubiecto dependens, ſiue independens ſit. Ad ſecundum etiam dici poteſt: ſi virtus actiua Dei finita eſſet ad aliquod determinatum ſubiectum, hoc eſt , ad ſubiectum his peculiaribus accidentibus,& non aliis diſpoſitum,& in tali diſtantia , & non maiori collocatum,haud ſecus , ac ignis verbi gratia ad ſubiectum determinatum definitus ſuaptè natura eſt. Si, inquam , Deus hac ratione ad ſubiectum aliquod determinatus eſſet,eius virtus contracta , & limitata foret. Cæterùm aliter ſe res habet : nam Deus in quouis ſubiecto,& quibuſcumque accidentibus diſpoſito , & quacumque diſtantia ſemoto operatur : quod certè nulli agenti creato contingit. Ad tertium etiam dici poteſt : vt Deus modum operandi altioris rationis , quàm nulla creatura ſibi vendicet, ſatis ſuperque eſt id, quod omnes in confeſſo habemus , nimirum Deum independenter ab vlla cauſa efficienti à ſe diſtincta operari,ſecus verò creaturam: vnde ergo neceſſarium eſt , vt Deus operari debeat independenter ab omni cauſa materiali , & creatura è contra dependenter ab ea operetur ?

Aſſero ſecundò : poſſibilis eſt creatura, cui virtus creandi natiua ſit : ita Alenſis,Henricus,Durandus,Gabriel,Hurtado,Arriaga,& alij complures. Probatur,primò : quia longè maius eſt,infinitam , omniquè ex parte illimitatam Dei eſſentiam intueri,quàm entitatem creatam, & finitam à non eſſe , ad eſſe per creationem traducere : at poſſibilis eſt creatura , quæ naturaliter Deum intueri,& clarè conſpicere poſſit : ergo & creatura, quæ entitatem creatam à non eſſe ad eſſe ſine ſubiecto transferre , eámque creare naturaliter poſſit : maior perſpicua eſt : minor ex materia de viſione ſupponenda eſt. Secundo , quia independentia in operando à cauſa non ſolùm finita , verùm etiam omnium cauſarum imperfectiſſima, qualis eſt materia prima, in eò cui conaturalis ſit, infinitam perrectionem arguere nequit : ergò non eſt,cur creaturæ conuenire nequeat. Tertiò, quia vt aſſertione ſequenti conſtabit, creaturæ de facto exiſtentes ad creandum ſupernaturaliter euehi poſſunt : cur ergo aliæ creaturæ altioris ordinis poſſibiles non ſint , quæ naturaliter creari queant ? Quartò , quid maius eſt , ignem verbi gratia. Deo obedire in producendo calore abſque vllo ſubiecto , quàm in non producendo calore in ſubiecto capaci,& approximato ? at quoad hoc poſterius ignis Deo obedire poteſt, vt in igne Babylonico cernere eſt:ergo & quoad illud prius. Quintò , tandem id ipſum conſtabit argumentorum ſolutione : ad quam capite ſequenti gradum faciemus. 35.

Aſſero tertiò : Creaturæ de facto exiſtentes diuinitus, ac ſupernaturaliter ad aliquid creandum euehi poſſunt : ita Magiſter in 4. diſt. 5. §. vlt. D. Thomas in 4. quæſt. 1. art. 3. quæſt. unc. 3. ad 3.& in 2. diſt. 1. quæſt. 1. art. 3. Gabriel in 4. diſt. 1 quæſt. 1. Hurtadus , & Arriaga in præſenti. Probatur , quia in creaturis de facto exiſtentibus datur virtus,quæ obedientialis appellatur,& effectus rei minimè connaturales reſpicit vt lib. 4. præcedenti oſtendi : igitur non eſt,cur in iis virtus obedientialis ad creandum non inſit, quamuis naturaliter creare nequeant. Secundò, huc applicari poſſunt duæ priores rationes numeri præcedentis. Tertiò id ipſum ſolutione argumentorum capite ſequenti tradenda , necnon dicendis numero ſequenti conſtabit.

Aſſero quartò : probabile eſt , plures creaturas defacto ſupernaturaliter , & miraculosè creare: probatur,quia probabile eſt, accidentia Euchariſtica,calorem verbi gratia aut ſiccitatem , aliaſve qualitates ſimiles,in quantitate non ſuſcipi ; id, quod cum reliquis accidentibus commune habent : at hoc ipſo ignis calorem Euchariſticum non creare non poteſt : maior perſpicua eſt : minor probatur , quia eadem numero actio generatiua,& creatiua eſſe poteſt, vt tract. ſequenti latè oſtendemus : igitur ignis calorem in hoſtia non conſecrata generans , eundem calorem , per priorem actionem poſtea creabit : eum enim generare,ſiue dependenter à quantitate poſt conſecrationem producere non poteſt. Quo certè euen- 36.

tu

tu non solùm ignis creat, verùm etiam per actionem quoad substantiam naturalem creat, esto quoad miraculosa sit: tum, quia est coniuncta cum independentia caloris subiecto, quam tamen suaptè natura non postulat: tum, quia in eo euentu Deus miraculosè supplet concursum causæ materialis in calorem, in eúmque, & velut causa vniuersalis, & velut causa particularis influit. Quæ doctrina ne cui noua videatur, est expressa Durandi in 2. dist. 1. q 4. & P. Molinæ 1. part. q. 45. art 5. disp. 1.

37. Deinde probabile est, transubstantiationem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, esse actionem, qua tota substantia Christi verè de nouo producitur sub speciebus sacramentalibus: quæ certè actio creatiua non esse non potest: at verba Sacerdotis ad eam actionem physicè concurrunt, vt longè probabilius est: ergo ad actionem creatiuam physicè concurrunt, ac proinde creant.

38. Assero quintò: nulla creatura de facto naturaliter creat, aut creauit Probatur; tùm, quia nullam operationem cernimus, quæ à subiecto, causave materiali non dependeat: signum ergo est, eam esse conditionem rerum de facto existentium, vt nulla earum naturaliter creare possit: tum, quia siqua creatura de facto existens naturaliter creauisset, maximè creatura Angelica, quæ cæteras dignitate antestat; at nullum Angelum creasse perspicuè docet Prosper in lib. sententiarum, quas ex operibus Augustini decerpit, continenturque ad finem tertij tomi operum Augustini sent. 146. ibi: *Nullius, quamuis minimæ naturæ, nisi Deum creatorem credi, aut dici licet ab aliquo; quia etsi Angeli iussi, aut permissi adhibeant operationem suam rebus, quæ gignuntur in mundo, tam non sunt creatores animalium, quàm nec Agricolæ frugum, atque arborum:* quibus verbis profecto sermo est Prospero, & Augustino de creatione in sensu nostræ controuersiæ, & prout est productio rei ex non præsupposito subiecto, siue, quod perinde est, prout distinguitur ab actione generatiua, qua agens rei, quæ gignitur, operationem suam adhibet, vt ex contextu apertissimum est; aiuntque Angelos, quantumuis per actionem generatiuam, ad formas animalium, aut certè ad dispositiones præuias concurrant, easve applicent; eos tamen neutiquam creare animalia, aut secundum quid, quoad eorum materiam primam, aut simpliciter, & quoad eorum suppositalitatem, hoc que solius Dei proprium esse.

CAPVT V.

Argumenta contraria soluuntur.

39. PYthagorei, Stoici, Platonici, Trismegistus etiam Anaxagoras, & Galenus lib. de vsu partium. cap. 10. non pauci etiam Hæretici apud Augustinum lib. de Hæres. in 46, & 59. & Tertullian. lib. contra Hermogen. cap. 1. & 8. & Iræneum, Lactantium, aliósque Patres rerum creationem possibilem esse negarunt.

40. Pro quorum errore contra primam assertionem cap. præt. obiici potest, & solet, primò: infinitam distantiam non est pertransire: at inter ens, & nihil est infinita distantia: ergo non est, illam pertransire: eam autem pertransire est à nihilo ad esse rem transferre, siue, quod perinde est, rem creare: ergo creare impossibile est. Secundo: nequit vlla virtus passiua rem sustentare absque concursu alicuius virtutis actiuæ: ergo è contra nequit vlla virtus actiua rem efficere absque concursu alicuius virtutis passiuæ, atque adeo creare nequit. Mitto alia, vel his leuiora. Ad primum respondeo, non posse pertransiri distantiam simpliciter infinitam à virtute finita, secus verò à virtute simpliciter infinita: quare quamuis creatura sola sua virtute finita distantiam infinitam inter ens, & nihil pertransire, & creare nequeat, non erit, cur Deus qua pollet virtute infinita, eam distantiam pertransire, & creare non possit? Ad secundum respondeo, manifestam esse vtrinque discriminis rationem: siquidem quidquid patitur, siue, quod recidit in idem; *omne, quod mouetur, ab alio mouetur*; ab alio, inquam, quod aliud sit, vel ab eo, quod mouetur, & patitur, vt cum lignum verbi gratia ab igne alteratur, vel ab alio, quod aliud sit à motu ipso, & passione, eiusque termino, vt cum viuentia ab intrinseco operantur, aut grauia, & leuia in centrum feruntur. Quod axioma Aristotelicum ita intellectum, & ex terminis ipsis notissimum est, motus enim terminos *à quo* & *ad quem* distinctos postulat; & à posteriori hac ratione confirmari potest: quia vbi mouens nec ab eo, quod mouetur, nec à motu ipso, eiusve termino distingui realiter debeat, non erit, cur Deus propriè moueri, & mutari non possit; non obstante omnimoda indistinctione prædicatorum, quæ ei insunt. Quamuis autem Thomistæ communiter cum Capreolo in 1. dist. 3 q. 3. & Ferrariensi contra Gentes cap. 23. sentiant, illud axioma intelligendum esse de distinctione reali mouentis ab eo, quod mouetur, & in eo sensu vniuersim verum esse; id tamen nequaquam assequi poterunt. Vt ergo eo, vnde digressus sum, reuertar; *omne, quod patitur, & mouetur, ab alio mouetur:* aliud autem à quo mouetur, est causa efficiens; atque adeo omne, quod mouetur, aut patitur; vel, quod perinde est; omne, quod in genere causæ materialis sustentat, causam efficientem respicit. Quid mirum ergo, si virtus passiua sine virtute actiua susciperе nequeat? Cæterùm, omne, quod efficit, in aliquo subiecto necessario non efficit: vnde non est, cur virtus actiua sine concursu virtutis passiuæ agere non possit.

41. Thomistæ cum S. Thoma 1. part. q. 45. art. 5. Scotistæ cum Scoto in 4. dist. 1. q. 1. Nominales cum Okamo quodlib. 2. q. 9. & in 2. dist. 1. q. 1. Henric. Ægidius, Suarez, Vasquez, aliique Scholastici communiter tuentur contra doctrinam traditam cap. præterito assert. 2. 3. & 4. solius Creatoris ita proprium esse creare, vt nulla creatura per virtutem naturalem, aut obedientialem, de facto (vt aiunt) aut de possibili creare possit. Pro quorum sententia obiici solet, primò authoritas Sanctorum Patrum, ac in primis Athanasij serm. 3. contra Arrianos ibi: *Administrare creaturarum, & seruorum est; condere autem, & creare solius Dei, eiusque Verbi, & sapientiæ est:* Cyrilli lib. 2 contra Iulianum ibi: *inaccessa naturæ sunt ea, quæ propriè sunt solius, & omnium summæ substantiæ; quorum vnum esse dicimus, efficaciter operari posse vt creatorem; & producere res, quæ aliquando non erant:* Augustini lib. 9. super Genes. ad liter. cap. 15. ibi: *Angeli nullam omnino possunt creare naturam: solus enim vnus, cuiusli-*

bet

libet naturæ, ſeu magnæ, ſeu minimæ creator eſt Deus: & infrà: *creare naturam tam nullus Angelus poteſt, quàm nec ſe ipſum:* Damaſceni 2. lib. fidei orthod. cap. 3. ibi: *Quicunque dicunt, Angelos conditores eſſe cuiuſcunque ſubſtantiæ, ipſius Diaboli ſunt, eorum quidem Patris: creaturæ enim cum ſint, non ſunt conditores: omnium verò factor, & prouiſor, & contentor Deus eſt ſolus.* Quibus Patrum verbis, pende primo contra ſecundam aſſertionem, ſolius Dei proprium dici, hoc, quod eſt, creare, creatorem eſſe, aut producere res, quæ nullo modo, & nec in ſe, nec in ſubiecto, ſiue in ſemine aliquando erant: ergo id creaturæ connaturale eſſe, aut ex natiua virtute conuenire non poteſt. Pende ſecundo contra tertiam aſſertionem, tam non creare poſſe Angelum aliquam naturam à ſe diſtinctam, quam non ſe ipſum: at Angelus ad ſe ipſum creandum nec diuinitus, & obedientialiter euehi poteſt: deinde ex eo dici, Angelum creare non poſſe, ſeu conditorem eſſe nequire, quia creatura eſt: at Angelus conditione, ſtatuque creaturæ eximi, vel ad eſſe Dei eleuari nequit: ergo nec ad creandum poteſt eleuari. Pende tertio, ſolùm Deum cuiuſlibet naturæ creatorem dici, eumque ſolùm ſubſtantiarum ſubſiſtentium, & à materia independentium factorem, prouiſorem, & contentorem appellari: ergo præter eum nulla virtus creata de facto, etiam ſupernaturaliter creauit, aut independenter à ſubiecto produxit. Et quidem, cum à carentia potentiæ requiſitæ legitima ſit conſequentia ad carentiam actus; nullâque creatura virtute naturali, aut obedientiali ad creandum polleat, ſanè fieri non poteſt, vt virtus aliqua creata de facto vllatenus creauit.

42. Obiicies ſecundo ex D. Thoma 1. p. q. 45. art. 5. effectus vniuerſaliſſimus cauſæ vniuerſaliſſimæ ſoli attribuendus eſt: terminus autem creationis eſt effectus vniuerſaliſſimus: ſoli ergo Deo attribui poteſt, atque adeò nulli creaturæ. Maior perſpicua eſt: minor probatur; quia terminus creationis eſt ens in quantum ens, cum creatio ſit traductio rei à non eſſe ad eſſe, ſiue ad ens: ſed ens graduũ omnium ſuperiorũ ſupremus, & vniuerſaliſſimus eſt. Obiicies tertio ex Thomiſtis: quo magis agens aliquod elongatur à ſubiecto, eo maiorem virtutem, & perfectionem exigit: qua ratione ignis agens in lignum diſtans vt quatuor maioris virtutis, ac perfectionis arguitur eſſe, quàm qui ſolùm operari poteſt in lignum diſtans vt duo: idemque dicendum eſt de igne operanti in ligno diſtante vt octo, comparatione eius, qui in ligno diſtanti tantum vt ſex, poteſt operari: ſed agens per creationem ſimpliciter infinitè elongatur à ſubiecto: ergo virtutem, & perfectionem ſimpliciter infinitam ſibi vendicat. Maior ſimul propoſita, & probata eſt: minor in hunc modum explicatur, atque probatur: quia cum agens exiſtit, & ſubiectum, in quo operetur, nullo modo exiſtit, nec in rebus reperitur; elongatio agentis à ſubiecto ſumma eſt, ac ſimpliciter infinita; & quidem maior, quam ſi inter agens, & ſubiectum alioqui exiſtens infinita ſpatia imaginaria interiecta eſſent. At agens per creationem ita comparatur cum ſubiecto, vt ſubiectum, in quo operetur, ſiue quod reſpectu illius ſubiectum ſit, in rebus nullo modo exiſtat, ſicut agens exiſtit: ergo agens per creationem à ſubiecto ſimpliciter infinitè, ſiue, quod perinde eſt, ſummè diſtat, & elongatur. Declaratur: quo minor eſt proportio inter agens, & ſubiectum, eo agens minus operari poteſt: quando ergo nulla eſt proportio iuter vtrumque, nullo modo agens operari poterit, loquendo de agente creato: at inter agens per creationem, & ſubiectum nulla eſt proportio, eo quod agens per creationem nullum ſubiectum remotum, aut propinquum reſpiciat.

43. Quartò obiicies ex iiſdem, ſequi ex noſtra ſententia, potentiam aliquam generatiuam futuram æqualem potentiæ creatiuæ: ſit enim potentia creatiua finita in perfectione octupla, & potentia generatiua in perfectione quadrupla: quo poſito, negari non poteſt, poſſibilem eſſe potentiam generatiuam in perfectione octuplam, vtpote quæ bis plures effectus, aut eundem in bis maiori diſtantia, quam prior potentia generatiua producat: at potentia generatiua quoad perfectionem octupla potentiæ creatiuæ creatæ, ſeu finitæ æqualis non eſſe non poteſt. Quintò etiam ex Thomiſtis obiicies, inter ens, & nihil eſt infinita diſtantia, & qua alia maior eſſe nequit: ſed per creationem ea diſtantia vincitur: ergo per creationem vincitur diſtantia ſimpliciter infinita: atqui ad vincendam diſtantiam ſimpliciter infinitam requiritur virtus ſimpliciter infinita: ergo ad creandum ea requiritur: cum ergo nulla creatura polleat virtute ſimpliciter infinita, ſanè nulla creatura poterit vllatenus creare.

44. Obiicies ſextò ex Scoto, & P. Vaſquez: ſi qua creatura creare poſſet, præcipuè creatura libera operans per intellectum, & voluntatem; cum hæc reliquas creaturas perfectione ſuperet, adeoque modum operandi perfectiorem, qualis eſt creatio, ſibi vendicare debeat, ſi qua alia: at hæc nulla ratione creare poteſt: ergo, &c. Minor probatur: quia cum intellectus, & voluntas accidentia ſint, nulla ratione ſubſtantiam, quæ terminus creationis eſt, producere poſſunt. Septimò ex P. Suarez: ad perfectionem vniuerſi requiritur, vt in eo gradus omnes agentium exiſtant, & producantur: at creatura ſuaptè natura potens creare, peculiarem gradum agentis conſtituit, diuerſum ab eo, in quo ſunt reliqua agentia nobis nota: ergo eiuſmodi creatura à Deo de facto produci deberet: ſed producta non eſt: ergo quia eſt planè impoſſibilis. Octauo ex P. Hurtado: modus operandi eſt proportionatus modo eſſendi ex natura rei, & ſeorſim à quouis miraculo loquendo: qua ratione, quia animæ brutorum in eſſe à materia dependent, ab ea etiam in operari fortiuntur dependentiam: aſt nulla creatura eſt, quæ in ſuo eſſe non habeat aliquam compoſitionem, aut ex materia, & forma; aut ex ſubiecto, & accidenti; aut ex natura, & ſuppoſito; ac proinde quæ quoad aliquod ſuum eſſe à cauſa materiali non pendeat: ergo etiam nulla erit creatura, quæ naturaliter loquendo ab aliqua cauſa materiali in operando non dependeat.

45. Nonò, ex ingenioſis recentioribus: quia Deus modum aliquem operandi adeo perfectum ſibi vendicare debet, vt is nulli creaturæ, etiam diuinitus, poſſit communicari: at is modus operandi alius eſſe nequit, quàm creatio: ergo &c. Maior probatur; tum, quia id ad perfectionem diuinæ omnipotentiæ ſpectat: tum à paritate, quia is cognoſcendi modus, eaque claritas diuino intellectui conueniunt, quales nulli creaturæ, etiam diuinitus.

uinitus, communicari queunt. Decimo, ex aliis: si creatura aliqua naturaliter, aut obedientialiter creare posset; maximè per volitionem Dei, cum hæc sola sit actio creatiua: sed nulla creatura per volitionem Dei, tanquam per causalitatem operari potest, vt tractat præcedenti cap. 1. ostensum est ex professo: igitur &c. Postremò ex aliis: omnis causa instrumentalis præuiè operatur in subiecto, illudque disponit pro priori ad actionem causæ principalis, vt inductione constat omnium instrumentorum: sed agens per creationem, quatenus talem, in subiecto aliquo præuiè operari non potest, cum terminus creationis à subiecto sit omnino independens: ergo agens per creationem causa instrumentalis esse non potest: esset autem, si à Deo ad creandum tanquam instrumentum posset eleuari. Hactenus argumenta contraria.

46. Quæ tamen non vrgent. Ad primum desumptum ab authoritate Patrum respondeo, creationem, præter varias eius acceptiones ad initium huius tractatus expositas, vlterius accipi posse, nõ solùm pro productione rei independenter à subiecto, siue causa materiali, verum etiam pro productione rei independenter ab alia concausa efficienti distincta, præsertim principali: cur enim productio rei ex nihilo subiecti, seu causæ materialis creatio appelletur; & productio rei ex nihilo causæ efficientis, distinctæ, atque cooperantis creatio etiam appellari nequeat? Creatio ergo in hac acceptione solius Dei propria est, & nulli creaturæ à Deo cõmunicari, etiam diuinitus, substinet: siquidem Deus independenter à causa efficienti à se distincta pleráque operatur: si quid autem in consortio causæ efficientis creatæ operatur, tunc certè actio Dei à causa efficiente creata, non tanquam à causa principali, quę principalis sit respectu Dei, sed velut ab instrumento dependet. Cæterùm, nulla creatura, etiam diuinitus, operari potest absque cõcursu causę efficiẽtis à se distinctę Dei nimirũ, vt suprà libro præcedẽti ostendimus.

47. Quod autem de creatione hoc pacto accepta, nõ verò de ea, quæ præsentis instituti est, quæque in productione rei independenter dumtaxat à causa materiali consistit, sermonem habent Patres, quoties creationem solius Dei propriam esse, & nulli creaturæ communicatam, aut cõmunicabilem esse asserunt. In hunc modum suadeo: quia etiam allegatis Sãctorum Patrum testimoniis, docetur, non tantum solius Dei esse, creare, verum etiam eius solius esse condere, efficaciter operari, prouidere, facere, & continere: at hæc omnibus limitãda sunt ad condere, operari, facere, &c. tanquam causam adæquatam, & ab alia efficienti independentem; aliàs falsò diceretur, solùm Deum condere, efficaciter operari &c. cum etiam creatura dependenter à causa efficienti, saltem prima quodammodo operetur &c. ergo etiam illud, quod de creatione dicitur à Sanctis Patribus, limitari debet ad creationem, qua agens independenter ab omni causa, etiam efficienti distincta operetur: qua sanè ratione solus Deus operari poterit.

48. Respondeo secundo ad idem argumentum, accipi posse creationem pro productione, siue actione, cuius ratio sub qua est ens vt sic (puta finitum) quæque rem produeit in singulari, non tamẽ quia singularis est, sed quia est ens: cur enim, sicut datur actio intentionalis, cuius ratio sub qua sit verũ vt sic, nimirum cognitio, & actio intentionalis, cuius etiã ratio sub qua sit bonum vt sic, nempe amor; dari etiam nequeat actio physica, cuius ratio sub qua sit ens vt sic (puta finitum:) quod enim infinitum est, sicut nullam actionem, seu causalitatẽ terminare, ita nullius ratio sub qua esse potest. Hæc autem actio rationẽ hanc *sub qua* vniuersalissimam sibi vendicans, cum ex modo tendendi perfectissima sit, perfectissimæ actionis nomen suo sibi iure vendicat, atque adeo creatio appellari debet. Porro agens per creationem hoc modo vsurpatam, & prout est productio rei singularis sub ratione entis potest, si velit, omne ens producibile producere, haud secus, ac intellectus, quia cognoscit per actũ, cuius ratio formalis sub qua sit verum, siue cognoscibile vt sic, potest cognoscere omne cognoscibile: idémque in voluntate, visu, & aliis potentiis cernere est. Quare solius Dei proprium erit, hac ratione creare, cum solus Deus omne ens producibile producere possit: nulla verò creatura hac ratione creare poterit, eo, quod nulla possit omne ens finitum producere, quia saltem se ipsam producere non potest. Quo certè alluisse videtur D. August. suprà allegatus in hæc verba, ibi: *tam creare naturam Angelus non potest, quàm nec se ipsum.* Itaque tum Augustinus, tum cæteri Patres superius allegati, de creatione, non prout in præsenti controuersia ponitur, sed prout hoc numero explicata possunt intelligi.

Ad secundum argumentũ respondeo, creationem 49.
prout est productio rei ex nihilo, siue ex non præsuppositi subiecto haud quaquam sibi præstituere terminum vniuersalissimum, nimirum ens vt sic: aut enim sermo est de termino, qui per creationẽ prout in præsenti sumptam producatur, vti Thomistæ contendunt: & ita ens vt sic, esto addideris, *finitum*, per hanc numero creationem nõ producitur; aliàs hæc creatio non solùm Angelum v.g. verum etiam animum rationalem, quantitatem Eucharisticam, & quod adhuc impossibilius est, formam leonis, equive, aut aliam quamuis generatione productam: & quidem cum omnis actio circa singularia sit, iuxta illud Philosophi: *Medicus non curat hominem, sed Socratem, aut Calliam* fieri nequit, vt creatio, quæ vera actio est, rationem communẽ entis, etiam finiti producere possit. Aut sermo est in ea solutione de termino vniuersalissimo, prout terminus cum ratione sub qua coincidit: & ita restat probandum Angelico Præceptori, solam, & omnem productionem rei ex non præsuppositi subiecto habere rationẽ sub qua vniuersalissimam (puta rationem entis ab alio vt sic:) si quãdo enim productio rei ex nihilo adeo vniuersaliter tendit, id quidem eo est, non quia est productio rei ex nihilo, sed quia est actio solius Dei, quæ à dependentia, aut independentia à subiecto abstrahit.

Ad tertiũ argumentum respondeo, distincta maiori: quo magis elongatur, siue distat agens à subiecto, in quo operatur, eo maior in agente virtus requiritur, proportione Geometrica, secus verò Arithmetica. Idest: quoties in maiori distantia à subiecto vnum agens operatur, quàm aliud, certè virtus vnius agentis, maior virtute alterius agẽtis esse debet: cæterũ vnum agens ob id nõ debet tantundem aliud superare, quantũ vna distantia excedit aliam: quare quamuis aliquod agẽs simpliciter infinitè distet, & elongetur à subiecto, in quo operari possit, atque eius distantia à subiecto simpliciter infinite excedat distantiam aliorum agentium, non propterea virtus eius agentis simpliciter infinita esse, aut simpliciter infinite 50.

virtutem aliorum agentium ſuperare debet. Vnde agens per creationem, quamuis à ſubiecto ſummè, & ſimpliciter infinitè diſtans ſit, non propterea eius virtus ſimpliciter infinita eſſe, aut ſuprà conditionem creaturæ eſſe debet. Hac ratione, quo perfectius eſt aliquod obiectum, eo perfectior eſt eius viſio: quia tamen hæc ſupputatio Geometrica, non Arithmetica eſſe debet, ideo, cum obiectum alicuius viſionis eſt ſimpliciter infinitum, atque infinitè ſuperans reliquarum viſionum obiecta, viſio illa ob id infinita eſſe, aut reliquis viſionibus ſimpliciter infinitè perfectior eſſe debet: aliàs profectò Deus neutiquam à nobis videri poſſet, contra quam fides teſtatur. Mitto, calculationem illam, fieri tantum poſſe in agentibus, quæ naturaliter, & per generationem, ac motum operantur: inductio enim ab aduerſariis facta in huius rationis agentibus duntaxat facta eſt, nec in aliis, experientia duce, fieri poteſt: quare ex ea calculatione tantum colligitur, cum agens aliquod naturale, & per generationem infinite elongatur à ſubiecto, nullumque ſubiectum eſt, in quo operari poſſit agens, hoc ne diuinitus eleuari poſſe, ad hoc, vt in ſubiecto operetur: quod veriſſimum eſt; verum nobis nulla ratione officit.

51. Ad quartum reſpondeo; quamuis virtus creata per creationem operans finita ſit, haud quaquam quam conuinci, virtutem aliquam generatiuam ei æqualem eſſe, quia ſi aliunde non obſit, poterit eſſe altioris rationis, & ea, ad quam nulla virtus generatiua, quamuis infinitè multiplex ſit, accedere, eamve æquare poſſit, haud aliter ac ſpecies brutorum infrà hominem infinite multiplicantur, & perfectiores, ac perfectiores ſine fine eſſe poſſunt, quin propterea vlla eſſe poſſit, quæ perfectionem hominis aſſequatur. Sed demus, inquiunt Aduerſarij, virtutem generatiuam eſſe duplo minorem virtute creatiua: ergo ſi detur alia virtus generatiua duplo maior priori virtute generatiua, vtpote quæ in duplo maiori diſtantia operetur, hæc poſterior virtus generatiua virtuti creatiuæ æqualis erit. Verum virtus creata nequit eſſe, duplo, aut etiam quadruplo, aut ſextuplo maior virtute aliqua generatiua, aut hæc illâ minor, vt aduerſarij ſupponunt: hæc enim proportio eſt gradualis, & Arithmetica; quæ (vt ſuprà notaui) in hoc euentu, locum non habet: virtus enim creatiua eſt altioris rationis quauis virtute generatiua; & ſic cum ea Aritmethicè comparari nequit: vnde additione graduum perfectionis nulla virtus generatiua ad perfectionem virtutis creatiuæ accedere poterit. Et quamuis accederet, nullum certe inconueniens eſſet: quamuis enim virtus illa generatiua ex modo operandi eſſet imperfectior virtute creatiua, certè hanc imperfectionem, vel perfectione termini, in quem tendit, vel perfectione agentis, à quo proficiſcitur, compenſari poſſet.

52. Ad quintum, miſſis aliorum ſolutionibus, quæ ſanè à nobis lib. præcedenti, falſitatis conuictæ ſunt, reſpondeo primò per inſtantiam: nam etiam inter terminum *à quo*, & terminum *ad quem* actionis generatiuæ eſt ſimiliter infinita diſtantia: licèt enim actio generatiua non ſit productio rei ex nihilo ſubiecti, eſt tamen productio rei ex nihilo ipſius rei, cum per eam terminus, qui antea ſimpliciter aliquid non erat, ſed omnino nihil, poſtea aliquid in rerum natura ſit: at inter nihil ipſius rei, & eius eſſe, eſt ſimpliciter infinita diſtantia: ergo hæc diſtantia abſque virtute ſimpliciter infinita pertranſiri non poteſt: atque adeo creatura, quę finitæ dumtaxat virtutis eſt, eam pertranſire non poterit; ſic que non minus generare, quàm create cõditionem creaturæ excedit, ſi quid argumentum poſitum conuincit. Reſpondeo ſecundo: abſolutè, creatio ob ſimpliciter infinitam diſtantiam inter duos terminos *à quo* & *ad quem*, nimirum eſſe Angelum, & non eſſe Angelum, quos interiacet, virtutem ſimpliciter infinitam poſtulat, eam tamẽ propterea in cauſa magis principali poſtulare poterit, non tamen in cauſa minus principali, qualiſcunque ſit: cum ergo creatura, ſiue natiua, ſiue obedientiali virtute creãs ſit cauſa minus principalis reſpectu Dei, qui eius actionis cauſa prima, & vniuerſalis non eſſe non poteſt; ſanè neceſſe non eſt, vt creatura creans infinitæ virtutis ſit, ſed ſatis eſt, vt cauſa prima eam infinitatem ſibi vindicet: & ita fermè Pater Vaſquez 1. part. diſp. 126. cap. 2. n. 3.

53. Ad ſextum reſpondeo; in primis non eſſe, cur ſola creatura per intellectum, & voluntatem operans virtute creandi prædita ſit, eáve (vbi ſemel admittatur) creatura etiam irrationalis, aut inſenſibilis pollere nequeat. Hinc enim neutiquam fieret, creaturam hanc creatricem creatura intellectuali increatrice, Angelo v.g. perfectiorem eſſe, quia Angelus perfectionem illam creandi, quæ ſibi deeſt aliis ex capitibus non ſolùm compenſare poteſt, ita, vt creaturam illam non ſolùm perfectione adæquet, verum etiam ſuperet. Qua ratione quamuis cœli incorruptibiles ſint, & rerum omnium ſublunarium vniuerſales cauſæ ſint, & in hoc hominem ſuperent: cæterum, hanc perfectionem cœlorum propriam aliis ex capitibus homo ita compenſat, vt cœlos toto cœlo perfectione ſuperet. Deinde, eſto ſola creatura rationalis, & intellectu, & voluntate prædita vim creandi ſortiri poſſet, inde nullum inconueniens ſequeretur: quia intellectus, & voluntas accidentia creaturæ rationalis non ſunt, ſed cum eius ſubſtantia identificantur: ergo quamuis creatura illa intellectualis per intellectum, & voluntatem, tanquam per potentias, ſubſtantiam aliquam crearent, non ob id ſubſtantia ab accidenti produceretur. Rurſus, ſi vt philoſophatur Durandus, creatura illa ſpiritualis per intellectum, & voluntatem, non tanquam per potentias executiuas, & effectiuas, ſed tanquam per potentias imperantes, & directiuas ſubſtantiam creet, idem inconueniens facilè declinari poteſt. Præterea, ſi potentia creatiua alicui creaturæ à Deo communicata non ad ſubſtantiam aliquam, ſed ad aliquod accidens producendum communicetur, abſque negotio id ipſum inconueniens euitatur. Tandem: quanquam accidens naturaliter nequeat producere ſubſtantiam: quî conſtare poteſt, illud ſupernaturaliter, & diuinitus ſubſtantiam producere non poſſe? Certè oppoſitum vſu venire in tranſubſtantione panis in corpus, & ſanguinem Chriſti, vi verborum facta, probabilius eſt: ergo etiam ex hoc capite inconueniens illud penitus corruit: immò in alio rerum ordine fieri poteſt, vt nonnulla accidentia eo perfectionis accedant, vt ſubſtantiam naturaliter producere poſſint: cur ergo intellectus, & voluntas, quantumuis accidentia ſint, alicuius creaturæ creatrices potentiæ exequentes, ſiue effectiuæ, etiam connaturales non ſint?

Ad

54. Ad septimum respondeo; gradus omnes agentium naturalium à Deo productos non esse: tum, quia gradus omnes agentium naturalium infiniti sunt, cum modus operandi infinities diuersificari possit: at infiniti gradus agentium naturalium à Deo producti non sunt: tum, quia gradus omnes entium à Deo producti proculdubio non sunt: ergo &c. tum, à posteriori: quia si agens aliquod ad operandum certam distantiam non postularet, sed æquè in propinquo, & remoto operaretur, certè agens hoc peculiarem gradum inter reliqua agentia constitueret; & tamen huiusmodi agens à Deo productum non est: ergo non quilibet gradus agentis naturalis à Deo in rerum natura productus est. Quantumuis ergo, agens, quod natiua virtute creare posset, specialem gradum inter reliqua agentia obtineat, & constituat; non ob id censendum, illud de facto à Deo productum esse. Et quidem hic arguendi modus nemini probari potest: potuit aliquid à Deo produci, ergo debuit produci; vel, ergo de facto productum est.

55. Ad octauum respondeo; modum quidem operandi cuiuscunque agentis creati proportionem seruare posse cum eius modo essendi, esto agens aliquod creatum naturaliter creare possit: siquidem agens aliquod creatum existit independenter à subiecto, Angelus verbi gratia. Quare si sit possibilis Angelus qui naturaliter creet; & independenter à subiecto aliquid producat, tantum aberit, vt inter eius modum essendi, & modum operandi non sit proportio, vt potius ea magna ex parte deesset, si terminum illum non crearet, sed generaret: siquidem tunc agens absolutè existeret independenter à subiecto; secus verò eius effectus. Nec ob est, quod agens illud, cui virtus creandi naturaliter insita esset, aliquam compositionem importaret, & quoad aliquod suum esse à subiecto dependeret: siquidem terminus etiam ab eo creatus, quamtumuis creatus esset eadem ratione compositione aliqua gaudere, aliquam que independentiam à subiecto sibi vendicare deberet.

56. Ad nonum respondeo: modus aliquis operandi Deo conuenit, qui altioris rationis sit, quàm vt vlli creaturæ conuenire possit. Cæterum, is operandi modus non est creatio, quatenus hæc est productio rei ex nihilo, & in præsenti controuertitur, sed quatenus sumitur in vno, aut altero sensu, quem suprà in solutione primi argumenti exposuimus. Ad decimum respondeo: actionem creatiuam possibilem esse, deque facto reperiri, quæ à volitione distincta sit, vt suprà semel, & iterum ostendimus.

57. Ad vltimum respondeo; de ratione instrumenti vt sic non esse præuie operari in subiecto: qua ratione lumen gloriæ est instrumentum ad visionem Dei, cum tamen in intellectu nihil præuiè operetur, sed solùm intellectum informet: & cognitio etiam est instrumentum amoris, quin tamen nihil præuiè ad amorem operetur, ipsumque amorem primum & postremum producat. Vnde admitti poterit agẽs creatum, quod ad creationem velut instrumentum euehi possit; esto eius causalitas instrumentalis à subiecto independens sit, haud secus, ac eius terminus à subiecto independet.

58. Obiicies contra quintam, vltimamque asser-

tionem capitis præteriti ex Beato Thoma 1. p. quæstione 45. art. 5. creaturæ corporeæ corruptibiles naturaliter possunt sibi similes producere; ignis verbi gratia idem: ergo à fortiori creaturæ incorruptibiles, & spirituales, quæ corporeis longè perfectiores sunt, aliàs sibi similes producere poterunt, verbi gratia Angeli alios Angelos: at non per generationem, vt patet: ergo per creationem. Secundo: creatura aliqua potest naturaliter facere aliquid ex subiecto contrario, & positiuè resistente, vt in lucta ignis cum ligno cernere est: ergo à fortiori creatura naturaliter operari poterit, cum nihil ei positiuè resistit: at cum aliquid creatur, & ex nihilo fit, nihil agenti positiuè resistit: ergo creatura naturaliter creare poterit. Tertiò: terminus creationis est finitus: etgo virtus aliqua finita de facto existens ad eius productionem sufficiet, & virtutem habebit connaturalem.

59. Ad primum horum, prætermissa solutione Beati Thomæ, respondeo: sicut ignis ignem producere potest; & tamen sol alium solem producere nequit, quantumuis sol igne perfectior sit; ita similiter quamuis substantiæ spirituales corporeis perfectiores sint; at nihilominus poterunt creaturæ corporeæ alias sibi similes producere, quin ob id creaturæ spirituales aliàs similes debeant producere. Ratio autem à priori disparitatis est, diuersa vtrarúmque natura. Ad secundum respondeo; negata prima consequentia: quia maior virtus requiritur non solùm ob maiorem resistentiam passi, sed etiam ob modum agendi ex nihilo: quare, quantumuis virtus creandi nullam resistentiam passi vincat, tamen virtute generatiua maior esse poterit: atque adeò ea, quæ nulli creaturæ naturaliter valeat conuenire. Ad tertium respondeo: sicut terminus creationis est finitus, ita virtus creatiua ad illum terminata, etiam finita est: cæterùm non omnis virtus finita de facto datur, aut etiam naturaliter dari potest: quare non est, cur virtus aliquia suapte natura creatiua de facto detur, aut etiam (si aliunde non obstet) de facto dari debeat.

CAPVT VI.

Quæ res creentur?

60. Assero primò: materia prima creatur. Cum enim sit primum subiectum, vt cum Aristotele 1. Physicor. cap. 6. omnes largiuntur, sanè dependenter à subiecto produci non potest: à quo enim? nec enim dependenter à se ipsa, vt compertum est: nec dependenter ab alio subiecto anteriori, aliàs non foret primum subiectum. Ex quo rursus fit, materiam primam incorruptibilem esse: quæ enim naturaliter creantur, ea incorruptibilia, & immortalia sunt, vt exemplo animi rationalis, & Angeli perspicuum est: & quidem tota agentium naturalium contrarietas, & dissidium est, non vt materiam primam destruant, sed potius vt eam vi, atque impressione nouæ alicuius formæ conseruent: qua ergo ratione fieri potest, vt materia prima naturaliter siue ob exigentiam agentium naturalium pereat?

61. Aſſero ſecundò : anima rationalis, & Angelus naturaliter creantur. Creatio animæ rationalis perſpicua eſt : etenim, ſi anima rationalis generatur, & producitur dependenter ab aliquo ſubiecto, maximè ab eo, in quo eſt, nimirum à materia prima : ſed dependenter ab hac minimè producitur, aliàs materialis, & corruptibilis futura, more formarum inſenſibilium, & irrationalium, quæ ob ſimilem dependentiam materiales ſunt, atque corruptibiles. Creatio Angeli non minus in aperto eſt : ſiquidem Angelus non conſtat ſubiecto, & forma ſubſtantiali ; de quo fortaſſis alibi : ergo independenter à ſubiecto producitur, cum nullum ei inſit ſubiectum, vt dictum eſt, à quo in fieri dependeat : atque adeo creatur. Aſſero tertiò : accidentia omnia abſoluta, & non modalia diuinitus creari poſſunt : id, quod in quantitate ſaltem Euchariſtica fide ſanctum eſt, vtpote quæ independenter à quouis ſubiecto poſt conſecrationem conſeruatur.

62. Aſſero quartò : modi etiam diuinitus creari nequeunt. Etenim modus qualiſcunque ſit, eſt vnio ſui ipſius cum ſubiecto : at vnio eſt paſſio & dependentia intrinſeca à ſubiecto, vt lib. præcedenti oſtenſum eſt, cum ſermo eſſet de cauſa materiali : quiuis igitur modus eſt eſſentialiter paſſio, & dependentia ſui à ſubiecto : atque adeo independenter à ſubiecto produci non poteſt. Quæ verò P. Hurtado diſputatione 12. Phyſicor. ſect. 5. opponit, nullius momenti ſunt : eo, quod ſupponant vnioni, vbieationi, & cuiuis alij modo tantùm eſſentiale eſſe, afficere, & denominare ſubiectum, non verò ab eo in genere cauſæ materialis dependere : cuius oppoſitum tamen nobis ſuprà magis probatum eſt.

63. Aſſero quintò : qualitates ſupernaturales, ſiue phyſicæ, ſiue intentionales ſint, quamuis diuinitus creari poſſunt, de facto tamen non creantur. Hæc aſſertio à P. Vaſquez 1. part. quæſtione 45. art. 3. diſputatione 124. cap. 2. & 3. rectè probatur, primo : quia creatio ſtrictè ſumpta eſt productio rei ex nihilo, ideſt, ex nullo præſuppoſito ſubiecto : at accidentia ſupernaturalia non producuntur ex nullo præſuppoſito ſubiecto : ergo non creantur : minor probatur, quia accidentis vt ſic, eſſe eſt ineſſe, ſiue inhærere, vti fert commune pro loquium ; ſed accidentia ſupernaturalia verè accidentia ſunt : ergo ex natura ſua habent ineſſe alicui ſubiecto, ſiue, ab eo dependere : ergo independenter ab illo non producuntur. Secundò : ad hominem contra Thomiſtas : quia ſacramenta nouæ legis ſunt inſtrumenta phyſica gratiæ, & donorum ſupernaturalium : nec ad eorum productionem ſolùm moraliter concurrunt : at ſacramenta nouæ legis inſtrumenta phyſica creationis, iuxta eoſdem ne diuinitus eſſe poſſunt : ergo productio gratiæ, & donorum ſupernaturalium creatio non eſt. Præterea vnio hypoſtatica eſt ſe ipſa eſſentialiter dependentia ſui ab humanitate Chriſti, more reliquorum modorum : ergo dependenter ab humanitate Chriſti producitur : ergo generatur, ergo non creatur. Quid ergo vetat, quominus idem de reliquis accidentibus ſupernaturalibus, & abſolutis philoſophemur ? cum rationes aduerſariorum non minus, imò multò magis in vnione hypoſtatica militent. Deinde dona ſupernaturalia in genere cauſæ efficientis à potentia naturali eleuata dependent, vt ſuprà lib. 4. tract. 7. cap. 3. oſtendi : ergo à fortiori ab ea in genere cauſæ materialis dependere poſſunt, ac de facto dependent, atque adeo non creantur.

64. Verùm, communis Scholaſticorum ſententia eſt, nec gratiam, nec donum vllum ſupernaturale de facto creari, vt conſtat ex iis, quos Pater Vaſquez vbi ſuprà, qua ſolet eruditione, laudat : cuius ſententiæ primum fundamentum ſit : cum homo iuſtificatur, dicitur creari in gratia : ergo quia gratia in eo creatur : antecedens perſpicuum eſt ex illo Pauli ad Galat. *nec circumciſio aliquid valet, nec præputium, ſed noua creatura*, & ad Epheſ. 2. ibi : *ipſius enim ſumus factura creati in Chriſto Ieſu in bonis operibus*, & 4. capite ibi : *induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis*. Secundum fundamentum eius ſententiæ eſt : quia gratia infunditur animæ à Deo independenter ab vllis præuiis meritis hominis, & abſque vlla potentia naturali, cui gratiæ infuſio debita ſit : ergo ex nihilo à Deo producitur, atque adeo creatur : antecedens ſine Pelagianiſmo negari non poſſe videtur : conſequentia in aperto eſt.

65. Ad vtrumque argumentum reſpondeo : creatio bifariam accipi poteſt : primò, pro creatione propria, & phyſica ; qua res independenter ab omni ſubiecto phyſico, cius receptiuo producitur : ſecundò, pro creatione impropria, & morali ; qua forma aliqua ſupernaturalis independenter à quibuſuis meritis, & diſpoſitionibus moralibus producitur. Quocirca productio gratiæ creatio moralis, & impropria eſt : id, quod vnum, & alterum argumentum oppoſitum ſuadet, & nobis non aduerſatur : creatio phyſica, & propria non eſt : quandoquidem gratia independenter quidem à meritis, & potentia naturali, non verò independenter à quouis ſubiecto, obedientialiter, ſaltem, eius capaci producitur.

66. Aſſero ſexto : compoſitum, ſiue totum ſubſtantiale, & per ſe, quale eſt cœlum, homo, &c. non ſolùm creari poteſt, verum etiam de facto creatur : primò, quia id habetur 1. Geneſ. ibi : *in principio creauit Deus cœlum, & terram*, & inferius : *creauit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam* : quæ teſtimonia de creatione ſtrictè ſumpta, & prout creatio eſt productio rei ex nihilo, exponenda eſſe cum Gloſſa cenſet D. Thomas quæſtione 45. art. 2. Secundo ad hominem contra pleroſque aduerſariorum : quia iuxta eos homo formaliſſimè conſiſtit in corpore, & anima, ac vnione, nec ab iis vllatenus diſtinguitur : at corpus hominis creatur, eiuſque etiam anima creatur : ergo omnes eius partes creantur, atque adeo in ſe homo abſolutè creari cenſendus eſt. Quod enim vnio partium hominis in conceptu hominis intrinſecè incluſa generetur, non video quatenus prodeſſe poſſit ad hoc, vt homo, cuius non ſolùm præcipua, verum etiam vtraque pars creata eſt, adhuc generetur : aliàs certè qua ratione vnio illa eſt merè materialis, & corporea, & nulla

nulla ratione ſpiritualis, homo etiam ab ea merè materialis, & corporeus eſſet: & vti ſuprà libro 2. notauimus: ſicut vnio illa eſt diuerſæ ſpeciei in Petro ab vnione Pauli; Petrus etiam à Paulo diuerſæ ſpeciei non eſſe non poſſet.

67. Tertiò: quia homo verbi gratia abſolutè, & ſimpliciter non eſt forma: hæcque propoſitio, *homo eſt ſola forma hominis*, proculdubio falſa eſt: at ſola forma à ſubiecto, cui inſit, dependere poteſt, vt compertum eſt: ergo homo abſolutè, & ſimpliciter à ſubiecto, cui inſit, dependere non poteſt: ergo dependenter à ſubiecto, cui inſit, non producitur; ac proinde non generatur, ſed creatur. Demum: quia vt libro 2. ſtatuimus; totum per ſe diſtinguitur realiter à ſuis partibus, & cum iis non comparatur tanquam forma cum ſubiecto, cui inſit: (aliàs cum iis compoſitum aliud conſtitueret, & ſic abſque fine in componendo progreſſio eſſet) ſed comparatur cum iis tanquam terminus intrinſecus cum fundamento, ex quo reſultat: ergo totum per ſe non producitur dependenter à ſubiecto, cui inſit; atque adeo non generatur, ſed creatur. Quod autem totum per ſe, homo verbi gratia, dependeat à cauſa materiali, non cui inſit, ſed potius quæ ipſi inſit, quaque conſtituatur; non arguit, eum generari: aliàs materia prima generaretur, cum dependeat à cauſa aliqua materiali ſui conſtitutiua, nimirum à ſuis partibus: quarum quæuis cauſa materialis eſt, integramque materiam conſtituit. Ex his argumentis pleráque oſtendunt, compoſitum ſubſtantiale, & per ſe, ne diuinitus etiam generari poſſe.

68. Verùm P. Vaſquez vbi ſuprà capite 4. & P. Hurtado diſputatione 6. Phyſicor. ſect. 4. cenſent, compoſitum generari, non verò creari: cuius ſententiæ primum fundamentum ſit: productio vnionis eſt abſolutè, & ſimpliciter productio totius: at productio vnionis eſt generatio, non verò creatio: ergo & productio totius, non cratio, ſed generatio cenſenda eſt. Minor indubitata eſt: maior probatur, quia intellecta productione vnionis, intelligitur productio totius; cum implicet vnionem produci, non producto toto: intellecta verò productione cuiuſvis partis, aut etiam vtriuſque non intelligitur productio totius; cum non implicet, quamlibet, aut vtramque partem totius produci, toto non producto: ergo productio ſolius vnionis abſolutè, & ſimpliciter productio totius cenſenda, & appellanda eſt. Secundò, quia creari eſt, produci aliquid ex nihilo: at compoſitum non producitur ex nihilo, ſed ex partibus: ergo non creatur, ſed generatur. Tertiò: quia totum eſt natura poſterius partibus, ab iiſque dependet, & intrinſecè cauſatur: at altera pars totius eſt ſubiectum: ergo totum à ſubiecto dependet in ſuo eſſe, atque dependenter à ſubiecto producitur, ſicut ad eius generationem oportet. Quartò: ex illo ſacræ paginæ: *Abraham genuit Iſaac*, aliiſque ſimilibus teſtimoniis, necnon ex vniuerſa Philoſophia, in qua quid celebrius, quàm quod *ſol, & homo generant hominem?* ergo homo generatur, non creatur.

69. Verùm ad primum reſpondeo: in primis poteſt produci, & in rebus reperiri vnio partium hominis, materiæ videlicet, & formæ rationalis, quin hic numero homo producatur, ſed alius. Quare non eſt, cur productio hominis in productione vnionis ita ſit, haud ſecus, ac productio vbicationis humanæ in productione hominis non conſiſtit: quia licèt producto homine neceſſario aliqua eius vbicatio, iuxta aduerſarios, produci debeat, non tamen hæc numero. Deinde: producto filio in diuinis non poteſt non produci Spiritus Sanctus, & tamen productio filij in diuinis non eſt productio Spiritus Sancti, cum altera ſit generatio, altera verò ſpiratio: ergo quantumuis verum eſſet, producta vnione partium etiam hoc numero totum neceſſario produci, neutiquam inde ſequeretur, productionem vnionis eſſe productionem totius.

Ad ſecundum reſpondeo: creari eſſe rem produci, non ex nihilo partium, quibus intrinſecè conſtet: aliàs neque materia, neque Angelus crearentur, cum materia prima, vtpote eſſentialiter continua, & diuiſibilis, ex partibus continuatiuis, & Angelus iuxta aduerſarios, ex natura & ſubſiſtentia intrinſecè fiant, & producantur, ſed ex nihilo ſubiecti, ex quo educatur: at totum, vti ſuprà explicuimus, fit ex nihilo ſubiecti, ex quo educatur, quantumcumque ex partibus producatur; ac proinde neutiquam generatur, ſed creatur. Ad tertium etiam reſpondeo: totum in fieri, & etiam in facto eſſe dependere à ſubiecto, non tamen à quo educatur, aut cuius quoad ſe totam forma ſit, ſed ex quo intrinſecè conſtituatur: quod certè aliud, & aliud eſt, atque adeo non generari, ſed creari. Ad vltimum reſpondeo: cum homo dicitur in Scriptura, & Philoſophia generari, id ſecundum quid, impropriè, & ratione ſolius vnionis, ex qua reſultat, accipiendum eſt; haud aliter, ac cum dicitur in ſacra pagina: *peccatum cum conſummatum fuerit, generat mortem*: id impropriè accipiendum eſt iuxta pleróſque Theologos, in quorum ſententia peccatum vt peccatum, & quoad eius malitiam eſt aliquid priuatiuum, atque produci, aut generari propriè non poteſt. Aut dico ſecundo; generationem ſumi ſæpiſſimè ſolere pro origine viuentis à viuenti in principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ: eſto productio alicuius ex præſuppoſito ſubiecto non ſit: qua ratione proceſſio Verbi diuini generatio appellatur, eſto Verbum ex præſuppoſito ſubiecto, ſiue cauſa materiali non producatur. Quare: quamuis homo ex præſuppoſito ſubiecto non producatur, ſed potius ex nihilo creetur, adhuc in ſacra pagina, & Philoſophia rectè de eo dici poterit, generatum, ſiue genitum eſſe. 70.

Aſſero vltimò: ea, quæ ſuaptè natura creantur, vt materia prima, Angelus, & animus rationalis, ne de potentia Dei abſoluta, alia, actione, quàm creatiua produci poſſunt: ſiquidem ſola forma dependenter à ſubiecto produci, ſiue generari poteſt: at materia eſſentialiter eſt ſubiectum, non forma; & Angelus etiam eſſentialiter eſt ens completum, & non forma, ſiue, quod perinde eſt, ens incompletum 71.

imcompletum: Neque Deus facere poteſt, vt vel materia, vel Angelus forma ſit, aliàs rerum eſſentias variare poſſet: ergo de potentia Dei abſoluta fieri nequit, vt vel materia, vel Angelus dependenter à ſubiecto producantur, aut non creentur, ſed generentur. Quod verò ad animam rationalem attinet, ratio repugnantiæ in noſtris principiis manifeſta eſt: ſiquidem dependere aliquid à ſubiecto, ſiue cauſa materiali, eſt ei ita intrinſecè vniri, vt ſine illo naturaliter eſſe, aut conſeruari nequeat: qua ſola ratione animas brutorum generatas, non creatas eſſe nobis conſtat: at de potentia Dei abſoluta fieri nequit, vt anima rationalis ita intrinſecè materiæ vniatur, vt ſine ea naturaliter eſſe, aut conſeruari nequeat: poſſe enim animam rationalem conſeruari ſine materia ex natura rei ei eſſentiale eſt ratione ſuæ immortalitalitatis, & ſpiritualitatis: quare tam Deus nequit facere, ne anima rationalis poſſit naturaliter eſſe ſine materia, quàm rerum eſſentias variare nequit.

72. Verùm, ſi generatio, & dependentia à cauſa materiali non prout à nobis explicata eſt, ſed prout communiter explicari conſueuit, accipiatur; & formam aliquam generari nihil aliud ſit, quàm actionem productiuam illius ſe ipſa eſſe vnionem ſui ad ſubiectum, in quo forma recipitur: ſi inquam, hæc ita ſint, non video certè, qua ratione negari poſſit animam rationalem diuinitus generari poſſe, haud ſecus ac è contrario, quantitas Euchariſtica naturaliter increabilis diuinitus creari poteſt. Id quod conſtabit ex ſolutione argumentorum, quæ contra generationem animæ diuinitus poſſibilem opponi ſolent. Obiici ſolet primò: quoties res producitur modo non connaturali, eo ipſo poſtulat modum productionis, qui perfectior ſit modo productionis naturali: aliàs, qua ratione ille hunc ſupplere poſſet? Et quidem ideo quantitas diuinitus creari poteſt, quia creatio quantitatis Euchariſticæ generatione ei connaturali perfectior eſt, eumque eminenter continet: at generatio animæ rationalis eius creatione perfectior eſſe non poteſt: igitur per generationem animæ rationalis produci diuinitus nequit.

Verùm in primis generatio ſupernaturalis ani-
73. mæ rationalis eius creatione perfectior eſt, non ſolùm quoad ſubſtantiam, vt P. Hurtado poſito argumento innitens diſp. 12. Phyſicorum ſect. 6. fatetur, verùm etiam quoad modum, cum ſupernaturalitas actionis modus ſit, & generatio ſupernaturalis creatione naturali perfectior eſſe videatur. Deinde non video, cur productio miraculoſa, aut ſupernaturalis formæ eius productione naturali, quam ſupplet, perfectior eſſe debeat? Siquidem productio miraculoſa materiæ abſque vlla forma ſubſtantiali ſupplere diuinitus poteſt productionem naturalem formæ in materia: at ea perfectior nõ eſt. Maior ex dictis l. 2. tr. 2. c. 4. perſpicua eſt: minor probatur: quia productio miraculoſa materiæ ſine forma eſt creatio materiæ, & carentia generationis formæ in illa; productio verò materiæ cum forma eſt eadem ipſa creatio materiæ, & generatio formæ in illa: at creatio materiæ, & carentia generationis formæ non eſt perfectior, ſed potius imperfectior, quàm eadem creatio materiæ, & generatio formæ: cum duo entia ente, & non ente perfectiora ſint: ergo, &c. Rurſus: ſi machina mundi ad punctum diuinitus redigeretur, an non hic modus exiſtendi in loco imperfectior eſſet modo exiſtendi in loco, quem mundus de facto ſortitur, & quo ſuis ſedibus omnes eius partes pulcherrime diſpoſitæ ſunt: at prior ille modus exiſtendi in loco, huius poſterioris defectum diuinitus ſupplere poteſt: ergo ſimiliter modus exiſtendi à cauſis non ſolùm non perfectior, verùm etiam minus perfectus modum exiſtendi à cauſis perfectiorem ſupplere poteſt: atque adeo generatio animæ eius creationem ſupplere poteſt.

Argui ſolet ſecundo: ſi anima rationalis de- 74.
pendenter à potentia paſſiua materiæ per actionem generatiuam educeretur, tunc materialis eſſet, & non ſpiritualis: cum materialitas per dependentiam alicuius à materia, & ſpiritualitas per oppoſitam dependentiam definiantur. At anima rationalis ne de potentia Dei abſoluta materialis, & non ſpiritualis eſſe poteſt; aliàs eius eſſentia à Deo variari poſſet: ergo &c. Verùm facile reſponderi poteſt, negata maiori. ſicut enim quantitas Euchariſtica quamuis miraculosè, & ſupernaturaliter ſine materia conſeruetur: ob id materialitatem ſuam non exuit, nec in ſpiritum euehitur: ſic etiam anima rationalis, quamuis ſupernaturaliter, & miraculosè à potentia paſſiua materiæ penderet, non ob id ſpiritualitatem ſuam exueret, aut in ſtatum rei materialis deprimeretur. Ratio vtriuſque eſt: quia quod aliquid ſit materiale, aut ſpirituale, non oritur ex dependentia, aut independentia actuali à materia, ſed ex eo, quod dependentiam, aut independentiam illam poſtulet. Quare, cum nec quantitas Euchariſtica independentiam à materia, nec anima rationalis in hypotheſi quæſtionis dependentiam à materia poſtulet, non eſt, cur altera in materialem, aut altera in ſpiritualem demutetur.

Argui ſolet tertiò: quia ſi anima rationalis ge- 75.
neraretur, non deberetur ei immortalitas: at debitum immortalitatis animæ rationali eſſentiale eſt ita, vt diuinitus eo ſpoliari nequeat: ergo anima rationalis diuinitus generari nequit. Reſponderi tamen poteſt, vt animæ rationali immortalitas debeatur, opus non eſt, vt creatio de facto ad eam terminetur, ſed vt ei debeatur: cum enim creari ſit immortalitas, idémque ſit, aliquid creari, ac eſſe immortale quantum eſt ex vi illius actionis, ſanè debitum creationis debitum immortalitatis erit: at creatio animæ, quantumuis generetur, ei debetur: ergo immortalitas etiam ei deberi poteſt. Declaratur: quia ſi anima rationalis generetur, adhuc vi nullius agentis naturalis ſine miraculo deſtrui poterit: ergo quia etiam in eo euentu natura ſua immortalis eſt: aut, quod perinde eſt, quia immortalitas ei naturalis, & debita eſt. Conſequentia videtur perſpicua: antecedens probatur, quia agentia naturalia in eo euentu tantum expellere poſſent animam rationalem à materia, & deſtruere actionem adæquatam, qua tunc exiſteret: at hoc non eſſet deſtruere animam rationalem, cui in eo euentu alia creatiua debita eſſet, eique ſine miraculo denegari non poſſet: ſic deſtructa actione creatiua, qua quantitas Euchariſtica independenter à ſubiecto exiſtit, naturaliter debetur ei in ſtomacho Sacerdotis actio generatiua, qua deſtructis ſpeciebus panis dependenter à materia prima à Deo producta, velut à ſubiecto educatur.

TRA

TRACTATVS III.

De actione generatiua corporis naturalis.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit subiectum actionis generatiuæ?

1. NOSTRA sententia sit: Actionem generatiuam recipi in agente, & non in passo, aut effectu: ita D. Thomas 2. contra Gentes cap. 9. ibi: *actio, quæ non est substantia agentis, ineſt ei, ſicut accidens ſubiecto; & ideo inter nouem prædicamenta computatur.* D. Thomam sequuntur complures Thomistæ apud P. Suarez 2. Metaphysicæ disput. 68. quorum rationibus prætermissis sententiam in hunc modum probo. Si actio generatiua non reciperetur in agente, possent agentia creata agere transeunter, & ad extra absque vlla sui intrinseca mutatione, vt compertum est: consequens autem impossibile est: tum, quia agens vitale, & immanens non vitali, ac transeunti perfectius est: at agens vitale creatum sine mutatione sui de potentia ad actum secundum vitalem reduci nequit: tum quia substantiæ rationales agere ad extra nequeunt absque prævia mutatione sui: prius enim velle eas oportet id, quod ad extra operaturæ sunt: igitur substantiæ inanimes, & irrationales multo minus absque mutatione sui ad extra operari possunt. Tum demum: quia solius Dei est ob eius infinitam, & vndequaque illimitatam perfectionem; quod sine mutatione sui agere, & pro libito res creatas mutare, & mouere possit: id quod expressit Boëtius libro 3. de consolat. metro 9.

Stabilisque manens das cuncta moueri.

2. Id ipsum etiam Patribus solemne est, nec non antiquis Philosophis, qui, vt tradit D. Thomas 1. p. q. 9. art. 1. *ipsa veritate coacti posuerunt primum principium esse immobile*, cum tamen causæ secundæ ita moueant, vt simul moueantur.

3. Rursus nostram sententiam suadeo: quia in diuinis generatio actiua est in Patre producente, non verò in Filio producto, igitur etiam in creatis productio actiua, siue actio in agente, velut subiecto residet, aut certè residere potest, non verò in effectu, aut passo. Dices primò: ex P. Hurtado, generationem actiuam non esse in subiecto proprie, ac proinde mirandum non esse, si in producente, non verò in aliquo passo resideat. Contra tamen: quia tametsi generatio actiua in subiecto non sit, in supposito tamen residet: at non residet in eodem supposito, quo filiatio per eam producta: igitur, esto actio generatiua in subiecto sit, non propterea in subiecto formæ genitæ, sed potius in agente esse debet. Dices secundò ex eodem; generare, & posse generare in diuinis realiter non distingui: cum igitur potentia generatiua in Patre sit, mirum non esse, si in eo quoque generatio actiua à potentia generandi indistincta resideat: at hanc rationem non militare in rebus creatis, vbi posse generare, & actu generare realiter distinguuntur. Contra tamen primò: quia plus est, inesse per identitatem, quàm per inhæsionem; & intimius agenti est, quod ei identificatur, quàm quod in eo suscipitur: at in diuinis actio generatiua est in agente per identitatem, vt solutio largitur: igitur in creatis à fortiori in agente per inhæsionem residere poterit. Contra secundo: quia generatio actiua in diuinis, & potentia generatiua virtualiter intrinsece distinguuntur: at hæc distinctio virtualis sufficit, vt in diuersis suppositis resideant, vbi aliunde nihil obstet: igitur, si non obstante ea distinctione ambæ in generante residerent; similiter potentia generatiua creata, & eius actio inuicem realiter distinctæ in agente solo tanquam subiecto residebunt. Minor suadetur: quia essentia, & Paternitas virtualiter intrinsecè tantum distinguuntur, & tamen hæc in solo Patre, illa verò in Filio, & Spiritu residet.

4. Dices tertiò: in diuinis duas formalitates vni tertio identificari posse, quæ inter se eædem non sint; & tamen in creatis nil simile contingere potest: ergo etiam in præsenti à diuinis ad creata perperam arguitur. Verùm hæc instantia nulla est: non enim contendimus, quidquid in diuinis reperitur, illico transferri posse ad res creatas; sed tantùm enitimur, quidquid in Deo reperitur, quod ex ipsis rerum naturis, non verò ex infinitate Dei proficiscitur, id omne ad creaturas traduci posse, & debere; seruata tamen proportione, & cum eo discrimine, quòd quæ in Deo sine imperfectione reperiuntur, ea in creaturis imperfectionem admixtam habeant. Qua ratione, sicut in diuinis amor sine cognitione prævia repugnat, in creatis etiam sub inde repugnat; videlicet, quia necessitas prævia cognitionis ad amandum non peculiariter ex infinitate Dei, sed ex rerum ipsarum naturis proficiscitur: at quod actio generatiua Patri intrinseca sit, non ex eius infinitate peculiariter proficiscitur; vti ex ea oritur, quod quæ sunt idem vni tertio, inter se idem esse non debeant: igitur si actio generatiua Verbi in Patre suscipitur, & actio creata in agente recipi debet: minor suadetur: quia non minus infinitus est Filius, quàm Pater; & tamen generatio actiua non residet in Filio: quod igitur resideat in Patre, ex eius infinitate neutiquàm proficiscitur: tum etiam, quia si ex infinitate Dei ortum haberet, quod productio actiua in Patre maneret, ne spectata absoluta Creatoris potentia possibile esset, agens creatum, in quo actio generatiua maneret: consequens autem absurdum est, quia quod agens creatum per se ipsum generet, ad imperfectionem, & connexionem essentialem cum effectu omnino à se distincto pertinet: cur igitur id supra conditionem creaturæ censeatur.

5. Dices quartò: generatio passiua in diuinis est intrinseca Filio; & tamen inde non sequitur, actionem generatiuam in creatis intrinsecè subiici debere in eius termino: ergo similiter in casu nostri argumenti, &c. Contra tamen: quia si actio generatiua in termino genito subiectaretur, eo prior, ac posterior esset, quod tamen repugnat. Vnde ex eo, quod generatio termino suo per identitatem intrinseca sit, neutiquam effici potest, eam in creatis termino suo per inhæsionem, seu receptionem intrinsecam esse: at quamuis actio generatiua in agente creato recipiatur, mutua prioritas, ac posterioritas minimè sequitur.

Contra ſecundò: quia falsò ſupponitur, actionem generatiuam termino creato intrinſecam non eſſe, cum omnis effectus creatus vel actio creatiua, vel generatiua reſpectu primæ cauſæ ſit, vt ſæpè ſæpius oſtendimus.

6. Contra noſtram ſententiam obiici ſolet primò: actio generatiua nuſquam recipi poteſt, niſi vbi per eam aliquid producatur, quia ibi otiosè collocata eſſet, vbi nihil ageret: at actio tranſiens nihil operatur in agente, nullumque in eo terminum producit: igitur in eo tanquam ſubiecto non reſidet. Rurſus ex D. Thoma contra Gentes cap. 1. actio tranſiens, & immanens omnium confeſſione differunt: at nentiquam differrent, ſi actio tranſiens in agente reſideret: nam ſi actio tranſiens in agente recipitur: igitur illi immanet: igitur actio immanens eſt Tertiò ex P. Suarez vbi ſuprà: quia actio generatiua ex conceptu actionis vt ſic ſubiectum inhæſionis minimè poſtulat, cum creatio vera actio ſit, nullum tamen ſubiectum inhæſionis reſpiciat: igitur ſolùm poſtulat ſubiectum inhæſionis ratione termini, quem in ſubiecto producit: igitur illud ſubiectum exigit, cui eius terminus inhæret, aut in quo ſuſtentatur. Prima conſequentia in aperto eſt: ſecunda conſequentia non minus perſpicua eſt: tum quia ſi actio creatiua eſt dependens à ſubiecto non ex conceptu communi actionis, ſed ratione termini, quem independenter à ſubiecto producit, rectè ſequitur, eam ab eo ſubiecto in dependere, à quo eius terminus independet: ergo ſimiliter, ſi actio generatiua non ex conceptu communi actionis, ſed ratione termini à ſubiecto dependet, ab eodem ſubiecto, à quo eius terminus, dependeat, neceſſe eſt: tum quia ridiculum videtur, ideo actionem dependere in genere cauſæ materialis ab agente, quia eius terminus à paſſo, agenti extraneo, in eo genere cauſæ dependet. Quid enim refert, terminum recipi in paſſo, vt eius actio alibi recipi debeat? Igitur ſi actio generatiua ratione termini ſubiectum poſtulat, non aliud quàm ipſius termini ſubiectum poſtulabit. Quartò demum ex P. Hurtado, & noſtris recentioribus, qui actionem generatiuam in paſſo recipi communiter exiſtimant: quia actio, & paſſo non diſtinguuntur: at paſſio recipitur in paſſo, aliàs illud intrinſecè non immutatura.

7. Verùm hæc argumenta non vrgent. Ad primum reſpondeo: in noſtra ſententia, vbi recipitur actio generatiua, ibi etiam aliquid operatur, ſi ly *ibi* ſupra operationem, aut denominationem operantis, aut etiam operati appellet: ſecus vero ſi ſupra rem operatam appellet: hoc autem ſatis ſuperque eſt, ne in agente otioſa ſit. Quod ſi aduerſarij velint, vbi eſt actio, ſiue operatio, ibidem eſſe oportere rem ipſam operatam, ne actio otioſa ſit, id manifeſtè falſum eſt: quia vbi eſt cognitio, & volitio, ibi eſſe non debet res cognita, aut amata; ne cognitio, & volitio otioſæ ſint. Ad ſecundum reſpondeo: quemadmodum actio aliqua ſubſtantialis dicitur, alia verò accidentalis; non quod vna in ſe ſit ſubſtantia, altera vero accidens: cum omnes actiones creatæ accidentia ſint, & vnum ex nouē prædicamentis accidentis cōſtituant, ſed quod terminus vnius eſt ſubſtātia, alterius vero accidens: ita ſimiliter actio aliqua immanens dicitur, alia vero tranſiens; non quod vna ſit extra agens, alia vero intra illud, vt in argumento aſſumitur: ſed quòd terminus vnius ſit extra agens, non verò terminus alterius.

Ad tertium reſpondeo: actio generatiua non poſtulat ſubiectum inhæſionis ex conceptu præciſo actionis, aut quia actio vtcumque eſt, cum complures actiones ſubiectum inhæſionis minimè ſortiantur; eæ nimirum, quæ in voluntate Dei creante, & termino creato conſtituunt: hinc tamen minimè fit, actionem generatiuam poſtulare ſubiectum ratione ſui termini, ſiue eo quod eius terminus ſubiectum inhæſionis poſtulet: quod ad hominem contra P. Suarez oſtendo: quia iuxta ipſum creatio Angeli habet ſubiectum adhæſionis, ipſum Angelum: at non ratione termini; cum erit terminus, nimirum Angelus nullum habeat ſubiectum, cui adhæreat, ſed potius ſit ſubiectum, cui reliqua adhærent: ergo ſimiliter in præſenti; quo circa actio generatiua poſtulat ſubiectum inhæſionis, non ratione termini, ſed ob rationes, quas ſuprà oſtendimus, cum noſtram ſententiam probaremus. Ad quartum conſtabit capite ſequenti. 8.

CAPVT II.

An, aut quatenus actio generatiua à paſsione diſtinguatur?

9. PRima ſententia eſt; actionem generatiuam diſtingui à paſſione vniuerſim ſumpta: ita Scotus in 4. diſt. 13. quæſt. 1. Antonius Andreas in lib. de principiis Herueus quodlib. 7. quæſt. 14. Capreolus in 2. diſt. 1. q. 2. art. 1. & cum eo communiter Thomiſtæ. Secunda ſententia, & ex diametro oppoſita eſt: actionem generatiuam, & paſſionem vniuerſim ſumptas minimè diſtingui realiter: ita cum P. Suarez 2. Metaphyſicæ diſp. 49. ſect. 1. & P. Hurtado comuniter noſtri recentiores. Verùm inter has ſententias media quædam amplectenda nobis eſt: pro cuius luce, & intelligentia ſupponendum eſt, paſſionem bifariam ſuui poſſe, & ſolere: primò, pro generatione paſſiua, qua res aliqua produci, & generari dicitur: ita D. Thomas opuſculo 44. cap. 2. in hæc verba: *talis ergo denominatio vel reſpectus paſſi eſt formaliter ab extrinſeco, ex quo importat agens, quod eſt extrinſecum: ſic ergo paſſio extrinſecè denominat ſubiectum, vel dicit reſpectum ab extrinſeco.* Secunda, eaque familiarior paſſionis vſurpatio, eſt qua idem ſignificat, quod cauſalitas cauſæ materialis, qua formæ ſubeſt, eamque recipit, & ſuſtentat: etenim materialis, & paſſiua coincidunt: at paſſio eſt cauſalitas cauſæ paſſiuæ, haud ſecus ac actio eſt cauſalitas cauſæ actiuæ: igitur paſſio eſt cauſalitas cauſæ materialis, qua formæ ſubiacet.

10. Supposita hac diſtinctione duplicis paſſionis: prima concluſio eſt, qua Thomiſtis diſſentimus, & Authoribus poſterioris ſententiæ conſentimus: actio generatiua non diſtinguitur realiter à paſſione in priori ſenſu ex iis, quos proximè ſuperius explicuimus, videlicet provt paſſio eadem eſt cū generatione paſſiua, qua quid à generante fieri, ac produci dicitur. Hæc concluſio ſuadetur: primò authoritate Ariſtotelis 3. phyſicor. lect. 5. ibi: *Neque vnum duobus quicquam prohibet, eumdem eſſe actum, non ſicut idem, ſed ſicut eſt, quod potentia eſt ad agens, nec neceſſe eſt docentem adducere*

ducere, nec si pati, & agere idem est, non tamen vt ratio sit vna, quod quid est esse dicentes, sicuti tunicæ & indumenti, sed sicut viæ ex Thebis ad Athenas, & ab Athenis ad Thebas, quemadmodum dictum est prius: non enim eadem omnia insunt quodlibet modo eisdem, sed solum quibus esse idem est. Quibus verbis, vt D. Thomas, & alij expositores tradunt, ita docet Philosophus, actionem & passionem v. g. doctrinam, qua quis docet; & disciplinam, qua quis addiscit, siue docetur; ita realiter identificari, vt ratione ratiocinata, seu virtualiter intrinsecè distinguantur: quo fit, vt necesse non sit dicentem addiscere, siue à se doceri, idemve ad se ipsum realiter referri; sicut oporteret, si actio, & passio synonyma essent, sicut tunica, & indumentum: ac virtualiter non distinguerentur, sicut in simili sæpè docuimus.

11. Deinde suadetur eadem conclusio: quia per eam formam, per quam voluntas obiectum amat, aut intellectus illud cognoscit; per eandem, inquam, cognoscitur, & amatur: igitur per eandem realiter formam, per quam generans effectum producit, effectus à generante producitur: ac proinde generatio actiua, & generatio passiua, siue passio non distinguuntur. Consequentia negari nequit: antecedens ex ipsis terminis manifestissimum apparet, & vel Grammaticis tritum est, qui idem per vocem actiuam, & passiuam significare consueuerunt. Rursus suadetur eadem conclusio: quia actio terminum, effectumve producit: ergo circa terminum versatur, eumque respicit: ergo ei aliquam denominationem tribuit: non determinationem agentis, aut respicientis, cum forma producta nec se agat, nec se recipiat: ergo solam denominationem producti effectui realiter communicat, atque adeo productio passiua, siue passio reipsa censenda est.

12. Secunda conclusio sit; qua ab Authoribus posterioris sententiæ dissentimus, & Thomistis consentimus: Actio generatiua distinguitur realiter à passione in posteriori sensu ex iis, quos in initio capitis exposuimus; videlicet provt passio cum causalitate causæ materialis coincidit. Hæc conclusio suadetur, primò: quia actio generatiua, siue eductiua formæ, vel etiam ipsius vnionis ab vnione realiter distinguitur, vt ostendemus infra: sed vnio est causalitas causæ materialis, vt sæpe sæpius ostensum est. Rursus si ob aliquã rationem actio generatiua deberet esse passio, seu receptio formæ, quam producit; maximè, quia est productio formæ dependenter à subiecto: ac proinde videtur ipsa dependere à subiecto, à quo formam pendere facit; haud secus ac vnio vnitur subiecto, cui formam vnit; & vbicatio, & duratio existunt in tempore, & loco, in quibus rem durãtem, & locatam constituunt: at hæc ratio nulla est, siquidem actio generatiua est productio formæ dependenter à subiecto non formaliter, sed efficienter, & radicaliter: idque profectò satis, superque est, vt ab actione creatiua differat. Aliis terminis est productio formæ dependenter à subiecto non ita, vt eam dependentiam causet in genere causæ formalis, sed ita, vt eam in genere causæ efficientis causet: igitur non est, cur debeat à subiecto, quod formæ subest, formaliter dependere provt ad passionem oportet. Rursus: si qua ratione actio generatiua, & passio non distinguerentur, maximè etiam, quia passio efficitur per aliquam actionem, non autem per aliam à se, ne detur actionis actio, ac per consequens processus in infinitum: at hæc ratio, cui aduersarij plurimum tribuunt, momentosa non est: in primis; quia tantum concludit, passionem esse actionem generatiuam suimetipsius, non vero esse actionem generatiuam formæ, quam subiecto affigit. Deinde dari actionem actionis in diuerso genere causæ fusè ostendimus suprà lib. 4. tract. decimo, capite quarto propè finem. Præterea, dari etiam actionem actionis in eodem genere causæ respectu termini diuersorum agentium eod. lib. 4 tract. 8. cap. 1. probauimus, cum de concursu causæ primæ ageremus: quæ omnia hic repeti superuacaneum esset.

13. Contra primam conclusionem arguunt Thomistæ: actio, & passio ad diuersa prædicamenta spectant: igitur realiter distinguuntur. Verùm huic argumento absque negotio responderi potest ex D. Thoma opusculo 48. cap. 3. ibi: *licèt actio, & passio, & forma, qua aliquid mouetur, sit vna res, tamen prtpter diuersam denominationem, quam important, vel propter diuersum respectum importatum sunt diuersa prædicamenta:* quibus verbis perspicuè reuocat diuersitatem prædicamentalem actionis, & passionis non in distinctionem realem, sed in earundem distinctionem rationis. Arguunt secundò: quia cognitio actiua, qua intellectus cognoscit obiectum, & cognitio passiua, qua obiectum denominatur cognitum realiter distinguuntur: cum altera sit ens reale, altera vero sit ens rationis: ergo similiter in præsenti. Verùm huic argumento factum est satis in Dial. lib. 2. tr. 1. à cap. 5.

14. Tertiò difficilius argui potest: actio, siue productio actiua est in causa, passi vero, siue passiua productio est in effectu, seu mobili: igitur realiter distinguuntur. Consequentia perspicua est: antecedens quoad primam eius partem superius probatum est: quoad secundam autem eius partem, ita suadetur: quia si productio passiua resideret in causa, & non in mobili, siue termino, proculdubio suum effectum formalem causæ tribueret, cum nulla forma naturaliter esse possit in subiecto, cui suum effectum formalem communicare nequeat: aliàs cur cognitio naturaliter in lapide collocari nequeat? at effectus formalis productionis passiuæ, & denominatio ab ea proficisci nata, est, rem esse productam: igitur, si productio passiua residet in agente, illud à semetipso productum denominabit. Respondeo primò; productionem passiuam recipi quidem in agente, non tamen immediatè, sed mediante productione actiua, à se virtualiter intrinsecè distincta: atque vt non recipitur in agente immediatè, ita in nullo subiecto immediatè recipi, hoc enim non est, eam non recipi realiter vspiam, sed tantum quod recipiatur alicubi, hoc aliunde eam emendicare, & non à se ipsa formalissimè habere: sic nihil in eo absurdi est, quod aliqua formalitas creata non per se ipsam immediatè, sed per aliam dependeat à Deo. Tum sic: productio passiua non vnitur immediatè agenti, sicut ei vnitur productio actiua: quid mirum ergo, si huius defectu vnionis illud productum non denominet, sicut à productione actiua denominatur producens? Respondeo secundò: vnionem requisitam ad effectum formalem producti non esse intrinsecam, sed extrinsecam, nec tam receptionis etiam immediatæ, quàm terminationis extrinsecæ: cum ergo productio

productio paſſiua non terminetur ad agens, non eſt, cur illud denominet productum, licet in eo etiam immediatè recipiatur : effectus enim formalis non eſt forma ſubiecto capaci communicata, vtcunque, ſed forma ei per vnionem proportionatam, atque requiſitam communicata. Sed de hoc in ſimili plura in Metaphyſica inter agendum de diſtinctione virtuali intrinſeca in rebus creatis. Ad argumenta contra ſecundam concluſionem ex ſuperioribus conſtat, etſi quæ ſuperſunt, à P. Roderico de Arriaga, & aliis Authoribus noſtris optimè ſoluantur.

CAPVT III.

An actio generatiua, ſiue eductiua formæ ſubſtantialis ab eius vnione diſtinguatur?

15. PRæmitto primò; cauſalitatem, qua materia in genere cauſæ materialis formam ſubſtantialem cauſat, ſeu paſſionem, qua eam recipit, & ſuſtentat, nihil aliud eſſe, quàm vnionem, qua forma ita materiæ vnitur, vt ſine materia ex natura rei exiſtere nequeat : id quod libro præcedente fusè oſtendi inter diſputandum de cauſa formali & materiali. Præmitto ſecundò; vnionem formæ materialis cum materia per actionem ab ea realiter diſtinctam produci. Probatur : quia homo, iuxta aduerſarios, intrinſecè, & per identitatem includit vnionem : at ita non includit actionem vnionis productiuam : ergo, &c. Minor probatur : quoniam, ſi includeret homo intrinſecè, atque identicè actionem, qua eius vnio producitur, ſanè idem numero homo à ſolo Deo, vel ab alio homine produci non poſſet : ſiquidem productus à ſolo Deo aliam numero actionem intrinſecè ac per identitatem includeret; aliam, inquam, ab actione, qua ab alio homine produci poteſt, atque adeò non eſſet idem numero homo, qui ab homine, & à ſolo Deo productus eſſet. Quod autem nonnulli reſpondent, hunc numero hominem hac, vel illa vnione, ſeu actione eductiua conſtitui, ac proinde eundem numero eſſe poſſe, quantumuis diuerſam actionem eductiuam, & vnionem includant, fusè à nobis impugnatum eſt in ſimili ſupra lib. 2. tract. 8. cap. 1. & 4. Tum etiam : munus vnionis eſt extrema connectere : at nexus intrinſecus extremorum, qua talis eſt, ſola extrema, non vero cauſam efficientem reſpicit : igitur vnio formæ materialis, qua cauſam efficientem non reſpicit; ac proinde actio productiua ſui non eſt. Præmitto tertiò; actionem eductiuam formæ materialis, ſiue eius generationem coaleſcere formaliter ex duplici actione, quarum altera ad ſolam entitatem formæ terminatur, altera verò ad eius vnionem, ſiue paſſionem, quod in hunc modum oſtenditur : quia non eſt, cur entitas formæ actionem ſibi peculiarem, & ad aliud non terminatam ſortiatur : at illa actio ad ſolam formam terminata, non magis eductiua, ſeu generatiua, quam creatiua eſt : cum non magis ad dependentiam, quàm ad independentiam formæ à materia terminetur : ergo quod eductiua, ſeu generatiua ſit, habet ab actione productiua vnionis, cum qua coniungitur. Quibus poſitis procliue eſt, probare diſtinctionem actionis eductiuæ formæ ab eius vnione cum materia; ſiquidem actio eductiua formæ eſt duplex illa actio nuper expoſita : at vtraque ab vnione diſtinguitur : ergo. Maior ex poſtremo præmiſſo : minor ex reliquis perſpicua eſt.

16. Secundò in hunc modum argumentor : modi, quales ſunt vnio, vbicatio, duratio, & ſi velis, cognitio, & amor per actionem eductiuam à ſe diſtinctam producuntur : at per eam minimè vniuntur : ergo nec forma materialis per actionem eductiuam vnietur. Maior perſpicua eſt : cur enim actio omnes modos tranſcendat, aut cur omnis modus ſe ipſo produci debeat potius, quam ſe ipſo vbicari, aut durare? Omnis autē modus ſe ipſo nec durat, nec vbicatur : aliàs intellectio, qua in hoc inſtanti, & loco obiectum percipio, in alio loco, aut inſtanti perſeuerare non poſſet. Minor non minus perſpicua eſt, quia omnis modus vnitur rei, cuius eſt modus, per ſe ipſum, eique eſſentialiter alligatur : ex ſolâ enim extremorum indifferentia neceſſitas vnionis diſtinctæ ab omnibus colligitur : cum ergo modus (quiuis ſit) indifferens non ſit, vt vniatur, vel non vniatur rei abſolutæ, ſanè per ſe ipſum, & non per actionem à ſe diſtinctam ei vniri debet. Ita de diſtinctione vnionis ab actione eductiua formæ ſentiunt Suarez tom. 3 in 3. p. diſp. 9. ſect. 1. §. ſed hæc ſententia & tom. 1. in 3. p. diſp. ſect. 1. §. ſecunda & lib. 8. de grat. cap. 2. à num. 6. Barth. Amic. tract. 11. q. 10. Compton. diſp. 14. phyſ. ſect. 8. Rub. Hurt. Arriag. Ouiedo, Alphonſ. & plerique DD. qui quæſtionem hanc in terminis tractarunt.

17. Oppoſitam ſententiam magna contentione tuentur nonnulli Recentiores cum Patre Bernal diſp. 12. de Incarnat. ſect. 1. §. 2. Primò : quia inhærentia accidentis ab eius vnione non diſtinguitur : ergo nec eductio formæ ſubſtantialis. Secundò : quia ſublata vnione formæ ſubſtantialis materialis eductio perit, & è conuerſo : ergo ſignum eſt, vnionem, & eductionem eius indiſtinctas eſſe. Tertiò : quia actio eductiua formæ ſe ipſa vnitur materiæ, & ſeipſa etiam vnitur formæ : ergo eſt vnio ſui cum materia & forma : ac proinde eſt vnio illarum inter ſe : quæ enim vniuntur vni tertio immediatè, vniuntur immediatè inter ſe : ſicut quæ identificantur vni tertio, inter ſe identificantur. Antecedens quoad primam partem probatur : quia in eo actio eductiua à creatione diſtinguitur, quod ſe ipſa ſubiecto vniatur : quoad ſecundam verò partem, quia formam educi à materia eſt exiſtere dedendenter à materia : at exiſtere dependenter à materia, ſiue in materia eſt denominatio intrinſeca formæ, ſicut exiſtere in tempore, & loco ei intrinſeca ſunt : igitur eductio formæ ei intrinſeca eſt, ac proinde ei vnitur. Quartò demum : quia per actionem eductiuam formæ à materia forma recipitur intrinſecè in materia : at formam recipi intrinſecè in materia claudit formaliſſimè vnionem vtriuſque; nihil enim alteri à ſe diſtincto intrinſecum eſſe poteſt, niſi per vnionem, quâ ei copuletur.

18. Ad primum reſpondeo; inhærentiam quidem paſſiuam accidentis haud diſtingui ab eius vnione ad ſubiectum : cæterùm diſtingui ab illa eius inhærentiam actiuam, ſiue actionem, qua efficitur dependenter à ſuo ſubiecto, ſiue qua ſit ei inhærens : hinc tamen non aliud colligi, niſi quod eductio paſſiua formæ ſubſtantialis ab eius vnione non diſtinguatur, quod vltrò fatemur : nequaquam

quam vero inde confici, quòd eductio actiua formæ substantialis, de quâ nobis sermo est, ab illius cum subiecto vnione sit indistincta. Ad secundum: sicut pereuntibus dispositionibus ad formam, perit forma, & è conuerso: & tamen non obstante hac naturali connexione forma à dispositionibus distincta est, ita similiter in præsenti, &c. Ad tertium: actio eductiua formæ nec materiæ, nec formæ vnitur, aut intrinseca est, sed agenti vt supra ostendi: quare non est, cur eas vniat inter se: actionis autem eductiuæ distinctio à creatione, ab eius termino producto, non vero à subiecto intrinseco receptionis sumenda est, vt initio capitis insinuaui: existere vero formam dependenter à materia siue in materia denominatio intrinseca formæ est: cæterùm ea denominatio non prouenit in genere causæ formalis, sed in genere causæ efficientis ab actione eductiua: vnde non est, cur hæc formæ intrinseca sit. Hinc ad vltimum respondeo: per actionem eductiuam forma non recipitur intrinsecè in materia formaliter loquendo, sed duntaxat efficienter, eo quod actio eductiua producat vnionem, per quam forma intrinsecè in materia recipitur. Quapropter inspectis omnibus eiusmodi actio non tam est vnio formæ cum materia, quam vnitio, vt egregiè docet Suarez vbi supra.

TRACTATVS IV.

De actione conseruatiua corporis naturalis.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit conseruatio, & quatenus à prima creatione distinguatur?

1. CONSERVATIO est actio, quâ res in esse, quod primò nacta est, postea subsistit, in eoque perseuerat, v.g ea, quâ lux matutina à mane vsque ad meridiem, aut vesperam durat; aut infans ab inuente vita vsque ad obitum spirat; aut esse cuiusuis alterius effectus à suis causis prorogatur: an autem hæc actio à prima rei productione distinguatur? inter Authores valde controuertitur. Prima sententia est Henrici quodlib. 1. quæstion. 7. & Gregor. in 2. dist. 1. quæst. 6 conclus. 4. & Aureoli apud Capreolum in 2. dist. 1. quæst. 2. art. 2. & aliorum docentium, rem produci, & conseruari per duas actiones, quarum altera statim præterit, altera vero cum esse rei permanet. Primum fundamentum, quo ducuntur, est: quasi actio primo productiua subito præterit; actio vero conseruatiua est permanens, & subito non præterit, vt iam iam factum est: ergo actio primò productiua, & conseruatiua sortiuntur prædicata contradictoria, atque adeo altera ab altera adæquatè distinguitur. Secundum fundamentum est: quia sæpè cernimus, rem primò produci ab vna causa, & conseruari ab alia; vt cum calor ab igne primò producitur, & à solo Deo in absentia ignis conseruatur: ergo prima productio rei, & eius conseruatio in eo euentu habent prædicata contradictoria, & altera causam aliquam respicit, quàm altera minimè respicit; sicut ad denominationem realem adæquatam oportet: ergo etiam in reliquis euentis vna, & altera actio realiter adæquatè distinguentur.

Reiicitur tamen prædicta sententia, primò: quia actio conseruatiua, & actio primò productiua habent aliquam identitatem realem: ergo realiter adæquatè non distinguuntur. Consequentia perspicua est: antecedens probatur ex Augustino lib. 4. de Genesi ad liter. cap. 12. ibi: *Cum Dominus ait, Pater meus vsque modo operatur, continuationem quandam operis eius, qua vniuersam creaturam continet, & administrat, ostendit.* Quibus verbis particula *opus* cum operatione coincidit, vt constat ex iis, quæ paulo infra subiungit Augustinus ibi: *Non ob aliud in illo sumus, nisi quia id operatur, & hoc est opus eius, quo continet omnia:* & paulo post ibi: *Si hoc opus suis rebus subtraxerit, nec viuemus, nec mouebimur, nec erimus:* tum sic: conseruatio, iuxta Augustinum, est continuatio operis diuini: at iuxta ipsum opus diuinum est operatio diuina: ergo conseruatio est continuatio quædam primæ operationis diuinæ, seu, quod perinde est, est ipsa operatio diuina continuata. Augustino consonat D. Thomas 1. p. quæst. 104. art. 1. ad 4. ibi: *Conseruatio rerum à Deo non est per aliquam nouam actionem* (puta adæquatè distinctam) *sed per continuationem actionis qua dat esse: sicut conseruatio luminis in aëre est per continuatum influxum à sole.* Diuo Thomæ Scotus: vtrique, nec pauci, nec ignobiles Theologi adhærent; vt cernere est apud Lessium lib. 10. de perfection. diuin.

Secundò eadem sententia reiicitur: quia actio primò productiua rei non est essentialiter adstricta ad primum instans, in quo rem à non esse ad esse transfert: aliàs rei duratio futura esset, contra quam supra tract. 1. cap. 3. fusè philosophati sumus: igitur potest ea actio transacto primo instanti perseuerare, & alteri denuo aduenienti eo existere: igitur potest illa actio conseruatiua esse, cum actio rem producens in primo instanti, si in sequentibus perseueret, in iisque (quæ est eius essentia) rem producat, rei conseruatio non esse nequeat.

Tertiò eadem sententia reiicitur: quia si conseruatio rei ab eius prima productione realiter adæquatè distingueretur: similiter conseruatio rei pro secundo instanti distingueretur realiter adæquatè ab eius conseruatione pro tertio instanti; & conseruatio eius pro tertio instanti à conseruatione eius in quarto: & sic de reliquis. Quare non solum pro instanti sequenti primam productionem rei, verum etiam pro singulis instantibus actio variaretur, quod & ab his Authoribus non admittitur, & à nobis supra fusè impugnatum est. Quartò tandem: quia, sicut generatio Verbi diuini est eadem pro quouis momento totius æternitatis; ita vt Filius per eandem indiuisibilem productionem sit in continuo quasi fluxu à Patre, iuxta illud Psal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te:* non video, cur etiam quæuis creatura per eandem indiuisibilem actionem non sit in continuo fluxu à Deo: per eandem, inquam, non adæquatè, sed inadæquatè, vt inferius explicabo: aliàs creatura primò producta nunquam perire posset, eiusque productio more processionum diuinarum nunquam interrumpi posset.

Ad

4. Ad primum argumentum aduerſariorum reſpondeo; primam productionem rei ſubito non perire ſecundum ſe totam, ſed ſecundum aliquam ſui partem, vt infrà explicabo: atque adeò non ſecundum ſe totam, ſed ſecundum aliquam ſui partem ab actione conſeruatiua non pereunte realiter diſtingui. Ad ſecundum reſpondeo: quemadmodum, ſi lux à ſole primò producta in ſenſu diuiſo huius productionis, non à ſole, ſed ab igne v. g. aut alio agente primò produceretur; vna & altera prima productio proculdubio diſtinguerentur, quin ob id inferre fas ſit, cum lux eſt eadem, & agens etiam eſt idem, primam tamen eius productionem diuerſam eſſe: ita ſimiliter conſeruatio rei, & prima eius productio poterunt diſtingui, cum à diuerſis agentibus proficiſcuntur; quin ob id deducere liceat, eas diſtingui realiter adæquatè, quoties in eundem terminum ab iiſdem agentibus proficiſcuntur. Mitto reliqua aduerſariorum argumenta, quia facilè ſolui poſſunt.

5. Secunda ſententia eſt Capreoli, vbi ſupra, Heruæi tract. de æternit. mundi quæſt. 1. Ferrariæ 3. contra Gent. c. 65. pluriumque Thomiſtarum, actionem primò productiuam, & actionem creatiuam ſola ratione diſtingui: quibus P. Suarez diſp. 21. Metaphyſicæ ſect. 2. num. 3. perſpicuè adhæret. Fundamentum huius ſententiæ primum eſſe poteſt authoritas Auguſtini ſuprà allata. Secundum eſt: quia quoties agens eſt idem, & terminus eſt idem, paſſumque, ſi interueniat, eſt idem; non eſt cur actio eadem non ſit: quæ enim talibus circumſtantiis diuerſæ actionis vtilitas, aut neceſſitas eſſe poteſt? At, cum res conſeruatur, lux v. g. agens eſt idem, quod in momento primæ productionis, nimirum ſol; & terminus etiam eſt idem, vt pote lux: paſſum etiam, videlicet aër idem eſt: cur ergo eadem actio non ſit?

6. Verùm hæc ſententia, priori ex diametro oppoſita, ſuſtinenda non eſt: quia prima productio rei à parte rei reperiri poteſt abſque rei conſeruatione: ergo prima productio à conſeruatione realiter ſeparabilis, ac proinde realiter diſtincta eſt. Antecedens probatur ex Auguſtino lib. de immortal. anim. cap. 6. vbi de Deo ſermonem inſtituens ſic habet: *Hæc vis, & natura incorporea effectrix corporis vniuerſi præſenti potentia tenet vniuerſum; non enim fecit, atque diſceſſit, effectumque deſeruit:* & infra: *illa effectoria vis vacare non poteſt, quin id, quod ab ea factum eſt, tueatur, & ſpecie carere non ſinat, quæ eſt in quantumcumque eſt; quod enim per ſe non eſt, ſi deſeratur ab eo, per quod eſt, profectò non erit.* Quibus verbis inſinuat Auguſtinus, Deum, poſtquam rem fecit, ac primo produxit, poſſe eam deſerere, & non tueri, atque ab eius conſeruatione diſcedere, & ſuperſedere: ac proinde primam productionem ni ab eius conſeruatione ſeparabilem eſſe. Quod autem ait Auguſt. ibi: *vacare non poteſt*, ſolam impotentiam conſequentem ceſſandi à conſeruatione indicat. Deinde: quoties effectus formalis vnius formæ ſine effectu alterius realiter reperiri poteſt; vna, & altera forma ſola ratione diſtingui non poſſunt, ſed opus eſt, vt quodammodo realiter diſtinguantur: quâ ratione, quia lignum poteſt eſſe ſiccum, quin ſit calidum; formæ vtriuſque denominationis, ſiue effectus formalis, nempe calor, & ſiccitas realiter, & non ſola ratione diſtinguuntur. At res poteſt denominari primò producta, quin denominetur conſeruata, vt experientia teſtatur: ergo forma vnius denominationis, ſiue effectus formalis, & forma alterius non ſola ratione diſtinguuntur: cum ergo forma vnius denominationis ſit prima productio, & forma alterius ſit conſeruatio; ſanè prima productio, & conſeruatio non ſolum ratione, verum etiam realiter diſtinguentur.

Ad primum fundamentum huius ſententiæ ab authoritate deſumptum reſpondeo, Auguſtinum loco à nobis ſupra adducto, non tam identitatem rationis actionis primo productiuæ, & conſeruatiuæ; identitatem, inquam, rationis omnem diſtinctionem realem excludentem, quàm identitatem realem inadæquatam, ſolius diſtinctionis realis adæquatæ excluſiuam ſtatuere; vt ſupra expoſuimus. 7. Ad ſecundum fundamentum reſpondeo, terminum actionis conſeruatiuæ non eſſe adæquatè diſtinctum à termino actionis creatiuæ, vt aduerſarij rectè probant; cæterùm eſſe ab eo inadæquatè diſtinctum: cum conſeruari lucem ſit, eam produci, ſimulque produci durationem, quâ in inſtanti ſequenti exiſtat; lux autem, & duratio lucis ab eadem luce, vel ſe ſola, vel ſimul cum prima eius duratione realiter inadæquatè diſtinguatur. Quid ergo mirum, ſi conſeruatio lucis à prima eius productione realiter inadæquatè diſtinguatur? vt nunc nunc explico.

Noſtra ergo ſententia inter duas priores media eſt, & primam productionem à conſeruatione, nec ſola ratione, nec realiter adæquatè diſtinguit, ſed ſolum realiter inadæquatè. 8. Pro cuius luce, & intelligentia præmitto primò; durationem rei, quâ tempori labenti coëxiſtit, ab exiſtentia rei realiter, ſiue ex natura rei diſtingui: id quod libro ſequenti latè confirmandum eſt. Secundò; productionem rei eſſe realiter diſtinctam à productione durationis ſucceſſiuæ rei: id quod ex illo priori legitimè infertur, atque deducitur. Tertiò; productionem rei eſſe productionem rei ſecundum ſe, & ſimul productionem durationis rei, qua alia anterior non ſit; conſeruationem vero rei eſſe productionem rei, & ſimul productionem durationum ſubſequentium primam rei durationem. Vnde conſeruatio rei, & eius prima productio in aliquo conueniunt, & ſunt idem realiter; videlicet in productione rei ſecundum ſe; & in aliquo diſtinguuntur realiter; nempe in productione durationis ſucceſſiuæ; cum vna productionem primæ durationis, alia vero productionem ſubſequentis durationis inuoluat: quæ productiones non minus inter ſe diſtinguuntur, quàm ipſæ durationes ſucceſſiuæ, ad quas terminantur.

Quod autem prima productio, & conſeruatio ita explicandæ ſint, ſicuti à nobis explicatæ ſunt; 9. ſuaderi poteſt: tum, quia tempus eſt menſura conſeruationis, & quo maius eſt tempus, cui res coaccidit, eò res magis conſeruabitur: ergo conſeruatio ſuapte natura tempus reſpicit, & connotat: ergo quia eſt productio durationum quibus res à prima productione temporis ſucceſſiuè fluenti collabitur. Tum etiam: quia id ſentire videtur Chryſoſtomus Homil. 2. in epiſt. ad Hebr. ibi: *Non minus eſt continere mundum, quàm feciſſe: ſed ſi oporteat, aliquid admirandi dicere, adhuc amplius eſt: nam in faciendo rerum quidem eſſentiæ productæ ſunt: in continendo vero ea, quæ facta ſunt, ne ad nihilum redeant, continentur.* Tum ſic: amplius eſt, res conſeruare, quàm eas primò producere: at non alia ratione, niſi quia rem primo producere

eſt

est producere existentiam rei, & ad summum primam durationem rei: rem vero conseruare est rem etiam producere, sicuti antea, & durationes omnes subsequentes producere. Amplius autem est, rem, & plures eius durationes producere, quàm rem, & vnam eius durationem producere: equidem, si conseruare, & primò producere solum ratione distinguuntur; sanè quantum vnum tantundem & aliud reipsa erit, vnumque alio reipsa maius esse non poterit: sicut quia in Deo æternitas, & immensitas sola ratione distinguuntur, vna alteri æqualis, non vero melior re ipsa esse potest.

CAPVT II.

An possit aliqua res seipsam per verum, & directum influxum conseruare?

10. EXploratum quidem est, pleraque se conseruare de facto, aut sine vllo influxu ab ipsis præstito; eo quod influxum, quo à Deo conseruentur suaptè natura exigant: aut certè per solum influxum indirectum, quo res non in esse aliud permanens, in quo conseruantur formaliter, sed in aliud esse distinctum, naturaliter tamen connexum cum permanentia rei in se influant. Priori modo: Angelus, & animus rationalis se conseruant, quia vterque postulat concursum, quo Deus eos in æternum in suo esse teneat. Posteriori vero modo creaturæ corruptibiles se conseruant: aqua verbi gratia se conseruat intendendo per veram actionem frigus suum, quo circunstanti calori resistat, aut colligendo se in globulos, ne difluat, & pereat: & ob similem finem animantia omnia calorem suum hyeme augent, atque intendunt. Anima etiam corruptibilis conseruat per verum influxum calorem, qui ad eius vitam, & esse necessarius est, & quo pereunte ipsa in auram euanesceret. Omne etiam viuens per actionem nutritiuam alimentum coquit, attrahit, & secum vnit, atque adeò se ipsum per influxum verum, cæterùm indirectum conseruat. Quare tota controuersia est, an res aliqua per verum influxum, eumque directum seipsam conseruet; anve vere, & directè attingat sua efficacia id ipsum esse, quod Deus eam conseruans influxus sui irradiatione attingit.

11. Assero primò: diuinitus fieri nequit, vt aliqua res seipsum totalitate effectus per verum, directumque iufluxum conseruet. Probatur: quia vt ex dictis cap. præcedenti constat, terminus totalis actionis conseruatiuæ est tam esse indiuisibile ipsius rei, quàm esse diuisibile durationum eius successiuarum. Quamobrem conseruare rem totaliter totalitate effectus est producere esse indiuisibile ipsius rei, & etiam esse diuisibile durationis, quibus tempori labenti coëxistit: at nulla res diuinitus suum ipsum esse producere potest, quantumuis durationes suas producere possit: quia aliàs idem indiuisibile esse secundum idem se ipso natura prius esset; cuius contrarium à nobis supra lib. 4. fusè demonstratum est: igitur nulla res se ipsam totaliter totalitate effectus per verum, directumque influxum conseruare poterit. Huc attinet quod D. Thomas 1.part.quæst.104.art.2.ad 2. ibi: *Sicut nulli effectui præstari potest, vt sit causa sui ipsius, potest tamen ei præstari, vt sit causa alterius: ita & nulli effectui præstari potest vt sit sui ipsius conseruatiuus, potest tamen præstari, vt sit conseruatiuus alterius.*

12. Assero secundò: naturaliter etiam fieri potest: vt aliqua res se ipsam per verum, directumque influxum conseruet partialiter partialitate effectus. Probatur: quia cum conseruare rem sit eius esse primarium, & indiuisibile, & esse etiam secundarium, & diuisibile durationum eius producere; terminusque partialis, & inadæquatus conseruationis sit esse durationum successiuarum: sanè conseruare rem partialiter partialitate effectus erit producere durationes successiuas rei: at res naturaliter producere potest durationes suas successiuas: ergo & se ipsam per verum, ac directum influxum conseruare partialiter partialitate effectus. Maior perspicua est iis, quæ capite præcedenti allata sunt: minor probatur: quia durationis successiuæ rei sunt eius proprietates, à quibus saltem naturaliter absolui nequit: quæuis autem essentia suas proprietates naturaliter causare potest: ergo & quæuis res durationes suas successiuas. Secundò eadem minor probatur: quia ex eo colligitur, ignem producere calorem in ligno, & quamuis aliam causam influere in sos effectus, eosque à solo Deo non produci; quia experimento cernimus ad præsentiam ignis semper produci calorem, & ad præsentiam cuiusuis alterius causæ secundæ suos effectus produci: at etiam experimento cernimus, supposita prima productione rei non solum ad eius præsentiam, verum etiam intimè in ipsa re plures durationes eius successiuas sequi, ita vt naturaliter aliud euenire nequeat: ergo ipsa res durationes illas producit.

13. Assero tertiò: quæuis res absolutè, & simpliciter se ipsam conseruat per verum, directumque influxum. Probatur, quia vt aliqua res aliam producat absolutè, & simpliciter, satis est, vt eam partialiter partialitate effectus producat, vtve aliquam eius partem, aut quasi partem, quamuis reliquarum minimam, & imperfectissimam producat. Quâ ratione sol, & homo generant hominem, eumque producunt, esto solam eius vnionem producant, eius materia, & forma omnino improductis: ergo etiam vt aliqua res seipsam, aut aliam absolutè, & simpliciter conseruet, satis est, vt eam partialitate effectus conseruet: at quæuis res se ipsam conseruat partialiter partialitate effectus per verum, & directum influxum: ergo se ipsam absolutè, & simpliciter conseruabit.

14. Contra primam assertionem nihil opponi potest, quod supra lib. 4. solutum non sit: contra secundam, & tertiam assertionem ex ea legitime deductam opponi potest: si res posset naturaliter durationes suas successiuas producere, posset etiam iis pro aliquo spatio temporis omnino spoliata eas iterum recuperare; & postquam toto hodie verbi gratia non extitit, eras tamen re existere. Consequens est aperte falsum, vt experientia testatur: ergo, &c. Sequela probatur: quia ideo aqua calorem amissum recuperare potest, quia inest ei virtus naturalis producendi calorem: ergo si rei virtus productiua durationum suarum inest, eas semel amissas iterum recuperare naturaliter

poterit. Verùm inprimis retorqueo argumentum in aduerſarios: quia iuxta ipſos, durationes ſucceſſiuæ non interruptæ rei debentur: at ſemel interruptæ ei non debentur: ergo ſimiliter durationes non interruptæ à re durante produci naturaliter poterunt, quin ob id ſi interrumpantur, & ſemel amittantur, ab ea naturaliter produci poſſint, aut debeant. Deinde homo & cauſa potentiæ viſiuæ in ſe, ſicuti quæuis eſſentia proprietates ſuas cauſat: at homo ſemel amiſſa potentia viſiua eam naturaliter recuperare non poteſt: ergo ſimiliter quamuis res durationum ſuarum cauſa ſit, non ob id eas ſemel interruptas iterum continuare poterit. Quod autem aqua calorem amiſſum recuperare poſſit, non ideo eſt, quia eum vtcumque producere poteſt, ſed ob ſpecialem actiuitatem aquæ, quæ nobis experientia innoteſcit. Quod ſi quis tamen durationes ſucceſſiuas à re durante non naturaliter, ſed ſolum diuinitus produci poſſe contendat, ob id nimium cum eo diſceptare nolim. Tandem contra hanc aſſertionem opponi poteſt, & ſolet; conſeruationem rei ad ſolum eſſe primarium, & indiuiſibile rei terminari, & à prima productione non diſtingui. Verùm huic obiectiunculæ cap. antelapſo fusè factum eſt ſatis.

CAPVT III.

An aliqua res à cauſa ſecunda à ſe diſtincta per verum, & directum influxum conſeruari poſtulet?

15. Aſſero primò: nullus effectus, ſiue ſubſtantialis, ſiue accidentalis ſit, à cauſa vniuoca creata in conſeruari pendet: ita P. Suarez diſput. 21. Metaphyſ. ſect. 3. n. 4. Probatur primò: quia duæ res eiuſdem ſpeciei, qualeſcunque ſint, inuicem ita comparatæ eſſe non poſſunt, vt quæuis earum poſtulet eſſentialiter ab altera conſeruari: aliàs alterutra ab altera ſimul, & ſemel conſeruaretur: & ſic daretur mutua prioritas à nobis ſupra impugnata: nec etiam vna ſola earum ab alia conſeruari eſſentialiter poſtulare, aut exigere poteſt; cum enim ſint eiuſdem ſpeciei ambæ, cur vna earum potius, quàm alia eam exigentiam habeat? Cum ergo ambæ ſimul eam exigentiam habere nequeant, & altera earum præ alia eam habere nequeat; ſanè neutra eam exigentiam habere poterit. Pendere autem in conſeruari ab aliquo eſt exigere conſeruari ab illo: & ſic nulla res ab alia eiuſdem ſpeciei, ſiue vniuoca in conſeruari pendere poterit. Deinde id ipſum à poſteriori ſuaderi poteſt: quia homo ab homine productus ſine eo conſeruatur: & ignis ſine igne eum primo producente; ac calor ſine calore à quo primo profectus eſt, conſeruantur: numquam ergo effectus à cauſa vniuoca in conſeruari dependet.

16. Aſſero ſecundò: quoties effectus eſt ſubſtantialis, numquam à cauſa æquiuoca creata in conſeruati dependet: ita etiam P. Suarez vbi ſupra, & Capreolus in 2. diſtinct. 1. quæſt. 2. art. 2. ad 4. Probatur: quia aut ſermo eſt de iis ſubſtantiis, quæ à ſolo Deo producuntur: quales ſunt Angeli, animi rationales, cæli, elementa, & hæ ſubſtantiæ, ſicut à cauſa ſecunda æquiuoca in fieri, ſiue primo eſſe non dependent, ita non eſt, cur ab iis in conſeruari dependeant. Aut ſermo eſt de iis ſubſtantiis, quæ non à ſolo Deo, ſed etiam ab aliqua cauſa ſecunda producuntur, & hæ etiam à cauſa ſecunda in conſeruari non dependent. Quamuis enim mulus ab equo, velut à cauſa æquiuoca generetur, ac primò producatur, ab eo tamen in conſeruari non dependet, cum ſine eo experientia teſte conſeruetur: & quamuis aurum in viſceribus terræ à ſole generetur, ac primò producatur, non propterea à ſole in conſeruari dependet, cum abſente ſole conſeruetur: cur ergo idem de quouis effectu ſubſtantiali comparatione cuiuſuis cauſæ æquiuocæ dici non debeat? Ratio à priori huius aſſertionis à D. Thoma, & Soario ea traditur: quia nunquam vna ſubſtantia pendere poteſt ab alia immediatè, ſed tantum medio accidenti, quod ſaltem inadæquatè in ſubſtantiam influat: cum ergo ſubſtantia accidenti imperfectior ſit, non poterit in conſeruari ab influxu accidentis dependere, quantumcunque ſemel dependenter ab accidenti primò exiſtat. Verùm in primis ſubſtantia ab influxu accidentis etiam partiali pendere non poteſt, vt ſupra lib. 4. oſtendi: quare falſum principium ab his Authoribus aſſumitur. Deinde eo gratis admiſſo, non conſpicio, cur ſicut ſubſtantia, non obſtante imperfectione accidentis, ab eo in fieri dependet, & etiam ea non obſtante ab accidentis influxu etiam in conſeruari dependere non poſſit? Quare genuina aſſertionis ratio eſt, natura ſubſtantiarum nobis ſenſu, & experimento cognita.

17. Aſſero tertiò: effectus accidentalis interdum à cauſa æquiuoca in conſeruari dependet, interdum vero ab ea in conſeruari non dependet: ita P. Suarez ſupra: prioris generis ſunt; lux, quæ à ſole non minus in fieri, quam in conſeruari dependet; & ſpecies intentionales ſenſuum externorum, quæ etiam ab obiectis, à quibus emittuntur, in conſeruari dependent, & abſentibus earum obiectis pereunt, & euaneſcunt; & etiam actus vitales, qui proculdubio non ſolum in fieri, verum etiam in conſeruari à potentiis vitalibus dependent. Poſterioris generis ſunt, calor, qui à luce in fieri, non tamen in conſeruari dependet, & ab igne etiam ſaltem mediatè in fieri, nullo modo tamen in conſeruari dependet; impetus, qui ab impellente in fieri, non tamen in conſeruari dependet, & abſque contactu impellentis aliquantiſper perſeuerat; habitus, qui ab actu in fieri, non tamen in conſeruari dependet; ac demum figura, ſiue forma artificioſa ab artifice eam imprimente neutiquam dependens. Plura exempla cuiuis procliuia erunt.

18. Ratio autem diſparitatis inter vtroſque effectus, præter vtriuſque naturam nobis ſenſu, & experimento compertam, ea mihi ſe ſe offert: quia accidentia prioris generis contrario carent: vnde, ſi in conſeruari à ſuis cauſis non penderent, nunquam naturaliter interire poſſent. Cur enim lux v. g. vbi ſine ſole exiſtere poſſit, ſemper naturaliter exiſtere, & conſeruari nequeat, cum numquam vllius agentis contrarietate impetatur: eadem eſt ratio de ſpeciebus intentionalibus

tentionalibus sensuum extremorum, si quæ dantur: eadem etiam de pluribus actibus vitalibus qui omni contrario destituti sunt. Neque enim visio verbi gratia contrarium vllum positiuum sortitur, nec auditio, neque apprehensio simplex, nec vllus actus vitalis præter iudicium, aut amorem efficacem. Cur autem iudicium, & amor efficax, & cum illis reliqui actus vitales in conseruari à potentiis vitalibus dependeant, in aperto est: siquidem sunt actus vitales non solum in fieri, sed etiam in conseruari: neque enim in fieri sunt vitales, & in conseruari sint transeuntes, haud aliter, ac aliquid in fieri homo, & in conseruari equus esse non potest. Cum igitur eiusmodi actus etiam in conseruari sunt vitales; omnis autem vita ab intrinseco esse debeat: sanè ij actus in conseruari ab intrinseco, siue à suis potentiis vitalibus esse debent. Hæc autem ratio in accidentibus prioris generis non militat: neque enim sunt vitales (vt ab hoc vltimo incipiam:) neque etiam contrario carent; siquidem calor contrario gaudet: eademque est ratio de reliquis primis qualitatibus: habitus etiam habitui contrariatur: figura quoque oppositam figuram habet, vt constat ex diuisione figuræ in planam, rectam, & curuam, circularem, & non circularem; aliasque, quas mathesis indagat: impetus etiam contrarium habet, quidquid dubitet P. Suarez supra sect. 3. à num. 33. vnus enim impetus alij impetui opponitur, alioque sursum, alio deorsum, alio dextrorsum, alio sinistrorum agimur.

19. Video D. Thomam aliam rationem discriminis tradere inter lucem, & calorem; & ideo hunc retineri ab aqua cessante actione ignis, illam vero ab aëre neutiquam retineri cessante actione solis: *Quia*, inquit, *materia aquæ est susceptiua caloris ignis secundum eandem rationem, qua est in igne; aër vero non est susceptiuus luminis secundum eandem rationem, quâ est in sole.* Verùm hæc ratio nulla ratione sustineri potest, primò: quia lucem aëris lucemque solis diuersæ speciei esse, absque vllo fundamento supponitur; & oppositum longè verisimilius est. Deinde, esto lux aëris à luce solis diuersæ rationis sit; cur vna absque altera conseruari nequeat? sicut impetus ab impellentis contractu diuersæ rationis est, & tamen sine illo conseruari potest, esto ab illo in fieri dependeat. Rursus, lux aëris alteris saltem est eiusdem rationis cum luce ignis, & tamen lux ab actione ignis in fieri dependens sine ea conseruari nequit: ergo similiter quamuis calor aëris sit eiusdem rationis, &c.

20. Cæterùm, præfata ratio aliter intelligi potest vt calorem recipi in aere secundum eandem rationem, quâ est in igne, sit; non tam vtrumque calorem esse eiusdem speciei, quàm calor rem aëris disponere ad formam substantialem ignis: ideoque formam, siue rationem, quæ cum forma sæpè coincidit; formam, inquam, rationemque ignis esse eandem in igne, & in aere; in illo formaliter, & in actu secundo; in hoc vero radicaliter, & in actu primo ratione suæ dispositionis, quæ ei viam sternat. Vnde mirum non esse, si calor, qui in igne conseruatur, in aëre etiam conseruetur: quod autem in vno semper, in alio aliquantulum tantum conseruetur, ideo est: quia in vno est forma, siue ratio ignis formaliter; in alio vero radicaliter. Cæterum lux non est in hoc sensu in aëre secundum eandem rationem, qua est in sole; cum non disponat aërem ad recipiendam formam solis. Hanc autem fuisse mentem D. Thomæ docet Suarez vbi supra, & constat ex verbis eiusdem ibi: *aër natus non est recipere lumen secundum eandem rationem, secundum quam est in sole:* & exponit, *vt scilicet recipiat formam solis, quæ est principium luminis:* statimque concludit: *& ideo quia non habet radicem in aëre, statim cessat lumen cessante actione solis.*

21. Verùm nec sic intellecta ratio satisfacit: tum, quia non video quid referat, calorem disponere ad formam substantialem ignis, vt sine concursu ignis conseruari possit? potius etiam, quia disponit ad formam ignis postulare deberet præsentiam ignis, à quo forma ad quam disponit, produci posset: tum etiam, quia impetus & habitus ad nullam formam substantialem disponunt, & tamen conseruantur sine concursu eius, à quo primò producuntur. Cur ergo lux, quamuis ad formam solis non disponat, conseruari tamen nequeat sine concursu solis, à quo primò producitur?

CAPVT IV.

An quæuis res à causa prima per immediatum, directumque influxum conseruari postulet?

22. QVamuis creaturam maximam, & minimam à Deo conseruari constat ex illo Actor. 17. ibi: *In ipso viuimus, mouemur, & sumus:* & Sapient. 7. ibi: *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia, attingit autem vbique:* & cap. 8. ibi: *attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter:* & Ioan. 5. *Pater meus vsque modo operatur:* & Pauli ad Colos. 1. ibi: *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant:* & Sapient. 11. *quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur?* Quod autem his, & similibus verbis Deus per verum, & immediatum influxum creaturarum omnium causa conseruatiua asseratur, perspicuum est: siquidem Deus asseritur vera, & propria causa conseruatiua creaturarum, cum verba sacræ paginæ in proprio, & vero, non verò in translatitio sensu accipienda sint, quoties ratio aliqua oppositum manifestè non suadet: at sola causa immediatè conseruatiua vera, & propria causa conseruatiua est, sicut sola causa immediatè primò productiua propria causa productiua est, vti supra lib. 3. tr. 1. ostendimus.

23. Deinde Deum per immediatum, verumque influxum esse causam conseruatiuam omnis creaturæ perspicuè docent Patres: Augustinus lib. 4. de Genesi ad liter. c. 12. Chrysost. hom. 2. in epist. ad Hæbr. Ambrosius lib. 7. in Lucam c. 13. Dionys. de diuinis nominib. cap. 19. Origene lib. 2. Periarchon Damascen. lib. 1. cap. 3. de fide orthodoxa. Prosper sent. 177. ex Augustino vbi supra relato Greg. lib. 2. moral. c. 12. Bern. serm. 6. in dedicat. Ecclesiæ. Hugo de S. Victore, necnon complu-

res alij, quos mira eruditione referunt Lessius de diuinis perfectionib. lib. 10. cap. 4. & Didacus Ruiz disp. 5. de prouid. sect. 2. Et quidem Patres docuisse Deum conseruare creaturas suas per immediatum influxum negari nequit: siquidem passim docent, ita Dei esse conseruare creaturas, sicut eius est eas primo creare: vt missis aliis colligere est ex Anselm. explicante locum illum Pauli ad Coloss. 1. supra laudatum ibi: *Omnia in ipso constant; quia sicut omnia creauit, sic omnia continet, & regit:* at Deus per verum, propriumque influxum creaturas omnes primò producit: ergo & conseruat.

24. Rursus: conseruatiua actio in se essentialiter inuoluit actionem primo productiuam, vti supra cap. 1. manet ostensum: actio autem primo productiua creaturarum est à Deo: ergo & actio conseruatiua earum ab eodem erit: ac proinde Deus immediatè creaturas conseruabit. Dices: actio primo productiua habitus est ab actu: sed conseruatio habitus non est ab actu: similiter ergo licet actio primò productiua creaturæ non sit à Deo, ab eo tamen conseruatio creaturæ non esse non poterit. Contra tamen est: quia prima productio habitus eius conseruationem non constituit, eo quod prima illa productio cum actu pereat, & simul cum habitu conseruato non perseueret: quare eius conseruationem constituere non potest, sicut oporteret ad hoc, vt conseruatio illa ab actu proficisceretur. Cæterùm, prima productio cuiusuis creaturæ simul cum creatura perseuerat: neque enim Deus à quo exit, nec creatura in quam fertur, pereunt: quare prima illa productio conseruationem creaturæ constituit, atque adeò conseruatio creaturæ in Deum necessario est referenda.

25. Præterea: tam pendent creaturæ à Deo, quàm lux à luminoso, species ab obiecto, & actus vitalis à potentia cui immanet: nec oppositum, nisi cum dedecore diuinæ omnipotentiæ potest admitti: præfatæ autem qualitates à causis creatis, sicut in fieri, sic etiam in conseruari dependent; idque per influxum verum, & immediatum: ergo, &c. Vlterius: ad perfectionem diuinæ voluntatis attinet, vt quod semel decernit, id semper decernat, & nunquam ab eo decernendo cesset; & ad perfectionem similiter diuini intellectus spectat, vt quod semel scit, nunquam non sciat: ergo ad perfectionem diuinæ omnipotentiæ spectabit, vt quod primò produxit, postea semper producat, siue conseruet, idque immediatè haud aliter ac immediatè cuncta [scit], atque decernit: conseruet, inquam, si res aliunde conseruanda sit, nec vlla specialis sit in eius conseruatione repugnantia.

26. Demum: nulla creatura conseruari potest absque immediato concursu alicuius causæ à se distinctæ: at eo ipso, quod concursum immediatum alicuius causæ postulet, concursum causæ primæ non postulare non poterit: ergo, &c. Maior probatur: tum quia maius, aut certè non minus est, rem conseruari, quàm primò produci, vt supra ex Chrysostomo, & Ambrosio ostensum est, & de se apertissimum sit: at ad primam productionem cuiusuis creaturæ concursus immediatus alicuius causæ requiritur: aliàs creatura non esset, sed potius quid increatum: ergo & ad eius conseruationem. Tum etiam: quia si creatura ex suppositione, quod primò sit, postea à nulla causa conseruatur: ergo ex suppositione, quod ab alio primò sit, postea à se erit: ergo ex suppositione, quod primò sit, postea non esse non poterit: sicut si absolutè à se esset, absolutè non esse non posset, vt in Deo cernere est. Tum demum: quia si creatura aliqua sine connursu vllius causæ conseruari posset, sane sine eo primò esse posset: at hoc posterius supra conditionem creaturæ est: ergo & illud prius. Minor vero principalis syllogismi suadetur, primò: quia plures creaturæ sunt, quæ à nulla secunda causa pendere possunt, vt Angeli, cœli, animi rationales: ergo si hæ ad sui conseruationem influxum alicuius causæ postularent, causæ primæ influxum postulabunt. Secundò: quia eo ipso, quod aliquid in fieri à concursu causæ alicuius secundæ pendeat, à concursu etiam causæ primæ in fieri necessario pendet, vt supra lib. 4. demonstratum manet: similiter ergo hoc ipso, quod aliquid in conseruari à concursu alicuius causæ secundæ pendeat, eumque postulet; sane & concursum causæ primæ ad sui conseruationem non postulare non poterit.

Obiicies primò: non est de conceptu creaturæ 27.
pendere ab influxu immediato alicuius causæ à se distinctæ in conseruari: ergo absque immediato influxu causæ etiam primæ conseruari poterit. Consequentia perspicua est: antecedens probatur: quia vt creatura quâ est talis, sit ens ab alio, & non à se; satis est, vt in fieri ab alio pendeat: ergo necesse nō est, vt in conseruari ab alio dependeat. Obiicies secūdò: quia cōcursus immediatus causæ etiam primæ ad conseruationem rerum superfluus videtur: ergo non est, cur res absque eo concursu conseruari nequeat. Antecedens probatur: quia ex suppositione, quòd res creatæ semel esse accipiant, illud seipsis retinere poterunt: id enim ad soliditatem, & firmitatem iis congenitam attinere videtur: & quidem ipsæ res semel productæ seipsas esse suo spoliare non possunt, neque seipsis per se in nihilum redigi possunt; natura enim malum intendere, suamve destructionem moliri nequit: ergo seorsim ab actione alicuius contrarij res creatæ à se ipsis conseruari poterunt. Obiicies tertiò: ad perfectionem artificis creati attinet, vt ea moliri, & fabricare possit, quæ semel ab eo facta, postea absque eius actione subsistant: ergo id ipsum ad perfectionem summi artificis, spectare etiam videtur. Obiicies quartò: verba illa Geneseos 2. cap. ibi: *Et requieuit Deus ab vniuerso opere, quod patrarat:* vbi requies ab operibus primo productis denotat, Deum ab iis conseruandis supersedere, ac proinde ea se ipsis conseruari.

Ad primum respondeo, negato antecedenti: ad 28.
eius probationem; quòd in fieri ab alterius influxu dependet, id ipsum conseruari ab alterius etiam influxu dependens esse debet, & alterum ad alterum necessario consequitur, & numero pene superiori ostendimus: cum ergo de ratione creaturæ sit dependentia ab alio in fieri, sanè dependentia ab alio in conseruari ab ea aliena esse nequit. Ad secundum respondeo: soliditas illa, & firmitas rerum creatarum in suo esse, quanta quanta sit, finita est, atque adeò manutenentia, & conseruatione primi artificis eget: quod si primus artifex ab iis conseruandis, & manutenendis supersederet, certè in nihilum euanescerent; non quia ipsæ se destruerent,

sed

sed quia concursus primæ causæ, cui intrinsecæ sunt, & à quo dependent, substractus est; haud secus, ac absque actione vllius contrarij lux in absentia solis cum tenebris illico commutatur. Ad tertium respondeo; potius ad perfectionem suprem artificis attinere, vt opus ab ipso factum sine eo subsistere nequeat, & sine eius concursu statim difluat, & dissoluatur; id enim operis ab opifice, maioremque eius potentiam arguit: in creatis autem posse aliquid facere, quod sine concursu causæ facientis contineri, & permanere possit; hæc, inquam, independentia operis perfectionem formaliter, & immediatè, ac proinde opificis, à quo opus progreditur, perfectionem mediatè extollit, & commendat: cæterùm imperfectionem opificis immediate, & formaliter arguit: vnde ea independentia est perfectio coniuncta cum imperfectione, non vero simpliciter simplex: quid mirum ergo, si in Deum nequeat quadrare? Ad quartum respondeo, verba illa Genes. 2. cap. intelligenda esse de requie ab operibus de nouo condendis, non vero ab iis, quæ semel condita sunt, conseruandis. Et quidem ea sic explicat Ambrosius lib. 7. in Lucam cap. 13. ibi: *Denique, vt Deus ab operibus mundi quieuit, non ab operibus cuius sempiterna, & iugis operatio est, sicut Filius ait: Pater vsque modo operatur, & ego operor*, &c. Sic etiam ea explicat Augustin. de Genes. ad liter. cap. 12.

CAPVT V.

An res minori influxu egeant, vt conseruentur, quàm vt primò producantur?

29. HActenus vidimus, nihil conseruari posse absque influxu immediato, & directo alicuius causæ, à quâ pendeat. Illud modo accuratè examinandum est, an saltem minori influxu ad sui conseruationem, quàm ad sui primam productionem res reliquæ egeant. Nonnulli, quos Lessius lib. 10. de diuin. perfect. cap. 4. & Arriaga disp. 10. Physicor. sect. 1. referunt & refellunt, partem tuentur affirmantem. Pro quâ distinguunt tria genera entium: alia adeò imperfecta, vt à causis creatis in fieri, & conseruari dependeant, qualia sunt, lumen, species intentionalis, & actus intellectus, &c. alia vero, quæ à causis creatis in fieri, non tamen in conseruari dependent, vt color, calor, forma substantialis, eius vnio, &c. & alia demum, quæ à causis creatis nec in esse, nec in conseruari pendent, qualia sunt Angelus, animus rationalis, creatura cœlestis, & elementaris: & hæc duo genera entis, inquiunt, ratione suæ perfectionis minori influxu ad sui conseruationem, quàm ad primam sui productionem postulant, eo quod Deus quæ simul cum creaturis produxit, solo concursu generali, sine vllo causarum creaturarum concursu, conseruet; quæ vero se solo produxit, minori quidem concursu conseruet.

30. Verùm, hæc sententia nullatenus sustineri potest, primò: quia, vt supra ex Chrysostom. & Ambrosio ostendimus, & ex ipsa actionis conseruatiuæ definitione perspicuum est, non minus est rem conseruare, quàm eam primò facere: ergo minor influxus ad vnum, quàm ad aliud sufficere non potest. Secundo: quia concursus genetalis se solo ad effectus alicuius conseruationem insufficiens est: ergo ex hoc capite minor influxus ad eam, quàm ad primam productionem satis esse non poterit. Antecedens probatur: tum quia aliàs concursus vniuersalis ad primam rei productionem sufficere posset se solo: nec qui hoc assereret ab aduersariis vllatenus reuinci posset: tum quia concursus vniuersalis est concursus partialis simul cum particulari in vnum totalem coalescens; siue, quod perinde est, pars concursus, eiusque dimidius: at pars concursus ad conseruationem effectus se solo sufficere non potest, sicut pars intrinseca alicuius totius ad totius conseruationem insufficiens est. Tum demum: quia concursus vniuersalis est concursus indeterminatus, qui vt ad aliquem effectum præ alio determinetur: concursui particulari sociandus est: at solus concursus indeterminatus ad conseruationem effectus insufficiens est: sicut eleuatio follium de se inderterminata ad hunc, aut illum sonum se sola sufficere nequit ad conseruationem alicuius soni determinati præ alio. Tertiò: quia nullus effectus creatus est, qui à Deo non pendeat tantum saltem, quantum lux à luminoso, aut species intentionalis ab obiecto dependet: at lux æquè potenti influxu à sole fit, & conseruatur; & species intentionalis similiter: ergo & quiuis effectus creatus æquè forti, ac potenti influxu à Deo fit, & conseruatur; atque adeo non minori, sicut hi Authores comminiscuntur. Et quidem, sicut Deus in conseruatione nonnullorum effectuum concursum suum minuit, eadem ratione dici posset, solem in conseruatione lucis actionem suam attenuare, & obiectum in conseruatione imaginum, quas in potentiam diffundit.

Quartò: quia quod aiunt, res ipsas secundi, & 31.
tertij generis semetipsas conseruare, adeóque minori influxu causæ à se distinctæ indigere: hoc, inquam, ipsis nullatenus proficit; aut enim se conseruant per concursum verum, propriumque: aut sine vllo concursu, & ratione solius firmitatis, & soliditatis sibi congenitæ: quâ ratione, inquiunt, rupes se conseruat loco, eoque se depelli non sustinet. Secundum quidem falsum est: quia conseruari aliquid à se sine vllo concursu sui in semetipsum est proprium solius Dei, qui à se sine vllo concursu sui in semetipsum conseruatur, & permanet in esse: altiorisque rationis est huiusmodi conseruatio, quam vt vlli creaturæ conuenire possit. Exemplum autem rupis non vrget: quia rupes loco se conseruat per veram actionem, qua impetum se mouentis, aut mouere conantis frangit. Primum vero, quamuis aliqua ex parte verum esse possit, vt supra ostendimus, tamen iis prodesse non potest: quia si res per verum influxum se conseruat, cum tamen per verum influxum se primò producere nequeat: ergo iam ad conseruationem rei minor influxus, quàm ad eius primam productionem requiri non potest, sed potius æqualis: ita tamen, vt influxus, quo res primò producitur, sit à causa rei ab ea distincta: is vero influxus, quo res conseruatur, partim sit à causa rei, partim à re ipsa: quod non tantum est concursum rei conseruandæ necessarium minuere, quàm eum paulo aliter distribuere.

32. Quintò : quia si ad conseruationem effectus minor influxus, quàm ad eius primam productionem sufficit, ob perfectionem effectus ; non esset, cur effectus aliquis adeò perfectus esse non posset, vt nullo influxu ad sui conseruationem indigeret. Consequens est absurdum, & ab aduersariis non admittitur : ergo, &c. Maior probatur à paritate rationis : quia eo ipso, quòd effectus aliquis ob suam perfectionem, siue influxum suæ causæ aliquandiu conseruari posset, vt cernere est in calore ; non est, cur crescente perfectione alicuius, non possit semper conseruari sine influxu causæ, à quo primo producitur : quâ ratione artificiosa æri impressa, sine actuali influxu artificis semper perseuerat, quin vlla vetustate aboleri possit, nisi contrarium aliquod positiuum interueniat : ergo similiter in præsenti, &c. Sextò, & vltimò : quia cum dicitur ab aduersariis, rem aliquam se ipsam conseruare, & sic minuere, actenuare concursum causæ in eam influentis; ea conseruatio, aut terminatur ad esse primarium ipsius rei, aut ad esse secundarium durationum, per quas tempori labenti collabitur ; si primum ; ergo res secundum esse primarium à se omnino indistinctum, à semetipso conseruatur, siue à se ipso est : cum ergo esse ab aliquo in creatis non nisi per veram causalitatem vsu veniat, soliusque Dei sit esse à se, quin causa sui sit: sanè res illa, sicut à se pro momentis suæ conseruationis est, ita à se ipsa causatur, suique ipsius vera causa est, quod apertè falsum est : eoque admisso, non video, cur negari posset, rem se ipsam primo producere posse : si secundum, ergo non requiritur minor influxus ad conseruationem rei, quàm ad primam eius productionem: & enim sicut res producit durationem, quâ conseruatur: ita similiter producit durationem, quâ pro instanti primæ suæ productionis gaudet: igitur non est, cur vna productio, potius quàm altera concursum causarum in rem conseruatam minuat, aut extenuet.

33. Obiiciunt primò aduersarij, quod aliquæ res magis, aliæ vero minus conseruentur, non potest non refundi in vim intrinsecam se conseruandi rerum ipsarum in aliquibus maiorem, in aliis minorē : ergo res ea virtute pollet, ac proinde ratione illius minori influxu causæ primæ, aut etiam secundæ ad sui conseruationem egent. Antecedens probatur : tum quia aliàs tota rerum duratio in solam Dei voluntarem reuocanda esset: tum etiam, quia aliàs dici posset, productionem vnius ignis verbi gratia ab alio in passo sibi applicato, non in actiuitatem ignis, sed in solam energiam causæ primæ refundi posse : sicut quod rei alicuius productionem talis, tantaque conseruatio infallibiliter sequatur, in influxum solius causæ primæ, non vero in vim sui conseruatiuam rei congenitam reuocatur : vnde tota causarum secundarum vis, & energia de medio tolletur. Tum demum : quia ad appetitum sequitur facultas, & potentia ad id, quod appetitur ; quâ ratione, quia grauia, & leuia centrum naturaliter appetunt, facultas se mouendi in centrum, grauitas nimirum, & leuitas eis à natura ingenerata est : at omnis res conseruationem sui innatè appetit : nulla ergo non habet potentiam, & facultatem ad sui conseruationem. Obiiciunt secundò aduersarij: si Deus solo concursu vniuersali, & indeterminato effectus creatos conseruare non posset, & ad id influxu determinato, & particulari indigeret, sanè habitus vitiosos ea ratione conseruaret. Consequens est absurdum: quia sicut eos primò producere per se nequit, ita & per se illos conseruare non sustinet.

Verùm, hæc momenti non sunt. Primum enim 34.
si quid probat, certè non aliud, quàm res creatas conseruare semetipsas inadæquatè : quod nostræ sententiæ non aduersatur, nec contrariæ quicquam conducit. Secundum autem facilè solui potest concessa sequela: consequens vero non magis absurdum est, quàm quod Deus ad ipsum actum peccati immediatè concurrat : sicut enim hoc ad munus Authoris naturæ pertinet ; ita similiter & conseruare effectus physicos, quamuis noxios, ab iis relictos : nisi fortè quis velit, ipsam voluntatem humanam instar causæ particularis, & determinatæ eos conseruare. Dici, *effectus physicos*, quia effectus morales actuum prauorum, nimirum peccata habitualia Deus nullatenus conseruare potest. An autem Deus habitus illos vitiosos per se primo infundere possit, adeò constans non est: & pars affirmatiua saltem non est improbabilis

TRACTATVS V.

De actione destructiua corporis naturalis.

CAPVT PRIMVM.

An destructione formæ substantialis constituentis corpus naturale, aut cuiusuis alterius prior esse debeat generatio formæ oppositæ?

CENSEO vniuersim loquendo, 1.
generationem vnius formæ, eiusque introductionem non esse priorem, aut posteriorem tempore destructione, aut expulsione alterius, sed vtramque esse simul tempore : quia si generatio, & introductio vnius formæ esset prior tempore destructione, & exclusione alterius, sanè esset subiectum in aliquo instanti cum vtraque forma ; amore verbi gratia & odio ; assensu, & dissensu ; peccato, & gratia forma humana, & cadauerica: quod cum earum formarum incompossibilitate non cohæret : si vero è contrario destructio, ac exclusio vnius formæ esset prior tempore introductione alterius, certè in aliquo instanti esset subiectum sine vtraque forma, materia prima v. g. sine forma humana, aut cadauerica, aliaue quacunque, & aqua sine frigore, aut calore: quod quantum repugnet, quis non videat?

Huic doctrinæ dissentit Lorca in 1. 2. t. 2. d. 4. de gratia ibique docet, in moralibus duas formas incompossibiles, peccatum scilicet, & gratiam in primo instanti reali iustificationis simul esse, & introductionem gratiæ priorem tempore esse, quàm expulsionem peccati : quia introductio gratiæ est prior natura exclusione peccati, eaque nullo modo posterior, eiusve effectus est : igitur introductio

introductio gratiæ in tempore antecedit exclusionem peccati, atque adeo gratia, & peccatum in aliquo instanti sunt simul. Antecedens perspicuum est: consequentia probatur: quia ideo in physicis introductio vnius formæ non est prior tempore exclusione alterius, & neutra forma, calor verbi gratia & frigus in eodem instanti reali componuntur, quia introductio caloris non est solùm prior natura expulsione frigoris, verum etiam ordine naturæ posterior: atque adeo non est, cur sit prior tempore vna respectu alterius, quàm tempore posterior: cum ergo tempore prior, & etiam posterior vna respectu alterius esse non possit, sanè vna simul cum tempore cum alia non esse non poterit. At in moralibus hæc mutua prioritas non reperitur: ergo non est, cur in iis vnius formæ expulsio, & alterius introductio sint simul tempore. Tum etiam gratia in primo instanti pugnat cum peccato: ergo in primo instanti gratia, & peccatum sunt simul: aliàs qua ratione pugnare possent?

3. Verùm, hæc sententia parum probabilis est, primò: quia ex ea sequeretur, aliquem esse simul iustum, & iniustum; peccatorem, & non peccatorem, amicum, & inimicum Dei; contra illud Ioan. epist. 1. cap. 3. ibi: *omnis, qui in eo manet, non peccat; & omnis, qui peccat, non videt eum, nec cognouit eum.* Secundo: quia sicut gratia in primo iustificationis instanti cum peccato pugnat, ita etiam amor cum odio, assensus cum dissensu, & calor cum frigore in primo instanti pugnat: at amor, & odium; assensus, & dissensus; calor, & frigus ob id in eodem instanti reali componi non debent. Tertiò: quia mutua illa prioritas inter introductionem vnius formæ, & expulsionem alterius omnino repugnat: & quamuis possibilis sit, non est, cur in physicis potius, quàm in moralibus adstruenda sit, & quamuis in vnis, & non alteris adstruatur, ad præsens institutum nullatenus deseruire potest: siquidem prioritas naturæ longè diuersæ rationis est à prioritate temporis, nec hæc ex illa rectè deducitur, vt vel ipse aduersarius fateri debet: quippe iuxta cuius principia in physicis introductio vnius formæ est reciproce prior, & posterior natura exclusione alterius, & tamen ea tempore prior, & posterior non est, sed cum ea simul tempore: quantumuis ergo in moralibus introductio gratiæ sit omnino prior natura, & nullo modo posterior natura expulsione peccati, & in hoc ab introductione, & expulsione formarum physicarum differat; non propterea ea prior tempore, & non posterior simulve censenda est: atque adeo gratia simul cum peccato in primo iustificationis instanti cohærere non poterit. Hinc ad argumenta Lorcitana constat, quæ certè ex non animaduersa natura prioritatis, & posterioritatis naturæ proceduntur, vt rectè animaduertit P. Hurtado disput. 8. physicor. sect. 9.

4. Censeo secundo cum plerisque Philosophis, generationem, & introductionem vnius formæ, vniuersim etiam loquendo, destructione, & expulsione alterius priorem natura, siue ratione esse. Primò: quia ideo absolutè vna forma in subiecto esse desinit, quia alia in illud introducitur, & non è conuerso: igitur introductio vnius formæ expulsione alterius natura, & ratione prior est: qua ratione prius natura obiectum est in se quodammodo, quàm sciatur, priusque scitur, quàm amatur: quia ideo obiectum scitur, quia quodammodo est, ideóque amatur, quia scitur, non è conuerso. Secundò: quia aquæ verbi gratia frigiditas naturaliter debetur, ab eáque appetitu innato exposcitur: igitur nequit Deus naturaliter aquam frigiditate spoliare, quin eam qualitate contraria, calore nimirum, affectam præuideat: ergo prius videt Deus calorem in aqua existentem, quàm frigus ab ea destructum: igitur introductio caloris destructione frigoris prior natura est, aliàs cur à Deo prius natura prospiceretur. Tertiò ad hominem contra eos, qui libertatem immediatam cuiuis omissioni denegant, eámque in solo actu positiuo posse esse tuentur: quia omissio odij nequit esse prior natura productione amoris, aut etiam simul natura cum ipsa: igitur ea posterior natura solùm esse poterit: ac proinde cuiusuis alterius formæ expulsio introductione formæ contrariæ posterior erit, & hæc illa prior. Consequentia perspicua est: antecedens probatur: quia si omissio odij productionem amoris antecederet, aut comitaretur, eaque posterior non esset, sanè omissio odij immediatè libera esset, cum nullum principium secum essentialiter connexum præsupponere posset, si quod enim præsupponeret, maximè productionem amoris. Consequens autem ab aduersariis minimè admittitur, nec admittendum est, vt in Metaphysica ostendam. Quartò demum: quia vna forma aliam expellit, vt experientia notum est, nec non paritate vnius corporis aliud à loco expellentis: at si vna forma prout introducta expulsionem alterius non antecederet, eiúsque causa non esset, alteram non expelleret: ergo &c. Minor probatur: quia cum vna forma antecedenter ad introductionem alterius intelligitur expulsa, aut certè concommitanter cum introductione alterius, & independenter ab illa intelligitur expulsa; non est, cur ab alia expelli dicatur: qua ratione si pro priori ad introductionem caloris in aëre, aut certè concomitanter cum illa, & independenter ab illa lux ab aëre expellatur, sanè lux à calore expulsa dici nequibit: igitur vt vna forma ab alia expelli, & hanc illam expellere censeatur, opus est, vt introductio vnius expulsionem alterius naturâ antecedat.

5. Obiicies primò: quoties corpus aliquod motu locali, & ordinem temporis concernente, de loco ad locum, siue de termino *à quo*, ad terminum *ad quem* mouetur, prius tempore recedit ab vno loco, quàm accedit ad alium distantem: similiter ergo, quoties subiectum aliquod motu alterationis verbi gratia ordinem naturæ, & causalitatis concernente, ab vna forma ad aliam, ab vnoque termino ad alium mouetur, prius natura ab vna forma recedit, quàm ad aliam accedat. Obiicies secundo: prius natura, quàm subiectum suscipiat aliquam formam, debet esse proximè expeditum ad eius susceptionem: igitur prius quàm illam suscipiat, debet habere carentiam impedimentorum, siue, quod perinde est, esse non impeditum ad eius susceptionem: cum ergo forma opposita sit impedimentum ad nouæ illius formæ susceptionem, sanè prius natura debet intelligi cum carentia formæ oppositæ, quàm alteram formam de nouo suscipiat.

6. Obiicies tertiò: quando ob impetum, & violentiam irruentis aëris fenestra aperitur, ideo aër ingreditur, quia fenestra aperta est, vt sensu,

& experientia notiſſimum videtur : ergo prius natura vnum corpus locum deſerit, quam aliud illum occupet : ergo ſimiliter prius natura ſubiectum priſtinam formam deſerit, quàm nouam ſuſcipiat. Obiicies quartò : natura per ſe, & velut finem intendit generationem formæ, vtpote quæ naturæ bonum eſt : corruptionem verò formæ incompoſſibilis non propter ſe, aut velut finem intendit, cum malum ſit, ſed proprer aliud, & velut medium ad generationem alterius formæ vtile : at executio medij ordine naturæ prior eſt aſſequutione finis, cum finem niſi per media aſſequi nemo poſſit : igitur deſtructio vnius formæ prior natura eſt generatione alterius. Confirmatur, & declaratur : licèt in intentione diuina ſit prior introductio nouæ formæ, quàm priſtinæ expulſio, & non niſi ex intentione nouæ formæ Deus decreto ſuo efficaci priſtinam expellat, tamen expulſio priſtinæ formæ quaſi in executione, & in facto eſſe debet eſſe prior natura introductione nouæ formæ : ideóque Deus cenſendus eſt, introducere nouam formam, quia ei per expulſionem priſtinæ formæ locum in ſubiecto præparauit : qua ratione, ſi quis Regis aduentum ſperans, è domo habitatores illius eiiceret, vt hoſpitium Regi præpararet, ſanè in eo euentu, quantumuis aduentus Regis, eiúſque in domum hoſpitij cauſa receptio in intentione prior eſſet, quàm aliorum è domo eiectio, tamen in executione, & quaſi in facto eſſe, prior natura eſſet aliorum eiectio, quàm Regis ſuſceptio ; ideóque re ipſa quis Regem in domum ſuſciperet, quia alios eiecit.

7. Obiicies quintò : diſpoſitio vltima ad formam ignis ſuaptè natura immediatè poſtulat tam introductionem formæ ignis, quàm expulſionem formæ ligni : igitur ad exigentiam illius diſpoſitionis pro eodem poſteriori ſigno naturæ & forma ignis introduci, & forma ligni expelli poterit : ac proinde introductio vnius, & expulſio alterius ſimul natura intelligi poterunt, ac debebunt. Conſequentia perſpicua eſt : quia ideo pro ſigno naturæ diſpoſitionem vltimam, calorem vt octo verbi gratia immediatè ſubſequente forma ignis introducitur, quia diſpoſitio vltima eam immediatè poſtulat : cum ergo etiam expulſionem formæ ligni non minus immediatè poſtulet, non erit, cur in eodem naturæ ſigno forma ligni non expellatur ? Antecedens verò probatur : quia diſpoſitio vltima ad formam ignis eſt incompoſſibilis naturaliter cum forma ligni : igitur eius expulſionem immediatè poſtulat, haud ſecus, ac introductionem formæ ignis immediatè poſtulat, quia cum ea naturaliter connexa eſt. Et quidem P. Suarez diſp. 27. Metaphyſ. ſect. 2. num. 21. in ſuſpenſo relinquit, an expulſio formæ vnius, alterius introductionem ſequatur, vel potius comitetur ? ſed earum concomitantiam deſtinatè affirmat. t. 3. de gratia lib. 7. cap. 14. num. 8.

8. Confirmatur, & declaratur : ideo introductio formæ accidentalis, alterius etiam accidentali expulſione, ſeu deſtructione prior eſt ; quia altera à ſubiecto ſibi cognato, eamque exigenti non niſi ob alicuius contrariam exigentiam expelli debet ; nihil autem eſt, quod eam expelli poſtulet, niſi introductio nouæ formæ accidentalis ſibi oppoſitæ : at in formis ſubſtantialibus præter introductionem nouæ formæ aliud eſt, quod priſtinæ formæ expulſionem poſtulet, nimirum expulſio diſpoſitionum accidentalium ſine quibus priſtina forma eſſe, aut conſeruari in ſubiecto nequit : ergo non eſt, cur introductio vnius formæ ſubſtantialis alterius expulſione, ſiue deſtructione natuta prior ſit, ad eiuſve exigentiam fiat. Obiicies denique ſextò Angelicum Præceptorem 1. 2. quæſt. 113. art. 8. ibi : *ex parte Solis prius eſt illuminare, quàm tenebras remouere ; ex parte verò aëris prius purgari tenebris, quàm conſequi lumen ordine naturæ ; licèt vtrumque ſit ſimul tempore* : tum ſic, prius natura, quàm in aërem lux introducatur, tenebræ luci oppoſitæ ab aëre expelluntur : ſimiliter igitur priuſquam quæuis alia forma in ſubiectum introducatur, forma oppoſita à ſubiecto expelli debet.

Ad primum reſpondeo : prioritas temporis longè diuerſæ rationis eſt à prioritate naturæ : quare perperam ab vna ad aliam in præſenti arguitur. Illud tamen negari non poteſt, nec debet, ſicut receſſus ab vno loco eſt prior tempore acceſſu ad alium locum diſtantem, ita ſimiliter receſſum ſubiecti ab vna forma eſſe priorem ratione noſtra acceſſu ad alium ; nimirum ſi hic acceſſus, & receſſus, qui in motu alterationis verbi gratia vſuuenit, accipiatur per ſimilitudinem, & analogiam ad eum acceſſum, & receſſum, qui in motu locali, ſiue latione accidit : ſimilitudo enim, & analogia cum prioritate vera, & reali prioritas quædam rationis eſt. Cæterùm, ſi de prioritate naturæ ſermo ſit, receſſus ab vna forma prior natura non eſt acceſſu ad aliam, vt noſtræ rationes ſuadent. 9.

Ad ſecundum reſpondeo, impedimentum ad formam aliquam introducendam duplex eſſe ; conſequens nimirum, & antecedens : impedimentum conſequens eſt carentia ipſius formæ introducendæ, aut quiduis aliud cum ea formaliter incompoſſibile, qualis eſt forma contraria, aut conſecutiuè cum ea incompoſſibile, vt carentia proprietatum formæ : impedimentum antecedens eſt carentia alicuius prærequiſiti, aut principij neceſſarij ad introductionem formæ, aut quidpiam aliud eiuſcemodi carentiam inferens, qualis eſt carentia approximationis paſſi cum agente, aut poſitiua diſtantia paſſi eam approximationem inferens. Quo poſito : ſubiectum prius natura intelligitur expeditum in actu primo, ſiue, quod perinde eſt, cum carentia cuiuſuis impedimenti antecedentis, quàm forma in illud introducatur : at ante talem introductionem non debet eſſe pro priori naturæ expeditum in actu ſecundo, ſiue cum carentia cuiuſuis impedimenti conſequentis : ſiquidem carentia ipſius formæ eſt impedimentum conſequens introductionis formæ ; & tamen carentia huius impedimenti introductione formæ prior natura non eſt, cum nihil aliud ſit, quàm ipſa forma, ſiue carentia carentiæ formæ : eademque ratione carentia proprietatum animæ, intellectus nimirum & voluntatis eſt impedimentum conſequens productionem animæ, & tamen hoc impedimentum pro priori ad productionem cauſæ auferri non debet : aliàs pro eo priori proprietates animæ produci deberent : cum ergo forma contraria inter impedimenta conſequentia formæ introducendæ connumeranda ſit, ſanè ante introductionem formæ prius natura expelli non debet. 10.

Ad tertium reſponderi communiter ſolet ; apertionem 11.

tionem fenestræ non esse posteriorem natura ingressu aëris, eo quod non fiat ab ingressu aëris, sed ab impetu impresso fenestræ: quare apertionem fenestræ in genere causæ dispositiuæ, & remouentis prohibens erit prior natura ingressu aëris: hoc ordine, vt impetus aëris fenestram verberantis primo loco fiat, secundo apertio fenestræ, tertio ingressus aëris. Verùm mihi cum ingeniosis recentioribus longè magis placet, ingressum aëris esse priorem natura apertione fenestræ, priusque natura aërem occupare fenestræ spatiũ, quàm fenestra illud sui apertione deserat; haud secus, ac prius natura subiectum aliquod nouam formam consequitur, quàm antiquam dimittat. Quod in hunc modum suadeo: quoties vnum corpus impulsu, & motione sui aliud corpus sibi contiguum mouet, atque impellit, prius natura vnum corpus mouet, atque impellit, quàm aliud moueatur, & impellatur: qua ratione prima superficies lapidis in altum proiecti prius mouetur, & impellitur, quàm secunda superficies, &c. & funiculo moto prius natura prima eius pars mouetur, & impellitur, quàm sequentes: nimirum quia prima superficies lapidis à me mota, atque impulsa sequentes mouet, & impellit: & prima funiculi pars mota, & impulsa reliquas suo ordine mouet, & impellit: at aër motu, & impulsione sui fenestram mouet, & impellit: ergo prius natura mouetur, & impellitur, quàm fenestra moueatur, aut impellatur: cum ergo moueri aërem sit antiquum locum deserere, & locum fenestræ de nouo occupare; mouerique fenestram sit idem, ac locum suum deserere, & nouum locum à priori distinctum occupare; sanè prius natura aër locum fenestræ occupabit, quàm fenestra eum deseret: quod si fenestra non impetu irruentis aëris, sed manu vltro eam retrahentis aperiatur, diuerso modo de ea apertione philosophandum est, siquidem primo loco fenestra ab eam recludente impetum accipit, secundo loco aperitur, tertio verò aër in locum fenestræ succedit, & ingreditur, ne vacuum in rerum natura reperiatur.

12. Ad quartum: natura intendit per se, & velut finem primarium generationem, & introductionem nouæ formæ, secus verò corruptionem, & expulsionem formæ pristinæ: cæterum inde non fit, corruptionem, expulsionémque pristinæ formæ velut medium à natura intendi, sed tantùm eam intendi velut finem secundarium ob connexionem, quam cum eius fine primario sibi vendicat. Qua ratione qui intendit immoderatum ciborum esum, ex quo mors necessario sequuturа est, mortem quidem secundario, & virtualiter intendit, non tamen velut medium ad cibos edendos. Ad confirmationem autem quartæ obiectionis dicendum est: aduentus Regis, eiusque in domum susceptio in intentione quidem prior est, quàm aliorum è domo eiectio: at verò in executione, & facto esse natura prior esse non potest: quia vt susceptio Regis in domum hospitum aliorum ab ea expulsione prior natura esset, susceptio, & expulsio eodem instanti reali esse deberent, cum prius, & posterius instans naturæ in eodem instanti temporis necessario sint: at susceptio illa, & expulsio non sunt in eodem instanti reali, sed prius tempore est eiectio aliorum, quàm Principis receptio: igitur hæc illius causa esse nequit, si quoad executionem, & facto esse fermo sit: hæc autem ratio in introductione vnius formæ, & expulsione alterius non militat, cum vtraque in eodem instanti reali sint. Deinde: si vt intuitu, & intentione Regis in hospitium susciendi pro priori naturæ quis alios è domo eiicere decernit efficaciter; sic etiam Deus ex intentione nouæ formæ pro priori naturæ efficaciter decerneret expellere pristinam; eáque doctrina; & paritas vniuersaliter valeret: sanè ex intentione amoris nostri liberi idem Deus pro priori naturæ odium expellere efficaciter statueret, & similiter etiam ex intentione peccati in animam introducendi, pro priori gratiam expellere efficaciter decerneret. Consequens est absurdum: quia alterum horum libertatem odio habendi, aut etiam, si mauis, amandi in nobis euerteret: alterum verò faceret Deum authorem peccati, necnon iniustum eius punitorem; eum nimirum qui ante peccatum eiusque vt futuri scientiam, illud puniret.

Ad quintum respondeo negato antecedenti: 13.
ad eius probationem: dispositio vltima ad formam ignis non est immediatè, & formaliter incompossibilis cum forma ligni, sed tantum media forma ignis, & media expulsione dispositionum ad formam ligni, cùm quibus connectitur, & quas necessaria, & naturali sequela infert. Quare si per impossibile, & supernaturaliter Deus dispositionem vltimam formæ ignis cum forma ligni in eadem materia componeret, miraculum non esset in eo, quod dispositio vltima ad formam ignis cum forma ligni in eodem subiecto simul esset; sed in eo, quod forma ignis simul cum forma ligni esset; aut in eo, quod expulsis dispositionibus ad formam ligni, adhuc ea in materia perseueraret: igitur signum est, dispositionem ad formam ignis solùm media forma ignis, aut expulsione dispositionum ad formam ligni cum hac in eodem subiecto pugnare. Ad confirmationem quinti argumenti dicendum est: dispositio vltima ad formam ignis eius introductionem immediatè postulat: vnde eiusmodi introductio est in secundo signo post illum. Deinde, vltima illa dispositio immediatè etiam postulat expulsionem dispositionum ad formam ligni; vnde ea expulsio est etiam in eodem secundo signo post vltimam dispositionem ad ignem: expulsio autem formæ ligni est in signo sequenti expulsionem dispositionum ligni: ergo est in tertio signo post dispositionem vltimam ad formam ignis: at introductio formæ ignis nequit esse in secundo signo, & expulsio formæ ligni in tertio, quin illa hac prior sit. Quare aduersarij ex eo, quod expulsio dispositionum ad pristinam formam, eiusdem formæ expulsionem postulet, perperam colligunt, introductionem nouæ formæ eam non exigere, eiusque causam non esse; cum potius oppositum colligere possent, & deberent: vt ex calculatione iam iam à nobis facta perspicuum est.

Ad vltimum respondeo: D. Thomas eo loci 14.
tantum intendit, ex parte Solis prius natura esse illuminare inchoatiue, siue, quod perinde est, producere lucem in aëre, quàm tenebras ab aëre perfectè remouere per vnionem lucis cum aëre; quod verissimum est, cum productio terminum naturа antecedat: ex parte verò aëris prius è conuerso esse purgari inchoatiue à tenebris per productionem lucis, quàm perfectè consequi lucem per eius vnionem in facto esse, quod eadem ratione

verum

verum non eſſe nequit. Hanc autem eſſe mentem S. Thomæ ex eo conſtat: quia ſi illuminare aërem, & hunc purgari à tenebris perfectè, & formaliter ſumuntur, idem omnino ſunt: quid enim eſſe poteſt carentia tenebrarum in aëre, quàm lucis introductio: ac proinde alterum altero prius prioritate naturæ, ſiue cauſalitatis eſſe nequit: igitur vt alterum altero natura prius eſſe poſſit, alterum inchoatiuè, & alterum perfectè iam ex parte Solis, iam ex parte aëris ſumi debet. Sciſcitabitur fortaſſe aliquis: an duæ formæ oppoſitæ tales ſint non ſolùm vt vnitæ, verum etiam vt receptæ? Quæſtio hæc in noſtra ſententia non diſtinguente vnionem à receptione formæ locum habere non poteſt: In oppoſita reſpondendum eſt affirmatiuè: ſiquidem vna materia non habet potentiam paſſiuam ad ſuſtentandas, & recipiendas duas formas verbi gratia formam equi, & formam leonis: igitur vna earum vt recepta cum eductione, & receptione alterius incompoſſibilis eſt: ac proinde, vt receptæ opponuntur. Deinde non eſt, cur magis vnio vnius formæ cum vnione alterius, quàm receptio vnius formæ cum alterius rereceptione opponantur: igitur formæ non minus vt receptæ, quàm vt vnitæ opponuntur.

CAPVT II.

An accidentia aliqua corporis naturalis deſtructi, atque corrupti maneant in genito?

15. IDeſt: an in obitu hominis verbi gratia eiuſque in vile cadauer conuerſione fiat reſolutio vſque ad materiam primam; ita vt nihil hominis in cadauere præter ſolam materiam primam ſuperſit? In qua quæſtione partem affirmantem Thomiſtæ, negantem Doctores noſtræ Societatis tuentur: & quidem experientia ipſa noſtris fauere, & aduerſariis aperto Marte refragari videtur. Ecquis enim homini, & cadaueri plura accidétia communia eſſe non cernat? An non ambo in eadem lineamenta coeunt, in eandémque figuram conformantur? An non eadem vtriuſque magnitudo, proceritas eadem? An non in vtróque cunctarum partium idem tenor, ſitus, poſitura, proportio, atque ſymmetria? Certè vtrobique iidem oculorum orbes, anfractus aurium iidem: comarum libertas eadem, eadémque totius vultus imago; haud ſupercilia circulum claudunt, haud obſerantur narium bipatentes valuulæ: haud aliter tempora caput accingunt, faciem genæ circunſtant: humeri ſimiliter progerminant in brachia, hæc porriguntur in manus, has interſecat multiplex digitorum fiſſura; ac demum illa ipſa pedum fulcra, molem, aut erectam ſuſtinent, aut iacentem terminant.

16. Dices: eadem ſpecie accidentia in homine, & cadauere reperiri, non verò eadem numero; & non tam identitatem, quam ſimilitudinem accidentium vtrobique experientiam teſtari. Contra tamen: quia cum materia prima hominis, & cadaueris non ſolùm ſpecie, verum etiam numero eadem ſit, cur quantitas materiæ coæua, eiuſque indiuidua comes eadem non ſit? Deinde: ſi diuerſus numero calor in cadauere, atque in homine reperiatur, ad cuius formæ exigentiam calor ille de nouo in cadauere producitur? non certè ad exigentiam priſtinæ formæ ſubſtantialis quippe, quæ nec ſibi, cum non exiſtat, nec formæ ſuperuenienti, cum hæc contraria ſit, prouidere debet: non ad exigentiam formæ cadauericæ, quæ non calorem, ſed potius oppoſitam frigiditatem poſtulat: non ad exigentiam priſtini caloris, qui potius conſeruationem ſui, quam alterius ſimilis productionem exigere debet. Nihil ergo eſt, quod diuerſum numero calorem in cadauere denuo produci petat: ea igitur diuerſitas ſuſtinenda non eſt. Deinde, ſi in corpore modo humano, modo cadauerico eadem numero accidentia non ſunt, & cum diſtincta ſint; ſimilitudine tamen ſenſus eludunt: qui perſuaderi poterit, eundem numero ſolem heri, & hodie fulgere; eoſdem numero cœlos noctu, & interdiu cieri, eandem numero tellurem hyeme rigere, æſtate floreſcere; idem numero pelagus fluere, & refluere, ſæuire, ac deſæuire, & non potius hæc, & reliqua elementa, mixtaque aliis, aliiſque temporum vicibus alia eſſe, & cuncta ſenſibilia in continuo fluxu eſſe, ac nunquam conſiſtere? ſicuti Heraclitus, & Cratylus ſomniati ſunt.

17. Argumentor ſecundo: in eodem inſtanti, quo producitur ignis, diſpoſitiones omnes ad illum exiſtunt: at eæ magna ex parte in ligno præexiterunt: ergo aliqua accidentia corporis ſubſtantialis corrupti in genito permanent. Minor perſpicua eſt: ſiquidem lignum ante ſuſceptionem formæ ignis cale fit, areſcit, atque diſſoluitur. Maior probatur: quia ſi in inſtanti, quo producitur ignis, diſpoſitiones omnes ad illum præuiæ non exiſtant, cur potius ignis, quàm quoduis aliud ens naturale producitur? Quod enim extiterint, nihil prodeſſe poteſt: tum quia quod extiterit odium in inſtanti antecedenti, non conducit ad tollendum amorem in hoc inſtanti, in quo non exiſtit: ergo quod extiterint eæ diſpoſitiones in inſtanti antecedenti, non conducit ad ponendam formam ſubſtantialem ignis in hoc inſtanti, quo non exiſtunt: tum quia alias diſpoſitiones ad formam ignis, quæ mille annis retro extiterunt, conducere poſſent ad hoc, vt modo vi illarum forma ignis exiſteret.

18. Reſpondent primò Thomiſtæ: quamuis in primo momento productionis ignis diſpoſitiones ad eam præuiæ non exiſtant, tamen materiam iis diſpoſitionibus ſigillatam eo momento exiſtere: quod ſatis, ſupérque eſt. Verum quæ ſigillatio ſit iſthæc, aut quo ſigillo facta ſit, in intelligibile prorſus eſt: aut enim eſt ſola diſpoſitionis præteritio, nihil verò de præſenti; & ſic ad productionem formæ ſubſtantialis cuius vtilitatis eſſe poteſt? aut eſt accidens aliquod à præuiis diſpoſitionibus in materia relictum, vt vices ſuas gerat, & ſic rogo: à quo agente, vel intuitu, & exigentia cuius iſtius modi accidens producatur? Dices à Deo intuitu diſpoſitionum præcedentium: verùm cur ſimiliter à Deo intuitu eiuſmodi diſpoſitionum præcedentium ipſa forma ſubſtantialis immediatè produci nequeat, quin ad ſigillationem illam ignotam, & inintelligibilem recurrere opus ſit.

19. Reſpondent ſecundo alij: diſpoſitiones præuias ad formam ſubſtantialem ignis eo inſtanti, quo non exiſtunt, ſed extitere; ad eius tamen productionem diſponere, & conducere poſſe: haud ſecus ac vbicatio præcedens diſponit, & neceſſaria

ceſſaria eſt ad vbicationem ſequentem, & niſi altera præceſſiſſet, altera ſubſequi non poſſet: aliàs corpus de extremo ad extremum ſine tranſitu per medium deſilire poſſet: & tamen altera earum vbicationum alteri non coëxiſtit, ſed vna poſt aliam motu ſucceſſiuo producitur: & haud ſecus ac duratio *A.* diſponit, & neceſſaria eſt ad durationem *B.* immediatè ſequutam, quin tamen ambæ coëxiſtant, aut poſſint. Contra tamen: quia vna vbicatio, aut duratio ad aliam immediatam non diſponit propriè, & poſitiuè, ſed impropriè, & negatiuè, & non niſi per modum ſolius termini *à quo* & formæ expulſæ ad eam neceſſaria eſt. Quid mirum ergo, ſi coëxiſtere non debeant? terminus enim *à quo* & *ad quem* coëxiſtentiam non poſtulant, ſed potius eius carentiam: at diſpoſitiones formæ ignis ad eam poſitiuè, & propriè diſponunt, ad eamque non per modum ſolius termini *à quo* neceſſariæ ſunt. Quare ſicut cognitio nequit non eſſe in eodem inſtanti, quo ad amorem dirigit, aut apprehenſio non coëxiſtere iudicio, ad quod determinat: ita ſimiliter diſpoſitiones præuiæ nequibunt non exiſtere in eo temporis puncto, quo ad formam ignis diſponunt, Deum que ad eius productionem determinant.

20. Argumentor tertio: calor diſponens lignum ad formam ignis, hac producta, non corrumpitur: igitur aliquod accidẽs corrupti in genito ſuperat. Id probatur: quia producta forma ignis, nullum eſt contrarium eius caloris deſtructionem poſtulans: aliunde verò datur agens, quod illud conſeruare poſſit: cur ergo corrumpi debeat? Prior antecedentis pars perſpicua eſt: quia lignum cum non exiſtat, eius caloris deſtructionem petere, ei ve contrariari nequit; eiuſmodi enim deſtructio ſuæ conſeruationi prodeſſe non poteſt: ignis autem genitus, aut generans calori contrarius eſſe nequit. Poſterior eiuſdem antecedentis pars etiam in aperto eſt: quia in ſententia Thomiſtica mutuam prioritatem admittente ignis genitus eum calorem conſeruare poteſt, quantumuis ab eo in genere cauſæ diſpoſitiuæ procedat. Quod ſi mutua illa prioritas repugnet, vt probabilius eſt, ignis generans eſt agens ſufficiens ad conſeruationem eiuſmodi caloris in primo inſtanti productionis noui ignis: nec video, cur inconueniens, abſurdumve ſit, calorem omnem ignis geniti in primo inſtanti ab alio igne proficiſci, vbi à ſe ipſo pro reliquis proficiſcatur inſtantibus. Enimvero: ſi conſeruatio eius caloris nec in ignem genitum metu mutuæ priotitatis inde ſequuturæ, nec in ignem generantem, aliqua alia de cauſa refundi non poteſt; certè attribui poterit cauſæ primæ: qua ratione calor in mea manu productus, à ſolo Deo abſque actione ignis conſeruatur.

Opponunt primo Thomiſtæ in generatione 21.
corporis naturalis, ac mutatione totius in totum nullum ſenſibile manere: at omne accidens eſt ſenſibile: ergo nullum accidens corrupti in genito remanet. Maiorem ſuadent authoritate Ariſtotelis lib. 1. de generat. cap. 4. ex cuius doctrina eo loci omnes Philoſophi ſic definiunt generationem ſubſtantialem: *eſt mutatio totius in totum nullo ſenſibili manente, vt ſubiecto eodem.* Verùm ſi de accidente ſenſibili ſermo eſſet Ariſtoteli, quorſum diceret: *nullo ſenſibili manente, vt ſubiecto eodem*, & non potius: *nullo ſenſibili manente, vt forma eadem.* Quare ipſi ſermo eo loci fuit non de accidenti vllo, ſed de ſubiecto ſubſtantiali ſenſibili, hoc eſt, cui debeantur determinata accidentia ſenſibilia: huiuſmodi autem ſubiectum non aliud eſt, quàm forma ſubſtantialis: hanc ergo ſolam voluit Philoſophus in genito, & corrupto eandem non remanere. Itaque maior oppoſitionis Thomiſticæ ſub ea generalitate, qua ab ipſis proponitur, falſa quidem eſt, ac prorſus neganda.

Opponunt ſecundo iidem Authores hunc in 22.
modum: accidentia recipiuntur in toto compoſito: ergo corrupto vno compoſito remanere nequeunt in alio, niſi de ſubiecto in ſubiectum migrent: accidentia autem nequeunt migrare de ſubiecto in ſubiectum, vt fert communis paræmia, & vt experientia ipſa teſtatur, ſi quidem calor in mea manu productus, eam deſerere, & in lignum tranſilire non poteſt. Reſpondeo in primis: accidentia non in toto compoſito recipiuntur, ſed quæ formæ proprietates quarto modo ſunt, in ſola materia recipiuntur, vt in Metaphyſica fortaſſis oſtendam. Deinde eſto accidentia in toto compoſito recipiantur, certè quæ in vno præerant, in alio ſupereſſe, & remanere poterunt: tranſitus enim de ſolo ſubiecto adæquato in ſubiectum adæquatum ſolùm repugnat; ſolúmque impoſſibilem naturaliter eſſe experientia teſtatur: at in mutatione totius in totum, accidentia, eſto ſuperſtitia ſint, non migrant de ſubiecto adæquato in ſubiectum adæquatum, ſed de ſubiecto inadæquato in ſubiectum inadæquatum, cum materia prima totius corrupti, totiuſque geniti eadem ſit, & accidentibus in vtroque ſtatu ſubſiſtat. Quarum ſolutionum qui poſteriorem hanc ſequi velit, ſupponere quidem debet, aut abſolutè, aut ad homines compoſitum ſubſtantiale non diſtingui à ſuis partibus.

LIBER

LIBER SEXTVS

DE

Motu multiplici corporis naturalis.

TRACTATVS PRIMVS.

De motu corporis naturalis à minori ad maiorem quantitatem loci, & è contrario: siue de rarefactione & condensatione.

CAPVT PRIMVM.

Nostra ac verior sententia proponitur.

1. MOTVS bifariam accipi potest. Primò latissimè, pro actione, qualiscunque demum sit: cum enim munus actionis sit, rem à non esse ad esse mouere, & transferre; inde est quod actio haud rarò motus appelletur: & hac ratione Deus; quia primum agens est, primus etiam motor solet nominari. Secundò magis stricte, pro actione, & passione simul, & in complexo, vt ita loquar, sumptis; vt motus sit totum id, quo formaliter causa actiua agit, passiuámque mouet, quoque causa passiua patitur, & ab actiua mouetur: atque hoc pacto Aristoteles apud Conimbricenses lib. 2. & 3. phys. q. 2. num. 2. definit motum; *est actus eius, quod agere, & pati potest, quatenus tale est.* De motu igitur hac posteriori ratione sumpto, eiusque variis speciebus agendum nobis in præsenti est.

2. Ac primum de motu rarefactionis, & condensationis: tum autem aliquid rarefit aut condensatur, cum sub iisdem omnino materiæ partibus modo ad exiguum loci spatium contrahitur, modo ad maius extenditur: quapropter solùm id quod corporeum est, & quantitatem habet molis, atque per vbicationem circumscriptiuam partibus loci partes suas coaptat, & accommodat, motum hunc rarefactionis, & condensationis subire potuit. Porrò difficile explicatu est, quatenus eadem omnino materia modo maiori, modo minori spatio loci circunscribi possit, quin aliqua sui parte multiplicem locum adæquatum occupet, aut certè, quin pristini spatij partem aliquam vacuam relinquat, vt ad nouam se se extendat: hic Rhodus, hic saltus.

3. Antiqui omnes Aristotelis sectatores idcirco existimant, corpus aliquod vi rarefactionis ad maius loci spatium, quàm antea extendi, quia quantumlibet exiguum sit, infinitas tamen partes habet: infinitudo autem partium nullí spatio impar est, nulliusque magnitudine aut extensione superari potest: quare infinitas partium materiæ, quæ in angustiis alicuius spatij contracta est, si per rarefactionem se se explicet, multo maius spatium, quàm antea implere, potest. Pari ratione docent, ideo corpus aliquod vi condensationis ad minus spatium, quàm antea redigi, quia infinitas loci, quæ in eius exiguitate latet, cuiuis moli corporeæ par est: ac proinde quamuis numerositatem partium materiæ capere potest. Postquam autem Aristotelis philosophia, Ecclesia quasi ciuitate donata est atque ad explicanda fidei nostræ mysteria præcæteris recepta; non omnes Aristotelici hanc sententiam sequuntur, vt inferius constabit; plerique tamen & nobiliore eam tuentur, præsertim verò Beatus Thomas, & communiter eius discipuli, quibus adde nostros authores fermè omnes, si pauci recentiores excipiantur.

Hinc etiam explicandæ rarefactionis, & condensationis modum ipse amplector, & suppositis principiis Aristotelicis de infinitate partium continui, eam verissimam esse, arbitror. Primò namque infinitæ lineæ à circulo maximo & supremo alicuius corporis sphærici, & globosi per circulum inferiorem, & minorem vsque ad centrum eunt: at in circulo inferiori, & minori non coëunt, nec penetrantur; sed potius absque nulla penetratione ad maiores, quàm antea angustias rediguntur, videlicet quia non minus infinitus est vnus circulus, quàm alter, ac proinde easdem lineas vterque capere potest: ergo similiter eadem materia prima vi condensationis à maiori spatio ad minus absque vlla penetratione cogi, poterit: cum vtrúmque spatium proportionaliter infinitum sit. Pari ratione infinitæ lineæ à centro ad circulum superiorem redeunt, & ab angustiis circuli inferioris ad maiorem extensionem & amplitudinem superioris ascendunt: quidni igitur corpus aliquod vt rarefactionis à minori spatio ad maius spatium occupandum moueri possit? & quemadmodum lineæ illæ à centro ad circumferentiam euntes, atque redeuntes, nec in minori circulo penetrantur, vt aiebamus: nec in maiori circulo eius punctum vllum vacuum relinquunt: sed potius ad quoduis terminantur, & à quouis deducuntur; ita similiter cum corpus aliquod vi condensationis contrahitur, aut vi rarefactionis extenditur, nulla partium loci vacuitas, nulla partium rei penetratio admittenda erit. 4.

Deinde infinitæ lineæ à costa ad costam quadrati 5.

drati per eius diametrum ductæ modò pluribus punctis, modò paucioribus punctis respondent, & commensurantur: pluribus, cum per diametrum pergunt: paucioribus, cum ad alterutram costam terminantur: ac proinde nunc extenduntur, nunc contrahuntur; ita tamen; vt nec diametri, in quo magis extensæ, atque inuicem distantes fiunt, punctum aliquod vacuum relinquant; nec costæ, in qua redduntur magis contractę, punctum aliquod plures simul tangant, in eove penetrentur: ergo similiter cum quoduis corpus infinitas habeat partes, merito illarum modò ad maius spatium, modò ad minus contrahi poterit, quin aliqua inde vacuitas, aut penetratio sequatur. Alia similia mathematica exempla, breuitati consulens, præmitto.

6. Præterea si infiniti homines ab hoc gymnasio versus orientem suo ordine collocentur, infinitum spatium versus orientem tantum occupabunt: at iidem numero homines nullo alio adiecto ratione alterius collocationis occupare poterunt spatium infinitum versus orientem, ac simul versus occidentem, idque, quin in alterutro situ vel duo homines penetrentur; vel spatium aliquod homine illud occupante vacuum sit; vt libro sequenti, cum sermo fuerit de infinitate corporis naturalis, & ratione & authoritate P. Vasq. & aliorum confirmabimus. Pari ergo ratione quoduis corpus merito infinitatis, quam habet, nulla penetratione admissa, nulla vacuitate relicta, modo maius, modo minus spatium occupare poterit, prout modo raresçit, modo condensatur: quemadmodum enim se habent infiniti homines ad spatium infinitum versus maximum, ita se habet quoduis corpus ad spatium infinitum versus minimum: quale quidem est omne spatium, ad quod, vel raritas extendit, vel densitas contrahit. Deinde collectior infinita pœnarum, quas reprobus aliquis passurus est æternùm, modò respondet, vel potius responsura est infinitis instantibus inchoantibus ab instanti *A* incluſiue, in quo ille pœnas suas luere cœpit: quod si mille retro annis luere cœpisset, eademmet collectio pœnarum non solùm his instantibus, quibus modò; sed prætereà instantibus mille annorum respondent, & in eo euentu nullum instans pœnæ vacuũ foret: & modò plures pœnæ in nullo instãti penetrantur, vt in loco, nisi fallimur aperte demonstrabimus: ergo similiter in præsenti &c.

7. Vlterius argumentor ad homines contra aduersarios, quorum plerique infinitum diuiduum esse, censent, & tamen ad explicandam eius raritatem & densitatem, omissa partium infinitate, vel ad acquisitionem vel amissionem quantitatis, vel ad fluxum, refluxúmque corpusculorum, aliaue dogmata recurrunt. Nam iuxta Aristotelis sententiam, quam ipsi admittunt, si aquila, v.g. & testudo eodem tempore continuò moueantur, & nullas morulas texant, motus vtriusque æquales partes determinatas habebunt, cum æquali temporis spatio respondeant: at alter eorum motuum velocior est, & plus loci percurrit quin tamen ob id aliqua pars etiam indeterminata, & proportionali loci motu vacua sit, eove non tangatur; è contra verò alter est tardior, & minus spatij conficit, quin propterea aliquæ eius partes in eodem loco penetrentur, in eove quiescant. Huius autem ratio alia non est, nisi infinitas motus, & spatij: Hinc enim est, vt æquales motus inæqualia spatia absque penetratione aut vacuitate eodem tempore transcurrant. Mirandum igitur non est si vnius libræ cera condensata minus spatium sine penetratione occupet, alterius verò libræ, & non maioris ponderis, aut quantitatis cera rarefacta multo maius spatium loci absque vllis vacuitatibus interiectis occupet, cum partes spatij, & partes ceræ pariter infinitæ sint.

Hoc idem argumentum paulò aliter propono. 8. Aquila, & testudo inæquali tempore æquale tamen spatium loci conficiunt, & quantum spatij aquila vna hora euolat, tantundem testudo vno mẽse v.g. serpit: in hoc autẽ euentu motus vtriusque sunt æquales, cũ partibus loci prorsus æqualibus commensi sint, & tamen alter eorum motuum maiori spatio temporis correspondet, quin tamen vlla particula etiam indeterminata temporis motu vacua sit, cum, vt supponimus, vtrumque mobile continuò moueatur, parique ratione alter eorum motuum minori spatio tẽporis correspõdet, quin tamẽ duæ partes eius motus in eodẽ tẽpore, etiam indeterminato penetrentur: aliàs non motum; sed quietem efficerent: ergo similiter in præsenti, &c. quapropter licèt velocitatem, ac tarditatẽ motus per vacuitates indeterminatas maiores aut minores in ordine ad tẽpus & locum suprà libro tertio exposuerim, idque mihi impræsentiarum etiam placeat, probabile tamen arbitror munere solius infinitatis independẽter ab omni vacuitate etiam indeterminata, ac secundum quid motuum inæqualitatem explicari posse, velut etiam explicatæ manent ibidem.

Vlterius argumentor ex lente conuexa telescopij Belgici, & charta, qua imago cœli, aut al- 9. terius rei per foramen excipiatur; nam lens, seu vitrum conuexum maximi, ac longè latéque diffusi obiecti imaginem adeo distinctè, & afabrè describit in exigua papyro, vt omnium partium figura oculis secernere possis: si frondosa arbor obiiciatur; munere huius dioptræ omnia folia in numerato erunt: si magnus ager; omnes spicas distingues: si quod tegit omnia cœlum; ingentis hemispherij stellæ omnes; colores omnes minimæque particulæ inuicem distinctæ apparebunt. Cum ergo infinitas exiguæ chartæ efficere possit, vt innumeræ prope imagines in ea describantur, & ad breuissimi spatij angustias absque vlla penetratione redigantur; cui ipsæ partes per condensationem à maiori spatio ad aliud valdè angustius impenetratæ cogi nequeant? & cum quodlibet corpus similiter infinitum sit, cur eius exiguitas cuiuis spatio loci par esse nequeat? Postremo argumentor à priori vnum infinitum alio proprie maius, aut minus non est, vt infrà libro 7. declarabo: cum ergo quoduis corpus, & quoduis spatium infinitatem quandam partium habeant, certè proportionem habere poterunt: & exiguitas cuiusuis spatij munere raritatis æquare poterit: & contra exiguitas cuiusuis spatij per densitatem quantæuis magnitudinis corpori suscipiendo par erit. 10.

Quemadmodum autem ex his, quæ de raro & denso disseruimus, alium modum explicandæ inæqualitatis motuum insinuaui; ita ex his, quæ de inæqualitate motuum suprà edocui, alium modum eumque faciliorem explicandæ rarefactionis & condensationis deducere lubet. Dici ergo potest, cum quantitas aliqua rarefit, plures loci partes indeterminatas,

seu inadæquatas ab ea inoccupatas relinqui; & quo plures fuerint, eo corpus magis rarescere: eiusmodi autem vacuitates simpliciter tales non sunt, quia nulla pars spatij assignari potest, in quo aliqua quantitatis particula non sit, tametsi in tota illa non sit: collatóque spatio loci cum quantitate in quauis parte spatij, à Deo visa, est, & non est aliqua quantitatis pars, penes aliud semper, & aliud eius spatij: id quod ex dictis superius de infinitate partium quantitatis, & loci liquet. Pari ratione, cum corpus aliquod condensatur plures partes indeterminatæ & inadæquatæ spatij antea intactæ, & inoccupatæ, denuo tanguntur, & occupantur; quin propterea aliquas partes corporis inuicem penetrari oporteat, vt intuenti constabit.

11. Fateor, totam huius sectionis doctrinam arduam, ac difficilem esse: difficultatem parit infinitas partium continui, quam intellectus noster, cum finitus sit, comprehendere nequit: at sufficiat manifestis argumentis eam à nobis deprehensam esse, vt quæ de raro, & denso edocuimus, velut certa, & indubitata teneantur.

CAPVT II.

Argumenta contraria soluuntur.

12. OPponunt tamen aduersarij primò: si corpus aliquod sextuplo maius spatium occuparet, cum rarescit, ob solam infinitatem partium, quæ quoduis spatium occupare possit; sequeretur, aquę guttulam in tantum rarefieri posse, vt totos Oceani sinus impleret, & vsque adeò extendi posse, vt in ea tempestates cieri, prælia committi, longè nauigationes institui, ac magnæ insulæ emergere possent: consequens autē nimis ridiculum videtur.

Respondeo tamen, diuina virtute id fieri posse, quod ex nostra sententia infertur. Ita omnes ferme antiqui philosophi non solùm Aristotelicæ disciplinæ; sed & aliarum sectatores. Vnius Chrysippi verba sufficiant: *Cyathus*, inquit, *aut etiam gutta vini, quæ mare Aegeum incidisset, potest hactenus extendi, vt totum mediterraneum vsque ad Oceanum, nec tantum secundum superficiem; sed etiam totam quaquaversus profunditatem posset penetrare.* Ita etiam Augustinus in dialogo 65. quæstionum quæstione 27. ibi. *Videmus*, inquit, *quotidie aquam tenuatam in vaporem tolli ad superiores partes aëris, quæ si magis etiam, magisque tenuaretur, celsiora quoque loca peteret: Cum igitur philosophi doceant, omne corpus in infinitum rarescere, ac diuidi posse, etiam poterit in infinitum fieri leuius, & ad quamcunque locorum sublimitatē subsolli:* quę verba nostro instituto facilè accomodari poterūt, si pro maiori leuitate maior extensio substituatur. Cæterum naturaliter fieri non posse, vt aliquod corpus per rarefactionem in infinitum extendatur, experientia constat: videmus enim quotidie, cùm nimis rarescit, & extenditur, naturaliter, perire & in vaporem, & mox in aërem euanescere: id quod tradit etiam Beatus Thomas 1. p. q. 68. art. 2. in hæc verba, *quod dicunt de rarefactione corporis in infinitum propter hoc quod corpus est in infinitum diuisibile, vanum est: non enim corpus naturale in infinitum diuiditur aut rarefit; sed vsque ad certum terminum.* Pende voculam *naturale*: quasi corpus in solo statu sibi naturali, non verò in præternaturali infinitæ rarefactionis, & condensationis incapax sit iuxta Angelicum Præceptorem.

13. Arguunt aduersarij secundò: si partes quantitatis, aut materiæ essent finitæ, non possent absque vacuitate, aut expenetratione ad maius spatium extendi, aut absque alicuius vacuitatis interceptione aut vera penetratione ad minus spatium contrahi: ergo tametsi infinitæ sint, id ipsum dicendum erit; quid enim refert infinitas ad illud explicandum? Verùm in primis si linea diametralis punctis finitis constaret, iisdemque etiam linea costæ coalescceret, altera maius spatium quàm altera non occuparet, nec vna longior, quàm alia esset: at secus accidit eo ipso, quod partibus infinitis constent. Pari ratione circulus superior inferiori maior non est, si vterque punctis finitis constaret: cum tamen admissa infinitate partium vtriusque inæqualitas rectè explicetur: multum igitur inter finitum, & infinitum intereſt, quod ad præsens attinet. Ratio à priori est: quia vnum infinitum alio maius, alióque minus propriè esse nequit: cùm tamen vna magnitudo finita, alia etiam finita maior aut minor esse possit.

14. Arguunt tertiò: totum corpus rarefactum maius spatium, quàm antea occupat: ergo seorsim à vacuitatibus aut expenetratione aliquæ eius partes secundum idem sui plus spatij, quàm antea occupant: hoc autem quid aliud est, quàm extensionem virtualem propriam rerum spiritualium ad res corporeas transferre? contra quam in præsenti euenire posse, suppoſuimus. Respondeo in primis per multiplicem instantiam: nam tota collectio creaturarum possibilium est immediata Deo: neutiquam tamen aliqua eius collectionis pars ita immediata ei est. Rursus tota collectio pœnarum alicuius reprobi semper duratura est: at nulla eius collectionis pars semper duratura est; sed potius quæuis aliquando est præteritura: ergo similiter in præsenti, &c. Prętera ex eo quod totum corpus rarefactum maius spatium, quàm antea occupet, transeat, sequi, quamuis eius partem vi raritatis ad maius spatius extendi: at vnde colligitur ab aduersariis, quamlibet corporis partem indiuisibiliter sumptam & penes idem sui, maius, quàm antea spatium occupare, sicut ad extensionem virtualem oporteret?

15. Arguunt quartò: eo ipso quod corpus aliquod vi rarefactionis occupet maius spatium, quàm antea, idque quin partes eius inuicem expenetrentur, aut inani aliquo interstitio altrinsecus distent, non poterunt vbicationes talium partium non esse maiores, ideſt virtualiter magis extensæ, aut certè plures quam ante rarefactionem erant: neutrum autem sustineri potest. Non secundum; quia vbicationes quæ ante tot erant, quot partes; postea plures sunt quàm partes: igitur alicui parti duplex, aut triplex, aut quadruplex vbicatio correspondet: ac proinde eiusmodi pars in multiplici loco adæquato existet, ac virtualiter extendetur more rei spiritualis. Non etiam primum, quia, si cuiusuis partis vbicatio maior, seu virtualiter magis extensa redditur: ergo etiam ipsamet pas ad plures locos adæquatos virtualiter extendetur: ac proinde in idē incōueniens relabimur.

Respondeo: vbicationes partium non sunt plures simpliciter, & propriè post rarefactionē, quàm ante illā erāt: videlicet quia in nullo infinito, facta cōparatione illius ad aliud, aut ad semetipsū denuo auctum,

auctum, aut diminutum poteſt reperiri plus, aut minus ſi propriè loqui velimus. Deinde vbicationes partium non fiunt maiores, ſeu virtualiter magis extenſæ: cæterum quin maiores aut plures ſint, eo quod infinitæ ſint, poterunt reſpicere maius quodammodo ſpatium, atque in eo corpus rarefactum collocare, vt conuincunt illa argumenta, quibus capitè præcedenti vſus ſum: atque vt aliis inſtantiis, quæ inde peti poſſunt, breuitatis cauſa, ſuperſedeam: collectio pœnarum alicuius reprobi ab inſtanti *A* reliquis totius æternitatis reſponſura eſt, & eademmet collectio pœnarum nulla addita, ſi mille annis ante inciperet, totam etiam æternitatem æquaret, ac proinde pluribus quodammodo inſtantibus, quàm modo reſponderet: vel ergo durationes pœnarum eſſent plures in eo euentu, vel maiores: & quod aduerſarij huic argumento reſpondebunt, id ſibi dictum putent.

18. Arguunt quintò: aſſignata quauis parte corporis rarefacti idem eius ſecundum idem in eodem loco eſt: aliàs, ſi in multis eſſet locis, iam extenſio virtualis ſpirituum propria ad res corporeas transferretur: ergo totum corpus rarefactum eſt in eodem loco, quo antea: ac proinde ad maius ſpatium extendi nequibit, ſi Ariſtotelis principia ſuſtineantur. Hoc argumentum eadem doctrina ſolui & iiſdem inſtantiis premi poteſt, quibus ſuprà in ſolutione tertij argumẽti vſus ſum: quemadmodum enim ibi à toto ad partes; ita hic à partibus ad totum arguitur. Arguunt ſexto: ſi continuum ex punctis infinitis virtualiter inextenſis coaleſceret, non poſſet vi rarefactionis ad maius loci ſpatium extendi, aut vi condenſationis ad minus cogi, quin aliqua puncta duplicem locum occuparent: aut certè quin aliquo vacuo interſtitio inter ſe differrent; idem ergo dicendum eſt de continuo, tametſi partibus proportionalibus infinitis conſtaret, cæterùm antecedens argumenti falſum eſt, & ab aduerſariis non probatur.

19. Hæc ſunt argumenta, quibus prior explicandæ raritatis, ac denſitatis modus ſuprà traditus impugnari ſolet: quæ autem argumenta poſteriorem eius explicandæ modum impugnant, omnia id vnum contendunt, nullas vacuitates indeterminatas in ordine ad tempus, & locum admitti poſſe. Quocirca inſimili propoſita, ac ſoluta ſunt ſuperius lib. 3. cum contactum indeterminatum partium continui, & inæqualitatem motuum expoſuimus, ac defendimus. In fine capitis animaduertendum duxi, licèt magis communiter inter philoſophos collocatio illa partium, per quam res à maiori ſpatio ad minus aut à minori ad maius extenditur, aut contrahitur, raritas, ac denſitas appellari ſoleat, cæterùm qualitatem ipſam, quæ eiuſmodi ſitum partium poſtulat, raritatem, ac denſitatem haud raro nuncupari, vt eruditè probant noſtri Conimbricenſes lib. 1. de generat. & corrupt. quæſt. 17. cap. 5. art. 1. Crediderim autem eam non eſſe qualitatem aliquam indiuiſibilem; ſed potius quandam temperiem, & commixtionem primarum qualitatum, cui etiam adiungi poterit peculiaris natura atque conditio ipſius corporis quod dilatationem, aut contractionem ſubit.

CAPVT III.

Aduerſariorum ſententiæ referuntur, & reiiciuntur.

20. OCcamus opuſculo de Euchariſtia & in quartum ſententiarum. Gabriel in canone lectione 45. aliique Nominales, Valleſius etiam 40. phyſicorum textu 84. & in controuerſia ad tyrones q. 27. Item Arriaga diſp. 16. phyſic ſect. 10. ſubſect. 2. & Ouiedo de gen. contr. 7. punct. 5. in ea ſententia ſunt, vt exiſtiment, corpus aliud rarefieri, nil aliud eſſe quam corpuſcula aliqua ſubtilia intra eius poros vt caloris, & aliarum qualitatum ſenſim intromitti? parique ratione corpus illud condenſari eorundem corpuſculorum emiſſione. Cogita ſpongiam liquoris alicuius copiam nunc exugere, & ebibere; nunc verò manu compreſſam euomere: aut folles auram alternatim accipere, & reddere: aut guttulas aquæ aëre concepto intumeſcere, eoque euaneſcente deſidere: & rudem huius philoſophiæ imaginem habebit.

21. Verùm in primis, aut corpus rareſcit per corpuſcula aliqua eiuſdem ſecum rationis, aut diuerſæ: neutrum ſuſtineri poteſt ergo non primum: quia cera v.g. rarefit in abſentia alterius ceræ: vnde ergo corpuſcula cerea, & eiuſdem ſecum rationis accipit? Deinde, ſi cera per corpuſcula cerea, & eiuſdem ſecum rationis rareficiet, iam talis motus non rarefactio, ſed augmentatio ſubſtantialis eſſet, & vi illius plus ceræ quam antea exiſteret; quod tamen philoſophiæ apertè repugnat. Secundum etiam dici nequit: quia forma ignis, vt introducatur in materiam aëris, poſtulat raritatem in aëre, vt præuiam diſpoſitionem: at non poſtulat in aëre corpuſcula diuerſæ rationis aliqua forma ſubſtantiali prædita; aliàs iam vna forma ſubſtantialis foret diſpoſitio ad aliam, ad eamque in eodem mixto pro eodem inſtanti reali ſemper præcederet: conſequens autem falſum eſt: quia, tametſi intra cauitates materiæ aëreæ nulla ſint corpuſcula ſubſtantialiter diuerſa, cur forma ignis in eam materiam imprimi nequeat; multóque facilius quam ſi ea corpuſcula adeſſent. Deinde quia aliàs ſequeretur, nullum eſſe in toto vniuerſo corpus purum, & ſincerum; excepto corpore denſiſſimo: cum reliqua omnia gradum aliquem raritatis obtineant, ac proinde corpuſculis extraneis referta ſint: at quis credat ne modiciſſimam puræ aquæ ſtillam in toto liquentis elementi fundo eſſe, aut vnicum ſaltem ſinceri aëris flamen in triplicis regionis immenſitate neutiquam reperiri poſſe, aut ignem elementorum omnium puriſſimum, & defæcatiſſimum nunquam tamen purum, ac defæcatum eſſe? & quidem ignis, præſertim in ſua ſphæra, eiuſmodi corpuſcula combureret, ac ſibi ſubſtantialiter conformia redderet, & tamen ibi rarus eſt: igitur raritas in corpuſcula diuerſæ rationis refundi nequit.

22. Impugnatur ſecundo ea ſententia: quia vas æneum aquę plenũ & vndequaque operculatum, & clauſum illico frangitur, ſi aqua, quam cõtinet, condenſetur, & in gelu conuertatur: non alia ratione niſi ne locus ab aqua congelata relictus corpore omnino vacuus ſit; contra quam rerum natura poſtulat: at hæc ratio nulla eſſet, ſi condenſatio

satio fieret per effusionem corpusculorum : siquidem locus ab aqua congelata in vase relictus à corpusculis emissis repleri posset : cur ergo vas frangi debet, ad hoc vt aër forinsecus ambiens vacui euitandi causa intus irrumpat. Respondent primo aduersarij, vas ad vitandum vacuum in rerum natura minimè disrumpi ; sed solùm præ nimio frigore, aliarúmque qualitatum intemperie. Cuius signum aiunt esse : quia vas interdum non opertum, aqua tamen, quam continet, congelata, frangitur. Contra tamen : quia experientia constat, sæpius frangi vas aqua congelata plenum, cum eius orificium occlusum, quam quando apertum est : ergo vas in aliquo euentu frangitur occluso orificio, in quo omnis fracturæ expers esset, si eius orificium non esset occlusum: at in eo euentu non frangitur vas ob intemperiem frigoris, quæ eadem proculdubio est, siue vas opertum, siue apertum sit : ergo tunc solius vacui vitandi causa frangitur.

23. Respondent secundo, vacui periculum non posse esse causam ob quam vas aqua intus inclusa in gelu conuersa disrumpatur : nam si vas illud oleo, aut butyro impleatur, esto hi liquores congelentur, non propterea disrumpitur : at si vacui euitandi causa disrumpi posset ; in hoc etiam euentu disrumpi deberent : cum etiam hi liquores congelati vacuitatem aliquam in vase relinquant. Rursus aqua in vase non tota simul gelascit ; sed prius penes supremam, & extimam eius superficiem, ac tenuissimam quandam crustram, mox verò penes aliam, aliámque : vas autem non frangitur quoad aqua se tota congeletur : quod si vacui euitandi causa frangeretur facta minima congelatione, fractio vasis illico sequeretur ; cum rerum natura nec maximum, nec minimum vacuum permittat.

24. Hæ obiectiones, quamuis speciem aliquam probabilitatis præseferant, nihil tamen probant. Ad primam dici potest, id circo, cum oleum, aut butyrum vase clausum gelascit, vas non disrumpi ad vitandum vacuum, quia oleum spongiosum valde est, ac plurimum aëris intra se habet ; quare cum condensatur, eiusmodi aër rarefit, & occupat spatium, quod densities olei euacuat, quin aëris externi ingressu, aut ruptura vasis opus sit. Cæterùm aqua vase clausa adeo porosa non est, parumque aëris in se habet ; vnde vt locus quem relinquit vacuus non sit, necesse est vt vas disrumpatur, & externo aëri aditus pateat. Quod autem hinc sequitur, corpora præsertim viscosa corpusculis aëriis fœta esse, & quoties rarescunt ea interdum emittere, à me minimè negatur, & bullulis in superficie aquæ passim tumentibus manifeste conuinci videtur : illud tantum contendo, nec omnia corpota hisce atomis plena esse, nec per eorum receptionem & omissionem solam explicari rarefactionem eorum corporum, in quibus reperiuntur. Hinc ad secundam obiectionem dici potest, cum aqua vase concluса gelascit, sursum euocari aërem in poris aquæ latentem, & quo magis gelascit aqua, eo plus aëris ascendere. Cum autem totus aër aquæ immixtus ab ea separatur crescente gelu, magis rarescit, vt vacuum impediat : vbi autem ad summũ raritatis gradũ sibi naturaliter possibilẽ reducitur, & aqua vel tota, vel ferme tota concrescit, tũc necesse est vas frãgi, vt aër extrinsecus vacuũ impleat, cui aër intus inclusus iam par esse nequit.

Duobus argumentis præteritis ab expertentia, & ratione desumptis aliam experientiam, & rationenem adiungo, & propositam sententiam tertio, & quartò tandem impugno : nam in primis experimur quotidie in cucurbitula, vulgo ventosa, eo ipso quod ignis in stupa conceptus extinguatur, & in aërem condensetur illico carnem ægrotantis sursum attrahi ; nimirum ad implendum vacuum ab igne relictum : quod si ignis per emissionem corpusculorum in aërem condensetur, haud quaquam esset necesse, carnem in tumescere, & sursum eleuari, ne daretur vacuum quod corpusculis emissis satis, supérque vitari posset. Ratio verò ita se habet : cum corpus aliquod vniformiter, & versus omnes suas partes rarescit, non poterit iuxta hanc sententiam non dissolui, & vt chymici loquuntur, calcinari, quoad omnes omnino eius partes, & vsque ad vltimas eius atomos, & puncta : siquidem cum rarescit versus omnes partes, aliqua corpuscula recipit : ergo vt ea recipiat quaqua versus dehiscit, & aperitur ; omnesque eius compages, siue vniones continuatiuæ soluuntur : consequens autem non solùm rationi ; verum etiam sensui repugnat. 25.

Quapropter alij per inanitatulas quasdam, ac vacuitates perexiguas rem explicant ; in carúmque multitudiné aut paucitatem corporum omnium rarefactionem, & condensationem referunt, ita Leucippus, & Democrius, & communiter veteres Epicurei, qui ob id apud Aristotelem lib. 1. de cœlo cap. 7. docent, vniuersum non esse continuum, sed corpora vacuo interiecto distincta. Huc spectant Lucretij insignis Epicurei versus lib. 1. de rerum natura. 26.

Atque hi si faciant admistum rebus inane,
Densari poterunt ignes, rarique relinqui:
Sed quia multa sibi cernunt contraria multi.
Et fugitant in rebus inane relinquere purum:
Arduа dum metuunt, amittunt vera viai.
Nec rursus cernunt exempto rebus inani.
Omnia densari.

Quæ sic explicat Lambinus. Hoc enim significat Lucretius. *Atque hi si faciant, ideſt si ponant, & statuant, inane rebus admistum esse, procederet eis ex animi sententia, quod volunt, & possent ignes nunc densari, nunc rarefieri : nunc autem cum densationem, & rarefactionem fingant sine inani, longè aberrant à vero. nam, vt nihil rarum esse potest sine inani : ita nihil densari, quod careat inani.* Ita etiam Adrianus Turnebus libro de calore in hæc verba : *Nec enim summa rerum ita conferta est, vt non crebræ inanitates interiectæ sint : id declarat aër, qui modo laxus, & remissus est : modo spissus, & contractus : eius enim laxitas, & raritas quid aliud est, obsecro, quam foraminum compressio, vt minutior sint quam prius : alioqui, cum se laxat aër, ecquid tandem corpus vacua eius spatia complet ; cum se densat, nonne in eadem resident ?* Ita etiam Caimanus in hæc verba : *Densari & coire aqua nulla alia ratione potest, præterquam quod aërem per atomos sibi intermixtũ in alias impellat partes, vnde spuma sit, vel in atomos vacui sibi intermixtos interim resideat, quos dilatata & rarior facta mox aperiat.* quibus verbis huic & præcedenti sententiæ fauet. Ita demum nonnulli Recentiores, quos supressis nominibus citat Arriaga disp. 16. physic sect. 11. 27.

Verùm inanitates has inanissimas esse, & ad explicandum raritatem & densitatem parum, 28.

aut

aut nihil conferre, in hunc modum oſtendo. Puluis pyrius cum in flammam accenditur centies vicies quinquies millies maius ſpatium quàm antea, occupat; vt Snelius inſignis mathematicus expertum ſe eſſe teſtatur: ergo neceſſe eſt, vt puſillæ illæ inanitates, quibus granulus puluerís tormenta rij foraminatur, ruptis parietibus in magnas lacunas coëant, vaſtoſque hiatus dehiſcant: at quamuis natura inanitatulas quaſdam imperceptibiles non refugiat, idque vltro largiamur aduerſariis: cæterùm naturaliter fieri nequit, vt magnæ vacuitates, quæque longè latéque pateant, vniuerſi continuitatem abrumpant.

28. Rurſus impugnatur ſecundo hæc ſententia. Ideo nequit dari vacuum in rebus, ne cœlorum influxus, qui per vacuum traiici nequit in hæc ſublunaria, impediatur: at multo magis impeditur influxus cœlorum per innumeras, ac propè infinitas vacuitates exiguas, quibus totus Oceanus ab eius ſuperficie, vſque ad eius fundum intermixtus eſt, quàm per vacuum grandiuſculum vnius palmi verbi gratia: ergo magis repugnant crebræ illæ & exiguæ vacuitates, quàm vacuum vnius palmi: cum ergo hoc naturaliter impoſſibile ſit, vt ipſi aduerſarij fatentur, certè illæ naturaliter impoſſibiles erunt.

29. Tertiò tandem impugnatur hæc ſententia: quia ſi tabula plana aquæ ſupernatans ſurſum eleuetur, idque non ſucceſſiue, & prius hinc quam illinc; ſed ſimul quoad omnes ſuas partes, aqua cogetur etiam ſurſum aſcendere ne detur vacuum per breuiſſimum etiam tempus, illud videlicet, quo tardat aër inter tabulam, & aquam penetrare, atque in vtriuſque confinio ſe collocare: at per minutiſſimas illas vacuitates multo magis impeditur cœlorum influxus, quàm per vacuum, quod aqua non aſcendente breuiſſimo tempore duraret: ergo ſicut hoc vacuum naturaliter repugnat, ita etiam à fortiori exiguæ illæ vacuitates naturaliter repugnabunt.

CAPVT IV.

Reliquæ aduerſariorum ſententiæ cõfutantur.

30. TErtia aliorum opinio eſt, corpus additione quantitatis rarefieri, eiuſque diminutione condenſari, ita Caietanus 3.p.q.77. art.5. Scotus in 4.diſtinct.12.q.4. Marſilius in quartum q.9. art.2. aliique plures. Qui tamen ex dictis facili negotio impugnari poſſunt: nam præterquam quod falsò ſupponũt, quantitatem à re quanta diſtingui, materia prima eſt in eodem loco, in quo eſt quantitas, cui ſubeſt; ſi cui demum ſubeſt: ergo, cum quantitas per rarefactionem creſcit, materia eſt in maiori loco quam antea, & in minori, cum quantitas per condenſationem minuitur: neceſſe igitur erit, vt in his euentis, vel vacuitates aliquæ aperiantur, aut obſtruantur; vel partes aliquæ materiæ penetrentur; aut quæ penetrata erant, expenetrentur: conſequens autem eſt abſurdum. Quod ſi propterea hi authores materiam ratione ſuæ infinitatis abſque vllis vacuitatibus, aut penetratione, vel expenetratione cenſeant ad maius ſpatium extendi poſſe, cum rareſcit, modo verò ad minus contrahi, cùm denſatur, idipſum de quantitate dicere poſſunt, ac debent, cum partes proportionaliter infinitas non minus, quam materia ſortiatur: abſque eius igitur incremento aut decremento rarefactio, & condenſatio explicari poterunt. Parco aliis huius ſententiæ impugnationibus, quibus abundant Pater Hurtadus de generat. & corrupt. d.4. ſect.2. & Conimbricenſes c.5.q.17. ac nouiſſimè Compton. diſp.11. ſect.1.

31. Alij quartò exiſtimant, puncta materiæ per rarefactionem virtualiter magis extendi, atque in pluribus locis replicari; per condenſationem verò ſingulorum punctorum præſentias carpi, & minui. Ita nonnulli, quos tacitis nominibus referunt Hurtadus diſp.4. de generat. & corrupt. ſect.3. §. 25. & Arriaga diſp.15. phyſic. ſect.9. impugnantur tamen primò: quia quàm abſurdum ſit, continuum ex punctis virtualiter extenſis componi, in loco ſatis à nobis probatum manet. Rurſus eo ipſo quod res aliqua rarefiat, eius actio relangueſcit, ac debilior fit; nec tam intenſa quam antea; ſed potius magis remiſſa euadit: at ſi rarefieret per extenſionem virtualem ad maius ſpatium, ſeu per eiuſdem ſecundum idem in diuerſis locis replicationem, non eſſet cui raritatem agentis eius in agendo remiſſio & debilitas ſequeretur: ergo &c. Maior experimento conſpicua eſt: ſiquidem ignis, quo rarior eſt, eo minus erit, vt in lapide ignito, & ignita ſtupa, vel lana diſcernere eſt. Deinde quo rarior eſt ignis eo minus lucet: quo fit, vt in ſua ſphæra, vbi ſummam habet raritatem, nobis conſpicuus non ſit, qui tamen ſtellas & cometas conſpicimus. Colores etiam à corporibus promanantes per rarefactionem diſtinguntur vt videre eſt in gelu, cum in aquam ſoluitur; aut in cera, cum præ calore liqueſcit. Minor autem argumenti non minus manifeſta eſt: quis enim ſibi perſuadeat, Angelum, ſi magis virtualiter ſe ſe extendat, & à medio huius gymnaſij ſpatio ad totum gymnaſium præſentiam ſuam dilatet, hoc ipſo eum minus acute & perſpicaciter quam antea intellecturum, minus intenſe voliturum, aliaſve functiones ad extra aut ad intra minori perfectione obiturum? quis etiam neget, hominem hic, & Romæ collocatum vtrobique pari velocitate currere, pari acumine videre, tam bona nutritione ali, tam perfectos voluntatis, ac intellectus actus exercere poſſe: niſi aut ipſe nolit, aut extrinſecus per accidens impediatur.

32. Quinta aliorum ſententia eſt, condenſationem non ſine penetratione, & rarefactionem non ſine expenetratione contingere poſſe: ita Stapulenſis, & alij non pauci: hæc tamen ſententia bifariam explicari ſolet: aliqui nãque eius aſſertores quaſdã materiæ partes adæquate penetrari, & expenetrari cenſent. Alij verò partes materiæ virtualiter extẽſas eſſe, ac proinde inadequate tantũ eas penetrari, aut expenetrari poſſe exiſtimant. Verũ quod adæquata penetratio partiũ materię naturaliter repugnet, & in metaphyſica à nobis oſtẽdetur, cũ de conditionibus entis ſpiritualis egerimus: & modo vno, vel altero experimẽto breuiter demõſtratur.

33. Siquidem Ariſtoteles l.1. de mundo c.4 ita terræ motum explicat. *Cum flatus aduena introrſus in terræ caua irrumpens, deinde exitu omni excluſus intus ſe ſe verſando ingenti vi terram quatitat, nequicquam exitum inde quæritans; tunc fit naturâ facinus, quod vocamus terræ motum:* quibus verbis aperte ſentit Ariſtoteles terræ motum fieri vi ventis terrarum foraminibus incluſi, & exitum violenter quærentis. Vnde ſic argumentor: ſi eſſet poſſibilis adæquata corporum penetratio

vnum per alterius locum tranſgredi alio non expulſo poſſet: ac proinde ſubterraneus aër clauſtri impatiens eas turbas non faceret, taleſque tumultus minimè excitaret.

35. Rurſus interdum tonitrum cœlum omne remugit, eo quod ſpiratio calida & ſicca in compactæ nubis cauitate incluſa ad libertatem exire nititur, & renitentis ſibi nubis latera pulſat, atque repulſat. Hanc Ariſtotelicorum omnium ſententiam ex eorum mente ita proponit Seneca lib. 2. naturalium quæſtionum cap. 27. *Cum ſpiritum intra ſe clauſere nubes, in concauis partibus earum volutatus aër ſimilem agit mugitibus ſonum: raucum, & æqualem, & continuum: itaque etiam vbi illa regio humida eſt, exitum claudit.* Vnde etiam ſic argumentor. Si corpus aliquod quantauis ſubtilitate præditum cum alio adæquatè penetrari poſſet: certè per illud abſque vlla renitentia tranſire poſſet, atque adeo nulla eſſent fracto diſploſa tonitrua cœlo, nulla ſuperna murmura, nulli ætherei fragores; ſed ſpiritus illi nubium repagulis incluſi, & quaſi carcerati ſilenter exirent, & facili, ac pacata libertate potirentur. Nec verò his experimentis reſponderi poteſt, exiguas quaſdam & impenetrabiles materiæ particulas, non verò tota corpora adæquatè penetrari poſſe: nam cum ſtagnum aliquod totum condenſatur, & ad duplo maius ſpatium reducitur: dimidia pars aquæ ſtagnantis eundem cum altera dimidia locum occupat: iam ergo naturaliter tota corpora penetrantur.

36. Inadæquata autem penetratio partium materiæ impugnatur: tum quia extentio virtualis, in qua fundatur, omnino repugnat: tum etiam quia res ſpirituales duo v.g. Angeli non ſolùm inadæquate, verùm etiam adæquate penetrabiles ſunt: ergo etiam partes corporis tam adæquate quàm inadæquate impenetrabiles erunt: id, quod experimento nuper poſita ſatis etiam oſtendunt: facilius enim eſſet, aërem in terræ cauernis clauſum per inadæquatam penetrationem contrahi, ſi ea poſſibilis foret, quam violenta eruptione maria, ac terras miſcere, & naturæ tot vulnera inferre: quod ſi aër ſubterraneus vlterius contrahi nequit, cur per penetrationem illam inadæquatam tellus ſaltem & aqua, per quas meat, amplius non contrahuntur? cur, ſicut corpora grauia præter propriam inclinationem ſurſum euolant, & leuia deorſum feruntur, vt naturæ conſulant, & vniuerſali bono proſpiciant; cur inquam eodem fine cauernæ, ac latebræ terrarum non extenduntur per inadæquatam penetrationem, vt ſpiritum intus rareſcentem capiant, quantumlibet eiuſmodi penetratio corporum corporibus ipſis, ſpectata peculiari eorum inclinatione, violenta, ac præternaturalis eſſe cenſeatur?

37. Tandem alij cenſent, raritatem corporis conſiſtere in eius liquiditate, ſiue quod perinde eſt in vnione partium, quam facilè ſolubilem ac redibilem appellant: contra verò corporis denſitatem ſitam eſſe in eius ſoliditate ſeu duritie, & compactione; hoc eſt, in vnione partium, quæ facilè perire, ac facilè etiam redire nequeat: quamuis autem corpus, cum rarefit, aliquando ad maiorem locum extendatur, id tamen non ſemper euenire: & cum euenit, per accidens ad raritatem ſe habere. Impugnantur tamen primò: quia nihil inter philoſophos magis ſolemne eſt, quam corpus rarum eo ipſo ad maiorem locum extendi, ac denſum eo ipſo ad minorem contrahi: ita Ariſtoteles, quem reliqui ſequuntur, in cap. de qualitate textu 4. ibi: *etenim denſum quidem ex eo quidpiam eſt, quia partes ipſius ſibi ipſæ propinquæ ſunt: rarum autem, quia ſeſe diſtant.*

38. Rurſus: quemadmodum Angelus ſumma ſubtilitate præditus ſpatium huius gymnaſij, aut aliud maius occupare poteſt, quin vlla vi etiam ſupernaturali diuidi poſſit; cur etiam aliquod corpus tenuiſſimum, ſubtiliſſimum, ac proinde rariſſimum, à Deo produci nequeat, quod ſaltem naturaliter diſcontinuari non poſſit? ergo iam raritas in vnione facilè ſolubili non conſiſtit. Deinde lac v.g. aut ſanguis, & oleum pluráque vnguenta valdè ſpiſſa, ac denſa ſunt: & tamen vniones non habent ſolutu difficiles, ſed valdè faciles. Præterea ex hac ſententia ſequeretur, lignum v.g. nullum habere raritatis gradum: ſiquidem nullam habet liquiditatem, nullámque facilitatem, vt eius partes ſolui, ac iterum reuniri poſſint, eo quod ſemel abruptæ iterum naturaliter continuari nequeant. Conſequens eſt abſurdum: quia aliàs lignum eſſet ſummè denſum, & nulli metallo cederet.

39. Opponunt tamen huius ſententiæ aſſertores. Corpus Chriſti in Euchariſtia aliquem habet raritatis gradum; ſiquidem marmore denſius non eſt: at ibi nullam habet extenſionem localem: quin potius ad minorem quam antea locum contrahitur: ergo raritas non in extenſione partium, ſed in earum liquiditate conſiſtit. Verùm corpus Chriſti nullum raritatis, nullum denſitatis gradum in venerabili Sacramento obtinet; ſi raritas, ac denſitas pro poſitione partium, earumque maiori, aut minori extenſione ſumantur: ſecus verò, ſi pro qualitate eam extenſionem aut poſitionem poſtulante accipiantur. Quod autem alterutro modo raritas, & denſitas vſurpari ſoleant, ſuprà oſtendimus.

40. Opponunt ſecundo: ſi in vaſe vndique operculato cera concluſa igni applicetur, proculdubio rareſcet; & tamen maius loci ſpatium non occupabit, quę eſt vaſis eam continentis durities cedere neſcia: ergo raritas non in extenſione, ſed in liquiditate conſiſtit. Reſponſio tamen in promptu eſt: nam in eo euentu cera intus rareſcens maiorem, quam antea, locum occupabit, ac proinde vas diſrumpet, ne cum eo penetretur. Sic ouа igni applicata, aëre intus rareſcente, ac vi caloris ſeſe dilante cum crepitu rumpuntur, ne videlicet aër cum oui teſta, ſeu putamine penetretur: ſi enim ob ſolam caloris intemperiem, & non ob periculum penetrationis diſſiliunt, cur id non euenit, eſto prius colliſa foraminentur, & rimam aliquam aperiant, per quam aër egredi poſſit. Et quidem non conſpicio, cur vacui euitandi cauſa vaſa ſæpe frangantur, & penetrationis etiam fugiendæ cauſa id ipſum vſuvenire nequeat, cum natura non minus penetrationem quam vacuitatem abhorreat.

41. Demum opponunt, omne corpus rarum liquidum eſſe, & omne denſum ſolidum eſſe: ergo. Verùm antecedens falſum eſſe ex nuper dictis conſtat: & argumentum retorqueri poteſt: ſiquidem nullum fermè corpus rarum eſt, quod iuxta aduerſarios ad maiorem locum, ſaltem per accidens, ſeſe non extendat: quatenus igitur id fiat, vel per corpuſcula, vel per expenetrationem, aut vacuitatem, vel per extenſionem virtualem, aut infinitatem

tatem partium ab ipsis explicari debet : igitur difficultates aliarum sententiarum non euitant, & aliàs denuo superaddunt.

TRACTATVS II.

De motu corporis naturalis à minori ad maiorem qualitatem, & è contrario : siue de intensione, & remissione.

CAPVT PRIMVM.

An aliquæ qualitates additione gradus ad gradum intendantur ?

1. ARBITROR intensionem, quâ subiectum aliquod redditur magis tale, quam antea erat, fieri additione gradus ad gradum, si de qualitatibus physicis, nimirum calore frigore & aliis similibus sermo sit. Hæc sententia, quæ communior est, hac vnica ratione missis aliis minus efficacibus, probatur : si intensio caloris v. g. non fieret additione gradus ad gradum maxime : quia aut fieret mutatione totius caloris imperfecti in alium perfectiorem : aut mutatione existentiæ imperfectæ in aliam existentiam magis perfectam, inuariata tamen essentia caloris : aut quia fieret per maiorem radicationem caloris ad subiectum : siue, quod perinde est, per magis perfectam eius vnionem cum subiecto : aut demum quia fieret per expulsionem qualitatis contrariæ. At nullo ei his quatuor modis fieri potest caloris intensio : ergo sola additione gradus ad gradum calor in eodem subiecto intenditur : quemadmodum non sine additione partium per diuersa subiecta extenditur.

2. Primus intensionem explicandi modus est Durandi in 1. distinct. 17. Gofredi quodl. 11. quæst. 3. Auicenæ, Gilberti Porretani & aliorum : qui tamen absque negotio confutari possunt : namque, si calor intenderetur, maiorque fieret corruptione totius caloris remissi, eiusque mutatione in alium perfectiorem de nouo productum, ignis aquam calefaciens non solùm esset productiuus caloris ; verùm etiam caloris destructiuus : & sol aërem magis magisque illuminans non tantum lucem produceret ; sed etiam eam destrueret : at quis ferat, ignem non tantum caloris, verùm etiam frigoris ; aut quod perinde est carentiæ caloris ; ac solem non tantum lucis, verùm etiam tenebrarum parentem esse ? aut quis ferat simile destrui à suo simili, cum ratione solius similitudinis quoduis indiuiduum propagationem, & conseruationem suæ speciei appetat ?

3. Rursus : si aqua intensè calefit mutatione totius pristini caloris in alium indiuisibilem, ac perfectionem : ergo, cum absente igne calor aquæ remittitur, totus illico peribit : siquidem gradibus caret, qui sensim, ac paulatim perire possint, quod tamen sensui, & experientia repugnat. Nec responderi potest, absente igne totum quidem aquæ calorem destrui, eius tamen loco alium minùs perfectum produci : à quo enim obsecro producitur ? non ab igne ; qui absens est : non ab aqua ; quæ caloris productiua non est : non à calore præterito ; aliàs hic alteri calori, quem producit, coëxisteret in eodem instanti ; haud secus ac actus habitum absque vtriusque coëxistentia in aliquo instanti post se relinquere nequit : non à Deo ; cuius munus non est producere calorem absque exigentia causæ creatæ, & cum remitentia agentis contrarij & frigidi ; aliàs Deus naturaliter, & secluso quouis miraculo aquam in absentia ignis calefacere, & natiuo frigore spoliare posset.

4. Præterea si intensio caloris fit, indiuisibilis caloris in alium indiuisibilem magis tamen perfectum commutatione ; certè intensiua alteratio continua non erit. Consequentia probatur : nam forma indiuisibilis in instanti producitur : terminus ergo alterationis intensiuæ, cum indiuisibilis fit, in instanti fiet : cùm ergo vnum instans alteri immediatum, & continuum non sit, alteratio intensiua continua non erit ; sed potius morulis interrupta. Consequens autem sensui, & experientiæ repugnat : vsque adeò, vt qui manum maximo igni applicatam continuo tamen calefieri neget, is certè aquilam per aëra velociſſimè se librantem, continuo tamen moueri inficias etiam ire teneatur, cuius tamen oppositum supra lib. 3. tract. 5. cap. 2. demonstratum manet.

5. Secundus modus explicandi intensionem sine additamento graduum est Ægidij quodlib. 2. q. 14. Capreoli in 1. quæst. 1. art. 2. & Astudilli 1. de generat. quæst. 8. qui tamen iisdem argumentis, quibus supra vsi sumus confutari possunt : namque, vt demus essentiam qualitatis ab eius existentia realiter distingui, & eandem essentiam modo hac, modo illa existentia affici posse, quod tamen falsum esse in metaphysica ostendemus ; aut existentia perfectior per alterationem intensiuam comparata habet latitudinem gradualem ; & sic idem de ipsa essentia qualitatis absque inconuenienti dici poterit : aut ea existentia est indiuisibilis alteri etiam indiuisibili succedens ; & ita simile à suo simili destruetur, & calor aquæ sensim paulatimque remitti nequibit ; & alteratio intensiua continua non erit : vt ex nuper dictis huc applicatis dilucidè constat.

6. Tertius modus explicandi intensionem absque adiectione graduum est Caietani 1. 2. quæst. 52. art. 2. nec non Capreoli vbi supra conclus. 5. atque inter Thomistas communior est. Multis tamen argumentis impugnari potest. In primis enim omnia argumenta paulo supra confecta contra eum militant : siquidem vnio qualitatis cum subiecto latitudinem gradualem, quam non habet qualitas, habere nequit, ac proinde indiuisibilis est, & continuè produci nequibit. Deinde, cum sol aërem magis magisque illustrat, non erit à quo vnio illa imperfectior lucis destruatur : aut cum calor aquæ sensim remittitur, à quo vnio imperfectior caloris denuo producatur. Dices ab ipso calore. Benè : ergo est prior natura vnione quam producit, nec non etiam posterior natura eadem vnione, per quam iuxta Thomistas à subiecto educitur : at mutuam causalitatem sæpe sæpius improbauimus. Rursus quidquid sit de ea sententia, quæ vnionem ab actione eductiua non distinguit ; certè pro priori naturæ quo calor est expeditus ad vnionem illam producendam daretur, & non daretur ipsa vnio : non daretur ; quia est effectus caloris ; daretur verò ; quia calor ex natura

rei non est proximè expeditus ad aliquid operandum, nisi provt vnitur subiecto. Hoc eodem argumento impugnari poterunt authores numero superiori citati, si languescente calore aquæ eius existentiam imperfectam ab eius essentia produci dicant.

7. Rursus sic argumentor : visus noster percipit maiorem lucem : sed non percipit perfectionem illam lucis vnionem : ergo lux non per talem vnionem ; sed per additionem graduum maior, siue intensior constituitur: minor suadetur : quia vnio illa lucis non est lux, aut color : cur ergo videri possit ? Respondent aliqui, nos videre maiorem lucem non ex parte obiecti; sed ex parte modi, eo quod perfectior vnio facit, vt eandem lucem perfectius quàm antea, eaque vnione quæ dici solet maioris lucis, intuemur. Hoc tamen friuolum est: tum quia eadem ratione dici posset, nos non percipere simpliciter lucem ex parte solius obiecti; sed etiam ex parte actus : idque quod videmus non esse lucem, provt condistinguitur à nostra visione; sed potius per hanc constitui in ratione lucis : tum etiam quia falsum est, nos maiorem lucem eo ipso perfectius intueri, cum eximius lucis fulgor haud rarò oculos nostros præstringat.

8. Vlterius argumentor : candor hostiæ consecratæ pluribus aliis maior, atque adeò intensior est: at non ob perfectiorem vnionem cum subiecto, cum ab omni ratione cum subiecto absolutus sit. Quod autem aliqui respondent, eum candorem extensiuè quidem maiorem esse plurimis aliis, ob id tamen intensiorem non esse prorsus deridiculum est. Nam hac ratione omnium formarum intensio de medio tolli posset: quo enim argumento impugnari posset, qui calorem ignis extensiuè quidem maiorem esse calore ligni, eo verò propriè intensiorem non esse, assereret ? Iam quoties extrema sunt eiusdem rationis, non est, cur de facto saltem vnio talium extremorum, eiusdem rationis non sit : qua ratione suo loco edocebimus, vnionem essentialem capitis humani, & vnionem cordis esse eiusdem speciei ob identitatem specificam extremorum easque vniones si specie differrent, eo ipso nõ vniones meras, sed formas substantiales futuras esse. Cum ergo calor aquæ ante, & post intensionem sit idem, & à qua etiam sit eadem, qui fieri posset, vt vnio specie varietu ?

9. Quartus, & vltimus modus tuendi intensionem absque gradibus est Ægidij quodlib. 2. q. 14. & 1. de generat. quæst. 18. Verùm cæteris probabilior non est : quinimò manifestè improbari potest : primo namque lux nullum habet contrarium : ergo per expulsionem contrarij non intenditur. Deinde gratia habitualis, & charitas in iusto intenduntur ; & non per expulsionem alicuius contrarij : nihil enim est contrarium gratiæ & charitati, nisi peccatum lethale : at peccatum lethale non expellitur per intensionem gratiæ, & charitatis: vtpote quod ante eam intensionem per gratiam, & charitatem quantumlibet remissas satis superque expulsum supponitur. Tertiò demum cum dicitur, calorem intendi sola frigoris expulsione actio intensiua ad quid terminatur ? non ad nouum aliquem caloris gradum, vt Ægidius fatetur : non ad meram expulsionem frigoris: quia, vt demus actionem aliquam positiuam ad solam alterius rei carentiam terminari posse ; certè in eo euentu absque præuia alicuius exigentia frigus positiuè destrueretur, & à subiecto depelleretur, quod tamen intelligibile est.

CAPVT II.

An gradus intensionis homogenei sint ?

10. POtissimum, ac ferme vnicum argumentum, quo se propugnant authores capite præcedenti impugnati, ita se habet. Si qualitas additione gradus ad gradum intenderetur: vel gradus intensionis essent homogenei; vel heterogenei : æquales ; vel inæquales : nihil autem horum sustineri. potest. Huic argumento authores nostrarũ partiũ non eodem omnes modo respondent. Alij siquidem gradus intensionis non nisi homogeneos esse posse censent : alij verò heterogeneos esse malunt : aliis æqualitas graduum placet; aliis eorum inæqualitas magis arridet. Quamuis autem omnes probabiliter philosophentur : ipse tamen argumento liberalius responderi posse existimo. Arbitror enim possibilem esse intensionem plurium qualitatum, quæ per gradus homogeneos fiat : aliam, quæ gradibus heterogeneis constat: aliquam etiam cuius gradus æquales sint : & nonnullam, quæ per gradus inæquales perficiatur: quonam autem graduum genere qualitates physicæ de facto intendantur, problematicè defendi posse. Porrò quam verum sit, intensionem aliquam fieri posse per gradus homogeneos; & quam probabile sit, per eas intensionem omnem omnium qualitatum, de quibus loquimur, de facto etiam fieri capite præsenti propugnandum aggredior, iis, quæ statim sequutura sunt, reliquas nostræ sententiæ partes aggressurus. Hoc autem, quod de homogeneitate graduum statuo, haud aliter melius constabit, quam expositione earum difficultatum quæ in contrarium opponi solent.

11. Oppones igitur primò : calidum vt duo neque se ipsum intendere, aut calidum vt tria efficere; aliàs contra manifestum experimentum nullo alio calido intensiori sibi applicato vsque ad octauum caloris gradum intendi, atque in ignem suaptè natura conuerti posse, cum non sit potior ratio, cur tertium caloris gradum, quam reliquos sequentis sibi adiiciat: consequentis autem tam absurdi sequela, hunc in modum probatur. Calidum vt duo potest producere in diuersis subiectis duos primos caloris gradus : cum ergo tertius & quartus & quiuis vlterior caloris gradus sit eiusdem speciei cum duobus primis gradibus, non erit cur calidum vt duo in se ipsum tertium, & quartum caloris gradum, ac corum adminiculo alios vlteriores producere nequeat. Hoc idem argumentum paulo aliter proponi solet. Calidum vt duo in subiecto, aut nullum, aut certè vnicum caloris gradum habente, calorem producit, illudque calidum vt duo efficit. Quod si subiectum antea fuerit calidum vt duo, nihil caloris in eo producet, vt experientia testatur : at non esset, cur tertium in eo caloris gradum non produceret, si tertius gradus caloris esset homogeneus, & eiusdem speciei cum primo caloris gradu, quem calidum vt duo proculdubio producit.

12. Huic argumento respondeo primò, idcirco calidum nec se ipsum intendere, nec aliud etiam calidum vt duo amplius calefacere posse, quia, vt

fert

fert commune proloquium, simile non agit in simile. Quod si vlterius interrogetur, cur simile agere nequeat in simile, absque vlla repetitione principij dici potest, hanc esse agentium omnium naturam nobis multiplici experimento à posteriori compertam. Præter hanc etiam rationem aliæ etiam sufficientes afferri possunt, ob quas absurdum, quod in argumento infertur, minimè sequatur. Quare secundo respondeo, ob id calidum vt duo nec in se ipso, nec in alio sibi simili vlteriorem calorem producere, tametsi gradus sint homogenei, quia qualitas omnis non solùm in extensione, verum etiam in intensione sphæram actiuitatis sibi præscribit: nulla autem intensionis sphæra esset, si calidum vt duo aut se, aut aliud simile intendere posset, vt ex dictis numero superiori constat.

13. Et quidem sicut in aduersa sententia lucidum vt duo in alio subiecto lucem vt duo sibi similem, paremque producere nequit, solumque primum gradum in eo lucis efficit: primus autem gradus lucis in alio subiecto alium etiam lucis gradum sibi parem & æqualem producere nequit, ne vt aduersarij philosophantur, lucis extensio nulla sphæra cohiberetur, duoque gradus lucis alicubi producti alios duos, & hi alios duos, & sic absque fine producerent: ita similiter non video, cur (esto gradus sint homogenei) calidum vt duo aut se, aut aliud sibi simile calefacere amplius debeat, cum eius intensio suaptè natura finem, sphæramque sortiatur. Respondeo tertiò, ob id calidum vt duo aliud calidum vt duo intendere non posse, quia aliàs daretur perpetua actio, & repassio; & in vno instanti calida illa vi caloris se se intenderent: in alio verò vi frigoris, cum quo calorem suum coniunctum habent, se se remitterent, alternante semper frigoris, & caloris victoria.

14. Oppones secundò: idcirco partes corporis animati diuersæ speciei sunt, supposita adæquata earum distinctione reali, quia dissimiles operationes diuersoque specie effectus sortiuntur: at hæc ratio militat in calore extenso & intenso, quorum alter, & non alter ad formam substantialem ignis dispositiuè concurrit: ergo calor intensus, & extensus diuersæ speciei sunt: quod si gradus intensionis essent homogenei, plures primi gradus per multa subiecta extensi in vnum colligi, in eoque primus, secũdus, tertius, quartus, & sic de cæteris fieri possent; sicut ad intensionem oportet: iam ergo calor intensus extensus esse potuit: ac proinde specie non differunt, contra quam paulo supra probatum manet. Respondeo calorem intensum, caloremque extensum secundum se sumptos eosdem effectus habere, nec magis vnum quam alterum ad formam substantialem ignis disponere: ideo vero calorem intensum, non verò extensum ad formam substantialem ignis hic, & nunc disponere, quia partes omnes caloris intensi eidem subiecto vniuntur, cum tamen partes caloris extensi diuersis separatisque subiectis copulentur. Hinc autem non caloris intensi, & externi; sed solarum vnionum diuersitas specifica oritur, quam nos vltro largimur, & sæpe sæpius in simili ostendimus.

15. Oppones tertiò: si plures quantitates homogeneæ eidem materiæ vniantur, materia ob id magis quanta, aut extensa non erit: ergo etiamsi plures gradus caloris omnino similes in eodem subiecto collocentur, non ob id subiectum magis calidum erit: ac proinde intensio per gradus eiusdem rationis fieri nequit. Verum hoc argumentum inutile est; vtpote quod omnes sententias ex æquo impetit: non si plures quantitates diuersæ speciei constituantur diuinitus in eadem materia, hæc propterea magis quanta, ac extensa non erit. Deinde seu magis perfectè seu minus perfectè quantitas vniatur materiæ; materia ob id magis minusve quanta non erit: sane ergo calor per gradus heterogeneos, aut per maiorem radicationem Thomisticam, alióve modo intendi non poterit, si quid eo argumento concluditur. Absolutè respondeo, in eo differre quantitatem à qualitate, quod hæc, & non illa intensionis capax sit: quare gradus homogenei qualitatis eam intendere poterunt; esto gradus homogenei quantitatis eius intendendi vim non habeant.

16. Oppones quartò. Cum calor internus valdè in aqua productiua, ac postea in absentia ignis remittitur; sextus caloris gradus vltimo productus à tertio frigiditatis natiuæ gradu destruitur, & postea quintus à quarto, & quartus à quinto, & tertius à sexto, & secundus à septimo, ac demum primus ab octauo, & summo frigiditatis gradu: at, si gradus omnino essent homogenei; neutiquam octauus gradus frigoris, & primus caloris; & septimus, ac secundus; & sic de reliquis determinatè opponerentur; sed potius quilibet gradus caloris quibuslibet frigoris aduersarentur ex æquo.

17. Respondent aliqui, idcirco octauum frigiditatis gradum primum & non alium destruere, eique soli hic & nunc opponi: quia, licet gradus sint homogenei, ordo tamen distinctionis debet esse contrarius ordini productionis: vnde primus caloris gradus eo ipso, quod primo introductus fuerit, vltimo destrui, & expelli debet. Contra tamen; quia ideo in ædificiis, quorum exemplo hi Authores vtuntur ordo destructionis, & ordo constructionis contrarij sunt, partesque prius fabricatæ vltimo destruuntur; quia partes prius fabricatæ fundamento propiores sunt, aliasque sustentant: vnde propter incumbentem sibi molem tam cito aut facilè euerti nequeunt: & gradus caloris omnino homogenei ita comparati sunt, vt neuter alteri destinatè incumbat: sed potius omnes subiecto calido innitantur, illudque denominent: cur ergo gradus caloris primo productus vltimo destrui debet, & primo destrui non possit? siquidem ob huius ruinam reliqui gradus minimè corruerent, sed potius in subiecto suo subsisterent.

18. Quinimò si graduum illorum, quorum alter primo, alter verò postremo productus est, vnus prius alio ex natura rei destrui debet, potius is, qui primo productus est, prius destruendus est, cùm reliquis plus durauerit, gradibusque posterioribus æqualis cum priori duratio suo quasi iure debeatur. Quapropter melius responderi potest argumento, aut per primum frigiditatis gradum primum etiam caloris gradum, & per secundum frigiditatis secundum etiam caloris, & sic de reliquis seruata proportione, destrui, ob rationem iam iam insinuatam: aut certè qualis gradus expellendus sit à solius causæ primæ determinatione pendere: haud aliter ac in nostra sententia etiam tuente heterogeneitatem graduum, quod hic primus gradus præ alio primo gradu omnino

sibi

ſibi ſimili introducatur, ab arbitrio etiam ſolius Dei dependet.

19. Oppones quint imus gradus lucis abſolutè ac preſcinden ſubiecto alium primum gradum lucis producere nequit: aliàs producto vnico gradu lucis in quacunque mundi plaga totus terrarum orbis illuſtraretur, & extenſio lucis nullis finibus circunſcribi poſſet, videlicet vno gradu lucis alium diffundente, & hoc aliū, & ſic in infinitum. Pari ergo ratione primus, & ſecundus gradus lucis alium primum, & ſecundum abſolutè, & præſcindendo à ſubiecto producere nequibunt, nec ad hoc virtute naturali prædíti erunt: at ſi gradus lucis eſſent homogenei, poſſent primus, & ſecundus lucis gradus alium etiam primum, & ſecundum producere: ſiquidem omni proculdubio poſſent producere in vno ſubiecto rerum gradum lucis, & in alio alium, iique duo primus, & ſecundus eſſent, ſi in eodem ſubiecto reciperentur. Hoc idem argumentum in calore fieri poteſt, qui non ſolùm per accidens & ratione contrarij, ſed per ſe extenſionis ſphæram habet.

20. Reſpondeo iuxta Ariſtotelicam, verioremque ſententiam: primus gradus lucis non eſt indiuiſibilis; ſed potius in infinitum diuiduus; aliàs lux intenſa primo gradu, & ſecundo, & tertio, & cæteris conſtans, ſolis indiuiſibilibus conſtaret: vnde ſicut primus, & ſecundus lucis gradus, iuxta aduerſarios, abſolutè, ac ſimpliciter producere poſſunt alios duos lucis gradus, non in eodem ſubiecto, ne extenſio lucis infinita ſit; ſed in vno ſubiecto vnum, & in alio alium, vt ita lucis extenſio finiatur: ita ſimiliter primus gradus lucis abſolutè, ac ſimpliciter producere poteſt alium primum lucis gradum, non tamen in eodem indiuiſibili ſubiecto ob periculum infinitæ extenſionis, ſed potius partem primi gradus in vno ſubiecto, & partem eius in alio, vt ea ratione extenſio lucis paulatim diminuatur, ac tandem finiatur. In ſententia etiam aliter componente continuum, ſcilicet ex indiuiſibilibus finitis argumento facile reſponderi poteſt: nam, iuxta ipſos aduerſarios graduum heterogeneitatem amplectentes, duo gradus indiuiſibiles lucis alios duos abſolutè, ac præſcindendo à ſubiectis producere poſſunt: vnum verò gradus indiuiſibilis lucis alium indiuiſibilem producere nequit: cur ergo, qui gradus eſſe homogeneos nolumus, pari iure tueri non poſſumus primum, & ſecundum lucis gradum indiuiſibilem, alium etiam primum & ſecundum abſolutè, ac præſcindendo à ſubiecto præſcindere poſſe; primum tamen gradum indiuiſibilem lucis alium primum producere non poſſe? videlicet ob inconueniens quod hinc, non verò inde ſequitur.

21. Oppones ſexto, & vltimo: cum calidum vt ſeptē, & frigidum vt ſeptem concurrunt, & inuicē applicata colluctantur in inſtāti temporis; applicationē immediatè ſequenti datur actio, & repaſſio: & in altero ſubiecto ſeptimus caloris gradus deſtruitur; & aliquis frigiditatis gradus in eo extrinſecus producitur: in altero vero ſeptimus frigiditatis gradus in eo extrinſecus producitur: in altero vero ſeptimus frigiditatis gradus deſtruitur: at nullus caloris gradus in illud imprimur. Porrò autem pro priori naturæ ad huiuſmodi actionem, & repaſſionem gradus aliqui frigoris intelliguntur exiſtentes, ij nimirum, qui reſiſtunt repaſſioni, ac poſtulant ne per eam niſi vnus frigoris gradus depellatur, quique etiam actioni incumbunt, & frigoris impreſſione contrario ſuo mutuam gratiam referunt. Deinde pro eo priori naturæ ab aliquo frigoris gradu, ſeptimo nimirum, qui expellendus eſt, omninò præſcinditur: aliàs ſi pro eo priori naturæ intelligeretur exiſtens, certè in eodem inſtanti reali talis gradus, eiuſque carentia ſimul exiſterent.

Tunc vltra: nulla eſt ratio ob quam à ſeptimo illo gradu præ alio quouis tunc præſcindatur, niſi quia natura ſua ſeptimus eſt, in talique euentu præ reliquis omnibus expellendus, videlicet quia reliquos ſuaptè natura ſupponit; hoc autem abſque eo quod à reliquis ſpecie differat intelligi nequit. Quod verò alia ratio eius præſciſionis aſſignari non poſſit, perſpicuum videtur: ſiquidem non ideo præſcinditur à ſeptimo illo gradu, tanquam pro poſteriori expellendo, quia ordo expulſionis eſt contrarius ordini introductionis, & cum ſit vltimo introductus ille gradus, primò expellendus eſt, ſi quando aliquis expelli debet: tum quia fieri poteſt, vt in ſubiecto omnes ſeptem frigoris gradus ſimul introducti fuerint, vt cum Deus elementum aquæ primò creauit: tum etiam ob rationes, quibus paulò ſupra hanc vtriuſque illius ordinis contrarietatem oppugnauimus. Rurſus, quod ſolum reſtat, in determinationem cauſæ primæ reuocari non debet, quod pro illo priori naturæ ab vno gradu potiùs quam ab alio, velut poſterius expellendo, præſcindatur: cum enim pro eo priori nondum intelligatur calor introductus, non eſt cur Deus expulſionem illius gradus decernat, ab eoque præſcindi faciat. 22.

Reſpondeo: quemadmodum Angelus provt exiſtens in inſtanti *A* poſtulat innatè infertque conſeruationem ſui pro inſtanti *B*. non verò provt exiſtens in ipſo inſtanti *B*: aliàs prius natura, quam in eoe xiſteret cenſeretur in eo exiſtens, & conſeruatus, vt intuenti conſtabit, & alibi oſtendimus: ita ſimiliter, cum ſeptem gradus frigoris, ſeptemque caloris in diuerſis ſubiectis concurrunt, & applicantur, innatè poſtulant, vt in inſtanti ſequenti, quo futura eſt actio, & paſſio, non omnes deſtruantur; ſed potius ſex illorum conſeruentur. Deus autem huic eorum appetitui ſtare tenetur, ne muneri cauſæ primæ deſit, ac proinde determinat decreto aliquo efficaci ſenos frigoris, totidemque caloris gradus conſeruare, eos nimirum, quos ipſe eligit, cum omnes omnino homogenei ſint: hinc eſt vtà ſeptimo frigoris gradu pro priori naturæ inſtanti realis ſequētis præſcindatur, quia quamuis nondum determinauerit Deus illam deſtruere eo quod nondum introductus ſit calor; tamen pro illo priori non determinat illum conſeruare, ſicut alios ſex omnino ſimiles conſeruare decernit. Quo circa non ob id præſcinditur ab eo gradu, quia eſt diſſimilis cæteris ac natura ſua ſeptimus, nec etiam ille gradus eſt vltimo productus: aut quia Deus deſtructionem ante productionem caloris decernit: alterumque, aut alterum ex noſtra ſententia ſequi immerito aduerſarij exiſtimant. 23.

Gradus intenſionis eſſe homogeneos tenet Pater Vaſquez in 1. 2. tomo 1. diſput. 82. cap. 6. Rubius 1. de generatione cap. 8. tract. 8. quæſt. 5. Arriaga de generat. diſp. 3. ſect. 3. Okam. in 3. q. 6. Greg. in 1. diſtinct. 17. quæſt. 4. & Gabr. in 3. d. 13. In eadem ſententia ſunt Conimbrienſes 1. de 24.

generat.

generat.cap.4. quæst.2. Niphus 8.met.quæst.11. cap.4.Tolet.lib.1. de gener. c....q.4. & nouissimè Ioannes Baptista Nouatus de eminentia Deiparæ tom.2.cap.6.quæst.23. Quamuis in eo mihi displiceant hi Authores, quod non solum de facto intensionem fieri per gradus homogeneos censeant, verum etiam aliter fieri non posse renuant.

CAPVT III.

An gradus intensionis heterogenei sint?

25. SEcunda nostræ sententiæ pars est, intensionem fieri posse per gradus dissimiles, seu heterogeneos, ac satis probabile esse, quod per eos etiam de facto fiat, hoc autem constabit solutione argumentorum, quæ in contrarium adduci solent. Oppones igitur primò: gradus intensionis inuicem vniuntur: at res diuersæ speciei inter se vniri nequeunt: verùm si formæ animalium perfectorum diuisibiles sunt, ac partibus constantes dissimilibus vt multi autumant, sanè res diuersa speciei inuicem continuari possunt, tametsi diuersa subiecta sortiantur: à fortiori ergo vniri poterunt, cum idem omnino subiectum sibi vendicant, vt in intensione vsuuenit. Quod si diuersitas specifica eorum vnioni obest, dic gradus intensionis soli subiecto quod afficiunt, non verò sibi ipsis inuicem vniri.

26. Oppones secundò: si plures gradus homogenei lucis in eodem subiecto collocentur, proculdubio visus maiorem lucem conspiciet: ergo intensiorem; aut certè experientiæ omnes, quibus intensio qualitatum comprobatur, nihili faciendæ sunt: ergo intensio per gradus homogeneos fiet. Respondent aliqui, in eo euentu visum percepturum maiorem lucem quasi extensiuè, non vero intensiuè: haud aliter ac si quis videret duos subiecta lucida inuicem penetrata, maiorem quidem lucem perciperet, non tamen intensiorem, quam si alterutrum videret, eo quod intensio qualitatis, nisi in ordine ad idem subiectum, intelligi nequeat. Hallucinantur tamen: quia accidens non solum potest esse intensum in ordine ad subiectum, verum etiam in ordine ad locum; cumque plura accidentia, aut potius accidentium gradus in eodem loco sunt, tametsi in eodem subiecto non sint intensionem constituent, vt videre est in accidentibus eucharisticis: quare etiam, cum duo subiecta lucida in eodem loco penetrantur, eorum lux commissa non solum maior, sed etiam intensior erit: & quidem aliter omnes experientiæ, quibus intensio probari consueuit, nullæ erunt, vt in argumento benè obiicitur. Respondeo igitur primo per instantiam: quia si plures gradus hetereogenei in eodem subiecto constituantur visus maiorem lucem percipiet: ergo etiam per gradus heterogeneos intensio fiet. Deinde absolutè respondeo id solum argumento concludi, intensionem fieri posse per gradus homogeneos, non verò per illos de facto fieri: in eo siquidem euentu visus perciperet maiorem lucem, non tamen eodem modo, eademque ratione, qua modo eam percipere solet.

27. Oppones tertiò: qualitas intensa constat partibus infinitis: tum quia qualitas externa his constat: tum etiam, quia aliàs alteratio intensiua non posset aut velocior ac velocior, aut tardior ac tardior in infinitum esse, vt supra libro tertio tr.6. expendimus: at qualitas intensa non constat partibus infinitis heterogeneis: ergo solum homogeneis. Minor suadetur: quia si partes infinitæ qualitatis intensæ essent heterogeneæ, ac dissimiles; iam determinatæ, non vero indeterminatæ essent: at infinitas partium determinatarum repugnat. Verum vt hoc modo aliqua pars determinata dicatur satis superque est, vt ab alia quauis solo numero distinguatur: & quamuis etiam sufficiat, necesse tamen non est ad determinationem partis, vt ea à quauis alia specificè distinguatur: ergo seu qualitas extensa partibus infinitis homogeneis constet & æquo infinitis partibus determinatis constabit; si quid propositum argumentum valet. Deinde pars determinata intensionis est, non quæ specie aut numero ab alia distinguitur; sed quæ magnitudinem, ac quantitatem nobis perceptibilem continet: omnis autem pars præ exiguitate sua à nobis imperceptibilis eo ipso indeterminata est: cum ergo infinitæ partes heterogeneæ qualitatis intensæ ita comparatæ sint, vt nulla earum per se sentiri possit; sed præ exiguitate sua sensum nostrum subterfugiat; certè non determinatæ; sed indeterminatæ erunt.

28. Oppones quartò: non sunt multiplicandæ sine necessitate: ergo neque diuersificandæ specie sine necessitate: cum igitur nulla necessitas vrgeat, ob quam gradus intensionis heterogenei ac specie diuersi esse debeant; certè homogenei de facto saltem erunt. Verùm in primis authores in fine capitis præcedentis relati necessitatem specificæ diuersitatis graduum argumentis suis probasse sibi videntur. Deinde sicut non sunt multiplicandæ entitates sine vrgenti necessitate, ita non est recurrendum ad determinationem causæ primæ absque vrgenti etiam necessitate. At si gradus sint homogenei, quod septimus gradus frigoris v.g. præ reliquis expellendus sit, ad determinationem causæ primæ reuocandum est, si gradus sint homogenei, cum tamen si heterogenei sint, ex ipsis graduum naturis id proficiscatur, & ex eo quod septimus gradus suaptè natura septimus sit, & reliquos supponat; atque adeo non priores natura; sed posteriores natura destrui debent, sicut in demolitione ædificiorum contingit: ergo non magis gradus homogenei esse debent, ne sine necessitate species multiplicentur, quam heterogenei, ne etiam sine necessitate ad determinationem causæ primæ recurratur.

29. Oppones quintò: gradus sunt æquales: ergo & homogenei. Antecedens multis argumentis infra capite sequenti ostendetur: Consequentia videtur perspicua: quia in creatis duæ res æquales homogeneæ & eiusdem speciei necessariò sunt; vnde enim earum diuersitas nisi ex perfectionis inæqualitate proficisci potest? Verùm antecedens satis probabiliter negari posse infra constabit. Consequentiam etiam esse nullam & ex æqualitate graduum haud benè inferri earum homogeneitatem, & similitudinem in metaphys. suadebitur, cum sermo fuerit de æqualitate nostrarum animarum. Itaque licet gradus intensionis in aliarum serie possint esse homogenei; at valdè probabile est quod de facto sint heterogenei. Atque hoc posterius Suarez tomo 2. Metaphys. disp.46. sect.1. Hurtadus disp. 5. de generat. & corrupt. sect.6. subsect.2. Lugo in tomo de Incarnat. disp.5. sect.7.

ſect.7.Tellez diſp.66.Metaphyſ.ſect.2. Fracoſtorius lib.de ſympathia cap.6. & quod attinet ad qualitates vniuocè operantes,cuiuſmodi ſunt lux calor, &c.Compton.diſp.10 de gen.ſect.2.etſi de qualitatibus aut non operatiuis, aut tantum æquiuoce operatiuis aliter ſentiat.

CAPVT IV.

Quid de qualitate graduum ſentiendum ſit?

30. TErtia noſtræ ſententiæ pars eſt, intenſionem fieri poſſe per gradus æquales in perfectione, ac veriſimillimum eſſe,ita etiam de facto fieri. Oppones primò: gradus intenſionis ſunt diuerſæ ſpeciei ob argumenta illa quæ ſupra capite ſecundo propoſita ſunt:at in creatis res diuerſæ ſpeciei æquales eſſe nequeunt: ergo gradus intenſionis æquales eſſe nequeunt: ergo gradus intenſionis æquales non ſunt. Verùm maior facilè negari poteſt ex dictis capite ſecundo: & vnionem falſam eſſe in loco conſtabit.

31. Oppones ſecundò: vnus gradus caloris omnino æqualis alteri ſimul cum illo ſubiectum magis calidum efficit: ergo à fortiori vnus gradus caloris alio maior, ac perfectior ſubiectum magis calidum efficit: ergo intenſio, ac exceſſus caloris per gradus perfectionis inæqualis optimè explicari poteſt. Hoc argumentum id tantum probat, fieri poſſe,vt qualitas per gradus perfectione inæquales intendatur; non verò quod de facto ita vſuueniat.

32. Oppones tertiò: calor intenſus perfectiores operationes, perſe loquendo, ſortitur, quam calor extenſus: ſiquidem calor intenſus ad formam ſubſtantialem ignis diſponit, ad quam tamen calor quantumlibet extenſus diſponere nequit: at perfectione effectuum, & operationum perfectionem etiam principiorum metiri ſolemus: nec alia de cauſa hominem equo perfectiorem iudicamus. Reſpondeo, quod calor intenſus ad formam ſubſtantialem ignis diſponat, non à mera eius entitate proficiſci, ſed ab eius vnione quoad omnes ſuas partes cum vno eodemque ſubiecto: cum tamen partes caloris extenſi per plura ſubiecta diſperſæ ſint: huc enim ſpectat vulgare dictum; *Virtus vnita fortior.*

33. Dices: ergo ſaltem vnio caloris intenſi erit ſubſtantialiter perfectior vnione caloris extenſi; cum calor intenſus, & vnitus, magis perfectè operetur, quam calor extenſus, provt etiam vnitus: conſequens autem eſt abſurdum: ſiquidem vnio intenſiua, & extenſiua, quamuis ſpecie logica differant, vt ſæpè ſæpius in ſimili faſſi ſumus; cæterùm ſpecie phyſica,& perfectionis gradu differre nequeunt, cum vtriuſque extrema eiuſdem perfectionis & ſpeciei ſint; qua ratione vnionem eſſentialem hominis per totius corporis membra fuſam, eiuſdem vbique perfectionis eſſe, eiuſdemque ſpeciei phyſicæ edocebimus infra libro decimo.

34. Reſpondeo: quemadmodum plures homines plura pacis, & belli opera perfectiſſima exercere poſſunt, ſi quodammodo approximati ſint, & in vnum exercitum, aut ciuitatem confluant; quæ tamen exercere non poſſent, ſi omnino ſeparati, & diſtantes eſſent: quin tamen hinc ſequatur, homines perfectius exiſtere in loco cum prope ſe exiſtunt, quam cum inuicem longiſſimis interuallis diſtant: ita ſimiliter gradus caloris in eodem ſubiecto per intenſionem vniti perfectius operabuntur, quam ſi diuerſis ſubiectis per extenſionem vniantur, quin propterea vniones intenſiuæ & extenſiuæ quoad perfectionem æquales eſſe debeant. Reſpondeo ſecundò: ſicut calor extenſus potuit eſſe intenſus: ita ſimiliter quamuis vnionem extenſam potuiſſe eſſe intenſam, ſiue caloris intenſi vnionem, videlicet ſi cum aliorum graduum vnionibus reſpectu eiuſdem ſubiecti conſuncta fuiſſent,atque adeo vniones intenſas & extenſas, per ſe loquendo, eiuſdem perfectionis operationes reſpicere, & ad formam ſubſtantialem æque diſponere poſſe,ſicut ad earum æqualitatem oportet.

Quod diximus, gradus intenſionis eſſe æquales, necnon ſimiles, aſſertores habet eos, quos ſupra cap.2. ad finem retulimus. Quod verò aſſeruimus gradus intenſionis æquales eſſe tametſi diuerſæ ſpeciei, ac diſſimiles ſint,non paucis recentiorum philoſophorum placuiſſe comperio. 35.

CAPVT V.

Quid de inæqualitate graduum ſentiendum ſit?

QVarta noſtræ ſententiæ pars ſit, gradus intenſionis inæqualis perfectionis eſſe poſſe, ſatiſque veriſimile eſſe, quod de facto etiam eam inæqualitatem ſortiantur. Hoc etiam ſolutione argumentorum perſpicuum erit. Quapropter oppones primò. Gradus intenſionis ſunt ſimiles & eiuſdem, non verò diuerſæ ſpeciei, ob ea argumenta, quæ ſupra capite ſecundo propoſita ſunt: partes ſimiles nequeunt eſſe inæqualis perfectionis, ſicut è conuerſo res diſſimiles non poſſunt eſſe æqualis perfectionis: vt patet in myſterio triados, in quo id mirabile eſt, quod cum diſſimilitudine perſonarum earundem æqualitas cohæreat. Verùm huic argumento reſpondeo, negata maiori: iis de cauſis, quas ſupra capite tertio propoſuimus. 36.

Oppones ſecundò: cum ſubiectum redditur valde calidum; aut per gradus æquales caleſcit, & ita intenſum habetur:aut per gradus inæquales; & tunc ſublato primo gradu caloris, & remanente ſaltem diuinitus ſolo ſecundo gradu; vel ſubiectum manet tam calidum vt ſolius ſecundi gradus, ac antea per primum,& ſecundum; & ſic intenſio caloris non habet latitudinem gradualem, ſed in ſolo vno gradu perfectiori conſiſtet in huiuſque præſentia gradus anteriores ſuperfluent, quod tamen capite primo impugnatum manet: vel in eo euentu ſubiectum erit minus calidum, quam antea, & ſic acceſſio gradus minus perfecti ad perfectiorem ſubiectum magis calidum efficiet: ergo à fortiori gradus æqualis alteri ſimul cum illo ſubiectum magis calidum efficiet. Reſpondeo, hoc argumento ſolum concludi, poſſibilem eſſe intenſionem, quæ per gradus æquales fiat; at quod de facto ita ſe res habeat, neutiquam eo conuinci. 37.

Oppones tertiò: ſi duo luminoſa concurrant, vnumque in ſphæra actiuitatis operenur; ambo certè in aliqua aëris parte intenſionem lucem producent 38.

producent, quàm si ibi alterum seorsim ab altero illuminaret: at ex eo quod duo luminosa prope se ponantur, neutrum eorum perfectiorem effectum producet, cum alterutrum alteri omnino extrinsecum sit: ergo intensior lux eo ipso perfectior non est. Rursùs oppones quartò: & præcedens argumentum corroborabis. Si luminosum in opacum incidat, intensius quam antea operabitur, vt quidquid extensionis ei deperit, intensione lucis compensetur; at luminosum, eo quod in alicuius loci opacitatem incidat, perfectiorem quam antea lucem non producet: cur enim fortuitus ille euentus eius operationem perficiat? ergo intensior lux non est perfectior.

Ad prius tamen argumentum respondeo, negata eius minori: cum enim virtus omnis vnita fortior sit; quid mirum, si duo luminosa, cum in eadē quasi actiuitatis sphæra vniuntur, perfectius quā antea operentur? Sic etiam in opposita sententia octo gradus caloris seu similes, seu dissimiles sint, subiectū suum ad formam substātialem ignis vltimo disponunt. Quod si quatuor illorum in vno subiecto, & alij quatuor in alio existerent, ad eam ita non disponerent: ergo iam octo gradus caloris coniuncti ad effectum perfectiorem dispositiuè concurrunt, quam si seiuncti, ac distantes essent: idem ergo de duobus luminosis dici potest, ac debet. Ad secundum argumentum similiter respondeo, non esse mirum, quod luminosum in opacum incidens intensiuè perfectius operetur quam antea: siquidem in tali euentu extensiuè imperfectius operatur quam antea, vt est exploratum: nec video cur fortuitus ille euentus sit sufficiens occasio huius prioris, & non possit ei priori occasionem præbere. 39.

Oppones quintò: si gradus essent inæquales in perfectione, & posteriores prioribus perfectiores essent; hoc ipso & maiori gratia, & dignitate personæ operantis, eius merita cæteris paribus crescerent: consequens est absurdum: ergo, &c. Maior probatur: namque si quis iustus gratusve vt duo, aliusque iustus, gratusve vt sex opus aliquod bonitatis moralis exerceant, ac minus iusto in præmium sui operis tertius gradus gratiæ conferatur, necesse quidem erit, vt magis iusto septimus gradus gratiæ conferatur, (aliquod enim augmentum gratiæ ei debetur, nullum autem septimo gradu minus esse potest:) at septimus gradus gratiæ est longè perfectior tertiò gratiæ gradu: ergo alteri maius præmium, quam alteri confertur: at non ob maiorem dignitatem operis, quam vtrobique æqualem esse supponimus: ergo solum ob maiorem dignitatem personæ operantis: ex hac igitur merita, & præmia crescunt. 40.

Consequens autem minoris absurdum esse breuiter ostenditur: primò quia fieret, personam magis sanctam remissiuè operantem plus semper mereri, quam hominem minus sanctum intensione operantem. Si enim duobus gradibus gratiæ, quos hic antea habebat, centum gradus per modum præmij addantur; certè mille gradibus, quos ille antea habebat, saltem vnicus gratiæ adiicitur: millesimus autem primus gratiæ gradus cæteris omnibus superioribus perfectior est. Secundò, quia si merita possunt semel crescere & maiori gratia, certè & gratia consequenti crescent. Si enim iusto alicui præceptum diligendi Deum in instanti *A* imponatur, omnis eius iustitia, & gratia à dilectione Dei præcepto iuncta dependet, velut à conditione sine qua non conseruaretur: quare est consequens dilectionem Dei; atque adeò hæc vel à nulla gratia; vel certè à gratia consequenti dignificabitur, magisque meritoria reddetur. Quod autem merita ex gratia consequenti crescere nequeant, videtur perspicuum: quia aliàs quiuis actus iusti esset magis, magisque in infinitum meritorius, atque innumerabiles gradus gratiæ obtineret: nam ratione gratiæ consequentis per modum præmij aliquid gratiæ amplius mereretur, & ratione etiam huius aliquid aliud, & sic absque vllo termino, vbi vnum gratiæ præmium alterius quasi meritum esset. 41.

Ab hoc argumento Theologico breuiter quidem, provt nostri instituti ratio postulat, me expedio. Atque in primis eius minor à multis satis probabiliter negari solet. Ex quorum sententia ad primam eius probationem dico, hominem minus Sanctū tanta intensione operari interdum posse, vt meritum hominis sanctissimi non solum æquet; sed etiam superet, itavt si hic vnum gratiæ gradum supra millesimum mereatur, fiat vt ille decem, aut cētum plureſve supra millesimum, ipsumque millesimum supra anteriores, quos habuit, mereatur. Ad secundam probationem ex iisdem Authoribus dico: cum iustus præcepto diligendi Deum vrgetur, eius gratia & iustitia per accidens est consequens dilectionem Dei: cuius signum est, quia si præceptum per accidens ignoraret, aut tale præceptum positum non esset, seorsim à dilectione illa Dei pristina gratia, & iustitia eius hominis ei sarta tecta maneret; at gratia collata intuitu operis, & per modum præmij est gratia consequens per se, & non per accidens opus bonum: nisi enim præcederet opus bonū, in nullo euentu præmium gratiæ iusto conferretur: quocirca ex gratia consequēti per accidens dignificari potest meritum operantis; secus verò ex gratia consequenti per se: priorem autem dignificationem probant aduersarij: non verò posteriorem; ex qua sola processus in infinitum rectè sequi videtur. 42.

Maior etiam argumenti propositio negari potest. Ad eius probationem respondeo, gradus gratiæ non esse indiuisibiles, provt ab aduersariis falsò supponitur, sed potius in infinitum diuisibiles: quare, cum iustus vt duo merito sui operis tertium gradum gratiæ obtinet, iustus vt sex æqualiter operans non meretur totum integrumque septimum gratiæ gradum, sed aliquas eius pauciſſimas partes: at plures secundi & imperfectiores gradus æquiualent fortasse paucis sexti, & perfectioris gradus, & ad æque claram, ac perfectam Dei visionem obtinendam deseruire possunt; haud aliter ac plures argenti partes paucioribus auri in ordine ad vsus humanos æquiualent: vnde vterque iustus inæqualiter talis, æqualitertamen operans æquale præmium merebitur. In sententia etiam constituente continuum omne ex solis indiuisibilibus finitis responderi potest, septimum gratiæ gradum, licet tertio perfectior sit, tamen non magis excedere sextum, quam tertius secundum excedit: cum ergo non nisi pro mensura excessus aliorum supra alios gratiæ gradus hominem magis sanctum denominent; in eo verò quo æquales sunt, eum magis non sanctificent; 43.

aliàs intenſio gratiæ per gradus æquales fieret: certè ſeptimus gradus gratiæ, quæ eſt eius indiuiſibilitas, totus & integer iuſto vt ſex collatus haud magis eius ſanctitatem promouebit, quàm ſanctitas iuſti vt duo æqualiter operantis per tertium gratiæ promouetur: ac proinde ambo æqualiter merebuntur. Summa eſt, quod præmium vtriuſque eſt ſolus exceſſus tertij, & ſeptimi gradus reſpectu aliorum ſuperiorum: cum ergo exceſſus vtriuſque gradus ſit æqualis, præmium etiam vtriuſque iuſti æquale erit.

CAPVT VII.

De intenſione actuum intellectus, & voluntatis abſque additione graduum?

44. ARbitror qualitates intentionales, cuiuſmodi ſunt actus intellectus, & voluntatis, abſque additione graduum intendi & abſque eorundem detractione remitti: ſola videlicet actus imperfecti in alium indiuiſibilem perfectiorem; aut perfecti in alium minus perfectum mutatione. Hæc, quæ quinta, & vltima noſtræ ſententiæ pars eſt, hunc in modum probatur. Si actus voluntatis additione graduum intendi poſſet, etiam actus inefficax voluntatis poſſet reddi efficax additione partium ſimilium, aut diſſimilium: conſequens eſt abſurdum: ergo & illud, ex quo ſequitur. Sequelam probo: quia calor inefficax ad ignem, additione graduum redditur efficax ad productionem ignis: ergo ſi actus voluntatis graduum etiam capax eſt de inefficaci ad efficacem migrare poterit. Conſequens autem abſurdum eſſe manifeſtè hoc argumento ſuadetur: ſiquidem actus inefficax odij v.g. quantuis additione partium non redditur incompoſſibilis cum amore efficaci circa idem obiectũ: ergo nec efficax: antecedens probatur: ſi quis haberet ex octo motiuis octo actus inefficaces odij, ſiue nolitionis, adhuc cum hic omnibus componi poſſet actus efficax amoris, aut volitionis circa idem obiectum, vt experimento conſtat in eo, qui aduerſus conſilia plurimorum, quæ nonnullam vim ei afferunt, rem tamen quam diſſuadent aggreditur: ergo à fortiori, eſto circa idem obiectum, idemque motiuum multiplicentur volitiones inefficaces, non obſtante ea multiplicitate ſemper erunt compoſſibiles cum amore efficaci eiuſdem obiecti.

45. Arguo ſecundò: quia ſi actus intellectus additione graduum intendi poſſet, actus obſcurus reddi poſſet clarus circa idem obiectum: conſequens eſt abſurdum ergo. Sequela probatur: quia lux remiſſa, & obſcura additione graduum peruenit ad claritatẽ lucis intẽſæ: at actus intellectus eſt quædam lux, & claritas intentionalis: ergo ſi graduum capax eſt, eorum acceſſione obſcuritatem cum claritate commutare poterit. Minor autem probatur: tum quia ſequeretur fidem alicuius myſterij poſſe fieri notitiam eius euidentem; quod tamen aperte repugnat, cum fides obſcuritatem eſſentialem habeat, & *argumentum rerum non apparentium* in ſcriptura definiatur: quocirca non magis fides in notitiam euidentem, quam animal rationale in irrationale tranſire poteſt: tum etiam quia actus naturalis additione partium nequit effici ſupernaturalis, vt nemo non dabit: idem igitur dicendum eſt de fide, & viſione beata: ſicvt enim actus naturalis & ſupernaturalis à diuerſis principiis oriuntur, & ad diuerſos ſtatus attinent: alter nimirum à principio ſupernaturali; alter à principio naturali: alter ad ſtatum gratiæ; alter ad ſtatum naturæ; ſic fides, & viſio Dei ita inſtitutæ ſunt, vt altera ad ſtatum viæ, altera ad ſtatum patriæ attineat: & vna à lumine fidei; alia verò à lumine gloriæ oriatur.

Arguo tertiò. Deus etiam obiectum creatum 46.
modo inefficaciter; modo remiſsè, modo intensè amat: at non per additionem, aut detractionem graduum realiter diſtinctorum: idem ergo de voluntate creata dici poterit. Dices, ex eo quod Deus non diſcurrat ab vno actu ad alium inferri nequit, nos etiam diſcurſus expertes eſſe: ergo ſimiliter ex eo quod amor diuinus modo efficax, modò inefficax, modo maior, modo minor reſpectu alicuius obiecti ſit abſque additione, aut detractione graduum perperam infertur, id ipſum de actibus noſtræ voluntatis dicendum eſſe. Reſpondeo, imperfectionem diſcurſus abſque vllo diſcurſu vel ſola experientia in nobis compertam eſſe, cum tamen intenſio gradualis actuum noſtri intellectus, & voluntatis nulla experientia, ac nulla etiam ratione colligi poſſit: proinde, &c.

Quapropter quartò & vltimò argumentor. Ra- 47.
tiones, quibus probari conſueuit, qualitates phyſicas additione graduum intendi, eorumque detractione remitti, in actibus intellectus nullam vim habent: eiuſmodi ergo multiplicitas graduum tanquam ſuperuacanea reiici debet. Antecedens probatur: namque in primis, quod ex intenſione qualitatis phyſicæ minimè graduali ſequitur, ſolem eſſe deſtructiuum lucis, & ignem caloris, id in intellectu, & voluntate inconueniens non eſt, ſed potius neceſſariũ: ſiquidem voluntas pro innata ſibi libertate modò actum aliquem producere, modò deſtruere poteſt: intellectus etiam ad productionem, & deſtructionem ſuorum actuum, tametſi liber non ſit, indifferens tamen eſt. Deinde quod ex intenſione caloris neutiquam graduali deducitur, calorem intenſum aquæ remitti non poſſe; videlicet quia calor remiſſus nec ab aqua, nec ab alia cauſa denuo produci poteſt: hoc, inquam, in intellectu, & voluntate non ſequitur: ſiquidem, cum voluntas remiſſius quam antea, amat, ipſa morem minus perfectum efficit, & intellectus etiam actum magis clarum cum minus claro commutare poteſt. Tandem, quamuis experientia nobis conſtet, alterationem intenſiuam, & continuam, nouumque calorem in ſubiecto abſque vlla interruptione ſemper produci, at quod nouos intelligendi, & amandi actus continuo producamus quonam experimento nobis conſtare poterit: cum inopia ſpirituum animalium exercitium intelligendi, & amandi crebro interrumpi faciat, &, ſi quando continuatur, non tam nouorum actuum productio, quam priorum conſeruatio continuata eſſe videtur.

Et quidem maiorem claritatem actuum intel- 48.
lectus, quam nos eorum intenſionem ex communi antiquorum, & recentiorum Doctorum loquendi modo, appellauimus, haud fieri additione gradus ad gradum, ſed mutatione vnius cognitionis in aliam ſpecificè diuerſam, & perfectiorem tuentur nobiſcum Salas 1.2.tom.2. tract.10. diſput.1.ſect.2.num.4. & diſput.2.ſect.4.num.8. ac Pet. VVading. de Incarnat. diſput.6.dub 3.§.4.

Quamuis

Quamuis autem hi Authores è contrario existiment actus voluntatis gradualiter intendi, partiumque similium, aut dissimilium additione maiorem, magisque efficacem propensionem ad obiectum eos sortiri : cæterùm hoc falsum esse constat, & ex dictis suprà, & exinde etiam quod nulla ab ipsis solida ratione probetur. Fauent item ex toto nostræ sententiæ de intensione actuum intellectus & voluntatis Durandus, Gofredus, & alij, quos cap. primo retulimus.

CAPVT VII.

De intensione per actionem reflexam.

49. ACtio in directam, & reflexam diuidi consueuit. Actio directa est, cuius terminus ab agente principali linea recta egreditur: reflexa verò est, cuius terminus eadem linea ad agens principale reuertitur. Dubitabis tamen primò, an actio reflexa qualitatem semper intendat; vel aliquoties eam duntaxat extendat, & si ea extensio intensionis speciem præ se ferat? Sunt enim nonnulli, qui existimant, lucem per reflexionem non intendi propriè, sed solum extendi, quatenus corpuscula opaca aëri intermixta per actionem versus vnum tantum latus illuminantur & per actionem reflexam versus aliud latus luminoso obuersum collucent. Verùm hæc opinio impugnatur, & actionem reflexam non minus quam directam intensioni deseruire posse suadetur; primò, quia calor per reflexionem intenditur, & non solùm extenditur, siquidem calor corpuscula aëri intermixta penetrat, eaque versus omne latus vniformiter difformiter calefacit: quare actio reflexa caloris eum non nisi in subiecto calido producit, sicuti ad intensionem oportet: cur ergo lux per actionem reflexam intendi nequeat? Dices, quia corpuscula opaca calore directo, non verò luce directa penetrari possunt. Contra tamen: quia nubes satis densæ, & compactæ luce penetrantur, atque ob id varios colores aspectui obiiciunt: quî ergo fieri poterit, vt corpuscula illa aëria, nubibus minus crassa, opaca tamen, & luci omnino imperuia sint? Deinde quamuis eiusmodi corpuscula per reflexionem extensiuè tantum illuminari possint ob eorum opacitatem; cur aër suaptè natura diaphanus per actionem reflexam lucem non solùm extensam, sed etiam intensam recipere nequeat? haud secus ac calor per reflexionem non solum extenditur, sed etiam intenditur.

50. Secundò impugnatur ea opinio: quia iuxta eam si quis respiciat directè lucem, & retro luminosum se collocet, non apparebit ei aër magis lucidus, cum datur reflexio lucis, quam si non daretur. Siquidem in eo euentu non videbit latera corpusculorum sibi obuersa, ac per reflexionem denuo illuminata. Consequens autem experientiæ repugnat. Tertiò tandem impugnatur ea opinio: quia species diuersæ, & reflexæ eiusdem obiecti in eodem subiecto videlicet in pupilla vel in aëre recipiuntur: ergo etiam lux directa, & reflexa in eodem subiecto susciptentes, sicut ad intensionem oportet.

51. Dubitabis secundò, cum lucerna v.g. in locum opacum incidit, à quonam agente tunc reflexio lucis producatur? Aliqui enim à sola lucerna: aliis à sola luce directa per aëra sparsa, & nonnulli à sola luce directa in superficie parietis refracta eam produci existimant. Ego verò nullam ex his causis à productione lucis reflexæ arcendam esse arbitror. Ea namque causa lucem reflexam intendit, quæ ab eius extensione per actionem directam impeditur: actio enim reflexa, & intensio eam terminans ad id à natura prouisa est, vt damnum actionis directæ & extensionis compenset: vnde ei agenti assignanda est, cui corpus obuium damnosum fuit: at lucerna, & lux aëris intermedij, necnon lux in extima parietis planitie supernatans sublato corporis opaci impedimento lucem extenderent, & actionem directam magis proferrent: igitur omnes hæ causæ reflectunt, reflexamque intendunt.

52. Obiicies primò: nequit esse eadem causa lucis directæ & reflexæ; sed lucerna est causa lucis directæ: non ergo reflexæ. Maior probatur: quia cum pila ad parietem impellitur, & à pariete repellitur, non est eadem causa impulsus reflexi, & impulsus directi: sed alter est à proiiciente pilam: alter verò à pariete: ergo similiter, &c. Respondeo: impulsus directus, & reflexus sunt contrarij, & ab eodem subiecto mutuo se abigunt, illudque in diuersas oppositasque partes versant: quare non est mirum, quod non sit eadem vtriusque causa, sicut frigoris, & caloris eadem non est causa. Adde, quod proiiciens pilam nec simul cum directo impulsu reflexum etiam, & contrarium in eam imprimere potest; aliàs pila in contrarias partes simul ageretur; nec etiam post impulsum directum producere potest reflexum: quia tunc à pila distat, eamque non contingit. Hæ autem rationes in luce directa, & reflexa non procedunt, vtpote quæ contrariæ non sunt; sed potiùs in eodem subiecto cohærent, quæque etiam in eo à qualitate impulsus differunt, quod sine contactu, & indistantia à causa sua produci possint.

53. Obiicies secundò: nullum agens se ipsum intendere potest: at, si lux reflexa aëris ab eiusdem luce directa produceretur, lux directa seipsam intenderet. Respõdeo: nullum agens se ipsum intendere potest, per actionem directam: vel quia aliàs nulla daretur intensionis sphæra, nullusque terminus, vt superius hoc ipso tractatu ostensum manet: at per reflexionem quæuis qualitas seipsam intendere potest; quia, esto se ipsam ita intendat talis intensionis sphæra optima ratione præscribi poterit: nimirum si qualitas illa per actionem reflexam totidem gradus intensionis in se producat, quot per actionem directam extenderet, si non esset impedita.

54. Obiicies tertiò: simile non agit in simile: at lux, per superficiem parietis diffusa, est similis luci in aëre existenti, vel quod magis refert, ea remissior est, vtpote quæ à lucerna magis distat: igitur in lucem aëris per reflexionem agere, eamve intendere nequibit. Respondeo, in primis simile agere posse in simile per reflexionem, esto directe nequeat, vt paulo supra aiebam. Deinde lucem directam in superficie parietis eminentem esse magis remissam luce aëris, eo quod magis distet ab agente principali: cæterùm lucem parietis tam directam, quam reflexam esse proculdubio intensiorem luce directa vicini aëris, ac proinde in illam agere, eamque intendere posse.

CAPVT VIII.

De intenſione per anteperiſtaſim.

55. INtenſio diuidi ſolet, in eam, quæ fit per antiperiſtaſim, & in eam, quæ ſeorſim ab illa exercetur. Porrò qualitas aliqua per antiperiſtaſim, ſiue circumobſiſtentiam producta, & intenſior facta, aut eſt connaturalis ſubiecto, vt cum æſtate calidiſſimis ſolibus omnia vſtulante, aquæ tamen fontium, ac puteorum frigidiores redduntur: aut huiuſmodi qualitas ſubiecto ſuo præternaturalis eſt, vt cum eædem aquæ, hyemali frigore vndique obſeſſæ tepefiunt, & calorem concipiunt. Prior intenſio qualitatis eſt ab intrinſeco: quia, cum frigiditas aquæ ad ſui conſeruationem naturalem quandam inclinationem habet, non eſt mirum, quod qualitate contraria, calore ſcilicet, circumcirca oppugnata, hoc ipſo ſe ſe intendat, & creſcente cauſa ſui interitus, arma ad ſe tuendam ſibi prouideat, nouoſque frigiditatis gradus in ſocietatem certaminis ac periculi adſciſcat. Poſterior vero intenſio eſt ab extrinſeco: quia interiores telluris partes hyemali frigore compreſſa exhalationes calidas poris ſuis incluſas exprimunt, & in aquas fontanas, atque puteales effundunt.

56. Hæc quamuis ita communiter explicari ſoleant: aliter tamen ab aliquibus explicantur. Quod etiam ad priorem antiperiſtaſim attinet, Marſilius 1. de generat. quæſt. 18. Venetus, & alij docent, aquas ſubterraneas æſtiuo tempore ſupra modum frigeſcere, non quod præuia earum, ac natiua frigiditas ſe ſe immediatè augeat, & intendat, ſed quod ſpecies intentionales vſque ad circunſtans contrarium, ambienſque calidum emittat, quæ ab eo reuerberatæ, & ad ſubiectum, vnde exeunt, reuerſæ vberiorem illi frigiditatem iniiciunt. Contra tamen arguo: quia: vt ſpecies impreſſa hominis hominem non producit, non conſpicio, quî fieri poſſit, vt ſpecies frigiditatis frigiditatem producat: præſertim, cum vnaquæque ſpecies ad obiecti ſui repræſentationem, non verò effectionem primario inſtituta ſit. Secundò quia falſo ſupponitur, ſpecies impreſſas frigiditatis ab ea in diſtans effundi: aliàs aquam frigidam à nobis procul poſitam ſentire poſſemus.

57. Quod vero attinet ad poſteriorem antiperiſtaſim, non pauci cum Galeno lib. 3. de ſimpl. medicamentis cap. 3. docent, aquam puteorum, ac fontium brumali tempore reipſa calidiſſimam non eſſe; eſto ob frigus ſenſiterij valdè calida nobis appareat: haud aliter ac in thermis è cótrario vſuuenit, vbi ſi quis aquam tepidam ac modicè calidam baiſio illatam tangat, eam frigidam arbitrabitur. Contra tamen argumentor: quia ſi quis valdè calidus exiſtens aquas ſubterraneas tangat, calidas eas experietur: at non ob frigus ſenſiterij: ergo ob realem, & veram frigiditatem ipſarum aquarum. Adde, quod eiuſmodi aquæ hyemali tempore fumant, calidumque halitum, ac vaporem expirant: quod, niſi re ipſa nimis caleſcerent, fieri non poſſet.

58. Alij verò admittunt, aquas ſubterraneas brumali tempore reipſa ſupra modum caleſieri, non tamen ab extrinſeco, ſicut nos ſupra edocuimus; ſed ab intrinſeco: eò videlicet quod calor valdè remiſſus earum aquarum ſeſe intendat, nouoſque caloris gradus producat: haud aliter ac earum frigiditas æſtiuo tempore per antiperiſtaſim ſe ſe intendit. In contrarium tamen eſt, quod aqua ſummè frigida, ac proinde omnis caloris expers hyemali tempore paulatim incaleſcit, ſummoque illo frigiditatis gradu deiicitur: at non vi alicuius caloris remiſſi, cum nullus præceſſerit. Deinde, eſto calor aliquis remiſſus in aqua præcederet, non eſſet cur ille ſe per antiperiſtaſim intenderet: frigiditas enim excellens, cui in eodem ſubiecto commixtus eſt, eius vim retunderet, maiuſque ad intenſionem, ſuique augmentum ius, quam calor haberet.

CAPVT IX.

De intenſione per reactionem.

59. AGentia naturalia qualitates intenſas non ſolum agere, ſed etiam redigere tum plerorumque philoſophorum conſenſus, tum etiam ipſa experientia ſuadet: vt enim aliis exemplis ſuperſedeam, ſi quis lapidem frigidum apprehendat manu, & manus ſenſim frigeſcet, & lapis incaleſcet. Qui tamen oppoſitum tuentur, opponunt primò. Calidum, & frigidum aut ſunt æqualis intenſionis, aut inæqualis? ſi æqualis, neutrum qualitate ſua alterum ex toto aut ex parte priuabit: quemadmodum, ſi duo homines æqualium virium in porta aliqua concurrant, & vnus ingredi, alius egredi nitatur; neuter alterum loco deiiciet: at ſi calidum, & frigidum reagerent alterutrum qualitatis ſuæ diminutionem ab altero pateretur. Quod ſi ſint inæqualis intenſionis, ſolum illud agens, quod intenſiori ac fortiori qualitate præditum fuerit, in alterum aget, vt per ſe conſtat, & communis illa paræmia ſignificat: *Actio non procedit niſi à proportione maioris inæqualitatis.*

60. Reſpondeo tamen, ſiue agentia contraria æqualia ſint, ſeu inæqualia, reactionis capacia eſſe. Exemplum autem duorum de loco congredientium parum vrget: ſiquidem tunc etiam datur reactio: & quamuis neuter alterum de loco deturbet, tamen per mutuum, & contrarium impulſum vnus alium priuat illo impulſu, quo ſe in alterius locum propellit. Proloquium verò oppoſitum non de contrariis; ſed de ſimilibus procedit; eſtque ſenſus eſt, fieri non poſſe, vt cum duo ſunt omnino ſimilia in aliqua qualitate, in eaque nullam habent inæqualitatem, alterum tamen in alterum agat, atque illud intendat.

61. Opponunt ſecundò: cum ignis verbi gratia lignum caleſacit vt octo, illudque ad formam ignis vltimo diſponit, non poteſt lignum in eo inſtanti reagere in ignem, eumve infrigidare, & vi frigoris eius calorem imminuere: aliàs ignis non eſſet ſummè calidus ſiue calidus vt octo, ac proinde ligno calorem vt octo impertire non poſſet. Reſpondeo etſi reactio in principio congreſſus detur, non tamen ſemper durat: quare, cum quis

qui lapidem frigidum manu aprehendit, reactio tandem aliquando cessat, & manum nostram amplius non frigefieri experimur: vnde toto eo tempore, quo durat reactio, & repassio inter lignum, & ignem, ignis lignum calefacere nequibit, sicut argumento facto conuincitur. Cæterùm cùm cessat reactio, & lignum igni tandem succumbit, tunc non erit cur ignis calorem vt octo in lignum imprimere nequeat.

62. Opponunt vlterius: si ignis accendatur in vertice alicuius montis niue cooperti; sanè inter niuem & ignem ea parte qua se contingunt non poterit dari reactio: alias vna eademque pars ignis summum calorem, & simul aliquem frigoris gradum habebit: hunc videlicet per reactionem ignis: illum autem, vi aliarum partium ignis, quæ non est cur in eodem subiecto tantundem caloris producat, quantum frigoris in eo nix continua producit. Respondeo: cum ignis per reactionem niuis aliquantulum frigescit, & vltimo caloris gradu deiicitur, in eodem instanti accipere non posse à reliquis partibus ignis eundem vltimum caloris gradum, quem amisit: aliàs eum simul haberet, & non haberet: quare non nisi in instanti sequenti ignis potest vincere niuem, & partem ab ea frigefactam ad suum calorem restituere.

CAPVT X.

De intensione quatenus resistentiæ obnoxia?

63. RESistentia qualitatibus intensi à se inuicem fieri solita duplex est, positiua nimirum ac negatiua: resistentia positiua cum reactione supra explicata coincidit, & est, qua passum impressione qualitatis contrariæ se ab agente tuetur, vt cum calida frigidis, humida siccis remittuntur, resistentia negatiua est, qua passum absque vllius qualitatis productione agenti obsistit: qua ratione, si cælum formaliter frigidum non est, ab igne elementari se se defendit. Prior resistentia à nullo non admittitur: posterior verò, resistentia ab aliquibus negata præsertim in substantiis sublunaribus hunc tamen in modum probatur: cum calidum, & frigidum applicantur, non semper durat vtrinque reactio, & repassio; sed aliquando cessat: tum videlicet, cum vna qualitas nimis augetur, altera verò nimis diminuitur aut absolutè, aut respectu subiecti, cui debita est: ergo post aliquod spatium temporis nec calidum in frigidum, nec è contra aliquid operatur: tunc autem vtrumuis alteri resistit; propterea enim ab altero nihil patitur, quia ei resistit; at alterutrum alteri non resistit per resistentiam positiuam in actione positam: ergo per solam resistentiam negatiuam, siue per quandam exigentiam negatiuam, qua alterum ab altero nihil amplius pati postulat.

64. Rursus cum calidum vt septem, & frigidum vt septem opponuntur, & in instanti *B.* sequenti alterum ab altero vnum gradum frigiditatis, vnumque etiam caloris accipit; idcirco eum solum, & non plures accipit, quia pro priori naturæ resistit alterutrum contrario suo: at non dum per resistentiam positiuam: ergo per solam resistentiam negatiuam: maior conspicua est: minor suadetur: quia pro illo priori calidum non producit in contrario suo calorem; sed solùm pro posteriori signo naturæ, in quo ab eo frigiditatem recipit: at productio caloris est resistentia positiua: ergo pro illo priori nulla datur resistentia positiua: proxima maior probatur: namque si calidum prius natura calorem ageret in contrario suo, quam frigiditatem ab ea repateretur, parique ratione frigidum prius natura produceret frigiditatem in subiecto calido, quam ab eo calorem reciperet, productio caloris, ac productio frigoris mutuò, ac vicissim se natura producerent: alterutra enim productio est reactio, & alterutra est repassio: vnde si reactio est prior repassione à se distincta, sanè alterutra productio alia prior natura erit.

65. Tertiò ab aliquibus eadem met resistentia probatur: quia ferrum cultro resistit, ne ab eo scindatur: at non per impressionem alicuius qualitatis contrariæ: ferrum enim ferro contrarium non est, nullumque simile in aliud simile qualitates destructiuas imprimit: ergo ferrum cultro non positiuè; sed negatiuè resistit. Hoc argumentum, quamuis probabile sit, probabile tamen est, ferrum cultro imprimere impulsum contrarium, quo eius aciem retundat, atque à se auertat: haud aliter ac pila à pariete quantumlibet immota repellitur.

66. Porrò autem hæc resistentia negatiua in aliquo rerum ordine efficere potest, vt subiectum in fine vnius horæ verbi gratia aliquid ab agente patiatur, à quo in toto spatio antecedenti nihil omnino perpessum fuit. Ratio est, quia etsi virtus agentis in quouis instanti eius spatij eadem sit, nullumque augmentum recipiat, parique ratione resistentia negatiua passi ab eius entitate, & exigentia indistincta, semper eadem sit: cæterùm nec agens est potens in illud passum, nec passum resistit ei agenti pro omni & quouis instanti eius spatij, sed tantum pro aliquibus. Sic materia in instanti, quo habet vnam formam, aliam etiam ad quam magis dispositam est, postulat; non tamen pro eo instanti; sed pro alio. Sic etiam volitio Dei efficax terminata ad existentiam Angeli in quouis instanti, non tamen pro quouis eam decernit, atque efficaciter producit. Quamuis autem huiusmodi resistentia negatiua possibilis sit, eam tamen actu dari neutiquam crediderim, quin potius cum Themistio lib. 7. physic. & aliis probabilius arbitror, lapidem positum supra asserem, etsi eum continuò non frangat, eum tamen ad fractionem per qualitates contrarias disponere: & stillas, quæ assiduo casu excauant lapidem continuò disponere ad scissionem, etsi eum continuò non scindant, neque singulis stillicidiis seorsim sua ramenta respondeant.

***

TRACTATVS III.

De motu corporis naturalis à minori ad maiorem ſubſtantiam ; aut è contrario, ſiue de augmentatione, & diminutione.

CAPVT PRIMVM.

Augmentationis quidditas ; à diminutione, & cæteris motibus diſcrimen ; & an fiat tota ſimul, vel potius ſucceſsiue & continue ?

1. AVGMENTATIO eſt *motus à minori ad maiorem ſubſtantiam*, vt cum ignis è paruo in magnum adoleſcit : aut puer ad virilem magnitudinem excreſcit. Per *motum*, augmentatio cum prima generatione, alioque quouis motu conuenit : per particulam illam, *de minori ad maiorem*, differt à diminutione quæ potius è contrario eſt à maiori ad minorem ſubſtantiam : nec non etiam à conuerſione, quæ non eſt à minori ad maiorem ſubſtantiam, ſed ab vna ſubſtantia ad aliam omnino diuerſam. Per *ſubſtantiam* differt à rarefactione, & intenſione, quarum altera ad qualitatem terminatur?

2. Porro augmentatio, duntaxat quatenus eſt ex ſe, ſiue, vt aiunt, per ſe loquendo, à minori ad maiorem ſubſtantiam moueri debet : per accidens enim fieri poteſt, vt vi augmentationis res non à minori ad maiorem ; ſed è contrario à maiori ad minorem ſubſtantiam moueatur : vt cum ſenex, aut æger augmentantur vi nutritionis, quin tamen in maiorem ſubſtantiam creſcant ; ſed potius continuo ab ea decreſcant : decrementum tamen id non oritur à motu quo augmentantur, nutriunturque, nec in eum refundi debet ; ſed reſpectu eius per accidens ſe habet, oriturque à ſenectute vel ægritudine, quæ in cauſa ſunt, vt viuens plus ſubſtantiæ amittat, quàm per augmentationem denuo acquirit, & non tam à minori ad maiorem ſubſtantiam gradiatur, quàm à maiori ad minorem regrediatur.

3. Augmentatio trifariam euenire poteſt : primo, ita vt ad ſolam vnionem continuatiuam, inter ſubſtantiam priſtinam, & ſubſtantiam de nouo acquiſitam terminetur, vt cum duæ aquæ confunduntur, & permiſcentur. Secundo, ita vt ad vnionem inter duas illas ſubſtantias, & inſuper ad vnionem formæ de nouo acquiſitæ cum eius materia terminetur, vt per nutritionem, animæ rationalis vnio cum materia per nutritionem comparata producitur. Tertiò, ita vt ad vnionem formæ de nouo acquiſitæ cum eius materiæ, nec non entitatem ipſius formæ terminetur, vt cum per nutritionem equi, ſi eius anima diuiſibilis eſt, non ſolùm vnio continuatiuæ ſubſtantiæ de nouo acquiſitæ, verum etiam forma partialis equi, nec non eius vnio eſſentialis cum materia alimenti producitur. Quanquam autem augmentatio triplici illo modo vſurpari ſoleat ; cæterùm haud rarò dicitur augmentatio ſolo priori modo : ſecundo verò, & tertio modo non tam augmentatio, quàm ag generatio dici conſueuit. Quibus conſtitutis.

Cenſeo, augmentationem fieri ſucceſſiue, & continuè : ita D. Thomas 3. p. q. 33. art. 1. ibi : *ſimiliter & tertium oportet eſſe ſucceſſiuum : tum, quia augmentum non eſt ſine motu locali : tum etiam, quia procedit ex virtute animæ, iam corpore formato operantis, quæ non operatur niſi in tempore.* Quibus verbis aſſerit, augmentationem corporis Chriſti in vtero materno fuiſſe ſucceſſiuam : quod autem ea ſucceſſio continua fuerit, & non interrupta, & inſtantanea, ſicuti D. Thomam explicat Hurtadus, perſpicuum eſt : quia ſi augmentatio illa continua non fuiſſet, neque etiam in tempore fuiſſet, cum plura inſtantia diſcreta tempus non conſtituant. Id ipſum docet Gregorius in 1. diſt. 14. quæſt. 2. art. 1. Burleus lib. 3. phyſicor. ad text. 6. Sotus lib. 5. phyſicor. q. 3. art. 2. Iandunus lib. 8. q. 2. Amadeus. 1. de generat. q. 2. art. 1. Iauellus de generat. tract. 2. cap. 3. Marſilius quæſt. 14. Saxonia quæſt. 13. Collegium Conimb. 1. de generat. cap. 5 q. 16. art. 2. P. Rubius ibidem. tract. de augment. quæſt. 3. num. 24. 4.

Probatur primò authoritate Ariſtotelis 5. Metaphſ. cap. 18 ibi : *alia verò vt motus, & tempus* (ſubaudi quanta dicuntur.) *Hæc enim, & quanta quædam continua dicuntur, quia illa diuiſibilia ſunt, quorum hæc ſunt affectiones.* Quibus verbis docet, continuum eſſe proprietatem motus corporei, haud ſecus, ac continuitas, & diuiſibilitas eſt affectio eius, quod ita mouetur. At augmentatio eſt motus : ergo continua eſſe debet. Deinde, motum (puta corporeum) & tempus quoad continuitatem æquiparat : at omne tempus eſt continuum : ergo & omnis motus corporeus, qui ab Ariſtotele ſolus appellatur motus, cenſeri debet continuus. 5.

Probatur ſecundo : ignis verbi gratia ſe ſe augmentans non inſinuat formam ſuam ſubſtantialem ſimul, & ſemel in aliquam determinatam partem materiæ, quæ ſibi accreſcat : ergo eam in quamuis materiæ partem ſucceſſiue, & continue introducit : conſequentia perſpicua eſt : quia ſi augmentatio, aut quod perinde eſt, aggeneratio ignis, continua non eſſet, maximè, quia fieret ſimul, & in inſtanti : vnum autem inſtans alteri immediatum, & continuum eſſe non poteſt : cum ergo in inſtanti ſimulve non fiat, ſanè continua eſſe debet. Antecedens probatur : quia ignis in materia per augmentationem comparanda agit vniformiter difformiter : hoc eſt, prius in propiori parte, & poſterius in remotiori, intenſiuſque in illa, quàm in hac, vt omnium agentium, ipſiuſque ignis experientia compertiſſimum eſt : ergo aſſignata quauis parte materiæ per augmentationem comparandæ, ignis prius, & intenſius in vna eius parte, quàm in alia operatur, atque adeò eam totam ſimul vltimo non diſponit, prout oportet ad ſimultaneam introductionem formæ in totam illam : igitur continuè, & ſucceſſiue formam ignis in eam imprimit, & non ſimul, ſicuti aduerſarij nituntur. 6.

Probatur tertiò : quia non eſt potior ratio, cur generatio ignis ſit continua, quàm eius aggeneratio, ſiue, augmentatio : at generatio ignis continua, & ſucceſſiua eſt : ergo & eius augmentatio. 7.

tio. Maior in propatulo est, & à nemine non conceditur: minor suadetur, quia si ignis prima generatio non continua, & successiua, sed simultanea, & subita esset: maximè, quia ignis certam aliquam, & determinatam portionem materiæ sibi præstitueret; in qua, & non minori naturaliter introduci non posset: quæ portio materiæ ob id minimum naturale appellari consueuit: at hæc ratio nulla est: ergo. Minor probatur: quia sicut ignis maximum naturale non sortitur, ideò, adeo magnus esse non potest, vt naturaliter maior adiuncto etiam pabulo, esse nequeat: ita similiter non est, cur per se loquendo minimum naturale sortiatur, curve seorsim à contrariis signata quauis materiæ parte in alia minori produci, & conseruari non possit.

8. Deinde: esto ignis minimum naturale sortiatur, id neutiquam arguit, aut potest, eum simul produci debere; sed satis erit, vt nunquam existere possit, quin certam quandam, ac determinatam magnitudinem sortiatur: esto eam non simul, sed successiue sortiatur; haud secus, ac lapis per montis decliue proiectus nequit descendere aliquantulum, quin certam, ac determinatam spatij magnitudinem deorsum conficiat. Ob id tamen necesse non est, vt per totum illud spatium simul, & non continuo, & successiuè descendat.

9. Probatur quartò: quia augmentatio, quæ fit per nutritionem, est continua, & successiua: igitur idem de quauis alia dicendum est: antecedens probatur: quia si nutritio non esset continua, & successiua, maximè quia fieret per minima in diuersis instantibus; formáque substantialis hominis verbi gratia nutritionem effectura non posset prius vnam partem minimi subire, quàm aliam: ac proinde totum simul subire deberet: at hoc falsum est: ergo. Minor suadetur: quia idcirco forma substantialis, nimirum anima rationalis, priùs vnam partem minimi naturalis (quod, iuxta Aristotelem, & Beatum Thomam magnitudinem lapis non excedit) quàm aliam subire nequit, sed potius totum illud simul, semelque in prima hominis generatione subire debet; quia forma vitalis, qualis est anima, nequit per se cõsistere nisi in certa, ac determinata materiæ portione; ea nimirum, quæ ad suas functiones exercendas sufficiens sit: at hæc ratio in nutritione hominis non militat; siquidem portio materiæ alimentalis, quantumuis exigua sit, cum per nutritionem materiæ præcedenti adiungatur, ad functiones animæ exercendas, quoad eius est, sufficit: igitur non est, cur anima hominis in nutritione mininum aliquod naturale sibi præscribat, in quod totum simul introducatur.

10. Probatur quintò: in augmentatione hominis anima rationalis extenditur ad maiorem locum, quàm antea occupabat, vt cernere est in puero in virum crescente: at ea extensio in instanti fieri nequit, sed potius continuè, & in tempore: ergo etiam augmentatio hominis cum ea coniuncta non in instanti, sed continuè, atque in tempore fieri debet. Maior perspicua est: minor suadetur, quia animam rationalem ad maiorem locum protendi, quàm antea occupauerat, est retento pristino loco nouum potiri: at nequit pristino loco retento nouum potiri, nisi continue, & in tempore: plus enim est retento pristino loco nouum potiri, quàm pristino loco omisso, nouum occupare: anima autem nequit, amisso pristino loco, nouum potiri, nisi continuo, & in tempore: aliàs localiter in instanti, & non continuo, & in tempore posset moueri, quod manifestè falsum est: ergo à fortiori retento pristino loco nouum occupare non potest in instanti, sed potius continuo, & in tempore.

CAPVT II.

Soluuntur argumenta quædam aduersus nostram, & veriorem sententiam.

OPpositam sententiam tuentur Scotus in 4. dist. 44. quæst. 5. Capreolus in 1. dist. 17. quæst. 2. art. 2. Auerroes lib. 3. Physicor. comment. 8. Albertus 8. Physicor text. 23. Soncinas 8. Metaphysicæ quæst. 22. Ferrariensis, Pomponatius, Thomas Garuius, Toletus, Hurtadus, Arriaga, aliique complures, quos referre superuacat. Arguunt primò: tunc introducitur forma substantialis per augmentationem, cum materia ad eam vltimo dispositа est: at vltima dispositio ad formam substantialem in instanti & simul producitur: ergo ipsa forma substantialis simul, atque in instanti in materiam vi augmentationis introducitur: cum ergo nullum instans alteri immediatum, continuúmque sit, augmentatio continua esse nequibit. Maior certior est, quàm vt probatione indigeat: minor suadetur: quia in continuis non datur primum, & vltimum, nisi ratione indiuisibilium. Vltima ergo dispositio, quatenus vltima, in indiuisibili sita erit: cum ergo indiuisibile non possit produci, nisi in instanti, & simul, vt omnibus exploratum est: sanè vltima dispositio ad formam substantialem, quatenus talem, non nisi simul, atque in instanti fieri potest. 11.

Huic argumento responderi potest primò; in continuo primum, & vltimum duplex esse: aliud à partibus continui indistinctis ad earumque diuisibilitatem diuisibile; qua ratione, si à ligno vnius palmi verbi gratia omnia indiuisibilia abscinderentur, adhuc illud vi partium remanentium primum, & vltimum haberet; & neutra ex parte in infinitum abiret: aliud verò à partibus continui distinctæ, & in indiuisibilibus situm, vti suprà lib. 3. tract. 4. cap. 3. & 4. exposuimus. Tunc ergo introducitur per augmentationem forma substantialis, cum producitur dispositio vltima ad illam; vltima, inquam, intrinsecè, & ratione partium ipsius dispositionis continuæ: non verò cum producitur ea dispositio vt vltima extrinsecè, & ratione indiuisibilium à se distinctorum: cum igitur fiat in tempore, & non in instanti vltima dispositio ad formam priori modo; sanè introductio formæ in tempore, & non in instanti fiet, quantumcúmque vltimam dispositio ad formam posteriori modo instantanea, & subita sit. Secundo probabiliter responderi potest; formam substantialem per augmentationem, aliúmve motum non introduci in materiam, cum vltimo disponitur, sed immediatè post: cum igitur post instantaneam productionem vltimæ dispositionis tempus sequatur, sanè augmentatio in tempore fiet. Hæc tamen doctrina ita intelligenda non est, vt vltima dispositio, cum non existit, 12.

ad formam disponat: quia post primam, instantaneam que sui productionem non perit, sed conseruatur, & prout conseruata primam formæ productionem in tempore comitatur.

15. Arguunt secundò: augmentatio vel est productio vnionis materiæ de nouo acquisitæ cum pristina materia, vel si pro productione formæ de nouo acquisitæ sumatur, certè productionem vnionis continuatiuæ nuper propositam concomitatur: at productio eius vnionis continuatiuæ est interrupta, ac discreta, & non continua: ergo idem de augmentatione dicendum est. Maior in aperto est: minor suadetur: quia vnio continuatiua in indiuisibili sita est: at productio cuiusque indiuisibilis discreta, & interrupta esse debet, non verò continua; cum ea productio in instanti necessario esse debeat, vnum verò instans alteri continuum esse nequeat. Respondeo primò; vnionem continuatiuam in indiuisibilibus sitam non esse, vt suprà citato lib. 3. cap. 3. & 4. ostendi. Respondeo secundo; vnam partem corporis alteri vniri, & continuari per superficies, si, vt aduersarij nituntur, indiuisibilia continuatiua admittenda sunt: superficies autem versus longitudinem, & latitudinem diuisibilis est: quod satis superque est, vt eius productio diuisibilis, & continua esse possit: ac per consequens augmentatio in ea productione sita, vel certè cum ea conuincta diuisibilis, & continua esse poterit.

14. Arguunt tertiò: cum animal vi caloris naturalis substantiam alimenti depascitur, tandem deuenire necesse est ad aliquam partem alimenti, in qua pro nullo instanti, aut spatio temporis forma substantialis alimenti conseruari possit: igitur subito, simulque ab ea alimenti parte, eius forma expellitur, & forma viuentis per aggenerationem introducitur: ac proinde ea aggeneratio continua, & successiua esse non poterit. Respondeo: nulla pars alimenti adeo exigua esse potest, quin in ea pro tantillo tempore forma alimenti conseruari possit. Cæterùm, spatium illud temporis ad conseruationem formæ alimentaris sufficiens, adeò exiguum est, vt imperceptibile sit: idque satis est, vt particula materiæ, in qua forma alimenti tantulum conseruari potest, & non diutius appellari possit, & debeat nimirum naturale. Deinde respondeo, me neutiquam inficiari augmentationem per accidens interdum interrumpi, vel ratione contrarij alicuius existentis: vel si mauis, ob exiguitatem passi applicati, quæ ea sit, vt destructio pristinæ formæ, & aggeneratio formæ nouæ subita, & instantanea sit; atque adeo continuitatis incapax esse debeat. Quod ergo tantum contendo est, augmentationem per se loquendo esse successiuam, & continuam: huius autem contrarium falsitatis non euincitur argumento facto, vti intuenti constabit.

15. Arguunt quartò: si qua ratione augmentatio continua, & successiua esse deberet, maximè quia agentia omnia naturalia agere debent vniformiter: at hoc est falsum: ergo. Maior nostra est: minor probatur primò: quia Sol intensius speculum, quàm aërem intermedium illustrat: quod si lux in speculo refracta non intensiuè, sed extensiue maior alicui videatur; certè negari nequit, solem intensius illuminare lunam, aliaque sydera, quæ ab eo lucem mutuantur, quàm partes cœli propinquiores Soli. Secundò: quia edito alicubi fragore, qui prope consistunt in certa aliqua distantia, simul eum audiunt: ergo quia fragor ille in certa aliqua distantia simul species sui diffundit: ergo non vniformiter difformiter, siue, quod perinde non est, citius in parte propiori, quàm remotiori. Tertiò: quia si Sol in quauis parte spatij quo magis ea à se distaret, eo magis in ea lucē suam remitteret: sanè lux Solis in telluris superficie remississima esset: siquidem partes spatij Solem, telluremque interpositæ infinitæ sunt: lux ergo vbi telluris superficiem lambit, infinitè remittitur: at hoc experientiæ repugnat, cum lux etiam prope telluris superficiem intensissima sæpè sit, eáque, quæ valentissimam aciem verberet, atque perstringat.

16. Verùm, hæc non vrgent. Ad primum respondeo; per accidens quidem ob dispositionem peculiarem passi euenire quandoque posse, vt agens intensius in dissito, quàm in propinquo operetur, & vniformitatem cum difformitate non coniungat: & hoc solum, & non aliud prima ratio numeri superioris euincit. Cæterùm per se loquendo: nullum agens naturale est, quod in operando vniforme, ac difforme non sit; quod satis est, vt per se loquendo augmentatio continua sit, vti suprà argumentabar. Ad secundam rationem respondeo: in tota aliqua distantia simul auditur fragor aliquis, eiusque species intentionales simul diffunduntur, eo quod contrario careant: ex quo quia inferat, ea agentia, quæ in operando alicuius contrarij luctam patiuntur (de quibus solis quod ad præsens attinet, nobis sermo est) ea, inquam, simul in aliqua certa distantia operari, & non potius, citiusve in ea parte passi, spatiive, quæ iis propior est? Aut dic: in quauis distantia ab edito fragore eum non simul, sed successiuè audiri. Cæterum, distantiam inter eum, qui prius, eúmque qui posterius audit, esse imperceptibilem, ac proinde eam, quæ nulla esse videatur: equidem mirum non est, quod ea distantia percipi nequeat, cum distantia cœli, & alicuius cacuminis à longè visi, nullo modo à visu percipiatur.

17. Ad tertium respondeo: Calor feruentis aquæ amoto igne decrescit, & remittitur; & quamuis breuissimo temporis spatio, ictu oculi verbi gratia, illud decrementum, siue remissio duret, tamen per infinitas temporis partes durat: at hoc non obstante transacto eo breuissimo temporis spatio, ictu oculi verbi gratia calor intensissimus manet: cur ergo lux in superficie terræ intensissima esse nequeat, quantumlibet post infinitas spatij partes transactas, infinitam remissionem, iacturamque passa sit? Ratio vtriusque est, quia licèt lux verbi gratia superficiem telluris lambens infinitè minus intensa sit, quàm lux immediata Soli: cæterùm tota ea infinitas est secundum quid, atque adeo cum absoluta eius intensione non repugnat. Quod autem excessus finitus, quo altera alteram superat, maximus sit, & per tot gradus, quot nemo ferè in numerum redigere possit: quod, inquam, id, quod argumentum conuincit, hic excessus huiusmodi sit, non arguit lucem in telluris superficie existentem, eíque affusam non esse valdè intensam, sed duntaxat lucem Soli vicinam incomparabiliter maioris esse intensionis.

CAPVT

CAPVT III.

Solutio alterius argumenti: vbi an alteratio sit continua?

18. ARguunt quintò: alteratio continua non est: ergo nec augmentatio. Consequentia perspicua est: tum ab æqualitate rationis, tum etiam quia alteratio cum augmentatione coniuncta est, ita vt dum vna pars corporis per augmentationem comparatur, alia eius pars alteretur, vt experientia testis est. Antecedens verò probatur primo: quia si ignis trabem prope se positam continuè alteraret, ac calefaceret, sanè in ictu oculi totam illam calefaceret, omnésque eius superficies penetraret; siquidem in ictu oculi prope infinita sunt instantia: quare si quouis instanti aliquam trabis superficiem calefacit, sanè in ictu oculi nulla trabis superficies non calefacta manebit.

19. Secundò probatur idem antecedens: quia species soni per totam distantiam spatij, per quam sonus audiri potest, successiuè diffunduntur: at ea successio continua non est, sed morulis interrupta: ergo idem de quauis alia alteratione dicendum est. Maior, minórque probantur: quia qui fabro prope adstat, simul mallei flagellum conspicit, & sonum audit: qui verò longè abest, prius ictum videt, quàm sonitum audiat: ergo quia species auditiuæ successiuè diffunduntur: cum autem in certa aliqua distantia simul, & in instanti diffundantur, in ea nimirum, in qua sonus simul auditur, instansque instanti non sit immediatum, aut continuum; sanè successio illa continua esse non poterit. Tertiò: quia lapis suprà asserem positus continuò asserem non impellit, sed potius impulsus, & grauitatio, qua asserem deprimit, & fractitat, moris intermittitur: ergo idem de quauis alia alteratione dicendum est: antecedens suadetur: quia aliàs impulsus lapidis post duos annos, eiusque operatio lapidi impressa prope infinita forent; quod tamen falsum est, cum asser elapsis duobus illis annis nondum fractus sit.

20. Respondeo negato antecedenti. Ad primam probationem contrariam dicendum est: imprimis ea solùm conuincit, alterationem totalem, qua integra trabs calefit, continuam non esse, sed morulis innumeris interruptam ob resistentiam ipsius trabis: neutiquam verò ea concludi quamlibet alterationem partialem, qua constat, continuam non esse. Deinde ne hoc quidem probat: sicut enim in spatio ictus oculi sunt prope modum infinita instantia; ita similiter in quauis particula trabis sunt propemodum infinitæ superficies, esto igitur quouis instanti vna superficies trabis calefiat; inde tamen non fiet in ictu oculi totam trabem, sed dumtaxat aliquam eius particulam calefieri.

21. Ad secundam probationem contrariam dicendum est, quòd species soni non continuè, sed simul, & in instanti diffundantur in certa aliqua distantia; ac proinde ab earum diffusione in alia distantia discreta sit; eo quod instans ab instanti discretum, non verò ei immediatum sit. Hoc, inquam, ideo est, quia species contrario carent: cum ergo aliæ alterationes cum resistentia alicuius contrarij coniunctæ sint, non est, cur eæ instantaneæ, & discretæ sint. Aut secundo dic: quamlibet specierum diffusionem partialem continuam esse, esto totalis earum diffusio, quaquauersus auditur sonus, continua non sit. Vtramque solutionem in simili habes inter diluendum anterius argumentum, eiusque secundam probationem. Porrò sciscitabitur fortasse aliquis, cur productio totalis specierum soni successiua sit, vel successione continua, vel successione discreta, vt fassi sumus. Respondeo: quia productio specierum soni, earúmque diffusio dependet à motu locali soni, qui successiuus est: vel enim sonus non producit speciem sui, nisi vbi præsens, vel certè parum indistans est; more quantitatis, quæ tactum per se, aut per speciem non producit, nisi vbi est; atque ita sonus continuò moueri debet, vt species diffundat: cur igitur diffusio specierum continua esse non debeat; sicut motus, a quo dependet, continuus est? Vel sonus producit speciem sui, vbi præsens nullatenus est: & sic non poterit diffundere simul species sui in tota distantia, in qua auditur, sed in parte eius distantiæ Vnde, vt in alia vlteriori parte eas diffundat, necesse est successiue moueatur versus eam spatij partem, in qua species profundere debet: ac per consequens vna, & alia specierum productio interrumpi debet ea temporis mora, quæ necessaria est, vt sonus ab vna loci parte ad aliam localiter moueatur, & impellatur. Animaduerte autem ad ea, quæ hic, & paulò superius dixi de sono, & eius speciebus supponi à me disputandi gratia, & quod dentur in rebus tales species, & etiam sonum esse qualitatem absolutam à motu realiter distinctam. Quid autem absolutè sentiam de vtroque puncto, constabit in loco.

Ad tertiam probationem contrariam dicendum 22.
est; lapidem suprà asserem insidentem in eum cõtinuo operari, & qualitates ad eius vnionem continuatiuam necessarias continuo destruere. Quod autem elapsis duobus annis operatio lapidis in asserem prope infinita, aut etiam absolutè infinita sit; non obstat: cum ea infinitas sit proportionalis, & secundum quid, atque adeò insufficiens, vt asserem frangat, atque dissoluat: Sicut etiam calor vt duo infinitas partes proportionales continet; & tamen insufficiens est, vt frigiditatem omnem aquæ, omnemque temperiem ad eius conseruationem necessarium destruat.

TRACTATVS IV.

De motu corporis naturalis ab vna substantia ad aliam diuersam, siue de conuersione substantiali.

CAPVT PRIMVM.

Quid, & quotuplex sit conuersio?

CONVERSIO est transitus vnius rei in aliam, ligni, verbi gratia in ignem. Quapropter quatuor terminos interiacet, duos terminos positiuos, duosque terminos negatiuos: ex duobus positiuis

poſitiuis alterum *à quo*, & alterum *ad quem*: & ex duobus negatiuis ſimiliter alterum *à quo*, & alterum *ad quem*: ſiquidem lignum tranſit in non lignum, & non ignis in ignem; vbi lignum in ignem conuertitur: ignis autem & non ignis, lignum, & non lignum quatuor termini ſunt: partim poſitiui, partim negatiui: partim *à quo*: partim *ad quem*, vt intuenti conſtabit. Omnis autem conuerſio debet eſſe coniuncta cum pugna circa aliquod tertium poſitiuum, & reale; quod termino *à quo*, & termino *ad quem* ſucceſſiuè commune ſit. Qua ratione; lignum, quod in ignem conuertitur, cum eo pugnat circa materiam primam, quæ in vtroque ſucceſſiuè eadem eſt. Cæterum, eſto deſtructo Angelo producatur lapis, Angelus in lapidem non conuertitur: quia inter Angelum, & lapidem nulla pugna nullaque naturalis incompoſſibilitas interuenit: & vnum corpus eſto aliud loco expellat, in illud non conuertitur: quia circa locum imaginarium, non verò circa aliquid reale, quod vtriuis intrinſecum eſſe poſſit, mutuo pugnant, & incompoſſibilia ſunt.

2. Porro hæc pugna, & imcompoſſibilitas vtriuſque termini poſitiui *à quo*, & *ad quem*, eſto plerúmque naturalis ſit, tamen interdum moralis eſſe poteſt, & proficiſci ex ſolo beneplacito Dei: quare ſi Deus ſtatueret, vt in aliquo ſubiecto lux, & albedo nunquam cohærerent; agens, quod ſubiectum illud prius lucidum dealbaret, ſanè & illud de lucido in album conuerteret: & quod illud prius album poſteà illuſtraret, certè & illud, de albo in lucidum conuerteret. Probatur: tum, quia incompoſſibilitas moralis vera incompoſſibilitas eſt, vt in exemplo poſito cernere eſt: cur ergo ad veram conuerſionem non ſufficiat? tum, quia, ſi rex alicui ſenatoris officium aufferre, eique officium prætoris eius loco conferre decerneret, profectò ſenator ille in prætorem conuerſus diceretur: & tamen inter vtrúmque terminum poſitiuum eius conuerſionis ſola incompoſſibilitas moralis ex decreto regis vtrumque officium in eodem concurrere nolentis, non verò incompoſſibilitas phyſica interuenit: tum denique, quia iuſtus peccando in peccatorem conuertitur, & è contrario peccator reſipiſcens in iuſtum conuertitur; tametſi iuxta non paucos Theologos inter peccatum, & gratiam iuſtificantem incompoſſibilitas ſolùm moralis interueniat.

3. Conuerſio multifariam diſſecari ſolet: alia enim eſt accidentalis, vt cum album in nigrum conuertitur: alia ſubſtantialis, vt cum lignum in ignem conuertitur: alia eſt formalis, cum vna forma in aliam deſinit, vnaue alteri ſuccedit, vt in duobus exemplis poſitis cernere eſt: alia eſt materialis, cum inuariata forma vnum ſubiectum alteri ſuccedit, aut in aliud deſinit. Qua ratione ſi lux verbi gratia de ſubiecto in ſubiectum adæquatum migret, non per mutationem loci, ſed per mutationem ſubiecti, quod ſub eadem luce modò vnum, modò aliud ſit, vt nonnulli à nobis ſuprà lib. 2. tract. 2. cap. 1. citati arbitrantur, ſanè vnum lucidum in aliud lucidum conuerſione materiali conuertetur. Deinde conuerſio alia eſt partialis, qua vna ſubſtantia manente aliquâ eius parte conuertitur, vt accidit in conuerſione ignis in lignum: aliáque eſt totalis, qua vna ſubſtantia ſecundum ſe totam, & nulla eius parte remanente in aliam conuertitur, quæ tranſubſtantiatio appellatur, & huiuſmodi eſt conuerſio, qua ſubſtantia panis, & vini in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti in myſterio Euchariſtiæ conuertitur.

Quod autem conuerſio non ſolùm ſit compoſiti in compoſitum, verum etiam propriè, & rigoroſè loquendo vnius formæ in aliam; ex eo in primis patet, quia non ſolùm compoſitum produci, verum etiam forma ipſa produci propriè dicitur: quis enim animam rationalem propriè creari, aut equinam generari neget? Cur ergo non ſolùm compoſitum, verum etiam forma in aliam propriè conuerti negetur? Tum etiam id ipſum liquet ex illo Iacobi 4. cap. ibi: *viſus veſter in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem:* quibus verbis vnam formam accidentalem in aliam conuerti Apoſtolus aſſerit. Tandem ſuadetur idem: quia in conuerſione materiali, qua vnum ſubiectum alteri ſub eadem forma ſubſtantiali, aut accidentali ſuccedit, vnum ſubiectum in aliud conuertitur: ergo & in conuerſione formali, qua vna forma alteri in eodem ſubiecto ſuccedit, vna forma in alteram conuertitur. Conſequentia perſpicua eſt: antecedens ſuadetur, quia in myſterio Euchariſtiæ, quo corpus Chriſti ſubſtantiæ panis ſub eiſdem accidentibus ſuccedit, vnumque ſubiectum in ordine ad eadem accidentia vicem alterius gerit, vnum ſubiectum in aliud propriè conuertitur; nimirum panis in corpus Chriſti, vt fide ſanctum eſt: ergo &c. Quare neſcio, quo iure conuerſionem propriam vnius formæ in aliam negarit Pater Ægidius de Sacrament. quæſt. 75. art. 4. dubio 4. 4.

CAPVT II.

An ad conuerſionem deſitione termini à quo, *& productione termini* ad quem *opus ſit?*

5. ILlud apud omnes certum, atque exploratum eſt, in omni conuerſione vnius rei in aliam opus eſſe; vt aliquid de nouo eſſe deſinat, aliudque de nouo producatur: quoties enim aliqua res in aliam conuertitur, vna alteri de nouo ſuccedit in aliquo vero, & reali munere; quod abſque aliqua deſitione, & productione noua inintelligibile eſt: vbi enim duo inſe quoad ſubſtantias, & circunſtantias etiam omnes immutata maneant, omniſque deſitionis, & exceptionis expertia, qua ratione vnum alteri de nouo ſuccedere poterit? Cæterùm illud valdè controuerſum eſt, an ad conuerſionem vnius rei in aliam oporteat, vt id quod conuertitur, ſiue terminus *à quo* conuerſionis verè in ſe deſinat eſſe; id autem in quod aliud conuertitur, ſiue terminus *ad quem* conuerſionis verè eſſe incipiat, & in ſe de nouo producatur, an verò ſatis ſit, vt circa terminum *à quo*, & terminum *ad quem* aliquid de nouo deſinat eſſe, aut de nouo ad eſſe producatur, videlicet vnio, aut præſentia localis, aliudve eiuſmodi?

6. Prima ſententia eſt, ad conuerſionem requiri deſitionem termini *à quo*, & productionem termini *ad quem*: ita P. Suarez tom. 3. in. 3. part. diſp. 5. ſect. 4. Hurtado diſp. 1. de generat. à §. 19. Ægidius Conninck vbi ſuprà ad finem cap. præcedentis citatus, Arriaga diſp. 1. de generat. ſect. 4.

sect. 3. subsect. 1. ex Nominalibus autem Okamus, & Gabriel. in 4. dist. 11. q. 1. art. 3. dub. 2. & in can. lect. 40. ac denique è Schola Thomistica tantum non omnes. Cuius sententiæ, quæ communior est, prima pars in hunc modum suadetur. Primò: quia nulla conuersio nobis innotescit de facto existens, cuius terminus *à quo* esse non desinat: ergo desitio termini *à quo* ad conuersionem necessaria est: consequentia perspicua est: nisi enim ex iis, quæ de facto existunt & aperta sunt, naturam & essentiam conuersionis metiamur, nulla regula certa ad philosophandum de ea nobis supererit; sed quiuis pro libito quiduis comminisci poterit. Antecedens suadetur: quia si de conuersionibus naturalibus sermo sit, nulla est, cuius terminus à quo esse non desinat: album enim verbi gratia non nisi desitione sui in nigrum conuertitur: lignum etiam non nisi prius destructum in ignem mutatur, & sic de reliquis id genus: si verò de conuersione supernaturali panis, & vini in corpus & sanguinem Christi sermo sit, eius etiam terminus *à quo*, nimirum panis, & vinum esse desinunt.

7. Secundo: quia in morte hominis homo conuertitur in cadauer; anima verò rationalis in formam cadauericam non conuertitur: non alia ratione, nisi quia homo definit esse; anima verò rationalis non definet esse: ergo vt aliquid in aliud conuertatur, conuersionisque terminus *à quo* sit, opus est, vt esse desinat. Minor, & consequentia perspicuæ sunt. Maior suadetur: quia cum anima rationalis non incipiat esse ex aliquo, sed potius ex nihilo creetur; non poterit sanè conuerti in aliquid, præsertim cum non destruatur. Tertiò: quia diuina essentia nequit in aliquid conuerti, aut alicuius conuersionis terminus *à quo* esse: at non alia de causa, nisi quia definere esse nequit: ergo &c. Minor, & consequentia in aperto sunt. Maiorem P. Vasquez aduersariorum præcipuus, tom. 3. in 3. part. disput. 184. cap. 4. adeò manifestam iudicat, vt in quæstionem cadere non possit: eámque luculenter docuit Beatus Thomas 3. p. q. 2. art. 1. vbi loquens de essentia diuina sic ait: *nec ipsa potest conuerti in aliud, cum sit incorruptibilis, nec aliud in ipsam, cum sit ingenerabilis.*

8. Quartò: quia Christus esto desinat esse sub speciebus panis, iam in Stomacho corruptis, sub iisque ita corruptis, præsertim sub quantitate, alia substantia esse incipiat, nimirum chilus, & postea caro hominis; tamen Christus in chilum, aut carnem hominis non conuertitur: at non alia ratione, nisi quia absolutè Christus esse non desinit, esto aliquo munere fungi desinat: ergo absoluta desitio termini *à quo* ad conuersionem necessaria est. Minor, & consequentia probatione non egent. Maior probatur: quia præterquam quod ex se absurdum videatur, Christum in chilum, carnem, & etiam vermes, ac excrementa conuerti; certè id Sanctis Patribus parùm conforme esse apparet, apud quos nihil familiarius, quàm Christum in Sacramento altaris non tam conuerti in sumentem, quàm sumentes in se conuertere: quo certè alluſit Author serm. 28. de verbis Domini apud Augustinum, qui censetur esse Ambrosius, aut ex illo ferè ad verbum desumptus lib. 5. de Sacrament. cap. 4. ibi: *non est iste panis, qui vadit in corpus. sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit.*

Quinto argui potest: quia Verbum diuinum esto naturam humanam de nouo intrinsecè terminet, ac subsistentem denominet, atque adeò in tempore homo factus sit, tamen in hominem non conuertitur: ast non alia ratione, nisi quoniam non desinit esse: hæc ergo desitio necessaria est ad id, vt vna res in aliam conuertatur. Minor & consequentia in propatulo sunt. Maior probatur ex illo Athanasij in Symbol. *Qui licèt Deus sit, & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus: non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.* Demum arguitur: quia vt vnum conuertatur in aliud, conuersionisque terminus *à quo* sit, opus est, vt in aliud desinat esse: hæc enim duo non solùm reciprocari, verum etiam coincidere videntur: opus ergo est, vt absolutè esse desinat, cum desinere esse in aliud, absolutè desinere esse complectatur. 9.

Posterior verò præfatæ sententiæ pars, quæ magis ambigua est, & admissa priore à nonnullis recentioribus negatur, in hunc modum suadetur: nulla conuersio nobis innotescit de facto existens, cuius terminus *ad quem* de nouo non producatur: signum igitur est, de ratione conuersionis eiusmodi productionem esse, vt paulo suprà arguebamus. Antecedens quoad conuersiones naturales in conspicuo est: nec enim frigidum in calidum absque caloris productione, nec lignum in ignem absque huius noua productione conuerti vspiam visa sunt: idémque per omnes naturales conuersiones proculdubio tales discurrenti manifestum erit. Quoad conuersionem autem supernaturalem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi idipsum antecedens suadetur authoritate Sanctorum Patrum, apud quos nihil solemnius, quàm in consecratione *fieri, confici, creari* corpus Christi. *Panis iste* (inquit Ambrosius lib. 3. de Sacrament. cap. 4.) *panis communis est ante verba Sacramentorum; vbi aduenerit consecratio, de pane fit corpus Christi.* Et Cyprianus serm. de cœn. Dom. de Christo loquens: *qui vsque hodie*, inquit, *verissimum, & sanctissimum corpus suum creat.* Ratione etiam suadetur idem antecedens quoad posteriorem eius partem: quia nisi conuersio panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, horum nouam postularet productionem, solàque productione præsentiæ eorum accidentalis sub speciebus consecratis staret; sanè eiusmodi conuersio substantialis non esset: at substantialis est, & transubstantiatio à Concilio Tridentino inferius citando appellatur: ergo &c. Maior probatur: quia cum vnum corpus substantiale aliud loco expellit, in illud non conuertitur conuersione substantiali, nimirum quia licèt ibi vna substantia alteri in præsentia accidentali succedat, tamen nulla substantia re vera producitur: quomodo ergo Eucharistica conuersio substantialis esse poterit, si necessario non inuoluit nouam productionem substantiæ corporis, & sanguinis Christi? Et quidem, nisi productio termini *ad quem* de ratione conuersionis vt sic esset, non apparet, cur in conuersione panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi ea intercedere deberet. 10.

Secundò eadem posterior pars præfatæ sententiæ suadetur: quia ad conuersionem necessaria est desitio termini *à quo*, vt nuper ostensum est: ergo & productio termini *ad quem*. Tertiò: quia in diuinam essentiam nihil conuerti potest, esto diuina essentia munus aliquod rei creatæ de nouo 11.

gerere;

gerere, & loco illius vnionem aliquam intrinsecam in tempore terminare possit : at non alia de causa, nisi quoniam Deitas produci nequit. Quam rationem perspicue tradit Beatus Thomas 3. part. q. 2. art. 1. paulo suprà laudatus. Quartò tandem : forma substantialis alimenti in animam rationalem per nutritionem non conuertitur, esto alimentum in carnem & sanguinem hominis conuertatur, vt compertum est : at id ita se habet, quia quantumuis anima rationalis in eadem materia formæ alimenti succedat, cæterùm non producitur de nouo, sicut caro, & sanguis hominis de nouo producuntur : vt ergo aliquid sit terminus *ad quem* conuersionis, siue id, in quod aliud conuertitur, opus est, vt de nouo per actionem conuersiuæ producatur. Maior perspicua est : qua enim ratione forma materialis alimenti in animam spiritualem magis conuerti poterit naturaliter, quàm lapis in Angelum, aliudve quod uis corpus in spiritum ?

12. Secunda sententia est, ad conuersionem vnius rei in aliam neutiquam opus esse desitione termini *à quo*, aut productione termini *ad quem*; sed satis este, vt vna res alterius munere fungatur, denominationémque aliquam intrinsecam ab aliquo subiecto, siue forma de nouo suscipiat vna, quam alia prius suscipiebat. Hanc sententiam tuentur Scotus in 4 dist. 11 q. 3. art. 2. Lichetus in 4. & dist. 11. q. 4. art. 2. Tartaretus ibidem q. 4. & quodl. 10. q. 1. & è Schola Scotistica plerique: ex Nominalibus, Maior, Alliacensis, & alij : ex nostris P. Vasquez tom. 3. in 3. part. disp. 185. & cum eo non pauci. Productionem termini ad quem de ratione conuersionis non esse suadent: quia in mysterio Eucharistiæ vi consecrationis verborum panis, & vinum in corpus & sanguinem Christi verè, & realiter conuertuntur : at vi verborum consecrationis corpus, & sanguis Christi de nouo non producuntur : ergo ad conuersionem productio termini *ad quem* non requiritur. Maior patet, tum ex verbis Concilij Tridentini inferius citandi : tum ex his, quæ habet Ecclesia in prosa quadam Missæ corporis Christi ibi : *quod in carnem transit panis, & vinum in sanguinem.*

13. Minor probatur primò ad hominem contra plerósque aduersarios, iuxta quos conuersio postulat physicam incompossibilitatem, & oppositionem inter existentiam termini *ad quem*, & existentiam termini *à quo* : qua ratione ignis ligno opponitur; nec sufficit, quod oppositio inter vtrumque terminum moralis sit, & ex solo placito Dei nolentis alterum producere, nisi destructo altero : aliàs inquiunt, quod actio aliqua conuersiua esset, non ex natura sua, sed ex extrinseca Dei voluntate haberet: Quod tamen tam repugnat, quàm quod modus aliquis non à se ipso, sed ab extrinseco Dei libito habeat, quòd duratio, vbicatio, aut creatio sit. Contra hos, inquam, minor probatur : quia existentia corporis, & sanguinis Christi, eorúmque noua productio cum existentia panis, & vini nullam repugnantiam aut oppositionem physicam sortitur magis, quàm productio pristina, qua in cœlis semper conseruatur : solaque accidentalis præsentia eorum sub speciebus panis, & vini cum horum desitione naturaliter coniuncta, & connexa est : igitur noua illa productio corporis, & sanguinis Christi ad conuersionem Eucharisticam non attinet.

14. Deinde eadem minor suadetur, quia humanitas Christi Domini in institutione venerabilis Sacramenti eius conuersionis causa fuit, vel per modum instrumenti physici, vel per modum instrumenti moralis, vt compertum est : imò eiusmodi conuersionem Eucharisticam, quoties de facto fit, sicuti & reliquorum donorum supernaturalium, ac miraculorum productionem, qualiscumque ab initio Ecclesiæ fuerit, futurave sit in humanitatem Christi velut causam refundendam esse pie, & probabiliter credi potest, vt docet P. Suarez de Incarnat. disp. 31. sect. 2. dub. 2. At humanitas Christi non fuit causa per modum instrumenti physici, aut moralis productionis terminatæ ad corpus, & sanguinem suum : eiusmodi ergo productio noua conuersionem Eucharisticam non constituit, déque eius ratione non est. Minor proxima suadetur : quia in primis humanitas Christi, siue eius corpus, & anima productionis illius causa non sunt per modum instrumenti physici, aliàs se ipsa physicè, & immediatè causarent, seque ipsis priora ordine naturæ futura essent; quod tamen suprà lib. 4. repugnare ostensum est. Deinde : per modum instrumenti moralis eius productionis causa esse non possunt: ideo enim corpus, & anima Christi se ipsa physicè causare non possunt, quia aliàs anteaquam existerent, pro priori naturæ extitisse intelligerentur : at hoc idem sequeretur ex causalitate morali, qua se ipsa causarent, cum causa etiam moralis pro priori naturæ ad suum effectum postulet existere.

15. Rursus, eadem minor suadetur ex Concilio Tridentino sess. 18. cap. 4. ibi : *Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesia fuit, idque nunc denuo sancta Synodus declarat, per conuersionem panis, & vini conuersionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius : quæ conuersio conuenienter, & propriè à sancta catholica Ecclesia transubstantiatio est appellata.* Ex quibus verbis in hunc modum argui potest, & solet. Ex sola veritate verborum Christi colligit Ecclesia, conuersionem substantialem panis, & vini in corpus & sanguinem Christi vi verborum consecrationis fieri : at seorsim à noua productione corporis, & sanguinis Christi, eo ipso quod sub speciebus panis, & vini esse incipiant, sub iisque panis, & vinum esse desinant, verba consecrationis; nimirum *hoc est corpus meum*, & *hic est enim calix sanguinis mei*, &c. vera erunt : igitur sine noua productione corporis, & sanguinis Christi potest fieri transubstantiatio panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi Domini, ac proinde eiusmodi noua productio de ratione transubstantiationis, siue conuersionis Eucharisticæ non est, nec de facto admittenda est. Vno verbo: nihil aliud requiri potest ad conuersionem Eucharisticam, quam quod ad veritatem verborum Christi requiritur, cum ex hac illam inferat Concilium : ad hanc autem non est opus noua productione corporis, & sanguinis Christi : ergo nec ad illam.

16. Desitionem autem termini *à quo* de ratione conuersionis non esse suadent Authores secundæ sententiæ : tum à paritate rationis, nec enim est potior ratio, cur terminus *à quo* conuersionis desinere esse debeat, quàm terminus *ad quem* incipere

at inceptio termini *ad quem* non est de ratione conuersionis : ergo nec desitio termini *à quo* : tum iisdem ferè argumentis, quibus productionem termini *ad quem* de ratione conuersionis non esse nituntur: siquidem in primis si desitio termini *ad quem* de ratione conuersionis esset, maximè vt esset effectus productionis termini *ad quem* ex ea naturaliter, & ineuitabiliter sequens, vt in conuersione ligni in ignem vsuenit : atqui desitio, aut annihilatio panis, & vini non est effectus productionis corporis, & sanguinis Christi eam naturaliter, & infallibiliter consequens, cùm potius ex sola vnione corporis, & sanguinis Christi cum speciebus panis, & vini horum desitio, & in nihilum reditio naturaliter, & infallibiliter proficiscatur. Deinde ad veritatem verborum consecrationis opus non est, vt substantia panis, & vini absolutè esse desinat, sed satis est, vt sub speciebus panis, vinique esse desinat ; & respectu illarum munus causæ materialis, siue substantiæ exerceat: ergo ea desitio non est necessaria ad conuersionem Eucharisticã, quæ ex sola veritate verborum consecrationis ab Ecclesia colligitur.

17. Secundò pro secunda sententia argui potest: quia forma substantialis alimenti conuertitur in animam rationalem vi actionis nutritiuæ : at anima rationalis vi actionis nutritiuæ de nouo non producitur, cum ante eam producta supponatur : ergo ad conuersionem productio termini *ad quem*, ac per consequens nec desitio termini *à quo* necessaria est. Maior probatur : quia forma substantialis alimenti non creatur : ergo nec annihilatur : ergo non desinit in nihil : ergo desinit in aliquid : forma autem substantialis in aliquid desitura non nisi in aliam formam desinere potest: sicut compositum desinens, & in corruptionem abiens in aliud compositum desinit : ergo forma substantialis alimenti in animam rationalem desinit : nec enim est alia forma, in quam desinere possit, atque adeò in animam rationalem conuertitur ; conuerti namque in aliud, & in aliud desinere esse reciprocantur.

CAPVT III.

Nostra sententia proponitur, & quædam corollaria ex ea inferuntur.

18. QVæstio hæc inter Authores tantoperè controuersa merè vocalis est & tota in hoc vnum reuocatur : an successio vnius rei loco alterius quoad aliquid vtrique commune, absque vlla, vtriusve productione, aut desitione conuersio vocitanda sit ? Id quod P. Ægidius de Sacrament. q. 75. art. 4. & P. Arriaga disp. 1. de generat. sect. 4. rectè annotarunt. Quare cum plures præfatam successionem, & vicissitudinem duarum rerum sine noua vnius productione, & alterius desitione conuersionis nomine subintelligi velint ; alij autem, iique non pauci nouam vnius rei productionem cum alterius desitione coniunctam voce conuersionis subaudiri malint : ipse cum vtrisque, & non magis cum his quàm cum illis loquendum arbitror. Cum enim voces id significent, quod homines per eas significare volunt ; & vna conuersionis significatio aliquibus, alia aliis magis arrideat, sanè vtraque amplectenda, & neutra reiicienda est. Quanquam autem quæstio hæc merè vocalis sit, magni tamen habenda est, eo quod ad conuersionem Eucharisticam explicandam, eamque aduersus sectarios, præsertim nobis coæuos defendendam magnoperè conferat.

19. Igitur conuersio bifariam sumi potest : primò, prout est actio destructiua vnius, & productiua alterius cum lucta inter vtrumque ob aliquod intrinsecum, & reale, quod ab vno aufertur, & alteri confertur : qua ratione elementa v. g. in mixta conuertuntur, & mixta in elementa reuertuntur. Secundò sumi potest conuersio prout est successio quædam duarum rerum, quarum altera in aliquo tertio vtrique communi succedit alteri, eiusque vicem gerit, & munere fungitur: esto neutra denuo desinat, aut denuo producatur : qua ratione substantia panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi conuertitur, & qua ratione quamuis calor antea productus subiecto frigido postea vniretur, frigusque expelleret id satis esset, vt quis de frigido fieret calidus : ac proinde vt frigus in calorem conuerteretur. Et quidem conuersionem significare actionem constat ex Aristotele 1. de generat. capite 1. vbi definit, *generationem esse mutationem totius in totum nullo sensibili manente, vt subiecto eodem :* at mutatio totius in totum est conuersio : ergo generatio, siue actio in conuersione, ac per consequens hæc in actione ab Aristotele constituitur. Quod autem conuersio sit successio quædam, aut ordo rerum, qua altera succedit alteri, constat ex B. Thoma 3. part. quæstione 75. art. 4. ad 1. ibi: *vnde cum hæc conuersio substantialis importet quendam ordinem substantiarum, quarum vna conuertitur in alteram, est sicut in subiecto in vtráque substantia, sicut ordo, & numerus :* quibus verbis conuersionem substantialem vnius substantiæ in totam aliam docet ; non tam esse actionem, aut relationem transcendentalem, quàm relationem prædicamentalem vnius substantiæ successentis alteri, cum vtraque realiter identificatam, haud aliter ac ordo, aut numerus sunt relationes prædicamentales, quæ in rebus ordinatis, & numeratis per identitatem reperiuntur.

20. Explicatur appositissimo exemplo : creatio bifariam significat : primò productionem rei cum nouitate essendi, siue inceptione : qua ratione res dum continuè conseruatur, non creatur: & in hoc sensu dicitur Deus in Genes. c. 2. die septima, requieuisse ab vniuerso opere suo, eo quod eo die transacto mundum amplius non crearit, sed solùm conseruarit. Secundo significat creatio productionem rei præscindendo ab inceptione, & nouitate essendi : qua ratione ab Augustino c. 12. de Genesi ad literam, dicitur creatura quamdiu à Deo conseruatur, ab eo semper fieri, & creari: ibi; *sicut aër præsente lumine non factus est lucidus, sed fit,* & paucis intercisis: *semper ab illo fieri, semperque perfici debemus inhærentes ei,* &c. vtramque creationis rationem scitè complexus est D. Thomas q. 3. de pot. art. 3. ibi: *creatio importat relationem prædictam cum nouitate essendi : vnde non oportet, quod res quandocunque est, creetur ; licet semper referatur ad Deum : quamuis non esset inconueniens dicere, quòd sicut aër quandiu lucet, illuminatur à sole ; ita creatura, quandiu habet esse, fiat à Deo.* Quemadmodum ergo creatio modò significat nouitatem essendi, modoque eam

non significat: ita similiter conuersio termini *ad quem* nouam productionem, nouámque termini *à quo* modò significat, eamque modò non significat, sed successionem, & ordinem eorum hactenus explicatum.

21. Porrò autem cum terminus *à quo* & terminus *ad quem* adæquatè non distinguuntur, sed vel eodem subiecto, vel eadem forma constituuntur: tunc conuersio vnius in alium formaliter in actione productiua termini *ad quem*, & destructiua termini *à quo* consistit: & hac ratione album in nigrum, lignum in ignem, & quoduis compositum substantiale, aut accidentale in aliud conuertitur. Cum verò terminus *à quo*, & terminus *ad quem* adæquatè distinguuntur; tunc conuersio vnius in alium non in actione, sed in successione, & vicissitudine quadam formaliter sita est: & hac ratione quæuis forma in aliam conuertitur; quamuis enim, vbi frigus verbi gratia in calorem conuertitur, calor producatur de nouo, ea tamen productio impertinenter se habet ad hoc, vt frigus in calorem conuertatur: namque vt suprà hoc ipso cap. dicebam, licèt calor non produceretur de nouo, sed post suam productionem, vel extra subiectum, vel in alio subiecto, vniretur huic subiecto frigido, & ab eo frigus depelleret, sanè id sufficiens esset, ad hoc vt quis redderetur de frigido calidus, vtve, quod eodem redit, frigus conuerteretur in calorem, & hac etiam ratione substantia panis, & substantia vini in substantiam corporis, & sanguinis Christi conuertuntur.

22. Hinc colligitur primò, decisio illius quæstionis; an quæuis res creata in quamuis aliam conuerti possit? Cuius partem affirmantem tuentur Scotus in 4. dist. 11. quæst. 1. D. Thom. 3. p. quæst. 75. art. 4 ad 3. Caietanus ibi. Richardus, Maior, Capreolus, Guillelm. de Rubione Gabriel, Bellarminus de Eucharist. cap. 13. negantem verò tuentur Durandus in 4. distinctione 11. quæstione 2. & qu. 3. Paludanus, Canus, Vasquez, & alij. Verùm conuersio distinguenda est: & si sumatur prout est actio, & identitatem inadæquatam termini *à quo*, & termini *ad quem* importat, inficiandum est, quodlibet conuerti posse in quodlibet; cum quælibet inuicem inadæquatè identificari, & subiecto, formaue communicari non possint. Quod si sumatur conuersio, prout est successio, seu vicissitudo, aut ordo quidam; tunc quodlibet in quodlibet conuerti potest: cum nulla res creata sit, quæ alteri in eadem materia, aut in eadem forma, aut saltem sub iisdem accidentibus succedere non possit: si qua enim res alteri ne in iisdem accidentibus succedere posset, maximè Angelus corpori, aut corpus Angelo: at vtraque successio possibilis est: prior quidem: quia sicut corpus Christi quamuis in Eucharistia modo spirituali existat, tamen pani sub eius accidentibus succedit; ita similiter Angelus, quantumlibet spiritus sit, corpori tamen sub eius accidentibus succedere poterit. Posterior etiam successio possibilis est, nimirum si Angelus accidentia corporea dimittat, eáque corpori, cuius sunt, cedat, atque restituat. Quod autem ait Augustinus lib. 7. de Genesi ad literam cap. 12. ibi: *Corpus autem aliquod, siue terrenum, siue cœleste conuerti in animam, fierique naturam incorpoream, neque quenquam sensisse scio, neque fides hoc habet*: hoc, inquam, Augustini testimonium de conuersione, prout est actio, & cum identitate coniuncta est, non verò de ea, prout est successio, & cum adæquata distinctione terminorum *à quo* & *ad quem* cohæret, intelligendum est.

23. Colligitur secundò decisio illius quæstionis; an aliqua creatura possit conuerti in Deum, aut Deus in aliquam creaturam? Cuius partem negantem tuentur B. Thomas vbi suprà. Scotus quodlib. 8. art. 1. Vvaldensis t. 2. de Sacrament. cap. 20. Paludan. Gabriel, Sotus, Henricus, Ledesma, Suarez, & alij. Affirmantem autem tuentur Caietanus, Maior, & alij. Cæterùm, distinguenda est conuersio: & prout est actio destructiua termini *à quo*, & productiua termini *ad quem*, & vtriusque identitatem in aliquo importat, sicut in ligno in ignem conuerso vsuvenit; hoc, inquam, sensu creatura in Deum, aut Deus in creaturam conuerti non potest: eo quòd Deus, & creatura nulla ratione identificari possint, iuxta illud Athanasij in symbolo: *vnus autem non confusione substantiæ, sed vnitate personæ*: & etiam eo quod Deus destrui, aut produci nequeat, vti D. Thomas cap. superiori citatus ratiocinatur. Quod si conuersio sumatur prout est successio, & ordo omnis confusionis, aut identitatis expers, non conspicio, cur creatura aliqua in Deum, Deusque in creaturam hoc sensu conuerti nequeat, cum creatura Deo Deusque creaturæ quoad aliquam denominationem intrinsecam, & realem succedere possit? Qua ratione, si Deus naturam humanam Petri eius subsistentia spoliaret, eámque sibi hypostaticè vniret, sanè subsistentia Petri in subsistentiam Dei conuersa esset, Petrusque in Deum conuerteretur: deinde si Deus subsistentiam illam Petri dimitteret, eámque substantiæ Petri restitueret; sanè subsistentia Dei in subsistentiam creatam Petri rediret, & Deus in Petrum iteratò conuerteretur: & quidem sicut Deus potuit incipere homo esse absque sui mutatione, vt explicat Augustinus 3. de Trinitat. cap. 12. & similiter desinere esse homo absque sui mutatione: non est, cur absque vlla mutatione nequeat esse terminus *à quo*, & terminus *ad quem* conuersionis; quin ob id in illum vlla mutatio, aut vicissitudinis obumbratio cadat.

24. Verùm, quia hic loquendi modus de Deo plerisque Theologis religionem iniicit; ideo dici potest nihil in Deum conuerti posse, aut è contra: primum, quia vt ait Scotus, ad conuersionem non solùm necessaria est successio, qua vna res alterius munus aliquod etiam intrinsecum obeat, eiusque vices fungatur: verum etiam, vt ea successio fiat virtute alicuius agentis superioris, cuius arbitrio, & dominio terminus *à quo*, & terminus *ad quem* subditi, atque obnoxij sint: cum ergo Deus arbitrio nullius agentis superioris subiici possit, sanè terminus à quo aut *ad quem* conuersionis esse non poterit, quamtumlibet alicui creaturæ succedere, aut è contrario possit. Secundo: quia ad conuersionem requiri potest successio non qualis qualis, sed ea, quæ vera mutatio termini *à quo*, & termini *ad quem* sit: cum ergo Deus immutabilis sit, sanè conuersionis terminus *à quo*, aut *ad quem* esse non poterit.

poterit. En nostram de conuersione sententiam inter duas cap. præcedenti propositas, & extremè oppositas mediam; vtinam eo nomine magis rutam: reliquum est, vt aduersariorum argumenta dissoluamus.

CAPVT IV.

Argumenta contraria soluuntur.

25. AD primum argumentum pro prioris sententiæ priore parte, respondeo: nulla creatio est de facto, quæ cum nouitate essendi coniuncta non sit: nulla, inquam, creatio à conseruatione distincta: at possibilis est creatio à conseruatione distincta, quæ cum nouitate essendi non cohæreat: nimirum ea, qua Deus aliquid ab æterno independenter à subiecto primò produxisset: ergo similiter, esto nulla sit conuersio de facto, quæ cum noua termini *à quo* desitione connexa non sit, tamen possibilis erit, &c. Deinde respondeo: datur etiam de facto conuersio absque ea desitione termini *à quo*, cum anima rationalis absque sui desitione in formam cadauericam per successionem quandam conuertatur. Hinc ad secundum argumentum constat: Ad tertium, & quintum cap. præcedenti ad finem respondi.

26. Ad quartum respondeo; corpus, & sanguinem Christi corruptis speciebus consecratis conuerti posse, & solere in carnem comedentis in chilum, phlegma, aliaque si mauis viliora: conuerti, inquam, per successionem, aut ordinem toties explicatam; eo quod corpus, & sanguis Christi sub iisdem accidentibus, præfatis substantiis de nouo productis succedat: vel quia eadem quantitas, quibus corpus Christi, & eius sanguis suberat, in iis remanet: vel si quantitas indistincta non est à re quanta, quia ex tot accidentibus consecratis quantumuis corrumpantur; incredibile est, aliqua non superesse, omniáque penitus interire. Vt enim bene philosophatur in præsenti Arriaga; plus est Deus, quantus est, hypostaticè vniri carni, chilo, phlegmati, nostrasque sordes induere, quàm eius corpus, & sanguinem in præfatas substantias conuerti per meram successionem absque vlla cum eis identitate: at illud prius non repugnat: cur ergo posterius? Quod autem aiunt Patres, Christum in Sacramento Venerabili non conuerti in carnem comedentis, sed potius comedentem in Christum conuerti, intelligendum est de conuersione, non prout est successio, sed prout est actio, & identitatem importat: quasi dicerent, corpus, & sanguinem Christi non conuerti per identitatem physicam, & inadæquatam in substantiam comedentis, vti in reliquis alimentis accidit, sed potius comedentem conuerti per identitatem quandam affectiuam in eum, à quo comeditur. Ad sextum respondeo: desinere esse in aliud prout ad terminum *à quo* conuersionis oportet, est desinere esse absolutè, & verè, non tamen in se semper, sed interdum quoad aliquod eius accidens: hac autem ratione omne, quod in aliud conuertitur, iuxta nostram sententiam esse desinit.

27. Ad primam rationem pro posteriori parte eius sententiæ respondeo; esto nulla sit de facto conuersio, cuius terminus *ad quem* de nouo productus non sit; inde tamen effici non posse, eiusmodi productionem de ratione conuersionis vt sic esse: vti suprà initio huius capitis monuimus. Deinde conuersio Eucharistica panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi cum productione noua corporis, & sanguinis Christi coniuncta non est. Ad primam probationem oppositam desumptam ab authoritate Patrum respondeo; cum docent, corpus Christi creari, confici, fieri, &c. eos intelligendos esse non de creatione, & effectione physica, sed de creatione, & effectione morali; qua perinde corpus, & sanguis Christi sub speciebus panis, & vini collocantur; ac si ex pane, & vino verè, & physicè efficerentur, eorumve loco strictè crearentur. Quam solutionem in hunc modum confirmo: quia non magis asserunt Patres corpus, & sanguinem Christi in Sacramento altaris creari, confici, aut fieri ex pane, & vino; quàm panem, & vinum esse post consecrationem corpus, & sanguinem Christi: at hæc posteriora verba Sanctorum Patrum non significant veram, & physicam identitatem inter substantiam corporis, & sanguinis Christi, & substantiam panis, & vini; cum eiusmodi identitas adæquata, aut inadæquata nulla admitti possit, vt compertum est: sed solam identitatem moralem, qua corpus, & sanguis Christi substantiæ panis, & vini perinde succedunt, ac si more ignis ex ligno producti veram identitatem inadæquatam cum eis haberent: ergo similiter priora SS. Patrum verba non productionem aliquam physicam terminatam ad substantiam corporis, & sanguinis Christi, sed solam moralem significant. Maior probatur: tum ex Damasceno libro 4. de fide capite 14. ibi: *quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? consecratione:* idémque habetur in cap. *ego Berengarius* de consecratione, distinctione 2. ibi: *panis, & vinum post consecrationem sunt verum corpus, & sanguis Christi:* idem passim apud alios Patres habetur.

28. Secundo ad eandem probationem respondeo; in iis propositionibus, in quibus asserunt Patres ex pane creari, confici, aut fieri corpus Christi, sermonem ipsis esse de actione, quæ, cum terminetur ad solam præsentiam Christi sub speciebus panis, translatitie tamen dicitur, terminari ad corpus Christi. Quam solutionem ita suadeo: in 8. synod. act. 6. sess. 3. circa finem dicitur ibi: *verè nos confitemur diuinum corpus panem fieri:* at cum corpus Christi dicitur fieri panis, non est intelligenda ea loquutio de actione, quæ ad substantiam panis verè terminetur, cum ea desinat potius, quàm producatur; sed de ea actione, quæ ad accidentia panis ei superstitia, seu, vt verius loquar, ad eorum præsentiam, & vnionem terminetur; in hunc autem similem fandi modum: *corpus Christi fit id, quod accidentibus panis subest, ac præsens est:* ergo etiam cùm è conuerso dicitur panis fieri corpus Christi, neutiquam intelligenda est ea loquutio de actione, quæ ad corpus Christi verè terminetur, sed tantum de ea actione, quæ verè terminatur ad sola accidentia, quibus corpus Christi subest, & præsens est, reduplicatiuè in quantum iis subest, ac

præsens est, quæque verè ad eam præsentiam, & denominatiuè tantum ad ipsum Christi corpus terminetur.

29. Ad secundam probationem oppositam respondeo; esto in conuersione Eucharistica sola accidentalis vnio, & præsentia corporis Christi per actionem adductiuam producatur, & substantia ipsius corporis denuo improducta sit; hoc tamen non obstante eam conuersionem substantialem esse: quia licèt actionem illam adductiuam præsupponat, in ea tamen non consistit, sed in ordine, & relatione successionis, cuius fundamentum est substantia panis, & terminus *ad quem* substantia corporis Christi: ac proinde ea relatio, & conuersio in ea sita substantialis censenda est. Cum autem vnum corpus alteri in eodem loco per actionem adductiuam succedit, nulla ibi conuersio substantialis est: non quia actio eam successionem fundans merè adductiua, & accidentalis est, sed quia absolutè nulla ibi conuersio est, eo quod nihil intrinsecum, & reale vtrique corpori commune sit, aut ab vno ad aliud transeat: conuersio autem substantialis conuersionem absolutam includit, & sine ea stare non potest. Quod si conuersio Eucharistica in actione adductiua formaliter consisteret, vt complures asserunt, non conspicio sanè, qua ratione ea conuersio substantialis defendi posset. Ad secundum, & tertium argumentum pro eiusdem sententiæ posteriori parte suprà cap. 2. & 3. factum est satis. Ad quartum etiam respondeo; formam alimenti in animam rationalem per successionem, & ordinem conuerti, vt cap. 3. ad finem probatum manet.

Argumenta pro secunda maiori ex parte efficacia sunt: illúdque, ni fallor, manifestè conuincunt, conuersionem aliquam sine desitione termini *à quo* aut productione termini *ad quem* stare posse: quæ altera nostræ sententiæ pars est. Cæterum non conuincunt, nec possunt, conuersionem in alio sensu vsurpari posse, in quo sine desitione vnius termini, & productione alterius nunquam stare queat: quæ nostræ sententiæ posterior pars est. Et quidem, quoties conuersio in hoc secundo sensu vsurpatur, in eo nec panis, & vinum in corpus, & sanguinem Christi, nec vlla forma in aliam formam, vllumve subiectum in aliud conuerti possunt, vt suprà fusè exposuimus. 30.

LIBER SEPTIMVS

DE

Loco, tempore & infinitate corporis naturalis.

TRACTATVS PRIMVS.

De Loco corporis naturalis.

CAPVT PRIMVM.

An Locus, & Vbi distinguantur inter se, & à substantia corporis naturalis, alterius ve rei locatæ?

1. QVANTVM mea opinio est, Vbi prædicamentale nihil aliud est, quàm locus cuiusque rei, & è conuerso. Verùm quia neoterici contra communem veterum Philosophorum sententiam tuentur, vbi non esse locum, sed potius entitatem quandam à loco, & re locata distinctam, aut certè in vtriusque complexo sitam: idcirco propositam sententiam hunc in modum probo, & confirmo: rem esse alicubi est aliquem locum habere, & eam esse vbicunque est omnem, & quemcunque locum habere: locus ergo, & vbi coincidunt, si communis omnium loquendi, & sentiendi modus spectetur. Deinde, sicut interroganti qualis sit res, responderi solet eam talem esse, v.g. albam, aut nigram: ita interroganti, vbi sit res, responderi solet, eam esse hîc, siue hunc locum habere: at qualitas, & talitas rei, siue forma denominans rem qualem, & forma denominans talem est omnino eadem: ergo etiam vbi, & locus, siue forma denominans rem vbilibet se habentem, ac forma denominans rem locatam est omnino eadem. Rursus: illud, quo res corporea versus longum, latum, & profundum extenditur, est vbi partium illius, quo nimirum aliæ extra alias sunt: at extensio rei corporeæ quoad longitudinem, latitudinem, & profunditatem, est eius spatium, siue locus: igitur etiam vbi rei eius spatium, seu locus est. Maior indubitata est: minor etiã non videtur posse negari, ad eãque respexit ille Met. 3. 2.

Dum spatium victor victi considerat hostis.

Vbi Cadmus extensionem, & magnitudinem serpentis à se interfecti considerans, eius spatium considerare, & admirari dicitur.

Præterea spatium loci est id, quod per motum localem conficitur: at solùm vbi rei intrinsecum per motum localem conficitur, ac denuo producitur: spatium ergo rei eius vbi est. Minor perspicua est, & statim inferius ostendetur: maior etiam vsque adeò nota est, vt nihil communius apud omnes dici soleat, quàm spatium tot leucarum v.g. tanto, vel tanto tempore confici, aut peragi posse: spatium ergo loci efficitur, atque producitur. Tandem locus vt formaliter, ac

ac ratione nostra locus est, ad nullum aliud prædicamentum, nisi ad vbi attinere potest: nec enim locus est substantia, cum hæc prius ratione existat, quam locata intelligatur: nec quantitas, cum locus præsertim Angeli, aut puncti sine duratione partium concipi possit, sine qua tamen quantitas inintelligibilis est: quod autem locus non sit relatio, actio, aut passio quis non videat? Locum etiam à duratione, siue tempore rei distingui manifestum est: deinde locum non esse situm rei, vel ex eo constat, quod cathedra v.g. inuariato partium suarum situ locum tamen variare, & modo hic, modo alibi esse possit: denique locum non esse habitum, aut indumentum adeò exploratum est, vt in dubium reuocari nequeat.

3. Porrò, an vbi, siue locus aliquis rei admittendus sit, qui accidens quoddam intrinsecum sit, & à substantia rei locatæ realiter distinguatur, haud parum inter Philosophos controuertitur: ipse partem affirmatiuam quæstionis nunc magis communem vt magis veram sequor, eamque hac ratione suadeo: fundamentum ad hoc, vt verè affirmetur, Petrum esse hic, & non alibi, est aliqua entitas à parte rei, aliàs eiusmodi affirmatio falsa, & absque fundamento ex parte obiecti esset: at eiusmodi fundamentum nec est sola substantia Petri, neque aliquid ei extrinsecum: ergo est aliqua entitas Petro intrinseca, ab eiusque substantia realiter distincta, ac proinde accidens intrinsecum illius. Maior argumenti conspicua est: minor probatur: quod enim substantia Petri sola, & per se ipsam non sit hic potius, quàm alibi, sufficiensque fundamentum non exhibeat, vt id de ea affirmetur, inde constat: quia substantia Petri potest existere, quin sit hic potius, quàm alibi: quod verò aliquid extrinsecum Petro non constituat necessario eum hic potius, quàm alibi, suadetur: quia destructa quauis re extrinseca Petro, adhuc Petrus à Deo conseruari posset: tunc autem alicubi esset: non enim nusquam esset: tum quia iuxta plures aduersarios diuinitus etiam impossibile est, rem existentem nusquam existere: tum etiam, quia in eo euentu locum saltem imaginarium, quem antea tenebat, retinere potest; atque adeo non nusquam, sed alicubi esset: ergo iam hic, & non alibi esset, cum tamen nulla res ei extrinseca existeret, cui hanc denominationem acceptam referret.

4. Argumentor secundo: si Deus Petrum, & Paulum reliquis omnibus creaturis destructis conseruaret, alter ab altero distare posset: si enim ante destructionem cæterarum substantiarum vnus Romæ, & alter Methymnæ existebat, certè non ex eo, quod creaturæ destruantur, hoc ipso moueri, & sibi inuicem appropinquare debent; quin potius deficiente medio, per quod motus exerceri possit, immoti necessariò permanebunt, tam ergo distantes, ac antea erunt: huiusmodi autem distantia habet aliquod fundamentum verum, & reale; aliàs non nisi falsò, ac fictitiè altrinsecus distare dicerentur. At hoc fundamentum non est vtriusque substantia; siquidem amborum substantiæ non solùm sine distantia, verùm etiam quod plus est, inuicem penetratæ reperiri possunt. Rursus, tale fundamentum non est spatium imaginarium Romanum, ac Methymnense, quod vterque occupat: tum quia spatium imaginarium non est aliquid verum, & reale: tum etiam, quia vtriusque spatium imaginarium dari potest quodam modo, quin tamen Petrus, & Paulus illud occupent, aut merito illius inuicem distent, videlicet si in aliis spatiis imaginariis existant. Tandem aliqua res extrinseca Petro, & Paulo relationem illam indistantiæ inter vtrumque fundare nequit, cum nihil extrinsecum vtrique tunc existat: reliquum igitur est, vt fundamentum huius relationis sit accidens aliquod intrinsecum Petro, & aliud intrinsecum Paulo: hoc igitur, quod est, Petrum existere in spatio imaginario *A*: ac distare à Paulo non est spatium; ac per consequens est aliquod accidens ab vtroque distinctum.

Argumentor tertiò: motus localis est vera, & realis actio, ac proinde aliquem terminum verum, & realem habet: at non aliud præter vbi substantiæ rei intrinsecum, eique accidentario superadditum: igitur eiusmodi vbi denegandum non est. Respondent aliqui cum Ægidio de Sacrament. quæstione 6. art. 4. dubio 1. terminum motus localis esse coniunctionem rei locatæ cum loco, siue præsentiam vtriusque. Contra tamen: quia vel ea coniunctio est entitas aliqua media inter locum, & rem locatam, & vtrinque distincta; atque ita intentum adeptus sum: vel ea coniunctio, ac præsentia est aggregatum, seu complexum loci, & rei locatæ, atque ita motus localis eam coniunctionem producens tale complexum realiter producet: consequens autem est manifestè falsum: tum quia res locata per motum se ipsam realiter non producit: at ipsa in eo complexo includitur: tum etiam, quia locus, quæ eius complexi altera pars est, si fictus, & imaginarius sit, realiter improducibilis est; si verò realis sit, nempè superficies corporis ambientis per motum etiam produci nequit, cum hic, & nunc ante motum localem existens præsupponatur.

Respondent alij, terminum motus localis esse aliquid reale, non tamen vbi: nimirum quia ille terminus transacto motu statim euanescit, cum tamen eo transacto vbi perseueret. Hæc tamen responsio futilis, ac ridicula est: nisi enim eiusmodi terminus vbi sit, quid tandem esse potest? nec enim substantia est; aliàs quoties digitum mouerem, aut oculos circumferrem, aut aërem inspirarem, aut respirarem, toties aliquam substantiam in rebus ponerem: nec etiam quantitas, cum hæc permanens sit, & non more illius termini euanida: nec etiam qualitas, aliàs motus localis esset alteratio, contra quam omnes censent: deinde relatio esse nequit, nam si foret relatio maximè rei locatæ ad locum, siue vbicatio, quod tamen hi Authores inficiantur: actio etiam, aut passio esse nequit, cum potius actionis, passionisque terminus: duratio quoque rei motæ esse nequit, cum res localiter immota duret: situs etiam permanens rei, aut habitus non est: talis igitur terminus nihil nisi chimæra est. Adde, quod aduersarij explicare nequeunt, cui vsui deseruire possit eiusmodi terminus, quodve munus in rerum natura obeat, nisi velint, eius munus esse terminare lationem, quo nihil absurdius est, cum non ideo aliquid in rebus existat, vt terminet actionem, sed potius ideo detur actio, vt terminus aliquis per eam productus in

rerum natura exiſtat : illud etiam inintelligibile eſt , cur eiuſmodi terminus ſtatim euaneſcat. Quare alij tertiò reſpondent, motum localem eſſe actionem ſine termino. Verum manifeſtè falluntur : manifeſtum enim eſt, per motum localem rem locari de nouo, cum hac de cauſa motus localis appelletur: at rem locari diſtinguitur à motu locali, ſiquidem hoc tranſacto illud permanet : ergo motus localis terminum à ſe diſtinctum habet , quicunque , aut qualiſcunque demum ille terminus ſit.

7. Hinc emergit alia difficultas ; an vbi , ſiue locus intrinſecus rei ſit accidens abſolutum, an verò modus eius entitatis , quam afficit ? Mihi longè probabilius videtur, vbi eſſe accidens abſolutum, & non modale: quia abſque neceſſitate nulla forma cum ſubiecto ſuo eſſentialiter connexa, ac per ſe ipſam ei vnita ſtatuenda eſt : aliàs omnes qualites, omniáque accidentia modi eſſent, ſi ſola accidentia Euchariſtica excipias , & ne gratia eſſet qualitas abſoluta animæ, nec etiam candor qualitas abſoluta quantitatis , ſi hæc à materia diſtinguitur : at nulla eſt neceſſitas adſtruendi eſſentialem connexionem loci, ſiue vbi realis cum re locata. Quod enim res ſit indifferens, vt ſit hic locata, vel non locata parum intereſt : ſiquidem ſum etiam indifferens, vt ſim albus, aut non albus, quin tamen albedo hanc indifferentiam determinans mecum eſſentialiter connexa ſit. Rurſus quod vbi ſit relatio realis rei locatæ ad ſpatium imaginarium, & falſum eſt : quia abſque ſpatio imaginario, omnique intellectus noſtri figmento reipſa reperiri poteſt; & quamuis id verum eſſet, parum aduerſariis prodeſſet, ſiquidem cognitio eſt relatio realis ad obiectum, quin tamen intellectui eſſentialiter adhæreat.

8. Quamuis autem vbi intrinſecum rei ſit accidens eius abſolutum, tamen vbicationem rei modum eſſe veriſſimilius eſt : ſicut enim ſe habet calefactio, & calor, ita vbicatio, & vbi ; & quemadmodum calefactio eſt actio, qua ignis calorem producit , eumque ſibi adiungit , ita vbicario eſt coniunctio, ſiue vnio rei cum ſuo vbi , ſiue loco: vnio verò indubitanter modus eſt. Quod ſi quis vbicationem, & vbi diſiungere, ac ſeparare nolit, & de nominum ſignificatione litem nobis intendat, non grauabor ei concedere , vbicationem eo modo ſumptam rem abſolutam eſſe , parúmque refert vtrouis modo in præſenti loquamur.

9. Verùm tria hactenus ſtatuta tribus potiſſimum argumentis oppugnari poſſunt : quorum primum eſto. Locus attinet ad prædicamentum quantitatis: ergo non ad prædicamentum vbi. Antecedens eſt Auguſtini in Cathegoriis ibi : *ipſius autem quanti aliud eſt cohærens, aliud ſeparatum : cohærens eſt grame ephphania, corpus, locus, & tempus:* quibus verbis ſimilia habet Ariſtoteles, & paſſim eius interpretes. Reſpondeo Auguſtinum , & Ariſtotelem id tantum contendere , locum prout conſtantem partibus extenſis quantitatem eſſe: cum hoc tamen optimè cohæret, locum pertinere ad prædicamentum vbi, ſi conſideretur prout immobilis eſt, & prout rem hic, & non alibi immobiliter conſtituit.

10. Secundum argumentum ſit : res eſt in loco , è contra verò locus non eſt in re locata: locus etiam ex communi Philoſophorum ſententia cum Ariſtotele 4. Phyſicor. text. 40. rem locatam conſeruat , & non è contra : at hæc ita ſe habere non poſſent, ſi locus , ſiue vbi eſſet accidens quoddam à re locata productum , & in ea receptum. Reſpondeo : res locata eſt in accidenti illo intrinſeco, non tanquam in loco , ſed tanquam in ſubiecto: quare locus, & res locata in ſe inuicem diuerſo tamen modo ſunt , ſic creator eſt in creatura , tanquam in imagine , creatura verò eſt in creatore velut in cauſa : ſic etiam totum eſt in quauis ſua parte velut in cauſa, & quæuis pars totius in ipſo velut in continente reperitur. Cum autem dicitur locus conſeruare rem locatam , id intelligendum eſt de loco non intrinſeco, ſed extrinſeco, & ambiente, per quem influxus corporum cœſtium in rem locatam traiiciuntur. Tertium argumentum ſit : quia ſi vbi per ſe ipſum rei vbicatæ non vniatur, vnio Petri verbi gratia cum ſuo vbi erit, & non erit ipſius vbi : non erit , vt ſupponimus: erit, quia determinat eſſentialiter Petrum, vt hic, & non alibi ſit : cum accidens illud abſolutum id munus determinandi non poſtulet, & abſque eo diuinitus reperiri poſſit. Reſpondeo ; vnionem Petri cum ſuo vbi non determinare Petrum, vt ſic, & non alibi, velut formam, ac rationem primariam, ſed præcisè velut cauſalitatem formæ, ac rationem ſecundariam ; vnde non eſſe vbi , ſiue locum Petri : qua ratione vnio parietis cum albedine non eſt albedo , quamuis vnio illa determinet eſſentialiter parietem, vt albus ſit : haud enim talis determinatio ipſi albedini eſſentialis eſt. Adiice, quod, ſi diſtinguuntur vbi & vbicatio, huius, & non illius proprium ſit determinare rem ad hoc vt ſit hic & non alibi : determinare inquam inſtar etiam formæ.

CAPVT II.

Quotuplex ſit locus corporis naturalis , & cuiuſuis alterius rei ?

LOcus variè diuidi ſolet : in primis enim locus , alius eſt realis, alius imaginarius : locus realis eſt, qui entitatem aliquam realem habet, aut rei locatæ velut ſubiecto inhærentem , aut ei extrinſe circumfuſam : ſpatium verò imaginarium eſt, quod eſſe reale nec habet , nec habere poteſt, perinde enim à nobis concipitur , ac ſi reuera eſſet : huiuſmodi eſt interuallum illud, in quo mundum hunc conditum eſſe , & ab æterno ad eum præſuppoſitum imaginamur. Propterea autem vbi intrinſecum , & reale non ſine reſpectu ad ſpatium imaginarium concipimus vt ita extenſionem vbitatum realium , earúmque ſitum , poſituram, diſtantiam, atque indiſtantiam melius explicemus. Nam quo maius, aut minus eſt ſpatium imaginarium alicuius vbi realis , eo ipſo maius, aut contractius eſſe ipſum vbi ; & quo etiam magis, vel minus diſtat vnum ſpatium imaginarium ab alio, eo magis, vel minus diſtans eſſe vnum vbi ab alio communiter iudicare ſolemus. Hinc conſtat, nec Deum, nec creaturam propriè , ac ſtrictè in ſpatiis imaginariis eſſe : aliquid enim reale in nihilo , ſiue chimæra ſtrictè eſſe nequit : impropriè tamen ac tranſlatitie tam Deus , quàm creatura ſpatiis imaginariis adſunt : vnde reiiciendi ſunt Authores, qui in præſenti materia aliter philoſophantur. 11.

At alij non pauci cum Albertino in Corollariis ſuis diſp. vnica de prædicamento vbi docent, 12.

ſpatium

ſpatium imaginatium eſſe interuallum quoddam naturale, & capacitatem quandam corporis receptiuam; vnde non eſſe omnino nihil, non tamen eſſe aliquid reale, cum exiſtentia omnis entis realis tota æternitate præceſſerit: ſed potius eſſe medium quoddam inter ens reale, & rationis; quod tametſi à Deo deſtrui non poſſit, Deo tamen per impoſſibile deficiente deficeret, atque adeo ab eo dependet. Plura argumenta contra hanc ſententiam confici ſolent, quæ tamen inefficacia eſſe à nobis oſtendetur in Metaphyſica parum à principio, cum ſermo fuerit de poſſibilitate rerum, eiuſque ab exiſtentia diſtinctione quali quali. Quocirca, iis omiſſis impugnatur impræſentiarum ea ſententia hunc in modum.

13. Siquidem ſuperfluè, & abſque fundamento eiuſmodi interuallum poſitiuum medium inter ens reale, & rationis adſtruit: vt enim aliqua res ſit hic, & non alibi, vtque vna res diſtet ab alia, atque vna res localiter moueri queat, ſufficit locus intrinſecus, & realis cuiuſque rei, eiuſque vbi: ac tunc res aliqua erit hic, cum hoc vbi habuerit: tunc etiam ab alia diſtabit, cum vbi eſſentialiter diſtans ab vbi alterius ſortita fuerit: ac demum tunc aliqua res localiter mouebitur, cum vbitates intrinſecas, & reales cum ſucceſſione, & quaſi alternatione mutauerit: vt igitur hæc, & ſimilia verificentur, tale interuallum prope nihil, non tamen omnino nihil fruſtra adſtruitur. Confirmatur: quia vna pars eius interualli ab alia diſtat, vnaque hic, & non alibi eſt, quin tamen partes eius interualli in alio ſpatio, aut interuallo à ſe diſtincto exiſtant: aliàs ſpatia ſpatiis in infinitum commixta, & infuſa eſſent: cur igitur hoc vbi ab alio diſtare, atque hic, & non alibi eſſe nequeat, quin tamen alterutrum in ſpatio illo, aut interuallo, nec reali, nec omnino fincto exiſtat?

14. Alij docent; ſpatium imaginarium eſſe carentias vbitatum: pro quo ſupponunt, ſicut ſunt poſſibiles infinitæ vbitates, quarum aliæ extra aliàs quoad locum eſſent, ſi exiſterent; ita ſimiliter actu dari infinitas carentias, quarum aliæ extra locum aliarum ſint: ita, vt carentia vbitatis *A.* ſit in loco ſolius vbitatis *A.* & contraria vbitatis *B.* in loco ſolius vbitatis *B.* & ſic de reliquis: quamuis enim vbitas *A.* non ſit in loco *B.* haud quaquam ſequitur, carentiam vbitatis *A.* eſſe in loco *B*, alióve quouis ſpatio: haud aliter ac quamuis ego non ſim Romæ, non ſequitur meam carentiam eſſe Romæ; aliàs ego meæ carentiæ in eodem tempore coëxiſterem: infinitæ ergo carentiæ vbitatum quaqua verſus diffuſæ iuxta hanc ſententiam ſunt ſpatium imaginarium, ac vaſtitas illa inanis nullis limitibus circumſcripta: ideoque Petrus v. g. eſt hic, quia huic carentiæ vbitatum aliquarum præſens eſt: & alibi quia alteri carentiæ præſens eſt: idcirco etiam Petrus, & Paulus inuicem diſtant; quia carentiæ, quibus præſentes ſunt, certo interſtitio eſſentialiter differunt.

15. Hæc ſententia diſplicet mihi, primò: quia carentia Petri fuit ab æterno, quod qua ratione intelligendum eſt, inferius conſtabit: at Petrus non fuit ab æterno: ergo res & carentia rei idem ſpatium temporis ſuaptè natura non reſpiciunt: ergo etiam idem ſpatium loci eſſentialiter reſpicere non debent, ac proinde licet vbitas *A.* v. g. ſit eſſentialiter in loco *A.* non propterea carentia vbitatis *A.* eſſentialiter ibidem, & non alibi erit. Rurſus: vna carentia eſt hic, & non alibi, vnaque ab alia diſtat: at non ex eo, quòd tales carentiæ ſint in alio loco à ſe diſtincto, vt aduerſarij fatentur: cur ergo vbi *A.* & vbi *B.* ita comparari nequeant, vt alterum eſſe hic, & alterum alibi, vnumque ab alio diſtare poſſit, ſeorſim à quouis ſpatio à ſe diſtincto, & re ipſa ad vtrumque præſuppoſito. Deinde deſtruere vbitatem realem, & recipere, ſeu continere localiter rem aliquam ſunt munera longe diuerſa, vt manifeſtum eſt: curergo in eandem carentiam vbitatis ab his Authoribus confunduntur? Aut cur ab iis pari ratione producere rem, & eam localiter recipere eidem non aſſignantur, ita vt actio productiua rei aut eius vbitatis ſit ſimul actio, & locus realis rei; haud ſecus, ac carentia eſt deſtructio vbitatis, & locus imaginarius rei vbicatæ? Aut cur etiam eadem entitas non ſit actio rei, duratio, vbicatio, qualitas, ac quantitas, ſi hæc à re quanta diſtinguitur? His iiſdem argumentis impugnari poſſunt ij, qui de poſſibilitate vbicationum philoſophantur ea ratione, qua Authores ſententiæ nuper impugnatæ de carentiis ſentiunt, ſpatiumque imaginarium ab vbitatum poſſibilitate indiſtinctum eſſe opinantur.

16. Locus realis extrinſecus ab Ariſtotele 4. Phyſicor. definitur ſuperficies corporis ambientis: hinc fit, Deum non eſſe in loco extrinſeco: ac propterea à multis Patribus, ac Theologis illocalem eum appellari. Hinc etiam fit, ſuperficiem conuexam ſupremi cæli, de cuius ſpatio inter Philoſophos magna lis eſt, non eſſe in loco reali extrinſeco, ſolumque intrinſece locatam eſſe. Hinc tandem fit, turrem intrinſecè immotam, atque in eodem ſitu permanentem, mutare tamen ſæpiſſime locum extrinſecum, prout nimirum ventorum vi, aliam, aliamque aëris ſuperficiem mutat, & modo hac, modo illac circumfunditur: è contra vero nauim intrinſecè motam, atque diuerſo vbi, ſituque affectam, eandem tamen aquæ ſuperficiem, eundemque locum extrinſecum aliquandiu retinere poſſe; videlicet, ſi prono, ac decliui curſu feratur, nec de fluctu in fluctum agitetur: hac ratione homo intrinſecè inuariatus plures alias denominationes extrinſecas ſubit, & nec eandem quam antea famam, aut beneuolentiam, libertatem, aut dominium retinet; atque è conuerſo eſto intrinſecè variatus ſit, eaſdem tamen denominationes extrinſecas, quas antea interdum terminat, eodemque modo audit, amatur, immeritamque libertatem ac dominium tuetur.

17. Locus realis intrinſecus eſt vbi intrinſecum cuiuſque rei: hoc autem incircumſcriptiuum, definitiuum, & immenſum diuidi ſolet. Vbi circumſcriptiuum eſt, quod partes rei extra ſe inuicem collocat, ac partibus loci, ſeu ſpatij imaginarij commenſas eſſe facit, ita vt vna pars rei locatæ in parte ſpatij, & alia in alia exiſtat: definitiuum eſt, quod totam rem in toto ſpatio finito, & totam in qualibet parte eius ſpatij conſtituit; immenſum eſt, quo res vbique collocatur. Vbi circumſcriptiuum eſt proprium creaturarum corporalium, & diuiſibilium: definitiuum eſt proprium creaturarum ſpiritualium & indiuiſibilium: immenſum vero ſolius creatoris. Circumſcriptiuum ita appellatur, quod vi illius vna ſuperficies

perficies rei locatæ aliàs interiores ambiat, & circumſcribat: definitiuum vero ita dicitur, quod præcisè habeat rem loco definire, eamque hic v.g. & non alibi conſtituere, abſque vlla tamen circumſcriptione, aut ſitu partium: vbi vero immenſum ſic nuncupatur, quod modum omnem, atque menſuram excedat. Illud autem animaduertendum eſt, locum realem ſæpiſſimè ſumi ſolere pro ſolo vbi circumſcriptiuo: huius enim defectu docet Auguſtinus, non ſolum Deum, & Angelum, verum etiam animam rationalem illocalem eſſe, & ſpatio carere: *Videamus*: inquit, in libro de quantitate animæ cap. 20. *illud alterum argumentum, quale ſit, quod per totum ſpatium corporis tactu ſentitur ab anima, quam ſpatij nullius eſſe volumus.* Eodem modo loquitur B. Claudian. de ſtat. anim. cap. 17. ibi: *Si localis eſt anima, multimoda poteſt ſectione comminui, & frequentia comminutionis aboleri: ſed quia iſtud mens ſana, ne dicam,*
18. *docta, non recipit,* &c.

Porrò, materia prima, forma ſubſtantialis, & accidentia omnia idem numero vbi, eundemque locum intrinſecum ſortiuntur: ſiquidem penetrantur: ergo in eodem loco, ſiue ibidem exiſtunt. Dices: ea penetrari non quod idem numero vbi ſortiantur, ſed quod vbi vnius, & vbi reliquorum ſint penetrata, idemque ſpatium imaginarium occupent. Contra tamen: quia iuxta aduerſarios duæ quantitates naturaliter penetrari nequeunt: at vbitates rerum earum quantitates eſſe ex Auguſtino, & Ariſtotele ſupra oſtendimus: Deinde quæ neceſſitas eſt tribuendi materiæ, formæ, & accidentibus inuicem penetrantibus diuerſum realiter vbi, diſtinctumque numero locum? quod enim materia prius natura approximata ſit agenti, atque adeo prius locum occupet, quàm forma ſubſtantialis, aut accidentalis ſint, nedum in loco ſint, tantum arguit vbicationem materiæ, eiuſque vnionem cum loco, ſiue vbi priorem natura eſſe quam vbicationes, aut vniones formæ ſubſtantialis, & accidentium cum loco: at quod vbi ſiue ſpatium vnius partis prius natura ſit ſpatio, & vbi cæterorum illinc minimè arguitur. Et quidem quod attinet ad accidentia nullum illis proprium vbi eſſe, ac diſtinctum ab vbi, quod habent ſubſtantiæ, quibus accidunt, expreſſa ſententia eſt P. Rubij 4. Phyſicor. tract. de natura loci quæſt. 5. num. 74. & ſeq. Quæ autem in contrarium obiicit contrariæ aſſertor ſententiæ D. Tellez diſput. 44. Metaphyſ. ſect. 1. facilia ſunt, & abſque negotio ſolui poſſunt ex dictis.

CAPVT III.

An idem corpus naturale, aliaue res poſsit diuinitus eſſe ſimul in duplici loco adæquato circumſcriptiue?

19. EAndem rem in duobus, aut pluribus locis circumſcriptiuè eſſe poſſe de abſoluta creatoris potentia tuentur Alenſis, Scotus, Richardus, Maior, Gabriel, Occamus, Marſilius, Adamus, Aureolus, aliique plures ſcholaſtici antiqui: hanc etiam ſententiam tanquam magis idoneam ad hæreſes noſtri temporis circa myſterium Euchariſtiæ profligandas amplexa eſt vniuerſa fermè Societas Ieſu, eamque multis, & efficacibus argumentis probat, quæ breuiter inſinuare, non fuſè proſequi lubet: tum quia per ſe clariſſima ſunt: tmm etiam quia à noſtris Theologis latè expendi ſolent.

Argumentor igitur primò: plura contraria 20.
diuinitus eidem ſubiecto conuenire poſſunt, videlicet, calor ſummus, ſummaque frigiditas, aut humiditas, & ſiccitas in ſupremo gradu; aut quod plus eſt, aſſenſus, ac diſſenſus; amor, & odium efficax eiuſdem obiecti, vt in Metaph. tract. 12. cap. 1. lib. 7. oſtendam: cur igitur vnum vbi circumſcriptiuum ſimul cum alio diſtanti eidem corpori conuenire nequeat, cum alterum alteri contrarium tantum ſit, & neutrum alteri formaliter contradicat, per eiuſve carentiam definiatur, ſed potius per hoc, quod partes rei locatæ partibus loci commenſuret, & ſingulas partes rei in ſingulis tantum partibus loci conſtituat. Secundò: non magis repugnat, corpus aliquod habere duplex vbi circumſcriptiuum, quo ſimul in diuerſis locis exiſtat, quàm omni vbi circumſcriptiuo ſpoliari: at Deus ſupernaturaliter poteſt facere, vt corpus aliquod circumſcriptiuè nullibi ſit, tantumque definitiuè in loco exiſtat, idque de facto fieret, ſi Chriſtus in ſola Euchariſtia aliquandiu eſſe vellet. Tertiò: non magis repugnat, vnum corpus eſſe circumſcripriuè in diuerſis locis, quàm duo corpora eſſe circumſcriptiuè in eodem loco: at diuinitus factum fuit non ſemel, vt duo corpora in eodem loco circumſcriptiuè eſſent, vt cum Chriſtus Redemptor noſter virginea clauſtra, ianuas obſeratas, ſepulchri lapidem, ac cæleſtes orbes omnipotenti ſua virtute penetrauit.

Quartò: vnum accidens diuinitus collocari 21.
poteſt in diuerſis ſubiectis; ſiquidem quod pari admiratione dignum, ſalua tamen fide negari nequit, accidens ſine vllo ſubiecto diuinitus exiſtere valet: ſimiliter etiam vna forma ſubſtantialis in diuerſis materiis per miraculum eſſe poteſt: cur ergo vnum corpus circumſcriptiuè in diuerſis locis ſimul eſſe nequeat, aut quæ vtrinque diſparitatis ratio eſt. Quintò iuxta non paucos aduerſariorum vna natura diuinitus eſſe poteſt in diuerſis ſuppoſitis, altero creato, & altero increato; atque ita eueniret, ſi Deus naturam Angelicam ſeipſa ſubſiſtentem aſſumeret. Rurſus etiam vna ſubſiſtentia, ac ſuppoſitalitas in diuerſis naturis eſſe, eaſque intrinſecè afficere poteſt, vt ex Dominicæ Incarnationis myſterio exploratum eſt: ergo ſimiliter, &c. Sextò Angelus naturaliter, & abſque miraculo totus eſt in vno loco, ac totus ſimul in alio, ſiue eiuſmodi loci continui ſint, ſiue, quod aliis non diſplicet, diſcreti ſint, dummodo ambo ſphæram adæquatam Angeli non excedant: cur igitur Deus miraculosè nequeat totum corpus hic, ac totum alibi circumſcriptiuè collocare.

Septimò: vnus effectus à duplici cauſa ad- 22.
æquata diuinitus prodire; aut, quod perinde eſt, in duplici virtute totali contineri poteſt: quidni ergo & vnum corpus in duplici loco circumſcriptiuè. Octauò: corpus Chriſti de facto habet plures præſentias adæquatas, quibus in diuerſis locis exiſtat, & non qualeſcunque, ſed definitiuas, ac ſupernaturales, vti ex myſterio Euchariſtiæ conſtat: ergo à fortiori corpus Chriſti plures præſentias adæquatas, naturales quidem, ac circumſcriptiuas habere, & merito illarum in di-

diuerſis

uersis locis existere potest: cur sicut præsentia adæquata supernaturalis cum alia adæquata supernaturali, aut naturalis cum supernaturali cohærere potest, duæ etiam naturales coniungi, eidémque corpori diuinitus tribui nequeant? Tandem ex nostris historiis constat S. Franciscum Xauerium Orientis Apostolum in duobus locis circumscriptiuè extitisse, & eodem temporis articulo in naui, atque etiam in scapha, quas longo interfrementis pelagi tractu dissecerat insana tempestas, multis apparuisse: huiusmodi ergo miraculum non repugnat.

23. Verum Thomistæ fermè omnes cum Beato Thoma contrariam sententiam tuentur: potissimum eorum fundamentum est, si idem homo verbi gratia posset esse circumscriptiue in duobus locis adæquatis, in vno posset summum calorem ab igne, & in alio summam frigiditatem à niue recipere: item in vno posset mereri, bonitatémque Dei illic propositam super omnia amare, & gratiam suam augere: in alio verò demereri, obiectúmque aliquod turpe amare, Deumque odisse, atque in peccato esse. Præterea in vno posset accepto vulnere mori, in alio verò vulneris securus viuere: at eundem hominem simul esse summè calidum, & frigidum; simulque mereri, & demereri; Deum amare, & odisse; esse in peccato, & gratia; viuere, ac mori repugnat.

24. Respondeo negata sequela: pro cuius intelligentia animaduertendum est, vnionem cuiusuis accidentis cum subiecto, si solùm *vbi* excipias, efficere, vt vbicunque existat subiectum, ibi etiam accidens necessario existat; atque etiam, quod consequens est, vt accidens in duobus locis adæquatis existat, si in illis subiectum supernaturaliter collocetur: hac ratione corpus Christi, quod vi verborum sub speciebus sanguinis non constituitur, vi tamen vnionis cum sanguine sub iis collocatur: idémque sanguini respectu specierum panis vsuvenit. Hinc est, vt corpus hic & Romæ existens summè calidum, & frigidum ex natura rei, & absque nouo miraculo esse nequeat, quia caliditas hic ei impressa vi vnionis Romam transfertur, eámque ad temperiem reducit. Hinc etiam est, vt quis hic existens, Deumque amans super omnia, eum Romæ odisse nequeat, quantæuis peccandi illecebræ illic ei proponantur, quia amor Dei super omnia hic elicitus, meritumque, & gratia cum amorem consequens, Romam transferuntur absque vllo motu, ac vi solius vnionis, atque illic odium Dei demeritum, ac peccatum ab eo auertunt. Hinc demum est, vt quis accepto vulnere, hic mortem oppetens, Romæ etiam necessario moriatur, eo quod vulnus hic ei inflictum, non solùm hic, sed etiam vbique noceat, & nusquam non lethale sit.

25. Addiderim, nullam esse repugnantiam in eo, quod idem numero homo sit summè calidus, & frigidus, Deumque efficaci odio, & amore prosequatur: innumeri etiam Theologi probabiliter defendunt, gratiam componi posse diuinitus cum peccato, actúmque demeritorium cum alio quantum est de se meritorio: aliqui etiam cum P. Suarez tuentur diuinitus fieri posse, vt idem numero homo in eodem temporis momento hic viuat, & Romæ moriatur; quod etiam probabile est, si mors non pro carentia, & destructione formæ vitalis, aut eius vnionis sumatur, vt à multis sumi consueuit, sed solùm pro separatione formæ vitalis, eiusque vnionis à corpore quoad locum, ita vt nihil aliud sit corpus hic viuens mori Romæ, quam formam vitalem antea informantem tale corpus vbique locorum, incipere Romæ illud non informare, cum tamen alibi illud informet.

Pater Vasquez tom. 3. in 3. part. disput. 189. 26.
Thomisticam sententiam alio argumento tuetur: nam lapis, inquit, si posset esse supernaturaliter in duplici loco adæquato circumscriptiuè, posset etiam naturaliter esse in duobus locis adæquatis circumscriptiuè: consequens est falsum: ergo &c. Probat minorem: quia si idem lapis super duas columnas circumscriptiue existat, sublatis columnis lapis ille naturaliter descendet; suoque pondere vtrobique deorsum feretur: ergo naturaliter duplicem locum adæquatum de nouo adquiret. Aliqui cum P. Hurtado respondent: lapidem in eo euentu minimè descensurum, motumve vllum subiturum. Sed immeritò: nam, quæ esset innata lapidis grauitas, necnon immanis, & bruta moles, in aëre pendere, locumque superum sibi contrarium naturaliter retinere non posset: deorsum ergo ferretur, nisi eius naturæ, & exigentiæ Deus nouo miraculo contrauenire statueret. Alij respondent; futurum esse, vt lapis in eo euentu vtrobique descenderet, ac duplicem locum adæquatum duplici motu adquireret; tametsi autem absque nouo miraculo, imò suppositò priori miraculo naturaliter id eueniret, haud quaquam tamen motus ille in duplicem locum adæquatum lapidi absolutè, & simpliciter naturalis foret, vtpote qui non fieret viribus solius naturæ, sed tantum viribus naturæ eleuatæ, atque in duplici loco per miraculum anteà constitutæ. Hæc etiam solutio non placet: quia non magis conferunt ad duas vbicationes adæquatas denuò adquirendas duæ aliæ præuiæ, quàm ad summum calorem acquirendum solius ignis præsentia; & ad adquirendam summam frigiditatem solius niuis: at corpus solo igne hic ei applicato, ac sola niue hic ei applicata, non propterea absque nouo miraculo summè calidum, ac simul summè frigidum euaderet, vt suprà ostensum manet, & huius solutionis Authores fatentur: ergo similiter, &c.

Quare missis his, & aliis solutionibus; respon- 27.
deo primò per instantiam: siquidem lapis definitiuè existens super duas columnas, iis subtractis deorsum descendet pro innata sibi grauitate: ergo duos locos adæquatos naturaliter comparare poterit, si quid argumentum contrarium valet. Eadem instantia fieri potest in Angelo duos locos adæquatos definitiuè occupante: proculdubio enim naturaliter se mouere posset. Deinde absolutè respondeo, futurum esse, vt lapis in eo euentu in centrum rueret, ac deorsum descenderet: Deum autem liberè determinaturum versus quam partem descensus fieret, eo quod versus vtramque fieri non posset; vnius autem potius, quàm alterius potior ratio ex parte creaturæ non esset: hac ratione Deus determinat actiones causarum secundarum quoad indiuiduum, quia causæ secundæ quoad indiuiduum indifferentes de se sunt: ergo cum causa aliqua secunda miraculo aliquo præsuppositò quoad speciem indifferens fuerit, Dei partes tunc erunt determinare cuius speciei actionem elicitura sit.

Obiciunt

28. Obiiciunt tertiò aduersarij: si idem corpus esset in duobus locis circumscriptiuè; profectò distaret, & non distaret à seipso: distaret quidem; quia loca quæ occuparet, interse haberent distantiam: quo pacto duo corpora ideò de facto distant inuicem, quia loca distantia replent. Rursus, non distaret corpus illud à seipso, quoniam distare non possunt, nisi quæ distinguuntur: positio autem corporis in duobus locis circumscriptiuè non faceret illud à seipso distingui: haud enim eius essentiam variaret. Obiiciunt quartò; fore vt corpus circumscriptiuè positum in duobus locis posset, & non posset tangere seipsum. Quod non posset semetipsum tangere perspicuum est: contactus enim est duorum extremorum, & essentialiter ad aliud, instar cæterarum relationum realium. Quod è contrario posset illud corpus se tangere non minus exploratum esse videtur: nam si potest esse in duobus locis adæquatis circumscriptiuè, quidni in locis contiguis? Eo autem ipso quod occuparet circumscriptiuè loca contigua, non posset non se tangere, siue non sibi esse contiguum: cum contiguitas corporum à contiguitate locorum, in quibus sunt, dicatur.

29. Obiiciunt quintò; fore vt illud corpus esset, & non esset extra quemlibet eorum locorum, in quibus existeret circumscriptiuè: in primis enim non esset illud corpus extra locum *A.* v.gr. quia reuera esset in illo, adeóque intra illud: deinde esset extra talem locum *A.* quoniam esset in loco *B.* distincto, & extra iacente. Obiiciunt sextò: illud corpus esset æquale, & simul inæquale vtrilibet eorum locorum totalium, in quibus existeret circumscriptiuè. Æqualitas patet: quia quilibet eorum locorum esset locus adæquatus eius corporis: omnis autem res locata locum suum adæquatum æquat, siue, quod eodem redit, ei æqualis est. Rursus inæqualitas eius corporis ad quemlibet eorum locorum, de quibus sermo est, suadetur: quia esset æquale duobus illis locis simul sumptis: ergo alterutri seorsim inæquale, eoque maius, magisve protensum: consequentia est euidens: quod enim est æquale collectioni, nequit non esse inæquale cuiuis parti talis collectionis, quo pacto quia sex homines v. gr. & sex Angeli sunt numero æquales, hoc ipso sex homines inæquales numericè sunt respectu trium Angelorum, eósque sin minus perfectione, saltem multitudine superant. Antecedens probatur: quia corpus, quo de loquimur, simul occuparet duo loca totalia circumscriptiuè, iisque commensuraretur: esset ergo iis simul sumptis æquale: qua ratione, quia anima rationalis occupat totum spatium nostri corporis, ei sanè æqualis est, illudue exæquat. Obiiciunt septimò; vbi talis corporis fore, & non fore circumscriptiuum: fore quidem, vt supponitur: non fore, vtpote quod huic loco corpus non circumscriberet, sed illud in alio esse pateretur. Postremo obiiciunt: si corpus aliquod esse posset simul in duobus locis adæquatis circumscriptiuè, sanè & posset esse in infinitis; imò & in omnibus, seu, quod perinde est, vbique: consequens est absurdum: quid enim id esset, quàm immensitatem Dei propriam communicari posse alicui creaturæ? Quid item, quam corpus illud esse quantitatis finitæ, & simul infinitæ: illius, nempè finitæ, quia ipsum finitum entitatiuè, & essentialiter est, finitásque versus maximam partes habet: infinitæ verò, quia infinitum, imò & omnem locum circumscriptiuè repleret, quod absque infinitate quantitatis, haud potest intelligi.

Hæc tamen argumenta in mysterio Euchatistię, 30.
ac multiplici vbitate definitiua corporis Christi clarè instantur, & (nisi valdè fallor) talia sunt, de quibus in hæc B. Claudiani Episcopi lib. 3. de statu animæ cap. 11. verba fari iure possim: *Eo mihimet hisce inanibus respondere admodum laboris est: quia nihil isthic est, cum quo congrediar: nihil quod medullitus eruam: nihil est, cum quo certamisse exercitatio: nihil profectò est, quod vicisse victoria sit.* Verum quia nonnullis scholasticis placent, idcircò libet iis ex ordine respondere. Ad primum ergo eorum, & respectu superiorum tertium dicendum est, non ideò quæuis duo corpora de facto distare, quia loca occupant inter se distantia; sed quia præter locorum distantiam, distinctionem habent entitatum: eiusmodi autem distinctione à seipso careret corpus circumscriptiuè positum in duobus locis adæquatis: vnde ex tali eius positione non sequeretur, quod distaret à se ipso, sed tantùm quod non distaret. Sic duæ animæ rationales, quarum vna hic existat in spatio vnius palmi, & altera Romæ in spatio alterius palmi, distarent à se inuicem, tametsi ambæ existerent in duobus locis tantum inadæquatis: & tamen vna, eadémque anima de facto existit in duobus locis inadæquatis inter se distantibus, nempe in spatio capitis, & spatio pedis, quin propterea distet à seipsa: similiter ergo, si loquamur de duobus locis adæquatis inter se distantibus, duo corpora in illis circumscriptiuè posita, eo ipso distabunt; si tamen vnum in illis ita collocetur, non ob id censeri poterit à se ipso distans, aut separatum.

Ad quartum argumentum contrarium dicen- 31.
dum est, fore tantum vt corpus in duobus locis contiguis circumscriptiuè existens se non tangeret; defectu nimirum distinctionis à seipso: nec referret, loca, in quibus esset, esse contigua: nam etiam est in temporibus sibi veluti contiguis, & immediatè succedentibus: & tamen non propterea sibi ipsi quoad durationem, aut temporis spatium succedit: sicut ergo defectus distinctionis, ac multiplicitatis realis tollit ab eo relationem successionis respectu sui ipsius; quidni & in cuentu nostræ disputationis tolleret ab eo relationem contiguitatis? Ad quintum dicendum est, fore vt corpus illud per vnam vbicationem circumscriptiuam adæquatam esset extra locum *A.* v.gr. & per aliam non esset extra eum locum, sed potius in illo, aut intra illum: in hoc autem nullam esse contradictionem, vt est sponte sua manifestum. Sic dum raptus est Paulus ad tertium cœlum, vti refertur epist. 2. ad Cor. 12. Eius anima fuit fortassis extra illius corpus per vnam vbicationem, vt constat ex illis ipsiusmet Apostoli verbis: *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (siue in corpore, nescio, siue extra corpus, nescio: Deus scit) raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum.* Vbi particula *extra* localem, & veram extraneitatem sanctissimæ illius animæ respectu sui corporis, & non solam imaginariam, aut intellectualem significat; cum totus raptus fuerit realis, verúlque, & non imaginarius, vt tanquam magis proba-

bile

bile tuentur noster Cornelius à Lapide, & alij quidam interpretes in hunc Pauli locum. Deinde eadem anima Pauli fuit per vnionem, & aliam vbicationem intra eius corpus, & non omninò extra illud, vt docet B. Thomas 2. 2. quæst. 175. art. 5. & quidem alioqui Paulus non raptus fuisset, sed mortuus. Similiter ergo in præsenti, &c.

32. Ad sextum argumentum contrarium dicendum est, corpus quidem æquale esse loco, in quo est quantitatiuè, vt docet Aristoteles apud P. Suarez tom. 3. in 3. part. disputat. 48. sect. 4. §. *Septima ratio*: at æqualitatem loci, & corporis locati duplicem esse: aliam aptitudinalem, aliam actualem: actualis est, qua corpus occupat totum locum, & non maiorem; locusque continet corpus aliquod, & præter illud, nullum aliud: quaue in actu secundo corpus excedit locum, nec è conuerso exceditur à loco. Aptitudinalis æqualitas est, qua corpus aptum est occupare locum aliquem totum, eumque solum, & locus aptus etiam est continere corpus, & excepto eo corpore nullum aliud: cum autem huiusmodi aptitudo alia sit naturalis, alia obedientialis; consequens est, vt prædicta æqualitas aptitudinalis subdiuidenda sit in naturalem, & obedientialem. Qua autem ratione diuisa ac subdiuisa est æqualitas loci, & corporis locati, eadem ratione diuidi debet, ac subdiuidi inæqualitas ei opposita. Quibus constitutis, corpus positum circumscriptiuè in duobus locis adæquatis, esset iis simul & collectiuè sumptis æquale, æqualitate actuali siue in actu secundo, & ex consequenti cuilibet eorum seorsim inæquale, inæqualitate similiter actuali. Cæterum esset hoc non obstante cuilibet æquale, æqualitate aptitudinali naturali: quia naturaliter esset capax & aptum, quemlibet eorum & non alium replere; similisque aptitudo in loco ei responderet: contrà verò illis simul sumptis foret inæquale hoc genere inæqualitatis aptitudinalis naturalis, de quo loquimur. Itaque vno sensu esset alterutri seorsim æquale, & alio inæquale; & sic non sequeretur contradictio, quæ obiicitur in argumento. Quod autem quilibet eorum locorum esset adæquatus locus eius corporis non argueret, dari æqualitatem inter vtramque, actualem vtique, quam inter illa hucusque negaui: quia nimirum eodem modo dicendum est, quemlibet eorum locorum fore adæquatum locum eius corporis, adæquatione dumtaxat aptitudinali naturali, siue in actu primo; secus verò adæquatione in actu secundo. Et quidem argumentum manifestè instatur in penetratione duorum corporum in eodem loco: hic enim locus iuxta doctrinam, & modum arguendi aduersariorum esset æqualis alterutri corpori, quia esset alterutrius locus adæquatus: & simul esset alterutri inæqualis, quia esset æqualis duobus corporibus simul sumptis: vnde & cuiuis seorsim inæquale: quod ergo hic responderint aduersarij, id dictum putent ad argumentum, quos nos impetunt.

33. Ad septimum argumentum contrarium dicendum est, quodlibet vbi corporis in duplici loco adæquato collocati, eo modo quo collocari posse defendimus, fore circumscriptiuum: quia eius vi vnæ superficies corporis alias ambirent, ac circumscriberent: iuxta dicta à nobis supra cap. 2. huiusmet tractatus. Sed fac, vbi circumscriptiuum tale dici, eò quod corpus ita huic loco circumscribat, vt non permittat, illud non esse in alio: sanè hoc ita intelligendum est, vt habeat solum naturaliter non permittere positionem corporis in alio loco: quidni ergo posset corpus, non obstante eius vbi circumscriptiuo in hoc loco, esse miraculosè, ac supernaturaliter in alio? Ad postremum dicendum est; quamuis ex nostra sequatur sententia, quod corpus aliquod esse possit vbique, at in hoc consequenti nullam esse absurditatem: Haud enim inde vlterius fiet, corpus vllum posse habere immensitatem, siue durationem Dei propriam: quia immensitas Dei importat esse vbique à se & imparticipate, quod omni creaturæ tum corporeæ, tum etiam incorporeæ omninò repugnat. Rursus ex eo consequenti, quod admittimus, nequaquam sequeretur, corpus entitatiuè finitum habiturum, si esset vbique, quantitatem simul finitam, & infinitam; si fortè quantitas à substantia corporis quanti supponatur distincta: nam, vt entitas corporis, etsi finita sit, vbique poni potest, ita etiam huic eius positioni minimè repugnat, quod quantitas illius sit dumtaxat finita, & neutiquam infinita.

CAPVT IV.

De vacuo corporis naturalis.

34. POstquam de loco corporis naturalis egimus, reliquum est, vt de eius vacuo nonnihil dicamus. Vacuum ergo est locus omnis corporis expers, naturaliter tamen aptus illo repleri: extra superficiem supremi cœli vacuum propriè dari censeo, ibi enim est locus imaginarius, & intercapedo quædam infinita omnis corporis expers, tamen naturaliter capax: cur enim Deus alium mundum extra hunc, imò infinitos condere nequeat? Cæterum intrà latera huius vniuersi vacuum naturaliter repugnare plerique Philosophi tenent, præter Democritum, Epicurum, ac nouissimè Turnebum, aliósque paucos, qui facilè impugnari possunt, in hunc modum. Non magis repugnat, eumdem vniuersi locum duo corpora inuicem penetrata suscipere, quàm aliquem locum omni corpore vacuum esse; sicut non magis repugnat, eandem materiam duas formas substantiales suscipere, quam omni forma carere: at illud prius naturaliter repugnat: ergo & hoc posterius. Minor quamuis ab aliquibus referente Alexandro opusc. de mixtion. & Fernelio lib. 2. suæ Physiologiæ negetur, à nobis tamen supra probata est, cum de raro, & denso ageremus, ac modo ostenditur vulgari, ac notissima experientia, quam his verbis proponit Greg. Nissenus lib. de resurrect. & anima; *Amphora admota stagno non statim repletur, sed prius coacto intus aëre concauum sursum tollente innatat, quoad haurientis manu amphora pressa in fundo fuerit, ac tunc per os accipiat aquam: quo facto ostenditur, quod nec antequam aqua repleret, vacua esset: nam pugna quædam duorum elementorum cernitur, dum aqua, quæ propter grauitatem vi in concauum irrumpit, aër vero qui in concauo interceptus deprehenditur per idem os in contrarium circa aquam coarctatus*

coarctatus dilabitur, ac retro fluit adeò, vt per hunc quaſi interrumpatur, & impediatur; ac vi ſpiritus refracta, reciprocatáque, ac ſpumans, quaſi è conchylio ſonum edat.

35. Argumentor ſecundò à poſteriori: ſiquidem ob id aqua per anguſtæ fiſtulæ meatus contra propriam inclinationem aſcendit; è contrario verò eademmet aqua per vaſis ſuperius occluſi inferiora foramina iuxta propriam inclinationem non deſcendit, ne vtrobique detur vacuum in vniuerſo, aut aëre fiſtulam deſerente, & aqua in eius locum non ſuccedente, aut aqua per vaſis fundum elabente, & aëre eius locum non occupante. Rurſus, latera follium nulla vi ſeparari poſſunt, ſi aëri ingreſſus ad replendum vacuum prohibeatur. Præterea, ſi tabula plana ſuper aquam expanſa vndequaque ſimul eleuetur, aquam ſurſum attrahet, ne inter aquam, & tabulam vacuum detur breuiſſimo tempore, eo videlicet, quo locum aquæ ingredi tardaret. Superius etiam oſtendimus, cum de raro, & denſo ageremus, quatenus hyberno tempore vaſa vacui euitandi cauſa rumpantur; & quatenus, etiam ægro ægrotantis adhibitis cucurbitulis eadem de cauſa ſurſum intumeſcat.

36. Argumentor tertiò à priori: ſi vacuum daretur in rerum natura, impediretur influxus cœlorum in hæc inferiora, & ſublunaria, eo quod accidentia per vacuum traiici, & abſque ſubiecto diffundi nequeant. Quod autem aliqui reſpondent, poſſe cœlos non influere in hæc inferiora per modiciſſimum tempus; cur enim inquiunt, lapis abſque influxu cœlorum illicò annihiletur? Ergo iam tantillo tempore vacuum in rebus dari poterit. Hoc inquam, non ſatisfacit: quia quemadmodum reliquum corpus ſine influxu capitis, cælique ſui, ne per breuiſſimum tempus conſeruari poteſt, abſciſſóque capite illico exanimatur: ita ſimiliter probabile eſt, mundum hunc inferiorem, & quamuis eius partem abſque cæleſtis mundi influentia ne minimo quidem temporis ſpatio conſeruari poſſe. Nec magis ſatisfacit aliorum ſolutio, videlicet dato vacuo cœlos non directè, ſed obliquatis radiis, ac verſus latera inſinuatis in mundum ſublunarem operaturos: namque quemadmodum obiectum nequit emittere ſpecies ſuas ad potentiam niſi recto itinere, quo fit, vt manu inter viſum, & obiectum interiecta defectu influxus directi viſio conſeruari nequeat: ita ſimiliter probabile eſt, cœlum non niſi linea recta qualitates ad mundi inferioris conſeruationem neceſſarias demittere, & ſi quas linea indirecta infundit, eas ad nullius corporis ſublunaris conſeruationem ſufficere. Qui plura velit de naturali impoſſibilitate vacui intra lunæ cauum, is adeat D. Hurtad. diſp. 14. Phyſicor. ſect. 6. & Conimbricenſ. lib. 4. Phyſicor. cap. 4. quæſt. 1. art. 2.

37. Dubitabis primò: quæ ſit cauſa motus illius, quo grauia, & leuia, impediente vacuo, contra propriam inclinationem extra proprium centrum feruntur? Reſpondeo, cauſam, quæ locum euacuat, ab eóque corpus expellit, ad eumdem locum replendum corpora vicina attrahere: hinc eſt, vt qui tabulam ex aqua attollit, maius pondus ſentiat, quam ſi eam aliunde veheret. Probabile etiam eſt, ipſa corpora grauia, & leuia ſaltem partialiter ſe ſe mouere ad replendum vacuum, cum motus ille communi bono deſeruiat, ea verò ad commune bonum innatam inclinationem habeant. Dubitabis ſecundò: an poſſit exerceri motus localis in vacuo? Reſpondeo affirmatiuè: quia motus localis ſuaptè natura terminatur ad vbi intrinſecum rei: at vbi intrinſecum in vacuo continuè produci poteſt: ergo & motus localis. Minor ſuadetur: ſuperficies ſupremi cœli ſuum vbi intrinſecum habet, illúdque ſempiterna conuerſione variat: at tale eius vbi non in loco reali extrinſeco, ſed in vacuo producitur. Dubitabis tertiò: motus in vacuo factus quam durationem haberet? Albertus, Ariminenſis, & alij docent, motum in vacuo per actum non tempori, ſed inſtanti menſuratum iri. Cæterum mihi probabilius videtur, non niſi tempore ſucceſſiuo rem per inane moueri poſſe: ita Scotus in 2. quæſt. 9. B. Thomas in 4. diſtinct. 44. quæſt. 2. art. 3. & vtriuſque non pauci ſectatores: item ex noſtris Hurtadus citata diſputat. 14. Phyſicor. ſect. 6. num. 60. Conimbric. 4. Phyſ. cap. 9. quæſt. 4. & 5. Bartholom. Amic. tractat. 21. quæſt. 4. dub. 1. artic. 2. Cardinalis Tolet. cap. 9. quæſt. 9. & Tellez diſp. 32. ſect. 5. Huius autem ſententiæ, quam vt veriorem amplectimur, ratio eſt: quia terminus *à quo*, & terminus *ad quem* motus in vacuo facti inuicem diſtarent: quis enim neget polum Arcticum, & polum Antarticum eamdem, quam nunc, diſtantiam habituros; tametſi corpora inter eos exiſtentia perirent, ſolúmque immanem quandam vacuitatem poſt ſe relinquerent? Igitur ob hanc diſtantiam motus in vacuo factus tempore egeret, vt à termino *à quo* ad terminum *ad quem* perueniret.

TRACTATVS II.

De tempore corporis naturalis.

CAPVT PRIMVM.

Quid, & quotuplex ſit tempus, ſeu quando corporis naturalis & cuiuſuis alterius rei?

1. QVæ de loco, ſiue vbi ſupra diſſeruimus, magna ex parte tempori, ſiue quando prædicamentali poſſunt accommodari. Quemadmodum enim vbi rei cuiuſuis eius locus eſt, & è conuerſo, ita ſimiliter quando rei nihil aliud eſt, quàm eius tempus, ſiue quæuis duratio, aut mora, quam in exiſtendo trahit: ita tamen, vt quoduis inſtans eius moræ, quando rei non rarò appelletur: haud aliter ac etiam quoduis punctum loci interdum locus vocatur. Hac de cauſa rem eſſe aliquando, aut quandocunque perinde eſt, ac eam in aliqua, vel in omni temporis, alteriúſue durationis differentia exiſtere. Et quidem hoc argumento iam olim vſus eſt B. Damaſcenus cap. 38. Dialect. ad probandum nobiſcum, quod tempus, & quando rerum non diſtinguantur inuicem. En eius verba: *Quando tempus oſtendit: interroganti enim, quando factum eſt hoc, dicimus, anno præterito antepræterito, quæ tempus ſignificant.* Confirmatur: non eſt, cur potius

potius sint idem locus, & vbi rerum, quàm earum tempus, & quando: at quod illarum locus, & vbi sint idem, & probatum est à nobis cap. 1. tractat. præced. & est expressa sententia B. Damasceni citato cap. 38. Dialect. in hæc verba: *Vbi locum significat: interroganti enim, vbi est ille: dicimus in domo, in ciuitate: hæc autem locum significant:* Ergo, &c. Quæ cum ita sint, probare non possum, quod docet Gilbertus quando significare relationem ex temporis incidentia relictam, non verò tempus ipsum.

Duratio autem, alia est realis, alia imaginaria: hæc nec in interuallo successiuo medio inter ens reale, & omninò nihil, nec etiam in carentiis, aut possibilitatibus durationum consistit, vt sentiunt hi, qui tractatu præcedenti, seruata proportione de loco imaginario, philosophantur; quin potius talis duratio imaginaria est merum nostri intellectus figmentum, quo ad explicandas durationes reales vtimur, vti supra in simili docuimus. Porrò intellectus sæpè fingit, vt res non fictas, sed veras non solum intelligat, verum etiam, quod plus est, exequatur: an non Deum repugnare, Spiritum sanctum non procedere à filio, & vtrumque simul cum Patre agere necessitate naturæ, intellectúque, & consilio carere, aliáque plura confingimus, vt ex his conditionibus fictis, & impossibilibus eius perfectiones melius colligere possimus? An non etiam artifex paruam quandam, imaginariámque domum, & exiguum idolum fingit, sibíque proponit, vt veram, amplámque domum moliri possit? Mirum igitur non est, quod noster intellectus similibus de causis fingat spatia imaginaria temporis, & loci, ad quæ proculdubio respexit Seneca epist. 58. ibi: *Sextum genus est eorum, quæ quasi sunt tanquam inane, tanquam tempus.*

2. Quod autem duratio non solum perfecta, cuiusmodi est æternitas, & æuum, sed etiam imperfecta, cuiusmodi est tempus, ens reale sit; ac proinde alterum nostræ diuisionis membrum teneat, facilè ostendi potest aduersus quosdam Philosophos, quos tacitis nominibus refert Pereyrus lib. 2. c. 12. siquidem vbi rei est verum ens reale: ergo & quando, siue duratio. Deinde: si qua ratione duratio præsertim temporalis ens reale non esset, maximè quia partes eius numquam præsentes esse possunt, sed aut præteritæ, aut futuræ necessario sunt, solúmque instans aliquod indiuisibile earum præsens esse potest, vt aduersarij nobis obiiciunt: at hæc ratio nulla est: tum quia iuxtà illam motus successiuus localis inter non entia connumerari deberet: tum etiam quia, vt partes temporis sint entia realia, satis est, vt successiuè existere possint, atque per nunc præsens copulentur; opus verò non est, vt simul, ac permanenter existant, præsentésue quoad esse ipsis intrinsecum aliquando sint. Tandem hæc ipsa sententia constat ex communi hominum omnium existimatione, & locutione, cui fauet sacra pagina 1. Genes. vbi dicitur: *Deus fecisse luminaria in firmamento cœli, vt essent in signa, & tempora, dies, & annos:* Quibus verbis temporis interualla tanquam entia realia, & à Deo facta exprimuntur. Rursus: duratio alia est intrinseca vel per vnionem, vel per idemtitatem rei duranti: alia verò est vtroque modo extrinseca, vt cum sexaginta anni, siue conuersiones solares alicuius vita, siue duratio dicitur. Præterea duratio interdum cum vbi proportionem habet, & est quando rei, quotiésque à substantia rei distinguitur, eius accidens absolutum est ob eas rationes, quibus supra vbi esse accidens absolutum statuimus: interdum verò duratio cum vbicatione proportionem seruat, & est vnio illa, qua res tempori suo coniungitur, in illóque existit: haud aliter ac vbicatio est vnio rei cum spatio loci: quare sicut vbicatio est modus, ita similiter duratio in hoc sensu accidens modale est, eo ipso, quod à re durante distinguatur.

Tandem duratio in tempus, æuum, & æternitatem dissecari solent: tempus est duratio vtrinque finita, & principio, ac fine prædita, vt dies, annus, sæculum, &c. Quò spectare videtur illa temporis descriptio, (& qualis qualis explicatio ab Aristotele lib. 4. Phys. tradita) tempus est numerus motus secundum prius, & posterius: quod enim hæc non sit propria definitio, ostendo primò: quia numerus est formaliter quantitas discreta, si à rebus abstractus sit, vt cum binarium, vel ternarium, vt sic concipio; vel numerus formaliter est quantitas continua, si rebus non quibuscunque, sed vnitis concretus sit, vt numerus binarius, vel ternarius partium continui: at tempus formaliter, ac ratione nostra ad neutram quantitatem attinet, sed potius ad prædicamentum quando: tempus ergo per numerum, velut per rationem formalem explicari, propriéque definiri nequit. Rursus: motus localis successiuus quatenus talis pertinet ad prædicamentum actionis: at tempus non est ratione nostra actio: ergo nec motus, ac proinde per eum definiri nequit. Vlterius possibilis est duratio indiuisibilis, essentialiter affixa vni horæ: v.g. ea autem duratio esset tempus, nec enim æuum, aut æternitas esset: at partes numerabiles actúque distinctas, & successiuas non haberet: data ergo explicatio temporis numerum, & successionem partium ei attribuens omni tempori etiam possibili non conuenit, sicuti ad definitionem oportet, sed dumtaxat tempori existenti, sicuti ad qualem, qualem descriptionem sufficit.

Æternitas est duratio vtrimque infinita, omníque principio, & fine carens: huiusmodi est duratio Dei, necnon ea, qua res ab æterno creata nunquam desineret. Porrò æternitas trifariam sumi solet, propriissimè, propriè & communiter, siue impropriè: æternitas propriissimè sumpta à Boëtio definitur interminabilis vitæ tota simul, ac perfecta possessio: totalitas simultanea, siue simultas totalis denotat, id, quod hac ratione æternum est, omni successione carere. Perfecta verò possessio denotat, illud non solum in suo esse, sed etiam in quouis prædicato sibi intrinseco, & quouis actu immanenti ea successione carere: interminabilitas autem denotat, illud non solum successione, & mutatione omni carere, sed etiam eius incapax esse, & ens omninò necessarium, & immutabile esse: æternitas propriè sumpta est duratio carens principio, & fine mutationis tamen in suo esse, suisque accidentibus capax: æternitas impropriè sumpta modò significat æuum, siue durationem aliqua sui parte finitam: qua ratione iusti in vitam æternam, & reprobi in ignem æternum abituri dicuntur, modò verò significat tempus vtrinque finitum, longissimè tamen duraturum. Qua ratione in Scripturis posteros Abrahami terram promissam æternum possessuros, fœdus circumcisionis fore æternum, montes etiam & colles esse æternos, aliáque similia perhibentur.

5. Æuum eſt duratio inter æternitatem, & tempus media: ac partim finita, & partim infinita; quæque vel incipit, vel aliquando deſinit, ſi tamen incipit, numquam deſinet, aut ſi deſinet, nunquam incœpit: qua ratione Angelus, & animus durant, nec non creatura, quæ ab æterno vſque ad hoc inſtans extitiſſet. Hæc eſt æui primæua, ac propria ſignificatio: improprie tamen ſignificat tempus, vt cum res corruptibiles, atque adeò tempori commenſæ, longæuæ, aut coæuæ dicuntur: atque æuum ita accipere videtur Maro 2. Æneid. vbi de Anchiſe Troiani incendij flammis eripi nolente, ac laborem fugæ recuſante ſic fatur.

Vos, ô quibus integer æui
Sanguis ait, ſolidæque ſuos ſtant robore vires,
Vos agitate fugam.

6. Et verò, quamuis vna tantum ſit æternitas realis, ea nimirum, quæ Deo conuenit; cæterum tempus, & æuum pro rerum creatarum multiplicitate multiplicantur, nullàque creatura eſt, quæ vt proprium locum, ſic etiam proprium tempus, aut æuum, peculiarémque ſibi durationem non ſortiatur: quapropter vt expendit Auguſtinus lib. 11. Confeſſion cap. 23. *Pugnante Ioſue ſol ſtabat, & tempus ibat, quo videlicet pugna illa geſta, atque finita eſt; ceſſante etiam orbium cœleſtium motu, ſi moueretur rota figuli per ſuum temporis ſpatium circulos gyróſque ſuos efficeret.* Tametſi autem plura ſint tempora, tum intrinſeca rebus, tum eis extrinſeca, quæ aliorum temporum menſuræ eſſe queant, tamen tempus illud, quod corpora cœleſtia motu ſuo conficiunt, propter eius vniformitatem, perpetuitatem, ac notiſſimam omnium alternationem, aptiſſima durationum omnium menſura eſt, ac proinde præcipuè, & per antonomaſiam tempus appellatur: atque in hoc ſenſu vnum tantum eſſe tempus cum Ariſtotele reliqui Philoſophi tenent. An autem æuiternorum omnium vnum etiam æuum detur, haud adeò conſtans eſt: Thomiſtæ enim cum B. Thoma 1. part. artic. 6. docent, æuum ſupremi Angeli eſſe menſuram æternorum omnium: alij verò eorum tenent, æuum animæ Chriſti rationem illam menſuræ ſibi vendicare. Scotiſtæ cum principe ſuo 2. ſententiar. d. 2. docent, æuum ſupremi Angeli metiri durationem Angeli ſibi proximi, & huius etiam æuum durationem alterius ſibi proximi, & ſic de reliquis ſeruato ordine. Cæterum Occamus, Durandus, Gabriel, Henricus, & Ægydius probabilius ſentiunt, nullum eſſe æuum reale, quod æuiternorum omnium menſura præcipua, ac potiſſima ſit, ac per antonomaſiam æuum dici mereatur: ratio huius eſt, quia nullum eſt æuum, quod aliis omnibus magis perpetuum, ac ſtabile, magíſque vniforme, ac notum ſit: tam enim perpetuò, ac ſtabiliter duratura eſt anima minimæ perfectionis, ſi qua talis ſit, ac ſupremus Angelus: nec vnius duratio notior nobis eſt, quàm alterius: imò ſi aliquod eſt vtriuſque diſcrimen, durationem animæ quàm Angeli melius nouimus.

***

CAPVT II.

An tempus, ſiue duratio corporis naturalis, & cuiuſuis alterius rei creatæ ab eius exiſtentia realiter diſtinguatur.

7. QVæſtio hæc celeberrima eſt, nullíque totius Philoſophiæ inferior, ſi eius difficultas, atque inde nata ſententiarum varietas ſpectetur. Prima ſententia, atque inter ſcholaſticos magis recepta tenet; durationem rei creatæ nullo modo realiter diſtingui ab eius exiſtentia, tametſi hæc indiuiſibilis, ac permanens ſit: ita cum B. Thoma 1. part. qu. 10. art. 4. & 5. & quodlib. 10. art. 4. Capreolus, Caietanus, Soncinas, aliíque plures Thomiſtæ: ita etiam cum Scoto diſt. 2. q. 1. pleríque eius aſſeclæ: idipſum etiam tuentur ex noſtris P. Suarez diſp. 50. Metaphyſ. & P. Vaſquez 1. part. diſp. 13. necnon Amicus in Phyſ. tract. 22. quæſt. 1. dub. 1. Gilius 1. part. lib. 2. tract. 10. c. 6. & nouiſſimè Tellez in Metaphyſ. diſp. 45. ſect. 1. item Valentia, Molina, Pererius, & alij. Secunda ſententia eſt; durationem non diſtingui realiter adæquatè ab exiſtentia quamtumlibet permanenti, & indiuiſibili, ſed tantum realiter inadæquatè, eámque nihil aliud eſſe, quàm aggregatum exiſtentiæ, & temporis extrinſeci, cui res collabitur: ita Occamus in 2. quæſt. 10. & Gabriel in 2. diſtinct. 2. quæſt. 1. art. 1. aliíque Nominales, quibus Hurtadus diſp. 17. Metaphyſ. ſect. 1. Ouiedus controuerſ. 16. Phyſic. punct. 1. §. 3. & multi recentiores noſtri adſtipulantur: horum tamen alij tempus extrinſecum reale: alij verò tempus imaginarium de ratione durationis eſſe ſtatuunt. Tertia ſententia eſt; durationem cuiuſcumque rei creatæ nihil aliud eſſe re ipſa, quàm eius exiſtentiam: cæterùm exiſtentiam quamcunque creatam eſſe ſucceſſiuam, & quouis momento aliam ſemper, aliámque: ita nonnulli, quos ſupreſſis nominibus referunt Hurtadus diſp. 8. Metaphyſ. ſect. 4. ſubſect. 4. Pererius lib. 12. Phyſic. cap. 6. & Henricus quodlib. 3. quæſt. 11. Quarta ſententia eſt: durationem cuiuſlibet creaturæ ab eius exiſtentia realiter diſtinctam eſſe. Hanc opinionem tuentur Seraphicus Doctor in 2. diſtinct. 2. artic. 1. quæſt. 3. Argentinas ibi quæſt. 1. art. 2. Mairon quæſt. 2. Henricus vbi ſupra, Iauellus 4. Phyſic. quæſt. 10. Richardus tametſi problematicè: eandem etiam ſententiam tuentur Banez 1. part. quæſt. 3. art. 4. Sotus 4. Phyſic. cap. 14. & plures Thomiſtarum, qui durationem in relatione menſuræ collocant, aliunde verò relationem omnem à fundamento, & termino realiter modaliter diſtinguunt. Item P. Salas tom. 1. in 1. 2. tractat. 7. diſp. 2. num. 122. Conimbricenſes lib. 4. Phyſ. cap. 14. quæſt. 14. art. 1. & 2. Rubius 4. Phyſ. quæſt. 4. Arriaga diſputat. 5. Phyſ. ſect. 1. Compton. diſputatione 38. ſectio. 1. inter reliquos etiam neotericos noſtros hæc ſententia communior eſt.

8. Quam ipſe amplector, & ſuperiorum ſententiarum impugnatione ſuadeo: ordior autem ab ea, quæ primo loco recenſita eſt: poteſt dari exiſtentia Petri, quin duret vno anno v. gr. ergo duratio annua Petri; & eius exiſtentia realiter diſtinguantur, vel certè ſeparabilitas realis realem

lem distinctionem nusquam arguet. Rursus productio Petri, & eius conseruatio sunt actiones realiter distinctæ, ac separabiles, cum Petrus produci & non conseruari possit: ergo terminos realiter distinctos respiciunt: at productio Petri ad eius existentiam terminatur, & eius conseruatio ad eius durationem, cum Petrum produci sit fieri, vt existat, & esse habeat, eum verò conseruari sit fieri, vt duret, atque in esse perseueret: igitur duratio, & existentia Petri realiter distinguuntur. Deinde tertiò: duratio Petri, & duratio Pauli sunt inæquales, & altera alterâ maior est, eo quod vnus alio plus duret: at huiusmodi inæqualitas sustineri non posset, si duratio Petri, ac Pauli ab vtriusque existentia realiter indistincta esset; siquidem vtriusque duratio non minus, quàm existentia esset indiuisibilis, & tota simul: inter extrema autem indiuisibilia inæqualitas nulla datur. Quis non videat, punctum indiuisibile quantitatis alio puncto maius esse, maius veloci spatium occupare non posse? Nec quidquam officit, quod duratio Dei, licet indiuisibilis, ac tota simul sit, maior tamen infinities sit quauis creata duratione: quia nimirum Deus infinities plus durat, quàm vlla creatura temporalis; aut æuiterna: siquidem duratio Dei formaliter tantum indiuisibilis est; æquiualentet tamen, ac virtualiter diuisibilis est, quia essentialiter est extensa, & moram quandam minimè interruptibilem trahit: huiusmodi autem mora, & extensio diuini esse, seclusis imperfectionibus, perfectionem partium realiter distinctarum, quibus creaturæ in suo esse immorantur, & distenduntur, reuera continet: at existentia Petri talem moram, & extensionem sibi essentialem non habet, & non solùm formaliter, sed etiam virtualiter indiuisibilis est: quomodo ergo talis existentia, & duratio cum illa identificata alteri durationi etiam indiuisibili inæqualis esse, eáque maior, aut minor censeri possit?

9. Quartò argumentor: si duratio Petri foret reipsa eius existentia, & nihil aliud, sequeretur durationem Petri esse indiuisibilem, permanentem, totam simul, omnisque successionis expertem: haud aliter ac huiusmodi prædicata in eius existentiam conueniunt: hoc autem consequens, quamuis aduersariis in confesso est, absurdum tamen esse ostendo, primò: quia inde fieret, in nulla duratione creata esse præteritum, aut futurum, sed dumtaxat præsens: hæ enim differentiæ conuenire nequeunt nisi rei, quæ partes distinctas, & non permanentes, aut simul existentes, sed potius sibi inuicem succedentes sortitur: id enim, quod præsens est, futurum non est; & quod præteriit, præsens, aut futurum non est: vlterius præsens, præteritum, & futurum simul non sunt, sed potius altera alteri succedunt: quod autem aliqua duratio creata præteritum, ac futurum non habeat, alienum videtur à mente Patrum, qui solius Dei proprium id esse agnoscunt: *Deus autem* inquit Isidorus lib. 7. origin. cap. 1. *tantum est, qui non nouit fuisse, aut futurum esse.* Eadem ratione Damascenus, Anselmus, & alij Patres loquuntur. Secundò ostendo falsitatem consequentis: siquidem inde fieret durationem Petri necessariò æternam, infinitámque esse, eámque interrumpi à Deo non posse: duratio enim hodierna Petri, & eius duratio crastina, eáque, quæ nudius tertius, nudius quartus, & sic in infinitum extitura est, omninò eadem reipsa est: ergo ex suppositione, quòd primam habuerit, non poterit etiam diuinitus reliquas omnes non habere; haud secus, ac si eadem indiuisibilis vbicatio ad plura loca essentialiter extenderetur; ex suppositione, quod in vno existeret, non posset non reliqua occupare.

Plures aduersariorum cum P. Suarez, vbi suprà, respondent; Petrum durare aliud non esse, quàm eius existentiam semel productam posteà suam carentiam excludere, nec fieri posse, vt detur existentia Petri cum hac habitudine ad suam carentiam, quin duret: cum ergo Petrus per suam existentiam excludat suam carentiam, & carentia carentiæ aliquid positiuum sit, certè Petrus per suammet existentiam durare poterit, licet duratio ea ratione nostra, & vi cuiusdam connotationis differat ab existentia. Deinde negant, productionem rei, & eius conseruationem esse actiones realiter distinctas, tantúmque aiunt, esse actiones ratione nostra diuersas: quatenus altera facit, vt res absolute existat; altera verò, vt res existat eadem met existentia, excludente tamen suam carentiam, post quam semel extitit. Præterea inæqualitatem durationum quantumuis indiuisibilium explicant per easdem carentias: tunc enim vna duratio indiuisibilis alteri æqualis est iuxta eos, cum ambæ simul carentiam suam excludunt: tunc verò inæquales sunt, vnáque maior, alia minor, cùm vna prius, vel posterius, quàm altera, carentiam suam tollit. Tandem docent; durationem creatam quantumuis indiuisibilem, successionísque intrinsecæ expertem, esse tamen capacem successionis extrinsecæ, videlicet in ordine ad suam carentiam, quam excludere, & cui succedere, vel etiam à qua excludi, & excipi potest: huiusmodi autem successione sufficere, vt duratio postquam semel extitit, à Deo destrui possit, atque vt in ea non solum præsens, sed etiam præteritum, ac futurum reperiatur. 10.

Verum solutionem hanc primo argumento non satisfacere hunc in modum ostendo: potest dari existentia Petri, quin posteà excludat suam carentiam: ergo hoc, quod est, eam postea excludere suam carentiam erit realiter distinctum ab illa. Declaratur: aliud est existentiam excludere suam carentiam, aliud, quod ea exclusio nunc, vel postea sit: existentiam, & exclusionem carentiæ illius realiter indistinctas esse non diffiteor: at quod ea existentia, & exclusio postea sit, cum tunc possit non esse, nequit non esse entitas aliqua realiter distincta ab vtraque: vel certè realis separabilitas realem distinctionem nullibi arguet. Eandem etiam solutionem secundo argumento non magis satisfacere probo: siquidem, quamuis productio rei prout excludentis postea suam carentiam ab eius conseruatione realiter indistincta sit, pro eo, ac aduersarij docent; cæterum productio rei secundum se reperiri potest absque productione rei, prout in sequentibus instantibus carentiam suam excludentis: productio ergo rei in vno sensu sumpta realiter distinguitur à productione rei aliter sumpta; ac proinde prima productio rei ab eius conseruatione. Rursus eandem solutionem tertij argumenti vim non labefactare ex dictis constat: potest enim duratio creaturæ existere absque eo, quod posterius, seu serius, quàm duratio alterius creaturæ carentiam suam excludat; vbi iam separabilitas, ac distinctio realis durationis à re durante manifestè elucet. 11.

12. Denique solutionem illam, qua postremo argumento occurrit, hac ratione conuello: nulla res indiuisibilis; & tota simul, ex suppositione quod semel sit, potest non esse: at iuxta aduersarios duratio cuiuscunque creaturæ est indiuisibilis; & tota simul: ergo ex hypothesi, quod semel detur, non potest non dari, siue, quod perinde est, ex hypothesi quod semel detur, nequit dari eius carentia; ac proinde successionis extrinsecæ ab ea carentia desumptæ incapax est: ex quo fit, vt talis duratio à Deo destrui, futurúmque, aut præteritum admittere nequeat. Alia est ratio durationis partibilis, quam nos adstruimus: siquidem ex suppositione, quod vna eius pars existat, potest alia non existere, eiúsque carentia à Deo poni. Replicabis tamen; ex suppositione, quod indiuisibilis duratio sit in vno instanti, non dari carentiam illius in eodem instanti, secus verò in alio: quia hinc, non verò inde eamdem rem simul esse, & non esse sequeretur. Contra tamen: quia duratio Petri non constituitur iuxta hos Authores per instantia vlla à se distincta, sed seorsim ab iis successiua, finita, atque dominio Dei subiecta intelligitur: deserunt ergo suam doctrinam, & ad aliam à nobis mox impugnandam confugiunt. Rursus ex suppositione, quod forma sit in hac materia, nequit carentia illius esse in alia materia, soliúsque vnionis carentia in ea esse potest: Petrus etiamsi existat in hoc loco, nequit in alio dari illius carentia: ergo etiam ex suppositione, quòd duratio indiuisibilis sit in hoc instanti, nequibit eius carentia dari in alio.

13. Alij aduersariorum respondent nostris argumentis, durationem esse existentiam, non tamen vtcunque sumptam, sed prout se ipsa intrinsecè, & essentialiter connotantem tempus extrinsecum: pro varietate autem huius connotationis posse Petrum existentem durare, vel non durare, & Paulo quoad durationem esse æqualem, vel inæqualem: ac demum posse durationem quamcunque destrui à Deo, & suscipere fore, vel fuisse. Contra tamen, primò: quia, vt mox ostendam, potest Petrus durare, quin vllum detur tempus extrinsecum reale, vel imaginarium: at tunc nulla daretur eiusmodi connotatio: ergo per eam Petrus non durat. Contra secundo: quia in Metaph. lib. 3. tract. 6. cap. 22. clarè ostendam repugnare, vt aliqua connotatio, aut habitudo fundamento essentialis sit, quæ ei adesse, vel abesse possit. Contra tertiò: quia idcircò similitudo *v. g.* potest esse essentialis soli fundamento, vt hoc interim gratis largiamur, quia concurrente termino cum fundamento nequit diuinitus non resultare similitudo in fundamento: at habitudo ad tempus extrinsecum, & relatio simultatis, aut coëxistentiæ potest non resultare in Petro, licet ipse, & tempus secundùm se existant, vt mox probabo.

14. Aggrediamur iam impugnationem secundæ sententiæ: potest dari Petrus, & instans *A.* reale, vel imaginarium, quin Petrus duret in eo instanti, illúe coëxistat: ergo hoc, quod est, Petrum durare, aut existere in eo instanti, est aliquid distinctum ab existentia Petri, & ab existentia instantis. Respondent aduersarij; non posse dari Petrum, & instans simul, quin Petrus in instanti duret, & existat, licet successiuè, & diuisim absque alterius in altero duratione dari queant. Contra tamen: quia potest Petrus existere secundum se, & etiam instans secundùm se, quin simul existant; videlicet, si successiuè existant, altérque alterius existentiam anteuertat, ad eámque nunquam perueniat: ergo Petrum, & instans existere simul erit aliquid realiter distinctum ab existentia Petri, & existentia instantis secundum se sumptis. Propterea alij respondent; durationem Petri in instanti *A.* esse Petrum, & instans, & volitionem, qua Deus efficaciter statuit, vt Petrus in illo instanti existat: hæc autem tria absque duratione reperiri non posse. Verum in primis, cum omnis res sit quanta, qualis, ad aliquid, agens, patiens, ac vbicata, & non per denominationem extrinsecam à volitione Dei desumptam; an non friuolum est, per eam denominationem rem durare? Quasi verò hoc prædicamentum reliquis omnibus altioris conditionis sit, cum tamen nullum eo magis fluxum sit? Rursus: si homo durat per volitionem Dei, quid vetat, eum etiam existere per aliquod prædicatum diuinum, vt Manichæi delirabant? Præterea: eiusmodi volitio Dei quod obiectum habet, vbi Petrum in hoc instanti existere decernit? Non enim existentiam Petri, & existentiam instantis, cum ambæ dari possint, quin Petrus in eo instanti existat: non semetipsam; quid enim refert, actum aliquem Dei seipsum velle, vt Petrus in instanti aliquo existat potius, quàm non existat?

Argumentor secundò contra secundam sententiam: actio conseruatiua amoris liberi Dei est actio realiter distincta ab actione eius primò productiua; siquidem altera sine altera dari potest: ergo aliquid producit vna; quod non producit alia: nec enim in eundem terminum diuersa actio quouis instanti terminatur, vt suprà lib. 5. tr. 1. cap. 3. ostensum manet: & vt ab æquitate rationis suaderi potest contra aduersarios, qui vnius existentiæ non nisi vnam tantùm indiuisibilem durationem possibilem esse admittunt. Quid igitur agit conseruatio amoris, quod eius prima productio non agit? Non quidem existentiam amoris secundum se sumptam; cum hanc prima productio attigerit: non tempus extrinsecum imaginarium; quippè quod improducibile est: non etiam tempus extrinsecum reale, nempè motum cœli, vt constat: non etiam coëxistentiam amoris, & temporis extrinsecè labentis: siquidem hæc coëxistentia iuxta aduersarios aliud non est, nisi aggregatum existentiæ, & temporis: eo autem ipso, quod conseruatio non producat vllam partem eius aggregati, nec ipsum aggregatum producere poterit: reliqua igitur est sola duratio amoris ab eius existentia, & etiam tempore distincta, quæ conseruationem, & non primam productionem terminet.

15. Non me latet, aduersarios velle, primam productionem amoris, & eius conseruationem esse eandem realiter actionem, multiplicem tamen, ac diuersam ratione nostra; prout videlicet aut solum primum instans, aut sequentia connotat. Cæterùm facilè refelli possunt: nisi enim amor primò productus actione realiter distincta, & superaddita conseruetur, inintelligibile prorsus erit, quatenus in conseruatione amoris nouum exercitium libertatis, nouúmque meritum eluceat: nec enim per productionem amoris secundum se, quæ iam præcessit; nec per productionem temporis extrinseci, quæ ficta, & chymerica est: nec etiam per productionem coëxistentiæ vtriusque,

vtriusque, siue aggregati ex amore, & tempore; quæ nulla etiam admitti potest, libertatem de nouo exercere, ac meritum meum augere possum: concedenda igitur est conseruatio amoris realiter distincta, per quam libertas denuo exerceri, & meritum augeri queat. Argumentum numero superiori positum confirmari potest ex eo, quod amor v. g. ex suppositione, quod semel existat, non possit etiam diuinitus destrui iuxta contrariam sententiam. Quid enim destruere potest voluntas destructura amorem? Non eius existentiam secundum se, quia hæc ex suppositione, quòd sit, nequit diuinitus non esse; atque ad summum potest non esse respectiuè ad aliquod tempus: non etiam tempus extrinsecum, quod potius labitur destructo amore: non coëxistentiam amoris, & temporis, siue aggregatum vtriusque: aggregatum enim destrui nequit, singulis eius partibus indestructis: non tandem durationem mediam vtpote quam aduersarij non admittunt.

17. Argumentor tertiò contra eos, qui durationem in existentia, & tempore imaginario constituunt: tempus imaginarium est merum figmentũ nostri intellectus, atque ens solius rationis: at Petrus durare potest absque eo, quod intellectus aliquid fingat aut vllum ens rationis comminiscatur: ergo & absque spatio imaginario: ac proinde hoc non constituit intrinsecè, & essentialiter durationem. Hinc argumentor quartò: potest Petrus diuinitus durare, quin vllum detur tempus extrinsecum reale, & absque eo, quod cælestia corpora moueantur: ergo tempus reale extrinsecum durationem Petri essentialiter non constituit. Confirmatur vtrumque argumentum: quia cùm affirmatur Petrum existere nunc, & non postea, necnon à Paulo tempore distare, eoque priorem, vel posteriorem esse, datur aliqua entitas vera, & realis, quæ harum affirmationum veritatem fundet: ea autem entitas nec est existentia vtriusque, nec etiam adiacentia temporis veri, aut ficti, vt in simili ostendimus, cum de vbicatione paulò supra nobis sermo esset: ergo talis entitas est duratio realiter distincta à re durante, & tempore labente.

18. Superest iam tertiæ sententiæ impugnatio, quam in hunc modum adhibeo: si existentia rei esset successiua, essentia rei vi vnius existentiæ à quauis alia separari, & sine illa aliquandiu existere posset, atque adeo essentia, & existentia realiter distinguerentur, cuius oppositum in Metaphysica demonstrabitur. Rursus eandem sententiam impugno ex principiis nostræ fidei, iuxta quæ idem rationale esse quod peccauit, punietur, & quod bona opera exercuit, eorum præmio afficietur: hæc autem ita se habere non possent, si esse rei esset essentialiter successiuum, & non idemmet heri, quod hodie, & in æternum. Præterea aut omnis experientia fallax, & infida est, aut Petrus habet idem esse heri, & hodie, & sic vlterius donec necessitati concedat. Quod si circa permanentiam existentiæ fallimur omnes, & sensu refragrante nullius rei esse statum habet, idemve diuersis temporibus est: quâ iam experientiâ, quâ ratione naturali impugnari poterit stulta illa, & merito antiquata sententia Heracliti, & Gratyli, iuxta quos non solum existentiæ rerum, verum etiam essentiæ singulis momentis variantur, nullaque res permanet, sed more labentis fluminis alia semper aliaque est, esto nobis eadem videatur?

CAPVT III.

Argumenta contraria soluuntur.

QVi nostræ sententiæ refragantur, multis eam argumentis oppugnat. Arguunt primò: Deus Optimus Maxim. durat in quauis temporis differentia: at non per durationem aliquam accidentariam ab eius existentia, & tempore labente distinctam, cum Deus omnis accidentis expers sit: ergo similiter creatura seipsa absque vlla duratione superaddita poterit durare, & tempori fluenti coëxistere. Respondeo concesso antecedenti quoad vtramque partem, & negata consequentia: idcirco enim Deus coëxistit instanti *A.* verbi gratia, in eoque durat præcisè per se ipsum, & aduentum instantis *A.* seorsim à quauis alia duratione intermedia, quia implicat Deum existere, & instans *A.* existere, quin Deus in eo instanti duret, eique coëxistat, videlicet ob æternitatem Deo essentialem, qua omnia temporis discrimina necessario assequitur: at potest dari creatura, & instans *A.* quin creatura duret in instanti *A.* eique coëxistat. Fateor tamen possibilem esse creaturam aliquam se ipsa essentialiter determinatam ad omne, vel ad aliquod temporis spatium, & huiusmodi creaturam, si daretur absque duratione distincta, se ipsa duraturam iuxta ea, quæ disputabimus inferius inter agendum de non repugnantia alicuius creaturæ permanentis ab æterno. 19.

Arguunt secundò: quamuis existentia indiuisibilis sit, ac tota simul, tamen coëxistit modò huic durationi successiuæ, modò alteri durationi: & sic de aliis, quas habitura est, donec destruatur: at hoc euenit, quin inter se existentiam, & durationem successiuam mediet alia ab vtraque distincta, aliàs infinitus durationum processus manifestè sequeretur: igitur existentia rei, quantumlibet indiuisibilis, ac permanens, poterit coëxistere modò huic tempori extrinseco, modò alteri, & sic de reliquis; quin tamen propter eiusmodi coëxistentiam necessaria sit aliqua duratio media inter existentiam rei, & tempus extrinsecum. Respondeo: nequit dari diuinitus existentia creaturæ permanentis, & duratio successiua ei vnita, quin creatura permanens tali durationi coëxistat: vnde sine alia duratione ei coëxistere poterit: hæc autem ratio non militat in existentia, & tempore extrinseco, quæ sine coëxistentia existere possunt. 20.

Arguunt tertiò: arbor propter ripam alicuius fluminis ramos attollens diuersas aquas successiuè obumbrat, & modò his, modò illis localiter correspondet: quin tamen arbor locum mutet, aut diuersum vbi intrinsecum in diuersis temporis momentis sortiatur: ergo similiter creatura permanens, quin durationem aliquam intrinsecam successiuè mutet, & aliam, aliamque continuò adquirat; poterit tamen modò his motibus cælorum, modò illis, siue quòd perinde est, diuersis temporibus extrinsecis absque intermissione labentibus correspondere, & coëxistere. Respondeo in primis: vt arbor aquis continuò labentibus localiter correspondeat, iisque vicina sit, opus 21.

habet vbicatione à ſe diſtincta, per quam immutetur, necnon etiam alia vbicatione ſibi extrinſeca, & ſe tenente ex parte aquarum decurrentium: ergo etiam vt creatura permanens temporaliter correſpondeat motibus cœleſtium orbium, & nunc his, nunc illis coëxiſtat, duratio aliqua à ſe realiter diſtincta ei neceſſaria erit. Rurſus: vt arbor aquarum fluentis ſucceſſiuè vicina, & oppoſita ſit, atque ad ea relationem localis indiſtantiæ dicat, neceſſe eſt, vt non ſolum arbor, & aqua fluminis vbicationes à ſe diſtinctas habeant, verumetiam vt habeant durationes à ſe diſtinctas, quibus nimirum tales vbicationes in eodem tempore coëxiſtant: igitur à fortiori, vt vna res alteri coëxiſtat, ad eamque relationem temporalis indiſtantiæ dicat, durationes à ſe diſtinctas poſtulabit. Tandem ob id arbor cum eadem numero vbicatione modò his, modò illis aquis iuxta ſe properantibus localiter correſpondet; quia vbicatio arboris eſt accidens ſuaptè natura permanens: at duratio eſt accidens eſſuntialiter ſucceſſiuum, & inſtabile; vnde res durans vi vnius durationis indiuiſibilis modò huic tempori extrinſeco, modò alij coëxiſtere non poterit.

22. Arguunt quartò: ſi duratio eſſet entitas realiter diſtincta ab exiſtentia permanenti, & tempore fluente, eſſet eſſentialiter ſucceſſiua, & permanentiæ omnis expers: conſequens autem abſurdum eſt: ſiquidem inde fieret, Deum non poſſe etiam de potentia abſoluta conſeruare rem aliquam creatam, nempe durationem in vno inſtanti ſolo, poſtquam ſemel extitit in alio anteriori. Hoc autem detrahit dominio Dei; haud ſecus ac ei derogaret, ſi Deus rem aliquam, poſtquam ſemel extitit, in quouis inſtanti ſequenti demoliri non poſſit. Reſpondeo: ſicut non detrahit perfectiſſimo Dei dominio, quod chymeram producere nequeat, quia illa eſſentialiter repugnat: ita ſimiliter nullum præiudicium dominio Dei affert, quod durationem eſſentialiter affixam inſtanti. *A*, in inſtanti *B*. continere nequeat, cum tali durationi repugnet exiſtere in inſtanti *B*. Inferiùs etiam hoc ipſo tractatu oſtendam, quatenus dominio Dei non obſtet, quod rem aliquam ſemel eciſtentem poſtea deſtruere nequeat.

23. Arguunt quintò: duratio eſt, qua res permanet in eodem eſſe, quod anteà habebat: at ſi duratio non eſſet ipſa exiſtentia rei priùs producta, ſed potius aliqua entitas diſtincta, ac denuò ei ſuperaddita, duratio non eſſet permanentia rei in eodem eſſe, ſed potius tranſitus ad aliud eſſe diſtinctum, nempe ad eſſe durationis: vnde non tam duratio, quàm augmentatio quædam dicenda eſſet. Reſpondeo: res omnis vi ſuæ durationis permanet quidem in eodem eſſe primario: cæterùm non permanet in eodem eſſe ſecundario, ſed potiùs de vno in aliud quouis momento tranſuolat. Hinc eſt, vt duratio augmentatio dici nequeat; augmentatio enim ad eſſe primarium, aliud eſſe primarium adiicit, & igni v. gr. alias partes etiam igneas ſuperaddit. Arguunt ſextò: qualitas per ſe ipſam intenditur, & quantitas per ſe ipſam extenditur: ergo etiam exiſtentia per ſe ipſam durat, atque in ſuo eſſe protenditur. Reſpondeo negato antecedenti: quantitas enim per vbicationem diſtinctam extenditur, & qualitas per additionem graduum intenditur. Arguunt ſeptimò: rem aliquando exiſtere eſt, eam aliquando durare, & rem diu, vel parum exiſtere eſt, eam diu, vel parum durare: exiſtentia ergo cum duratione coincidit. Reſpondeo hoc argumento ſolum probari, exiſtentiam rei interdum ſumi pro eius durationeſucceſſiua; hæc autem vſurpatio exiſtentiæ non vetat, quominus detur eſſe permanens rei; quod eſſe prout condiſtinguitur contra meram poſſibilitatem, rei exiſtentia appellatur; licet prout diſtinguitur contra durationem, & exiſtentiam ſucceſſiuam, eſſentia vocetur. Reſpondeo ſecundò non minùs probabiliter, modos loquendi nobis obiectos tantum conuincere, exiſtentiam rei connotare ſemper durationem, non verò cum illa realiter idemtificari: quemadmodum etiam lignum aliquando vel parum, vel multum calidum eſſe, eſt illud aliquando parum, multumue calefieri, non quod calefactio ſit calor, ſed quod eam connotet.

24. Arguunt octauò aduerſarij: pro priori ſigno naturæ, pro quo exiſtentia eſt proximè expedita ad durationem *B*. v. gr. cauſandam, ad eam præ quauis alia determinata, ac neceſſitata eſt, cum nunc diuinitus cauſare nequeat aliam durationem connotantem inſtantia iam præterita, vel nondum exiſtentia: at quod exiſtentia pro priori naturæ ſit determinata, ac neceſſitata ad cauſandam durationem *B*. præ quauis alia, aliunde non oritur, niſi ex eo, quod pro illo priori coëxiſtit inſtanti *B*. quam ea duratio reſpicit, & non alicui alteri: ergo exiſtentia pro eo priori coëxiſtit inſtanti *B*. at non per durationem extrinſecam, quæ nondum intelligitur: ergo præcisè per ſe ipſam, & ipſum inſtans: atque adeò coëxiſtentia illa, ſeu duratio in hoc aggregato conſiſtit. Hoc argumentum ab aduerſariis iam diu oppoſitum aliqui noſtrarum partium Authores ad probandum actionem eſſe durationem ſolerter accommodarunt. Vtroſque autem nihil concludere ſupra lib. 5. cap. 4. oſtendi. Ibi vidimus, quatenus neceſſitas illa, ac determinatio, quam res habet ad cauſandam durationem *B*. à volitione Dei efficaci ad eam durationem terminata oriri poſſit; eáque neceſſitas, & determinatio conſequenter ſit in quouis inſtanti, tametſi non pro quouis inſtanti, ſed pro ſolo *B*. Ibi etiam vidimus, coëxiſtentiam rei, & inſtantis *B*. in eodem ſigno naturæ non eſſe coëxiſtentiam in eodem inſtanti reali, ſiue durationem realem: ac proinde, quamuis pro eo priori naturæ res, & inſtans *B*. coëxiſtant, non propterea rem durare pro priori naturæ ad ſuam durationem.

CAPVT IV.

Aliud argumentum inter neotericos celebre proponitur, & diſſoluitur.

25. TAndem arguunt aduerſarij: ſi exiſtentia rei duraret per aliquid à ſe diſtinctum, etiam carentia duraret per aliquid à ſe diſtinctum, ſi quidem carentia rei eſt indifferens, vt exiſtat quodammodo in hoc inſtanti, vel non exiſtat; potéſtque dari carentia rei, & hoc inſtans ſecundum ſe, quin carentia rei detur in hoc inſtanti, ſed potius

res ipsa: at carentia non durat per aliquid à se distinctum: ergo &c. Minor probatur: quia si carentia Petri verbi gratia duraret per aliquid à se distinctum, maximè per carentias durationum suarum non minus successiuas, ac fluxas quàm continuo fluunt durationes ipsæ. Quid enim aliud excogitari potest, quo carentia Petri duret? Nisi velis, eam per aliquid reale positiuum durare, quod non solùm durissimum, sed etiam ridiculum est, atque ex eo falsum esse patet, quod carentia Petri nulla re à Deo creata, suo tamen modulo duraret. Sed sic est, quod carentia Petri per ciusmodi carentias durationum minimè durat: tum, quia aliàs darentur infinitæ carentiæ successiuæ ab æterno eo quòd carentia Petri ab æterno durauerit: infinitum autem successiuum à parte ante omnino repugnat: tum etiam, quia duratio Petri essentialiter affixa instanti *A.* non fuit ab æterno: carentia ergo talis durationis fuit ab æterno: ac proinde talis carentia non est fluxa, & successiua, sicut ad durationem oportet, sed permanens, & stabilis.

26. Huic argumento respondent aliqui, distincta duplici carentia cuiuslibet durationis, alia permanenti, æterna, ac negatiua: alia verò successiua, temporali, ac priuatiua: cum enim duratio *A*, ab æterno non extiterit, necessario præcedere debuit æterna, ac permanens eius carentia: cum autem duratio illa ab æterno existere non potuerit, suamve carentiam excludere, iure merito eius carentia negatiua appellatur. Hinc etiam fit, carentiam eius durationis esse successiuam, & temporalem, eique instanti alligatam, eo quod non per illam, sed per aliam carentiam permanentem duratio habuerit ab æterno antea non extitisse. Hinc etiam fit, eam carentiam priuatiuam esse, eo quod à duratione opposita tolli possit: quod autem huiusmodi carentiæ successiuæ ab æterno vsque ad hoc instans infinitæ fuerint, ab his Authoribus inconueniens non reputatur. Alij respondent: carentiam temporalem Petri, hoc est, eam, quæ tempus imaginarium constituit, essentialiter successiuam esse, & quouis instanti aliam, aliámque: vnde eam æquiparari debere non existentiæ permanenti, quæ se ipsa durare nequit, sed potius durationi successiuæ, quæ per semetipsam essentialiter durat: carentiam autem Petri æternam, hoc est, eam, quæ æternitatem imaginariam constituit, essentialiter permanentem, & indiuisibilem esse: vnde per semetipsam durare posse, & debere. Porrò cum Petrus, assignato quouis instanti in alio antetiori produci potuerit, possibiles esse carentias Petri, tam permanentes, quam successiuas syncathegorematicè infinitas: quo fit, vt si Petrus ante incœpisset existere; non illa, quæ modò, sed alia carentia permanens, breuior aliquantulum præcederet, & si adhuc antea incœpisset esse, eius carentia permanens, & æterna adhuc breuior, & magis curta esset: quò autem breuior, breuiórque esset eius carentia æterna, citiusque desineret, eo plures, pluréfque essent carentiæ successiuæ, citiusque incœpissent: carentiæ, inquam, successiuæ aliorum hominum, quibus tanquam tempori imaginario Perus tunc coëxisteret.

27. Multa in his solutionibus mihi displicent: illud tamen potissimum in prima improbo, quod durationis *A* huic momento essentialiter affixam carentiam ab æterno dari admittat: sicut enim Petrum non esse Paulum, haudquaquam est carentia aliqua à Petro realiter distincta, sed est tantum ipsa eius entitas se ipsa essentialiter distincta ab entitate Pauli: ita similiter durationem *A.* ab æterno non durare, nec diuinitus posse, quid aliud esse potest præter essentiam ipsius durationis *A*, à quauis duratione æterna essentialiter distinctam per se ipsam? Illud verò præcipuè in secunda solutione mihi non quadrat, quod & tempus imaginarium per carentias explicet, & etiam carentiam Petri in tempore eandem permanere non posse statuat; cum tamen existentia Petri in diuersis temporum differentiis eadem perseueret. Reiectis igitur his solutionibus, & aliis non absimilibus, quas fusiùs impugnare non vacat, alias duas profero, quibus, nisi quod singulares sint, nihil obstare conspicio.

28. Pro intelligentia primæ solutionis præmitto; ex suppositione, quod detur existentia Petri in aliqua temporis differentia, nullam dari posse carentiam talis existentiæ secundum se sumptæ, sed duntaxat carentiam alicuius durationis, quam illa habere posset, nunquam tamen habitura est. Ratio huius est, quia Petrus existit secundum se, vt supponitur: ergo ex hac suppositione non potest non existere secundum se: ergo non poterit dari carentia existentiæ illius secundum se. Præmitto secundo; ex suppositione, quod Petrus à Deo nunquam producendus sit, & in nulla temporis differentia extiturus, hoc ipso dari carentiam illius secundum se, eamque æternam à parte ante, & à parte post esse. Ratio etiam huius est, quia carentia illa dari debet in aliquo instanti, haud aliter, ac eius oppositum daretur, si existeret: cum ergo non sit potior ratio, cur talis carentia in vno instanti, quàm alio duret; eo quod Petrus, cui opponitur, in nullo instanti extiturus sit, & à nullo talem carentiam prohibeat, certè in quouis instanti imaginabili totius æternitatis necessario durabit. Hæc, quæ de carentia existentiæ præmisimus, seruata proportione accommodari debent carentiæ durationis successiuæ: aut enim ea duratio nunquam absolutè extitura est; & sic eius carentia per se ipsam essentialiter æterna erit: aut aliquando ea duratio extituta est; & sic nulla eius carentia dari poterit. Hinc ad argumentum respondeo; carentiam rei nunquam à Deo producendæ essentialiter sempiternam, atque omni temporis differentiæ præsentem esse, ac proinde non egere duratione à se distincta, esto illa indigeat res positiua, quæ essentialiter, & necessario sempiterna non est: carentiam verò rei aliquando producendæ in nulla temporis differentia vnquam dari, ac proinde nec per se ipsam, nec per aliud à se distinctum durare, cum nihil durare possit, nisi quod aliquo modo datur, & existit.

29. Oppones tamen primò: Petrus non existit ab æterno: ergo eius carentia existit quodammodo ab æterno: sicut enim nequit dari Petrus, & eius carentia simul, & semel: sic fieri nequit, vt nec Petrus, nec eius carentia ab æterno extiterint. Respondeo: Petrus existens in hoc loco non existit in alio; & tamen non existit in aliquo eius carentia alicuius vbicationis: aliàs Petrus, & eius carentia in eodem instanti reali simul existerent, Petro hic, & eius carentia alibi existente. Rursus: forma Petri existens in hoc corpore non existit in alio; & tamen non propterea existit in

alio corpore carentia formæ Petri secundũ se sumptæ, sed solùm carentia vnionis, per quam forma illa alteri corpori copulari posset: ergo similiter quamuis Petrus existens in tempore non extiterit ab æterno, inde non sequitur, eius carentiam fuisse ab æterno: quapropter licèt repugnet, dari simul ab æterno Petrum, & carentiam eius, non propterea repugnat ab æterno nec dari Petrum, nec carentiam illius secundum se sumpti: haud aliter ac quamuis in eodem loco res, & carentia rei, & in eodem subiecto forma, & carentia formæ dari nequeant, tamen subiectum sine forma & sine eius carentia, & locus sine re locata, & sine eius carentia reperiri possunt.

30. Opponès secundo: si ex suppositione, quod Petrus existat non datur carentia existentiæ illius secundum se sumptæ, sed tantum alicuius durationis accidentariæ: ergo etiam ex suppositione, quod Petrus existat, non poterit absolutè destrui, sed tantum destrui poterit aliquod eius accidens: consequens est absurdum: ergo & illud, vnde deducitur: sequelam probo: destrui rem est dari eius carentiam post eius existentiam: sed ex suppositione, quod Petrus existat, nequit dari eius carentia, tantúmque dari potest carentia durationis sibi accidentis: ergo Petrus semel existens absolutè destrui à Deo nequibit, solumque aliquod eius accidens destrui poterit. Respondeo: sicut conseruare rem non est producere eius esse secundum se sumptum, & iam productum, sed solùm facere, vt esse illius duret, & vi accidentis denuo producti in instanti sequenti existat, ita similiter destrure rem non est facere, vt detur carentia illius secundum se, sed tantum efficere, vt detur carentia alicuius durationis accidentariæ, qua in hoc instanti existere possit. Equidem, sicut nullum inconueniens est in eo, quod Petrus duret in suo esse per aliquod accidens, non video, cur inconueniat Petrum absolutè, ac simpliciter destrui per destructionem alicuius accidentis: præsertim cum non pauci ex ipsis aduersariis doceant Petrum hic, & Romæ existentem posse mori, ac destrui Romæ, per destructionem solius vbicationis accidentariæ, qua eius forma ibi aderat, esto nulla eius pars essentialis secundum se destruatur.

31. Secunda solutio argumenti paulo suprà à me pollicita, ac superiori non minus probabilis est; carentiam Petri carere omni duratione non solùm positiua, & reali, quod in conspicuo est, verum etiam negatiua, & eiusdem secum rationis, Caret autem carentia Petri omni duratione, non quod ea absolutè non detur, sed quod esto detur, in nulla tamen temporis differentia datur. Ratio huius est: quia munus carentiæ est excludere, ac destruere rem positiuam: esse verò in tempore, & loco sunt proprietates rei positiuæ, ac sine necessitate carentiæ tribui non debent; aliàs fingi etiam posset carentiam aliquam re ipsa & independenter ab omni operatione intellectus, constare etiam materia & forma negatiuis, sibique proportionatis, esse etiam negatiuè, quantam, & qualem, necnon actione, & passione negatiua præditam. Rursus; si Numini placet, carentiam aliquam cognoscere, & velle cognitione, & volitione, quæ sint eiusdem secum rationis. At quis hæc absurda esse non videat? Igitur non solùm quoad hæc prædicata, verùm etiam quoad existere in tempore, & loco corrigendus est noster intellectus, vbi de negationibus hallucinatur, easque considerans ad res positiuas paulatim dilabitur, entiúmque proprietates non entibus affingit. Dices tamen: pœna damni reprobis à Deo inflicta est æterna: at eiusmodi pœna est carentia visionis beatificæ: ergo carentia est æterna, ac proinde durat. Respondeo: quemadmodum destructio realis alicuius entis dicitur talis absolutè, non quod ea destructio sit in se realis, sed quod sit realis per denominationem à realitate entis, quod destruit: ita similiter carentia visionis beatificæ dicitur æterna non immediatè, sed mediatè tantum, ac per denominationem ab æternitate visionis, quam reprobo adimit. Dices secundò: res positiua nunc non existit: ergo nunc existit, ac durat eius carentia. Verùm huic argumento factum est satis paulo suprà.

CAPVT V.

An res ab omni tempore, ac duratione simpliciter absolui possit?

32. HVius quæstionis negatiua pars ab omnibus communiter supponitur: verum nonnulla sunt, quæ mihi dubiam illam reddant, oppositámque sententiam probabilem esse suadeant. Etenim si qua ratione existentia rei sine duratione conseruari non posset, maximè vel ob identitatem existentiæ cum duratione, vel ob dependentiam existentiæ à duratione. Quæ enim alia ratio excogitari potest? At neutra harum vrget: non identitas, quia nulla datur: non dependentia, quia maior est dependentia durationis à re durante, quàm è conuerso rei durantis à duratione, cum hæc sit à posteriori, illa verò à priori: at sic est, quod duratio conseruari potest diuinitus sine re durante: ergo & vice versa. Minor perspicua est, quia duratio est res absoluta, sicut vbi: quod tamen si negetur, vel in ipso vbi, vel quouis alio accidenti absoluto idem argumentum confici potest.

33. Præterea, carentia rei datur à parte rei independenter ab omni operatione intellectus; & tamen non datur in aliqua temporis differentia, vt in fine capitis præcedentis vidimus: quid ergo vetat, rem positiuam diuinitus existere, quin in aliqua temporis differentia existat, aut duret? Rursus: non magis repugnat aliquid absolui ab omni tempore, quàm absolui ab omni loco: at res creata potest supernaturaliter absolui ab omni loco, vt plures aduersarij fatentur, præsertim verò P. Moncæus disput. 1. cap. 1. & 8. Ouiedo controu. 15. punct. 7. ac P. Vasquez disput. 188. necnon multi Thomistæ, qui Angelum existere in loco per operationem, & aliunde cessare eum posse ab operando existimant. Tandem, potest res creata diuinitus non esse quanta, nec qualis, nec intrinsecè, & accidentario relata ad aliquid, neque etiam agens, aut patiens: situ etiam, & habitu priuari potest: cur igitur duratione, & vbicatione per miraculum spoliari nequeat, sicuti reliquis accidentibus prædicamentalibus miraculosè denudari valet?

34. Obiicies tamen primò: implicat rem aliquam esse, & nusquam esse, aut eam esse, & nunquam esse: at si à tempore, & loco absolueretur res aliqua, ea quidem esset, & tamen nusquam, ac nunquam

quam esset. Maior & per se nota videtur,& expresse habetur apud Aristotelem lib. 4. Physic. cap 2. ibi: *ea enim, quæ sunt, alicubi esse omnes existimant: quod namque non est, nusquam est.* Necnon apud Gregorium Nazianzenum orat. 2. de Theologia ibi: *nam si id, quod non est, nusquam est, id quoque quod nusquam est, nec quidquam fortasse est.* Respondeo: quemadmodum nomina existentiæ propria durationi interdum accommodantur, & existere pro durare accipitur: ita è conuerso accidere, vt duratio existentiam,& carentia durationis carentiam existentiæ aliquando significet, ac vsitato quodam loquendi modo nusquam esse,aut nunquam esse pro absolutè non esse accipiatur: in hoc autem sensu implicat rem esse,& nunquam, & nusquam esse: quia nihil aliud esset,quàm eam absolutè esse, & absolutè non esse: in hoc verò solùm sensu Aristoteles, & Nazianzenus intelligendi sunt: præterquam quod alter subdubitanter loquutus fuerit,de alterius verò Authoritate parum curandum sit in quæstionibus de potentia absoluta, quam prorsus ignorauit.

35. Obiicies secundò. Deus omnino necessario, & ineuitabiliter tempori labenti coëxistit,in eoque durat: hæreticum enim esset asserere, Deum aliquando non esse: at non alia ratione, nisi quia Deus necessario existit, ac proinde tempori existenti non potest non coëxistere: cum ergo omnis creatura ex suppositione, quod existat,necessario existat secundum se, sanè non poterit ex suppositione,quod existat,non coëxistere tempori labenti,in eóque durare. Respondeo, non idcirco Deum necessario, & ineuitabiliter tempori labenti coëxistere, quia vtcunque necessario existitit,sed quia eius existentia necessaria est essentialiter æterna: æternitas autem cuiuis temporis differentiæ necessario coëxistit,ac propterea comparatur centro alicuius circuli, quod omnibus punctis circumferentiæ necessario correspondet, & ad illa lineas rectas omnino æquales transmittit. Cæterùm existentia creaturæ per se ipsam essentialiter æterna, aliove modo durans non est: quare tametsi necessario existat secundum se ex suppositione,quod sit,tempori tamen extrinseco necessario non coëxistit. Obiicies tertiò: omnis creatura à Deo producta est effectus Dei: ergo ei omnino necessario, & ineuitabiliter coëxistit; effectus enim nequit non coëxistere causæ: at coëxistere alicui rei est esse in eadem temporis differentia cum illa: ergo omnis creatura omnino necessario, & ineuitabiliter existit in eadem temporis differentia, in qua eius creator existit,ac proinde necessario durat. Respondeo,suprà lib. 4. fusè à me probatum esse, non esse de conceptu essentiali effectus vt causæ suæ in eadem temporis differentia coëxistat: quare hoc argumentum nullius momenti esse.

36. Obiicies quartò: omnis creatura debet, etiam spectata absoluta Dei potentia, esse distans ab hoc loco ver. gratia vel indistans; necnon etiam eandem distantiam,aut indistantiam habere debet respectu huius instantis *A*: distare autem ab aliquo loco,aut tempore est esse in alio spatio loci,vel temporis; indistantiam verò sortiri respectu cuiusdam loci, vel temporis est in iis localiter,aut temporaliter esse: ne ergo diuinitus fieri potest,vt quidpiam sit,aut existat, & non sit existens in aliquo tempore, aut loco. Respondeo: nihil produci posse à Deo, quod non sit vel distans, vel indistans respectu cuiusuis spatij localis,temporalisve. si sermo sit de indistantia negatiua, & contradictoriè opposita distantiæ: secus verò, si loquamur de indistantia contraria, quæ consistit in positiua, & intima præsentia ad spatium aliquod loci, seu temporis: creatura ergo, quam Deus absolueret ab omni loco,& tempore, nec foret distans ab hoc loco, & instanti,nec indistans positiuè,& contrariè, sed tantum negatiuè & contradictoriè: at negatiua indistantia respectu temporis, & loci non tam esse quidpiam in tempore, aut loco, quam in iis non esse importat.

37. Obiicies quinto: si corpus aliquod absolueretur ab omni loco,eius partes essent, & non essent in loco: non essent in eo: quomodo enim possent esse in loco, cum totum corpus ab iis realiter indistinctum locum non occuparet? Essent verò in loco: quia aut essent extensæ, aut inextensæ, siue aliæ extra alias,aut potius non extra se inuicem? si essent extensæ,& aliæ extra alias,eo ipso locum replerent: particula enim *extra*,*intra*, *suprà*, &c. aliæque similes significant præsentiam ad locum: quod si non essent extensæ, nec extra se mutuo, sanè hoc ipso essent penetratæ: penetrari autem aliqua extrema est ea esse in eodem loco, adeóque locum absolutè occupare. Porro, si corpus non potest absolui à loco, vt hoc videtur argumento conuinci, vtque tuentur Suarez libro 3. de Angel cap. 3. & Arriaga disp. 14 sect. 4. certè à fortiori haud poterit vlla res creata,siue corporalis,siue corporis expers absolui à tempore,seu duratione omni. Respondeo: partes corporis ab omni loco absoluti locum occupaturas, neque quod eum non occuparent,solidè probari: forent enim inextensæ,& non extra se magis negatiuè, quam positiuè: vt in simili etiam nuper dictum est: talis autem inextensio,& extraneitatis mutuæ negatio non argueret in iis penetrationem,nec consequenter præsentiam ad locum.

38. Obiicies sextò: res absoluta ab omni tempore eo ipso existeret simpliciter,& non existeret simpliciter: quæ sunt contradictoria. Prior contradictionis pars est perspicua: nam absolui simpliciter à tempore est rem simpliciter existere, & tamen non habere existentiam in vllo tempore, seu duratione. Posterior eiusdem contradictionis pars suadetur: nam res absoluta ab omni tempore hoc ipso tantum existeret secundum se: atqui rem existere secundum se non est simpliciter, ac propriè existere: ergo, &c. Antecedens ostenditur: siquidem res postquam destruitur, existit tamen secundum se: solaque durationum, quas poterat habere, existentia spoliatur: & tamen suppositа destructione sui propriè, ac simpliciter non existit, vt est luce clarius: existere ergo secundum se haud est simpliciter existere.

39. Respondent aliqui, creaturam, quam Deus ab omni tempore absolueret, extituram simpliciter; nequaquam verò ita non extituram: quia, inquiunt, licèt existeret tantum secundum se; at hoc ipso existeret semper in æternitate, quod est simpliciter existere: quod autem hinc sequatur, rem destructam existere simpliciter, non quidem in tempore, sed in æternitate,id minimè esse absurdum. Pari etiam ratione rem creatam, si absolueretur ab omni loco, fore tamen intimè

præsentem

præsentem Deo, ab eóque positiue indistantem, vt docet P. Ouiedo citata controuers. 15. Physic. punct. 8. Hæc tamen solutio mihi placere non potest: quia quod attinet, ad rei, siue destructæ, siue etiam productæ præsentiam veram, & formalem ad æternitatem ab æterno, ac semper; ea quidem ex professo est à nobis confutata in Dialectica, cum sermo esset de veritate propositionum de futuro contingenti absoluto. Quod verò spectat ad intimam præsentiam, atque indistantiam positiuam respectu diuinæ immensitatis, quam in re ab omni loco absoluta datum iri affirmant aduersarij, ea me iudice est adeo commentitia, vt nihil suprà. Etenim creatura sic absoluta ab omni spatio loci, nec esset præsens diuinæ immensitati totaliter sumptæ, & quatenus omni loco possibili commensæ: id enim esset, eam creaturam esse vbique, quod plus esset, quam esse alicubi: neque esset præsens immensitati inadæquate sumptæ, & quatenus aliquod spatium loci limitatum, destinatúmque respicit: hoc enim esset eam coëxistere immensitati in illo spatio loci, adeóque locum aliquem certum occupare: nec denique esset præsens immensitati diuinæ, quatenus ab omni loco absolutæ: esse enim quidpiam localiter præsens alteri, quatenus ab omni loco absolutæ ex terminis omnino repugnat: & perinde est, ac si fingeres, quidpiam esse alteri realiter simile absque vlla similitudine reciproca ex parte alterius; aut obiectum aliquod esse intentionaliter, siue intellectualiter præsens animæ nihil omnino intelligenti, sed potius ab omni intelligendi actu prorsus absolutæ.

40. Vnde secundo sic argumentor aduersus eandem solutionem: si creatura, quam Deus absolueret ab omni loco, esset præsens immensitati diuinæ, eo ipso esset in loco: creaturam autem absolutam ab omni loco, locum tamen occupare, in eóque esse repugnat: ergo & quod esset præsens immensitati diuinæ. Maior probatur: quia nequit aliquid esse præsens alteri existenti in loco, quin hoc ipso sit in loco, siue ab eo positiuè indistans: at diuina immensitas est necessario in loco: ergo si creatura absoluta ab omni loco præsens tamen esset immensitati diuinæ, eo ipso non posset non esse in loco. Diuinam immensitatem esse necessario in loco, patet: nam in primis Deus est in se ipso, tanquam in loco reali, ipséque quod eodem redit, est locus realis sui: ita Vasquez 1. p. disp. 19. & quidem sponte sua est manifestum: namque vt Deus per se ipsum intelligit, vult, & durat, estque sua intellectio, volitio, atque duratio: quidni sit etiam locus realis sui ipsius, in quo verè existat? At nequit Deus esse in se tanquam in loco reali, & vero, quamuis verè indistincto, nisi per suam immensitatem: hæc ergo est in eo loco, haud secus ac, quia per intellectum suum intelligit, eo ipso nequit eius intellectus non dici, & esse intelligens: parque est ratio aliarum denominationum, quibus est præditus. Deinde immensitatem diuinam, Deúmque ratione illius necessario esse in loco, siue spatio imaginario impropriè quidem, ac secundum quid, non minus quàm creaturam, constitutum est à nobis suprà tract. præced. cap. 2. idque ipsum docet Suarez disput. 30. Metaphys. sect. 3. num. 3. Molina 1. p. quæst. 8. art. 1. disp. 3. Arriaga disp. 14. sect. 4. & Hurtadus disp. 14. sect. 3. Nec refert, Deum vt immensum, siue eius immensitatem non esse propriè, & realiter in loco imaginario à se distincto, quod tantum volunt Augustin. Bernard. Tertullianus, Theodoretus, necnon Scotus, Bonau. Capreol. Durandus, & alij Scholastici relati, atque obiecti à P. Vasquez vbi suprà, & à P. Fasolo 1. p. q. 8. art. 2. dub. 3. non, inquam, id refert: nam satis est, immensitatem diuinam esse necessario præsentem secundum quid, & impropriè loco imaginario, ad id vt creatura ab ea positiue indistans, eíque præsens, locum imaginarium saltem secundum quid occuparet: adeóque vt esset in illo (facta hypothesi nostræ disputationis) non minus quam in eo est modò: quis enim non videat, creaturam modo solùm secundum quid esse in eiusmodi loco? In eo enim quod simpliciter non est, nihil esse potest simpliciter.

41. Melius ergo responderi potest ad sextam illam obiectionem, haud sequi ex nostra sententia nisi priorem contradictionis partem, scilicet quod creatura, quam Deus absolueret ab omni duratione, nihilominus existeret simpliciter. Ad probationem autem contrariam dicendum est, quod existere secundum se est quidem simpliciter existere: quare hoc ipso, quod creatura ab omni tempore absoluta saltem existeret secundum se, profectò & existeret simpliciter: exemplum autem creaturæ destructæ non vrget: etenim iuxta posteriorem solutionem, earum quas cap. præcedente adhibui celeberrimo inter neothericos argumento, per quam facilè dici potest, eiusmodi creaturam non existere secundum se, sed potius existentiæ secundum se, qua antea gaudebat, dari carentiam: quare nihil mirum esse, quod creatura sic destructa simpliciter non existat, tametsi ita diceretur, & esset existens res creata, quam Deus absolueret ab omni temporis interuallo.

42. Secundò etiam responderi potest, nec minus probabiliter ad sextam illam obiectionem, ex nostra sententia sequi quidem, quod creatura absoluta diuinitus ab omni duratione, existeret simpliciter, & non existeret simpliciter: at existeret simpliciter in solo instanti naturæ, ad modum quo simpliciter existit de facto omnis res pro priori ad suam durationem: & non existeret simpliciter in instanti reali: ita autem simpliciter existere, & simpliciter non existere non sunt contradictoria: sicut è conuerso non existere simpliciter in aliquo instanti naturæ, & simul existere simpliciter in instanti reali, non opponuntur contradictoriè, sed potius de facto componuntur inuicem, vt patet verbi gratia in voluntate nostra pro priori signo suæ libertatis, & indifferentiæ proximæ simpliciter non amantis in tali signo, siue instanti naturæ; & tamen in toto instanti reali simpliciter exercentis amorem. Quod autem attinet ad creaturam destructam, dicendum est & eam ita non existere simpliciter in instanti reali; vt simpliciter existat in instanti aliquo naturæ, eo scilicet, quo præsupponitur indifferens ad id, vt destruatur, vel non destruatur: & verò existentia simpliciter pro instanti solius naturæ nequit eius obesse destructioni: aliàs è contrario amorem verbi gratia non existere simpliciter pro instanti naturæ priori, obesset eius productioni pro posteriori, quod tamen est ridiculum.

43. Tertiò denique responderi potest ad eandem obiectionem superiorem, fore quidem vt creatura, quam Deus sine vllo tempore produceret, eo ipso non esset existens simpliciter, sed tantum secundum

secundum quid; atque hanc solam contradictionis obiectæ partem ex nostra deduci sententia. Probatio autem contraria nō est vllius momenti; nam cum dicimus, creaturam aliquam posse simpliciter absolui ab omni duratione, hoc ita intelligendum non est, quasi particula *simpliciter* appellet suprà existentiam rei creatæ, sed ita vt appellet suprà eius durationem: vt sensus sit, creaturam aliquam posse quodammodo existere, quin simpliciter duret, aut alicui tempori strictè commensuretur.

44. At dices contra postremam hanc solutionem: res pro priori naturæ ad suam durationem de facto simpliciter existit, vt supra fassi sumus, vtque ex eo constat, quod sit causa physica suæ durationis, huiusmodi enim modus causandi nisi principio simpliciter existenti non conuenit: & tamen pro illo priori res non existit in instanti vllo temporis: falsò ergo asseruimus, rem, quam Deus absolueret ab omni duratione, hoc ipso non esse simpliciter, sed secundum quid extituram. Dices iterum: si ob id dici potest, creaturam aliquam absolui simpliciter ab omni duratione, quia sine omni duratione simpliciter tali potest secundum quid existere, quidni etiam de facto possit aliquid simpliciter absolui ab omni duratione? Siquidem creatura destructa, non obstante destructione sua, existit secundum quid: & tamen non durat simpliciter, nec tempori strictè commensuratur, vt anteà: creatura etiam merè possibilis habet esse secundum quid, idque quin simpliciter duret, aut tempori coëxistat. Quæ cum ita sint, sequela posterioris instantiæ videtur esse manifesta. Consequens autem est non minus manifestè absurdum: quidquid enim sit, an possit Deus rem simpliciter absoluere ab omni tempore, & duratione; at quis dicat, similem rei absolutionem ab omni tempore de facto vnquam contingere?

45. At neutra instantia admodum premit. Ad priorem dicendum est, rem pro priori naturæ ad suam durationem posse quidem dici simpliciter, ac verè existentem; cæterùm non nisi cum hoc addito, *in instanti naturæ*, aliove simili: idque & non aliud à nobis suprà admissum: at verò quantumuis res existat pro signo priori rationis, haud propterea eam dici posse simpliciter existentem sine vllo additamento, sed potius, si absolutè, & sine adiectione loquamur, eam duntaxat secundum quid existere. Nec obest, existentiam, quam pro illo priori res habet, esse simpliciter talem: nam huiusmodi existentia petit pro conditione sine qua non, durationem rei, adhoc, vt rem denominet simpliciter existentem: quare mirum non est, quod absque adiectione loquendo non denominet simpliciter existentem rem pro priori ad eius durationem. Sic, esto pro priori ad expulsionem peccati existat qualitas gratiæ, quam plures se sola esse iustitiam, & filiationem Dei adoptiuam autumant, tamen non denominat hominem iustum, aut Filium Dei adoptiuum, nisi pro posteriori quo expellitur peccatum, eo quod hæc expulsio sit conditio requisita ex parte subiecti ad vtramque denominationem simpliciter, ac strictè accipiendam. His ergo constitutis affirmandum iuxta ea est, rem, quam Deus absolueret ab omni duratione, si loquamur absque omni adiectione, haud extituram simpliciter, ac strictè, sed tantum secundum quid, defectu nimirum capacitatis proximè, quam ad eam denominationē tribuere potest sola duratio: atque hinc est, vt verbum existendi absolutè, & sine vlla moderatione prolatum semper significet durationem. Ad posteriorem instantiam dicendum est, haud effici ex nostra sententia, quod possit aliquid de facto simpliciter absolui ab omni duratione: nam quod attinet ad rem destructam, vi destructionis absoluitur ab aliqua duratione, ea scilicet, quam esset habitura, si non destrueretur: cæterum non ab omni; cum ad minimum necessario duret de præterito, siue durauerit. Quod verò spectat ad creaturam merè possibilem, ea quidem absoluitur simpliciter ab omni duratione, sed non de facto, si rigorosè loquamur, cum nondum fiat, nec existat secundum se.

Obiicies septimò. Si creatura absolueretur ab omni duratione, hoc ipso non foret præsens æternitati diuinæ: qua ratione si quid existeret sine loco vllo, haud posset esse diuinæ immensitati præsens; vt contra P. Ouiedo & alios in impugnatione prioris responsionis argumento superiori adhibitæ ostendi. 46. At repugnat etiam de potentia absoluta, vt creatura vlla non sit præsens æternitati diuinæ: ergo & repugnabit, quod absoluatur ab omni duratione. Minor, quæ sola eget probatione, probatur: quia repugnat vlla creatura, quæ non sit præsens intentionaliter, ac per cognitionem diuino intellectui, quæ est huius summa, atque omni ex parte illimitata perfectio: ergo etiam ad infinitam, summámque perfectionem diuinæ æternitatis spectat, vt nulla possit existere res creata, quæ non sit ei præsens, sin minus ab æterno, saltem aliquando, quæuè in illa non existat, aliàs in se non extitura.

Respondeo concessa maiori, & negata minori. 47. Ad cuius probationem dicendum est, ideo nullam creaturam existere posse, quin sit intentionaliter & per notitiam præsens diuino intellectui, quia omnis creatura habet veritatem transcendentalem, & obiectiuam, ratione cuius possit à Deo cognosci, pro quocunque statu suo: verum autem nequit à Deo ignorari, eiusve intellectui præsens non esse. Pari ratione, si nulla creatura possit existere sine duratione, haud etiam posset non esse physicè præsens diuinæ æternitati: at, cum magis sit, vt creatura possit spoliari duratione, quàm veritate transcendentali (quippe hæc, non verò illa est ab eius entitate realiter indistincta) idcirco bene potest creatura diuinitus non esse præsens diuinæ æternitati, non obstante huius perfectione; sicut etiam non esset contra perfectionem diuini intellectus non cognoscere quod non esset verùm, nec de facto contra illam est, non affirmare existentem rem, quæ verè non existit. Atque ex his constat aduersus Thomistas recentiores, adeò non esse necesse, vt res productæ, seu producendæ cognoscantur à Deo, vt præsentes physicè æternitati ab æterno; vt non implicet aliqua à Deo produci, quæ cognoscantur ab illo, & non vt præsentia æternitati, etiam pro sua differentia temporis, aut vllo modo.

Octauo denique obiicies: si posset creatura aliqua absolui ab omni tempore & duratione; 48. sanè & posset dari creatura, quæ repugnaret tempori & durationi, atque in nulla etiam diuinitus posset esse: quidni enim? Consequens autem est absurdum: ergo & id ex quo sequitur. Respondeo tamen, sequelam esse nullam: quia v.g.

materia

materia prima potest absolui diuinitus ab omni forma substantiali: & tamen repugnat materia prima, quæ sit essentialiter repugnans omni formæ substantiali, eiusque incapax, cum materiæ definitio sit, quod sit primum subiectum formarum; similiter ergo non ex eo quod possibile sit aliquid absolui ab omni duratione, sequetur possibile esse, & quod quidpiam omni duratione repugnet, nullámve possit habere. Sic etiam non repugnat ignis, quem Deus absoluat ab omni calore: an propterea & possibilis erit ignis incapax caloris? Quidquid tamen sit de sequela, fortè consequens non est absurdum: vt enim est, quod suapte natura æternum est: nempe Deus Opt. Maximus: vt, quod æuo mensuratur, cuiusmodi est Angelus: vt, quod tempore, quale est omne corpus naturale corruptibile: vt, quod solo instanti, videlicet duratio momentanea: cur etiam in alia rerum serie possibile forsam non sit aliquid adeo imperfectum, vt non solùm vix duret ad instar durationis instantaneæ, sed vt nullo modo duret? Atque de his satis.

TRACTATVS III.

De infinitate corporis naturalis aliarumque rerum quoad multitudinem.

CAPVT PRIMVM.

An multitudo corporum, siue rerum incorporearum syncathegorematicè infinita à Deo produci possit?

1. INFINITVM propriè, & philosophicè sumptum est, *cuius aliquid semper est extra*, hoc est, à quo quantumcunque numerum finitum, aut quantamcunque quantitatem determinatam, & finitam sumas, aliquid amplius desumendum supereſt: quanquam enim ab infinitate hominum possibilium 10. 100. 1000. decies mille, centies mille, millies mille, aliumve quemuis numerum abscindas, adhuc plures homines in infinitum residuierunt, extra eos, qui abscissi sunt: ita Aristoteles lib. 3. Phys. Quod verò nonnulli Philosophi apud Aristotelem indidem aiunt, infinitum definiri posse, & debere, *cuius nihil est extra se*, sustinendum non est: quia aut per definitionem denotatur, infinitum esse illud, cui nulla perfectio in suo genere deest, aut extranea est: & ita ea definitio non tam infinitum, quàm perfectum quantumlibet finitum sic definit: aut per eam definitionem denotatur, infinitum esse cuius nihil in suo genere extra ipsum est, cuive nulla additio in suo genere fieri potest: & ita falsa omnino est: si enim Deus à centro terræ sursum producat lineam infinitam, ea infinita erit, & tamen ei additio aliqua fieri potest non solùm finita, quod instituto sufficeret, verum etiam infinita; nimirum si Deus eandem lineam deorsum in infinitum producat. Infinitum aliud est cathegorematicum: syncathegorematicum aliud: infinitum cathegorematicum est, quod penes omnes suas partes simul existit: syncathegorematicum est, quod solùm penes aliquas partes, easque finitas simul existit; ita tamen, vt ei accessio infinita fieri possit: cum enim terminus cathegorematicus talis sit, quia per se significat: syncathegorematicus autem, quia non nisi adiuncto alteri significat; sanè infinitum, quod per se absque vlla additione tale est, iure merito dici debet infinitum cathegorematicum: quod verò per se finitum est, & non nisi adiunctione aliorum infinitum, eo ipso syncathegorematicè infinitum appellandum est: prius infinitum est tale simpliciter: posterius verò secundum quid: prius est infinitum actu: posterius verò duntaxat in potentia.

Quibus positis censeo, multitudinem creaturarum quarumlibet syncathegorematicè infinitam à Deo produci posse: hoc est, non tot entia, qualiacunque ab eo produci posse, quin semper plura valeant ab illo produci. Ita B. Thomas 1. p. quæst. 14. art. 12. & cum eo Thomistæ omnes. Ita etiam P. Vasquez 1. p. disput. 63. art. 2. P. Valencia tom. 1. disp. 1. quæst. 14 punct. 6. PP. Molina, Hurtado, Ouiedo, Arriaga, Conimbric. & cæteri Societatis nostræ Doctores. Quibus adde Okamum in 3. dist. 13. q. vnic. art. 1. Gabrielem, & plerósque Nominales. Probatur autem hæc nostra sententia: primò quia omnipotentia Dei est potentia infinita: ergo infinitos effectus producerè potest. Antecedens perspicuum est: quia si omnipotentia non esset potentia infinita, non esset, cur alicui creaturæ communicari nequiret, aut cur aliqua creatura omnipotens esse non posset. Consequentia verò suadetur: quia potentia finita, qualis est humana, vel Angelica finitos solùm effectus producere potest: ergo potentia infinita infinitos numero effectus producere poterit. Dices, omnipotentiam Dei esse potentiam infinitam ex parte modi, eo quod perfectissimo, & infinito modo operetur: secus verò ex parte termini: vnde non esse, cur terminos numero infinitos respiciat: contra tamen, quia eo ipso, quod omnipotentia Dei sit potentia infinita ex parte modi operandi, non est, cur non sit potentia infinita etiam ex parte termini: haud secus ac è contra potentia creata tam ex parte modi, quàm ex parte termini finita est. Probatur secundò; quia anima rationalis verbi gratia durat per durationes successiuas à se ex natura rei distinctas: at durationes, per quas duratura est, sunt syncathegorematicè infinitæ, id est, non tot, quin plures: ergo &c. Maior suprà tract. 2. huius libri cap. 2. & seq. à nobis est ostensa. Minor probatur: quia anima rationalis æternum duratura est: at non per durationes numero finitas, & tot, non plures: ergo per infinitas. 2.

Probatur tertiò: non magis infinitus est intellectus Dei, quàm omnipotentia Dei: at intellectus Dei infinita obiecta cognoscere potest: ergo & eius omnipotentia infinitos effectus, siue non tot, quin plures producere. Minor suadetur: quia intellectus Dei necessario cognoscere potest, & debet ea obiecta, quæ intellectus creatus cognoscere potest: aliàs aliquid nobis innotescere posset, quod Deum latere posset: at intellectus creatus infinita obiecta cognoscere potest; siquidem infinitas chimæras cognoscere potest: quot enim chimæræ fingi possunt? demus verbi gratia esse 10. mille: an non vlterius alia chimæra fieri, siue cognosci poterit ab eo, qui præter enumeratas 3.

meratas chimæras, aliam eſſe poſſibilem aſſereret? Quartò probatur aſſertio: nullus numerus finitus equorum verbi gratia à Deo produci poteſt, quin ab eo alius maior produci poſſit: ergo &c. Antecedens probatur: quia ſignato quouis non eſt potior ratio de illo, quàm de alio maiori: ergo ſicut ille, ſic alius maior à Deo produci poterit. Deinde demus claritatis gratia, numerum illum finitum maximum equorum Deo poſſibilem eſſe mille equorum: ſanè poterit, & non poterit alius numerus millenarius equorum à Deo produci: non poterit, quia mille equi tantum poſſibiles ſupponuntur: poterit, quia ſi alius numerus millenarius, priori omnino ſimilis, & æqualis, ſit impoſſibilis; ſanè prior etiam numerus millenarius omnino impoſſibilis erit: ſicut ſi Paulus ſimilis, & æqualis Petro impoſſibilis ſit, non poterit Petrus impoſſibilis non eſſe.

4. Quintò ſuadetur aſſertiò: quia in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 15. inter errores Ioannis Hus refertur hic ibi: *Deus nihil poteſt annihilare, neque poteſt mundum maiorare aut minorare, ſed animas vſque ad certum numerum creare, & non vltra*: at ſi multitudo animarum à Deo creabilium finita eſſet, Deus tantum poſſet animas creare vſque ad certum numerum, & non vltra: & rurſus, ſi numerus effectuum à Deo poſſibilium ſyncathegorematicè finitus eſſet, vnde nobis conſtaret, Deum poſſe mundum maiorare, ſicuti Concilium ſanxit? Sexto, quod ad multitudinem indiuiduorum attinet, nulla ſpecies eſt, quæ ſub ſe infinita indiuidua non contineat: aliàs eſſet aliqua ſpecies, quæ duo tantum indiuidua ſolo numero indiſtincta; alia, quæ tria; alia, quæ quatuor duntaxat, & ſic de reliquis numeris continerent: quæ quis commentitia, & chimærica eſſe non conſpiciat? Quod verò ad multitudinem ſpecierum attinet, nulla ſpecies creata adeò perfecta aſſignari poteſt, quin alia perfectior à Deo produci poſſit, cum quæuis finita ſit, & à diuina perfectione infinite diſſita: igitur ſpecies ſyncathegorematicè infinitæ à Deo produci poſſint: aliàs ſi finitæ numero eſſent, aliqua aſſignari poſſet, qua ſuperior eſſe non poſſet. Demum, quantitas diſcreta, ſiue multitudo entium cathegorematicè infinita à Deo produci poteſt, vt inferius oſtendam: ergo à fortiori, & ſyncathegorematicè infinita.

CAPVT II.

Inter ſpecies creaturarum ſyncathegorematicè infinitas à Deo producibiles aſſignari non poſſe ſupremam, & perfectiſsimam verius eſt.

5. ITa D. Thomas 1. p. q. 2. art. 6. & q. 1. de potent. art. 2. Bonau. in 1. diſt. 44 q. 1. Capreolus in 1. diſt. 43. q. vlt. art. 2. Richardus quodl. 2 q. 4. Ægidius quodl. 3 quæſt. 5. Heruæus quodl. 7. quæſt. 2. Soncin. 12. Metaph. quæſt. 5. Argent. in 2. diſt. 1. quæſt. 2. P. Vaſquez tom. 1. in 1. p. diſp. 106. cap. 1. P. Hurtado d. 13. phyſ. ſect. 1. Conimbric. lib. 4. phyſ. cap. 8. quæſtione 3. art. 2. Ouiedo controuer. 14. phyſ. punct. 7. Faſolus 1. p. diſput. 11. numero 4. Compton. d. 56. phyſ. ſ. 8.

Probatur primò ex Dionyſio Areopagita in hunc modum: ſpecies creaturarum procedunt à Deo, ſicuti numeri ab vnitate: at numeri ita ab vnitate procedunt, vt numerus finitus omnium maximus impoſſibilis ſit: ergo & ſpecies creaturarum ita à Deo procedunt, vt impoſſibilis ſit ſpecies aliqua creata, & finita, omnium ſuprema, & maxima. Minor perſpicua eſt: ſi enim numerus finitus omnium maximus poſſibilis eſſet, is additione vnius vnitatis finitæ definito in infinitum excreſceret, quod euidenter falſum eſt. Maior, præterquam quod de ſe ſatis veroſimilis, & perſpicua apparet, ex Dionyſio c. 18. de diuin. nominib. probatur: ſiquidem ibi ita fatur: *vnum autem, quoniam omnia vnitiue ſecundum vnius vnitatis exceſſum, & omnium eſt vnum inegreſſibiliter cauſa*: quibus verbis Deo attribuit eſſe vnum duabus de cauſis: quarum ſecunda eſt, quia vnum eſt cauſa omnium, Deus autem propriſſimè omnium etiam cauſa eſt; eámque cauſam exponit D. Thomas in hæc verba: *ſecundo, vnum attribuitur Deo, quia vnum ſecundum ſuam intentionem conſideratum eſt omnium cauſa inegreſſibiliter*. Cum autem varios modos aſſignet, quibus vnum eſt omnium cauſa, & principium: ſecundum modum explicat, quia nequit omnis multitudo, & omnis numerus eſſe ab vnitate velut à principio: quam rationem attingit Dionyſius his verbis: *& ſine vno quidem non erit multitudo, ſine multitudine verò erit vnum, ſicut & vnitas ante omnem numerum, & multiplicatum*. Quæ verba egregiè in rem noſtram exponit D. Thomas ibi: *deinde cum dicit (& ſine vno quidem) ponit ſecundam rationem, quæ talis eſt: illud, a quo non conuertitur conſequentia eſſendi, eſt naturaliter prius, & quodammodo principium: ſed vnum eſt huiuſmodi, quia ſine vno non inuenitur aliqua multitudo, ſed inuenitur aliquod vnum abſque omni multitudine: vnum igitur eſt prius omni multitudine, & principium eius; cuius ſignum apparet in numeris, quia vnitas eſt ante omnem numerum qualitercunque multiplicetur*. Hactenus Dionyſius, & Thomas: quum ergo ſpecies creaturarum ſint, eſſe ve poſſint à Deo, ſicut numeri ab vnitate: certè ſicut numerus finitus omnium maximus, ſic ſpecies creata, & finita omnium ſuprema, & perfectiſſima repugnabit. 6.

Id ipſum confirmatur ex Dionyſio capite 8. de diuinis nominib. vbi ſic loquitur de Deo: *& omnia ſecundum virtutem indeclinabilem, & incircumfinitam producens, & ſicut ipſius, quod eſt eſſe virtutem aut totam, aut particularem cauſa exiſtens: & ſicut infinitæ virtutis non tantum eo, quod omnem virtutem producit, ſed etiam eo, quod eſt ſuper omnem, & ipſam per ſe virtutem; & eo, quod ſuper poteſt, & infinitè infinitas alias ab exiſtentibus virtutibus producere; & eo, quod nunquam poſſunt infinitæ & infinitum productæ virtutes ſuper infinitam ipſius virtutem facientis hebetare actionem: & eo quod ineffabilis, & ignotæ, & incogitabilis eſt cuncta egrediens ipſius virtus*. Pende primò, virtutem Dei incircumfinitam dici: at ſi poſſibilis eſſet creatura omnium poſſibilium perfectiſſima, 7.

omnipotentia Dei ea ita circumfinita esset, vt aliam magis perfectam producere nequiret. Pende secundò, posse Deum quauis virtute producta infinitè infinitas alias perfectiores producere, ita vt eius omnipotentia cuncta egredi, & superare possit: at si esset possibilis creatura suprema, ea producta, nequiret Deus aliam perfectiorem, ne dum infinitas perfectiores producere.

8. Verùm hæc ratio, quam ex D. Dionysio fusè proposuimus, tribus modis labefactari posse videtur. Primò in hunc modum: species creaturarum sunt à Deo, sicut numeri ab vnitate: at est possibilis numerus omnium perfectissimus: ergo & creatura omnium perfectissima. Minor probatur: quia numerus binarius est omnium numerorum perfectissimus: in primis ob maiorem eius simplicitatem, quàm cæterorum numerorum: tum quia magis appropinquat vnitati, quæ numerorum omnium principium est: quare sicut creatura quo magis appropinquat Deo, qui creaturarum omnium primum principium est, eò perfectior est; ita numerus binarius quo reliquis numeris vnitati propior est, eo reliquis numeris perfectior est. Demum quia sola dualitas numeros omnes extra primos numerat, & metitur; esse autem aliorum mensuram ad perfectionem attinet: numeri autem primi ij nuncupantur, qui nullo alio numero numerari possunt, quales sunt 3.5.7. Confirmatur quia Platonici, & Pythagorici, qui numeris omnia consistere putarunt, solam dualitatem esse principium materiale omnium arbitrati sunt; videlicet quia dualitas reliquis numeris prior, & perfectior est. Ita Platonem sensisse refert Aristoteles 1. Metaphys. capite 6. ibi: *dualitatem autem alteram naturam feciſſe ex eo fuit, quia numeri præter primos apte ex ipſa perinde vt ſigillo quodam fiunt, ac generantur.*

9. Respondeo, numerum binarium esse numerorum omnium perfectissimum: id quod à nobis suprà libro 2. tract. 5. capite 1. prope finem admissum, atque probatum est: cæterum B. Dionysium non loqui de numero omnium perfectissimo, neque intendere, quod ad eius instar sit possibilis creatura omnium perfectissima: alias qua ratione numerus dualis finitè tantum ab vnitate distat, eáque duplo tantum imperfectior, & compositior est: ita similiter creatura illa perfectissima finite tantum à Deo distaret, eóque duplo tantum minus perfecta foret, quod ridiculum est. Igitur D. Dionysius intelligendus est de numero maximo, eiusque more creaturam maximam; & perfectissimam impossibilem asseruit. Et quidem si numerus binarius est omnium perfectissimus, sanè nullus numerus erit omnium imperfectissimus; eo enim imperfectiores sunt numeri, quo magis à dualitate recedunt: cum ergo nullus infinitè, & summè à dualitate recedat, certè nullus summè imperfectus erit: ergo etiam creatura summè imperfecta repugnabit: quando igitur aduersarij eadem ratione de creatura perfectissima, ac de imperfectissima philosophantur, sanè creatura etiam perfectissima repugnabit.

10. Secundò opponi potest ex Durando in 1. distinctione 44 numeros, & figuras non dicere naturam, siue substantiam rerum, sed earum modos siue accidentia; figura enim, inquit, est varia positio, numerus autem plurificatio indiuiduorum. Quare quod numerus omnium maximus repugnet, neutiquam arguit substantiam omnium maximam perfectissimam repugnare. Contra tamen primò, quia vbi accidens omnium maximum, ac veluti perfectissimum repugnet, vti solutio largitur: non video qua ratione substantia, siue essentia omnium perfectissima, & suprema possibilis esse nequeat. Contra secundo, numerorum variæ sunt species propriè tales, nimirum dualitas, trinitas, quaternitas, &c. sicut ergo nulla species numeri suprema, & maxima assignari nequit, vt solutio largitur, cur vlla alia species omnium perfectissima, & suprema admitti debeat. Tertiò opponi potest contra præfatam rationem ex Dionysio desumptam, omnium creaturarum possibilium collectionem esse numerum omnium maximum: quod enim si numerus sit, omnium maximum esse debeat, perspicuum est: quod verò numerus sit, suadetur: quia vt aliqua collectio numerus propriè sit, necesse non est, vt ea finita sit, vt constat ex Eccles. 1. capite ibi: *ſtultorum infinitus eſt numerus*, & 4. capite ibi: *infinitus numerus eſt populi*: quantumuis ergo collectio omnium creaturarum possibilium infinita sit, adhuc numerus appellari poterit. Contra tamen primò, quia saltem numerus finitus omnium maximus, & supremus repugnat: at id satis superque est, vt argumentum nostrum ex D. Dionysio desumptum concludat. Contra secundò, quia collectio infinita non nisi fusè, & impropriè numerus appellari potest: perinde enim est, collectionem aliquam infinitam esse, ac innumerabilem esse: infinitas ergo & numerus repugnant, eidémque conuenire non possunt: ergo collectio infinita creaturarum omnium possibilium numerus dici non potest: ac proinde numerus omnium maximus admitti hoc nomine non debet.

11. Secundò probatur nostra sententia, & superior ratio confirmatur: repugnat figura omnium maxima, & suprema: ergo & repugnat species creaturæ omnium maxima, & perfectissima. Consequentia videtur sine vllo discrimine. Antecedens suadetur, quia figura definitur, *quæ ſub aliquo, vel aliquibus terminis continetur* iuxta Euclid. libro 1. elem. def. 14. ergo omnis figura terminata, atque adeò finita est: ergo omnis figura ab alio maiori superari, & excedi potest: si enim figura infinita terminis ambitur: ergo extra illam plura spatia imaginaria superfluunt: ergo in iis alia figura fingi potest: cur ergo prior in iis extendi, & diffundi, maiórque effici nequeat? Quantumuis igitur figura aliqua infinita sit, non ob id maxima, & suprema erit: & quidem innumeris etiam figuris, in quibus quoad maximum terminum præscribi non posse hactenus ostensum est, omnes ferme aduersariorum rationes instantur, atque eneruantur.

12. Tertia ratio nostræ sententiæ est: quæuis creatura à perfectione Dei infinitè distat: ergo possibilis est alia creatura perfectior, & quæ magis ad perfectionem Dei accedat: ergo creatura perfectissima, & quæ alia perfectior esse nequeat, planè repugnat. Confirmatur primò, quia plus distat Deus à quauis creatura quantumlibet

quantumlibet perfecta, quàm ſol à formica, ſi fortè eam perfectione ſuperat: at ſol aliquod viuens perfectius formica generare valet: ergo & Deus producere creaturam perfectiorem quauis deſignabili. Confirmatur ſecundò, quia plus diſtat Deus infinitus ſimpliciter à quauis creatura, quàm linea infinita à linea finita: at linea infinita non eſt adeò perfectè imitabilis ab vlla linea finita, quin ab alia maiori perfectiùs imitabilis ſit: ergo nulla creatura adeò exactè Deus æmulatur, quin alia exactius æmulari poſſit.

13. Dices: tota collectio creaturarum etiam infinitè diſtat à Deo, Deúſque illam infinities perfectione ſuperat, & tamen inter collectionem creaturarum, Deúmque alia creatura interiici, à Deóue produci non poteſt, quia præter collectionem omnium creaturarum nulla alia creatura poſſibilis eſt: ergo ſimiliter, licet ſit inter creaturam quamuis deſignabilem infinita diſtantia; inde non ſequitur, Deum efficere poſt creaturam perfectiorem quauis deſignabili, vllámue creaturam ſupremam eſſe. Quare Aureolus apud Capreolum in 1. diſt. 47. inter Deum, & quamuis creaturam datur infinita diſtantia non ratione intercidentis medij, ſed per infinitatem alterius extremi: hoc eſt, non quod inter Deum, & quamuis creaturam infinitæ perfectiores interiici poſſint, ſed eo, quòd alterum extremum altero infinitè perfectius ſit.

14. Contra tamen ſic argumentor: collectio omnium creaturarum poſſibilium etiam collectiuè ſumpta, ideò infinitè diſtat Deo, quia inter eam diuiſiuè ſumptam, Deúmque infinitæ creaturæ perfectiores interponi poſſunt: nullàque creatura totius collectionis eſt, qua plures perfectiores à Deo produci non poſſint: qua ratione collectio aſſenſus, & diſſenſus etiam copulatiuè ſumpta eſt ens reale, quia ea collectio diuiſiuè ſumpta à parte rei produci poteſt, eſto copulatiuè, & ſimultaneè ſumpta produci nequeat. At inter creaturam perfectiſſimam, & Deum in nullo ſenſu alia creatura perfectior interponibilis eſt: ergo creatura illa perfectiſſima à Deo infinitè diſtare nequit. Deinde collectio creaturarum omnium poſſibilium omnes creaturas complectitur: mirum ergo non eſt quod extra eam quantumlibet finitam ſimpliciter, Deúmque in omni genere infinitum, & illimitatum, alia ea perfectior, Deóque imperfectior interiici nequeat. At creatura illa perfectiſſima omnes creaturas poſſibiles non complectitur: cur ergo cum finita ſit inter eam, Deúmque infinitum, & glorioſum alia perfectior interiici nequeat? Dices, quia alia perfectior non eſt poſſibilis: verum quid hoc aliud, quàm principium repetere, & concluſionem pro ratione aſſignare? Quod autem aiunt aduerſarij diſtantiam infinitam Dei à creatura quauis deſignabili non eſſe per modum intercidentis medij, ſed per infinitatem alterius extremi optimè refellitur à Caietano 1. part. quæſt. 24. in reſponſ. ad vltimum Aureoli: ſicut enim quantitas continua infinita nequit ſuperare infinitè quantitatem bicubitam; quin inter vtramque infinitæ quantitates maiores, & maiores interiici poſſint: ita ſimiliter fieri nequit, vt Deus per infinitatem ſui eſſe quamuis creaturam deſignabilem ſuperet, quin inter eum, & creaturam quamuis infinitæ creaturarum ſpecies perfectiores interiici poſſint.

15. Quarta ratio pro noſtra ſententia ſit: quia ex oppoſita ſententia ſequeretur, ſpecies creaturarum à Deo producibiles ſimpliciter finitas numero eſſe. Conſequens eſt abſurdum: ergo, &c. Minor à nobis cap. præcedenti probata eſt contra Scotum, & aſſeclas. Maior probatur, quia ſi datur creatura omnium perfectiſſima, eadem ratione danda eſt creatura omnium imperfectiſſima: id quod omnes aduerſarij fatentur: ergo ſpecies omnes creaturarum duobus terminis clauduntur, & finiuntur, nimirum ſpecie ſuprema, & ſpecie infima: ergo ſpecies creaturarum poſſibiles numero finitæ ſunt.

16. Reſpondent primò aduerſarij, infinitas ſpecies creaturarum duobus terminis claudi poſſe: qua ratione etiam in noſtra ſententia inter hominem & formicam ſunt poſſibiles infinitæ aliæ ſpecies; quarum nulla adeò perfecta ac homo, aut adeò imperfecta, ac formica ſit. Contra tamen: quia aut ſermo eſt de terminis mediatis, & quibus nulla pars intermedia, immediata, & proxima ſit, & hac ratione non inficior infinitum terminis claudi poſſe: ſic enim puncta ſunt termini mediati quantitatis continuæ quantumlibet infinitæ, nimirum quia nulla pars eius quantitatis alterutri puncto immediata eſt, ita vt inter eam & punctum alia pars minor interiecta non ſit: ſic etiam inſtantia temporis limites extremi, & mediati ſunt: ſic etiam Deus, & nihil creaturarum omnium poſſibilium termini cenſentur: aut ſermo eſt de terminis immediatis, quibus vtrinque partes interiectæ proximæ, & immediatæ ſunt: & hac ratione infinitum duobus terminis claudi poſſe implicat, vt apertè, niſi fallor, oſtendam tract. ſequenti. Vnde ſic argumentor: aut creaturæ perfectiſſimæ eſt immediata, & proxima alia minus perfecta, & imperfectiſſimæ alia magis perfecta, & ſic vltra: atque ita infinitæ creaturarum ſpecies terminis immediatis clauduntur, quod repugnat: aut creatura proxima perfectiſſimæ poſſibilis non eſt: & ſic à fortiori creatura Deo proxima, & immediata repugnabit, præſertim cum hìc omnes aduerſariorum rationes infringantur.

17. Reſpondent alij ſecundò; ſpecies creaturarum inæquales, & quæ linea recta à ſuprema creatura ad infimam deſcendunt, infinitas non eſſe ob rationem à nobis in argumento propoſitam: cæterùm ſpecies creaturarum perfectè æquales, & quæ à creatura ſuprema ad infimam recta linea non deſcendunt, ſed potius lineas tranſuerſales efficiunt, has, inquam, infinitas numero eſſe, nec oppoſitum à nobis falſitatis euinci, aut poſſe. Verum in primis, ſpecies diuerſas creaturarum inuicem æquales non repugnare adeò conſtans non eſt: & oppoſitum à Theologis non exigui nominis defenditur. Deinde implicat, Deum poſſe producere infinitos numeros æquales, v. gr. binarios, quin & infinitos numeros inæquales producere poſſit, quia infiniti binarij infinities inter ſe complicati infinitos numeros inæquales parere poterunt: ergo etiam implicat, Deum poſſe producere infinitas ſpecies æquales, quin etiam infinitas inæquales producere poſſit: ſiquidem in infinitis ſpeciebus æqualibus infinitarum ſpecierum inæqualium diuerſitas latere, & eminenter contineri poteſt: ſicuti proportione ſeruata in numeris cernere eſt. Rurſus, ſi ad ſpecies creaturarum exiſtentes, ex quibus non exiſtentium conditionem

venari possumus; si, inquam, ad eas respicias plures existunt inæquales, quàm æquales: imò de nulla specie existente alteri æqualem esse nobis constat: ergo etiam species possibiles inæquales plures, vel certè non pauciores erunt, quàm species æquales: cum ergo species possibiles inter se æquales iuxta aduersarios infinitæ sint; gratis id ipsum de inæqualibus inficiantur. Demum nostra sententia suadetur, quia creatura infima, & imperfectissima repugnat, vt lib. 2. tr. 5. c. 3. ostendi: ergo & creatura suprema, & perfectissima.

CAPVT III.

Soluuntur argumenta contraria.

18. OPpositam sententiam tuentur Henricus Gandau. quodl. 3. qu. 3. & quodl. quæst. 8. Durand. in 1. dist. 44. qu. 2. Scotus in 3. dist. 13. q. 1. Æsculanus 3. Phys. lib. 7. q. 3. Aureolus in 1. dist. 44. q. vnica art. 4. Bacan. ibidem qu. 1. art. 2. & nouissimè Arriaga dist. 13. sect. 3. Arguunt primò: si non daretur creatura omnium perfectissima, siue qua alia perfectior possibilis non esset, ab homine v. g. sursum possibiles essent species creaturarum perfectiores, & perfectiores in infinitum: consequens est absurdum: ergo, &c. Maior perspicua est. Minor probatur, quia si eiusmodi progressus in infinitum specierum possibilis esset, daretur aliqua species, quæ haberet sub se infinitas species: hoc autem repugnat, quia eiusmodi species esset infinitæ perfectionis, Deóque æqualis.

19. Verum respondeo primò: si quod aduersarij fatentur, detur creatura infima, ab ea infinitæ species creaturarum sese excedentium gradatim ascendere poterunt, quin ob id vlla species sit, quæ sub se infinitas contineat: haud secus ac ab vnitate progrediuntur numeri finiti maiores, & maiores sine fine; & tamen non est deuenire ad vllum numerum finitum, qui sub se infinitos numeros contineat: alias eiusmodi numerus finitus, & infinitus esset. Deinde respondeo, non solum aliquam creaturam possibilem, verum etiam quamuis existentem habere sub se infinitas creaturarum species se se gradatim excedentes; cum enim nulla creatura imperfectissima sit, vt lib 2. tract. 5. cap. 3. ostensum est: sanè nulla creatura erit, quæ infinitas species inferiores non sustineat: hinc autem minimè fit, creaturam vllam infinitam simpliciter, Deóue parem esse, quia infinitas cuiúsque creaturæ, qua alias infinitas superat, in aliquo tantum genere est, Dei verò infinitas in omni genere est, eo quod nulla sit perfectio, quam formaliter, aut eminenter non contineat, quod tamen supra conditionem creaturæ est: & præterea, quia infinita perfectio cuiuscunque creaturæ multis imperfectionibus admixta est, Dei verò infinita perfectio ab omni imperfectione defæcata est.

20. Arguunt secundò: sumpta tota creaturarum collectione, & sub vnum mentis aspectum posita non omnes creaturæ in ea contentæ excedunt ab alia creatura, quia præter omnes alia non est: ergo aliqua non exceditur ab alia creatura, hæc autem proculdubio perfectissima est. Antecedens exploratum est. Consequentia etiam perspicua videtur, quia *non omnis*, & *quidam*, siue *aliquis non* æquipollent, vt constat ex primò æquipollentium versiculo:

Non omnis, quidam non: omnis non, quasi nullus.

Respondeo: non omnes creaturæ collectiuè, siue copulatim sumptæ exceduntur ab alia ob rationem in argumento insinuatam; secus verò distributiuè, siue diuisiuè sumptæ: inde tamen non fit, aliquam non excedi ab alia. quia ly *omnis non*, & *aliquis non* tunc præcisè æquipollent, cum *omnis*, & *aliquis* seruata proportione sumuntur: cúmque sicut *quidam* diuisiuè accipitur, sic etiam *omnis* diuisiuè vsurpatur: quod hoc exemplo, vt aliis supersedeam, manifestè ostendo; quia non omnes partes albi copulatim, siue collectiuè sumptæ distinguuntur realiter, inadæquatè ab albo: & tamen inde fieri nequit, aliquam partem albi non distingui realiter inadæquatè ab albo. 21.

Arguunt tertiò: sumpta tota collectione creaturarum possibilium ab homine inclusiuè vsque ad Deum Opt. Maxim. vel in ea collectione est aliqua creatura, quæ ab alia non excedatur; & hæc suprema erit: vel nulla est, quæ ab alia non excedatur; & sic species excessæ in ea collectione contentæ plures erunt, quàm species excedentes in ea contentæ, & rursus non erunt plures: non erunt quidem plures; quia in ea collectione nulla est excessa, cui aliqua excedens non correspondeat; ergo excessæ non sunt plures, quàm excedentes: erunt deinde plures excessæ, quàm excedentes; siquidem nulla est excedens, quæ simul non sit excessa ab aliqua specie eius collectionis, aliqua verò est excessa, quæ non sit excedens speciem vllam eius collectionis, nimirum species hominis, quæ nec seipsam, nec alias superiores excedit: ergo species excessæ sunt plures, quàm excedentes. Respondeo, vnum infinitum non esse maius, quàm aliud, nec plures partes, quàm aliud sortiri potest, vt sæpè sæpius monuimus: quare etsi in ea collectione sit aliqua species excessa, & non excedens; nulla verò sit excedens, & non excessa: non propterea excessæ plures erunt, quàm excedentes. nec pauciores etiam; videlicet quia ambæ infinitæ sunt, eáque calculatio in solis collectionibus finitis concludere potest. Sic si duæ lineæ in Orientem, protendatur altera à puncto *A*, altera verò à puncto *D*. magis Orientali; non ob id vna erit maior alia, quantúmque in vna sint aliquæ partes, quæ non in alia: nimirum eæ, quæ puncta *A.B.C.* occupant: cuius ratio alia non est, nisi quia ambæ sunt infinitæ. 22.

Arguunt quartò: Deus proposita sibi ob oculos tota collectione creaturarum incipiendo ab homine; vnico ictu cognoscit, quæ creatura primam speciem (hominis v. g.) quæ secundam speciem, quæ tertiam, & sic vltra in infinitum excedat: ergo vsque eò progredi potest, vt cognoscat aliquam, quam alia non excedat, sibique immediata sit: alias cognitio Dei nunquam sisteret, aut ad scopum deueniret, sed semper in incertum tenderet. Respondeo. Deum in eo progressus intentionali nunquam sistere: nec mirum id est, cum in ipsis speciebus cognitis status non fit: ob id tamen dici nequit, diuinam cognitionem ad scopum sibi præfixum non deuenire, aut in incertum ferri: quia hæ locutiones denotant confusionem, & imperfectionem in diuina cognitione, quæ tamen ex eo progressu intentionali neutiquam colliguntur, sed potius summa 23.

perfectio,

perfectio,& claritas: nisi enim Deus infinitæ perspicaciæ esset,infinitas speciem cernere, & discernere non posset.

24. Arguunt quintò: Deus potest producere creaturam perfectissimam, quam potest; hæc propositio videtur per se nota, cum in ea prædicatum sit de ratione subiecti: demus ergo eam productam: aut est omnium creatura perfectissima, & ita intentum habetur: aut non est; & sic Deus non produxit perfectissimam, quam potuit, contra hypothesim. Respondeo: ea propositio non est per se nota, sed per se manifestè falsa: siquidem creatura perfectissima, quam Deus potest, chymæra, & impossibilis est, vt hactenus ostendimus: perinde ergo est dicere, Deus potest producere creaturam perfectissimam,quam potest; ac dicere, Deus potest producere chymæram: hæc autem propositio, Deus potest producere chymæram,manifestè falsa est: ergo & illa prior. Sed quid miror in his, & similibus argumentis refutandis, quæ in numeris, & lineis apertam instantiam patiuntur:& si cuius momenti sunt, certè probant, numerum finitum omnium maximum, lineámque finitam omnium maximam possibiles esse,vt intuenti constabit.

CAPVT IV.

Multitudinem creaturarum, siue corporearum, siue incorporearum etiam cathegorematicè infinitam à Deo produci posse probabilius est.

25. ITa Gregorius in 1. distinct.43. quæst.4. Bassolis. quæst.vnica art.2. Gabriel in 2. dist.1. q.3. Okam; Auicenna, Algacel, PP. Vasquez in 1. part. disp.26. Compton disput.46. Phys. sect.4. Hurtado disp.13. Phys Conimbricens. 3. Phys. c.8. Ircet ibidem oppositum probabile esse tueantur. Probatur assertio, primò: quia partes continui actu existunt: at hæ cathegorematicè infinitæ sunt, vt supra lib.3. fusè ostendimus: ergo multitudo entium cathegorematicè infinita actu existit, atque adeò existere potest. Secundò, quia collectio infinita hominum ea est, cuius quæuis pars (quoduis nimirum indiuiduum hominum) possibilis est; & etiam cuius quæuis pars cum alia quauis nullam incompossibilitatem, aut oppositionem habet: ergo ea tota collectio simul à Deo produci potest: aliàs etiam aliqua collectio finita hominum v. gr. simul à Deo produci non posset, esto quæuis eius pars possibilis esset, & nulla incompossibilis cum alia. Quod autem aduersarij respondent,aut certè possunt quamuis collectionis infinitæ partem esse compossibilem cum quauis alia, secus verò omnes;id de collectione aliqua finita hominum confingi posset. Tertiò probatur assertio: quia infiniti actus in infinitis instantibus, eodem tamen ac finito loco existere possunt, vt cernere est in pœnis,quibus damnatus in inferno æternum cruciandus est: ergo è contra infinita entia (homines v.gr. infiniti) in infinitis locis,eodem tamen ac finito tempore existere poterunt: Quartò: quia per scientiam simplicis intelligentiæ videt Deus possibilem multitudinem entium infinitam: ergo ea actu simul existere poterit. Antecedens cap.1. probatum est. Consequentia perspicua est: siquidem pleraque argumenta contra multitudinem entium simul existentem obiici solita, in eadem vt possibili instaurari,& eneruari possunt. Quintò demum probatur eadem assertio solutione argumentorum; ad quam progredior.

26. Prima ratio contraria est D. Thomæ 1. part. quæst.7. artic.4. omnis multitudo est in aliqua specie numeri: sed multitudo infinita in nulla specie numeri est, vtpote innumerabilis. Verum in primis hoc argumentum oppugnat multitudinem non solum cathegorematicè, verum etiam syncathegorematicè infinitam; cum tamen hanc D.Thomas non neget. Deinde minor argumenti falsa est, & non probatur. Secunda ratio est eius indidem; omne, quod producitur, cadit sub certam intentionem agentis: at infinitum ita cadere non potest: ergo,&c. Maior perspicua videtur. Minor probatur: quia certa intentio agentis est, qua tot, tantaque producere intendit: quod si non sub ratione totius, tantiue tendat, sanè non certa, sed potius incerta, sibique non constans eius intentio futura erit: at multitudo infinita hac ratione sub certam agentis intentionem cadere non potest, cum quanta, quotaue sit, designari nequeat. Verum huius etiam argumenti minor, minorisque probatio falsa est: siquidem vt aliquid cadat sub certam intentionem agentis, satis est, vt cadat sub determinatam voluntatem regulatam infallibili, & certa cognitione: qua quidem ratione infinitum sub certam agentis intentionem cadere potest: & quidem id quod infinitum est, & nec quotum, nec quantum, certæ tamen intentionis obiectum esse posse constat ex processione diuinarum personarum: siquidem vna persona illarum, aliam productura, hoc ipso eam producere intendit, quantumcunque naturaliter eam producat: at alia sic intenta infinita est, omnisque mensuræ expers.

27. Secunda ratio est Alexandri Alens. 1. part. quæst.2. memb.2. ad 3. Si Deus infinitum producere posset, sanè & posset producere omnia, quæ cognoscit possibilia: cuncta enim possibilia infinita tantum sunt, nec plura: atqui Deus omnia, quæ cognoscit possibilia, producere simul non potest: aliàs eius exhauriretur omnipotentia: nihil enim aliud faciendum superesset. Respondeo: in primis quamuis Deus infinitum producere possit, non ob id poterit producere cuncta possibilia: aliud enim est, posse producere simul & semel (vt aiunt) aliquod infinitum: aliud posse producere omne infiniti genus; nec illa duo reciprocantur. Deinde esto Deus producat simul omnia, quæ possibilia videt, id intelligendum est de iis, quæ simul possibilia sunt; secus verò de iis, quæ non simul, sed successiuè possibilia sunt: quare productis à Deo omnibus, quæ simul possibilia videt,eius omnipotentia exhausta non esset, vtpote cui infinitæ durationes successiuæ supereressent producendæ, necnon infiniti actus odij, & dissensus; si prius solos amoris, & assensus actus produxisset: supponatúrque, prout à plerisque aduersariis supponitur, repugnare essentialiter, vt quis simul amet, & oderit, assentiatque, & dissentiat. Rursus si Deus omnia possibilia nullo excepto produceret, nihilque ei producendum restaret, non ob id ex-

hausta esset eius omnipotentia : quia scientia Dei quamuis cognoscat quidquid est cognoscibile, nihilque ei cognoscendum supersit, non propterea exhauritur : ergo similiter in præsenti, &c. Præterea quod Deus in eo euentu nihil amplius producere posset, non ex defectu potentiæ in Deo, sed ex incapacitate obiecti proficisceretur: sicut quod Deus chimæram producere nequeat, non ex defectu diuinæ omnipotentiæ, sed ex repugnantia chimæræ oritur : ergo sicut quod Deus chimæram producere non possit, nullius in eo imperfectionis indicium est : ita similiter quod Deus in eo euentu nihil amplius operari posset, eius potentiam imperfectam, exhaustamve esse non concluderet. Vlterius quanquam Deus nihil in eo euentu de nouo producere posset, tamen quæ produxit destruere, & reproducere, aut non destructa conseruare posset: at non maius est, rem de nouo producere, quàm eam destructam reproducere, aut ne destruatur, continuo conseruare : ergo omnipotentia Dei in eo euentu exhausta non esset. Tandem : si quod Deus in ea hypothesi nihil de nouo producere posset, eius omnipotentiam exhaustum iri argueret ; sanè de facto eius omnipotentia diminuta, & non tam latè patens, quàm antea dici deberet : siquidem de facto nequit tantundem producere de nouo, quantum anteà ; eo quod partes vniuersi existentis produci non possint de nouo ; sicut, antea quam existerent, produci poterant.

23. Tertia ratio contraria aliorum est : quia si infiniti homines à Deo producti habeant infitos lapides, singuli nimirum singulos, eósque in aceruum proiiciant ; duo profectò exinde sequentur inconuenientia. Primum est, si quisque lapidem suum resumat, aceruum illum exhaustum, & non exhaustum iri : exhaustum quidem iri, quia nullus supereesset lapis : non exhaustum iri, quia infinitus est : quod autem est infinitum, nequit exhauriri. Secundum inconueniens est, quemuis hominum illorum posse, & non posse resumere ex eo aceruo denos lapides : posse quidem, quia si singuli proiicerent denos lapides, singuli denos resumere possent : at aceruus nihilo minus infinitus est, quàm si deni lapides à quouis proiecti essent : ergo ex eo aceruo quisque denos lapides posset resumere: non posse quidem, quia si singuli singulos tantum lapides, quos posuerunt, resumerent, aceruus exhauriretur, nullusque in eo lapis remaneret : at si singuli denos lapides resumere ex aceruo possent, sanè accipiendo singulos tantum, aceruus minimè exhauriretur, sed potius infiniti in eo lapides remanerent : ergo singuli denos lapides resumere non possent : aut aliter, si singuli denos lapides accipere possent, quisque haberet plures lapides quàm antea, vt perspicuum est, & non plures, quia eosdem lapides, quos antea, nullúmque alium haberent.

24. Respondeo ad primum inconueniens ; in hypothesi argumenti, aceruum lapidum præcisè exhaustum iri. Quod autem infinitum sit, non obstat : quia infinitum ablatione infiniti exhauriri valet ; solaque finiti ablatio est, quæ illud non potest exhaurire. Ad secundum inconueniens dicendum est : in eadem hypothesi singuli singulos tantum lapides resumere possent, si vti supponitur ; omnes resumerent. Quod autem ille aceruus non sit minor, quam si singuli denos lapides proiecissent ; in quo tamen euentu quisque denos resumere posset : hoc, inquam, non obstat : quia licèt vterque aceruus infinitus sit, atque adeò vnus alio maior, aut minor non sit ; tamen in vno aceruo sunt infiniti lapides, qui in alio non sunt : quod sufficit, vt ex vno aceruo singuli resumere non possent, nisi singulos lapides, quos posuerunt ; ex alio verò denos, quos proiecerunt. Tandem plura argumenta congeri solent, quæ eo tendunt, vt ostendant, infinitam multitudinem infinitum locum occupare non posse ; atque adeo omnino impossibilem esse : si enim possibilis esset, infinitum locum occuparet, aut certè posset. Verùm in primis hæc argumenta multitudinem rerum spiritualium, in eodem loco naturaliter penetrabilium impossibilem esse non conuincunt : deinde neque multitudinem rerum materialium repugnare neutiquam persuadent ; cum etiam hæ in eodem loco diuinitus penetrari possint. Rursus infinitam multitudinem infinito loco collocatam non implicare tract. sequenti fusè ostendam.

TRACTATVS IV.

De infinitate corporis naturalis, aliarumve etiam rerum quoad extensionem localem.

CAPVT PRIMVM.

An corpus aliquod simpliciter infinitè extendi possit quoad locum, & tamen duobus terminis claudi?

1. NON posse, contra P. Arriaga disp. 13. physicor. sectione 1. & alios Recentiores, censeo, & probo. Si possibilis esset dimensio aliqua corporea, locum simpliciter, ac versus maximum infinitum occupans, & tamen duobus terminis clausa ; sanè posset Deus creare triangulum, à cuius puncto pyramidali ad eius basim esset infinita distantia. Fac ergo tale triangulum existere, & in eo duci iuxta punctum pyramidale lineam vnius palmi, & postea lineam duorum palmorum, mox lineam trium palmorum, deinde lineam quatuor palmorum, & sic in infitum vsque ad lineam vasis pyramidi oppositam ; ita vt nulla linea aliam sibi immediatam nisi vno palmo superet. Quo posito, sic argumentor : basis eius tranguli est infinita, vt aduersarij supponunt, & de se perspicuum est, eo quod excedat lineas infinitas ; quarum quæuis alia maior est : linea etiam proxima basi, siue penultima infinita est, cum à basi infinita solùm vno palmo excedatur : eadem ratione linea antepenultima infinita erit, & sic de aliis anterioribus in infinitum : deinde lineæ à puncto pyramidali inchoantes finitæ sunt : ergo iam à lineis finitis ad lineas infinitas fit transitus in eo triangulo: ergo

ergo est assignare aliquam lineam finitam, & etiam aliquam lineam infinitam; à quarum vna ad aliam immediate fiat transitus: aliàs qua ratione à finitis ad infinitas immediata progressio esset: cum ergo nulla lineam aliam sibi immediatam, & proximè anteriorem excedat nisi vno palmo sequitur, lineam aliquam infinitam excedere finitam vno solo palmo: atque adeò finitum additione finiti fieri infinitum. Consequens autem est manifestissimè absurdum: ergo & illud ex quo sequitur.

2. Confirmatur, & declaratur: lineæ finitæ à pyramide eius trianguli incipientes, triangulumque secantes, quamuis sunt numero infinitæ, non possunt non claudi terminis; nec non habere primam lineam finitam, v nius videlicet palmi, & vltimam etiam finitam: si enim iuxta aduersarios lineæ finitæ, & infinitæ eius trianguli terminis clauduntur: ergo à fortiori solæ lineæ finitæ; præsertim cum earum numerica infinitudo in contrarium ob esse non possit: at vltima linea finita eius trianguli post quam immedietate sequitur linea infinita, ab ea vno solo palmo superatur: ergo linea finita vno solo palmo superatur à linea infinita, & additione vnius palmi infinita euadere poterit.

3. Secundò probatur nostra sententia: quantitas successiua simpliciter infinita duobus terminis claudi non potest, nec primum, & vltimum sortiri: ergo nec quantitas infinita permanens. Consequentia perspicua est: antecedens suadetur: quantitas successiua durationum, quibus Iudas cruciandus est, claudi nequit duobus terminis, videlicet prima duratione, & vltima duratione cruciatuum eius, vt fide sanctum est: non alia ratione nisi quia simpliciter infinita est. Tertiò probatur eadem sententia: quantitas discreta, siue numerica simpliciter infinita duobus terminis coerceri, aut primam, & vltimam vnitatem sortiri non potest: ergo, &c. Antecedens manifestum est: aliàs cur numerus millenarius simpliciter infinitus non sit, esto prima vnitate, & vltima cohibeatur. Quartò tandem suadetur nostra, ac verior opinio: quia (vt aliorum Patrum testimoniis supersedeam) ei aperte suffragatur Tertullianus in lib. contra Hermogenem, vbi materiam existentem loco determinato, siue terminis, atque extremis clauso infinitam esse negat, in hæc verba: *Subiacentem facis Deo materiam, & vtique locum illi, qui sit infra Deum. In loco ergo materia: si in loco, ergo intra locū: si intra locum, ergo determinatur à loco, intra quem est: si determinatur, habet lineam extremam, quam, quantum propriè pictor, agnoscis, finem esse omni rei, cuius linea extrema est: non ergo erit infinita materia, quæ dum in loco est, à loco determinatur, & dum determinatur ab illo extrema eam linea potitur.* Hactenus ille.

4. At enim Arriaga, & cæteri aduersarij obiiciunt primò; species creaturarum inter hominem, & lapidem v.g possibiles esse infinitas: & tamen duobus terminis clauduntur, homine scilicet, & lapide: hic enim, quia omnium imperfectissimus est inter eas primus est; & ille vltimus, quia perfectissimus: quis autem neget, primum; & vltimum quatenus talia terminos esse, atque extrema? Similiter ergo in præsenti, &c. Secundò: producat Deus virgam infinite longam versus Orientem, & versus Occidentem finitam, eamque diuidat, ac portionem infinitam ab ea auferat: siquidem infinitum diuidi potest in duo infinita, quæ simul sumpta maius infinitum sint, quàm quodlibet eorum seorsim acceptum: sane eiusmodi portio abscissa, non obstante eius infinitate, claudetur duobus terminis, quos vltra, citraque nequeat consistere: habebit enim versus Occidentem punctum determinatum, à quo incipit, vt supponitur: deinde & versus Orientem punctum, in quo finiatur, & vltra quod nullum aliud sit, nempe id, quod cum cæteris virgæ partibus vnionem amisit continuatiuam, siue, in quo facta est virgæ diuisio in duas partes infinitas.

5. Tertiò arguunt; & eodem fere redit. Potest Deus intensionem aliquam versus maximum infinitam in eodemque loco, & subiecto penetratam diuidere in duas medietates. Claritatis ergo gratia prioris medietatis gradus sint heterogenei; certe in ea erit primus, & vltimus gradus, adeoque duobus terminis claudetur: primus, vti supponitur: vltimus, nempe ille, à quo cæteri sunt ablati. Et tamen eiusmodi medietas est infinita: constat enim dimidium infiniti non posse non esse infinitum: alioqui infinitum resultare posset præcisè ex duobus finitis, vno scilicet, & altero dimidio suo. Quidni ergo similiter possibilis sit extensio versus maximum infinita, infinitumque locum occupans; & tamen duobus terminis coerceita. Quartò iuxta Aristotelicam de compositione continui sententiam, in ligno bipalmari v. g. sunt infinitæ partes, omnesque inter duo puncta terminatiua collocatę: cur ergo magnitudo habens infinitos palmos v.g. nequeat duobus terminis includi.

6. Quintò arguunt: eiusmodi magnitudo si daretur, non omnes eius partes collectiuè sumptæ haberent aliam post se, versus Orientem v. g. quia præter omnes non est alia: ergo aliqua earum non haberet aliam post se versus Orientem, adeóque magnitudo, quę omnibus constaret, terminum versus Orientem haberet: eadem ratione probari potest, & quod eũ haberet versus Occidẽtẽ. Talis ergo magnitudo versus maximum infinita, & infinito loci spatio commensa, ac nihilominus vtrinque terminata non repugnat. Sextò denique arguunt contrarij: quia ad infinitum verè tale sufficit, vt successiue nequeat percurri, aut finiri: non ergo quod versus locum terminos minimè sortiatur: eos ergo poterit sortiri.

7. Sed ad primum respondeo, hominem, & lapidem esse terminos non immediatos, sed mediatos infinitarum specierum possibilium vtrumque interiacentium, vt explicatum, ac probatum à nobis est cap. 2. huiusmet tract. in 4. rat. At in præsenti quæstio est de terminis immediatis: idest de palmis, v. g. quorum primus, & ex vna parte terminans, habeat immediate post se secundum, & hic tertium, & sic vltra in infinitum: pariterque vltimus ante se penultimum, & hic ante se alium, & sic vlterius sine fine. Secundum argumentum contrarium falsò supponit, vnum infinitum esse propriè maius alio: nec minus, falso, quod possit virga versus Occidentem finita, & termino aliquo clusa, stante quidem eadem positione partium diuidi in duas quantitates, siue portiones infinitas; euidens enim est, vbicumque fiat eius scissio, atque diuisio, eius vi non quantitatem infinitam, sed finitam ab infinita

abſcindi debere. Haud tamen propterea negauerim, virgam illam aliter collocatam, ac verſus, Orientem, & etiam Occidentem ſine fine productam poſſe in duas partes infinitas diſſecari: de quo infrà.

8. Ad tertium argumentum ſimiliter negandum eſt, intenſionem infinitam in duas medietates infinitas poſſe diuidi, ad modum, quo intenditur ab aduerſariis. Adde, quod medietas vna, & altera denotent diuiſionem æqualem: at nihil magis repugnans aut in intelligibile, quã intenſionem verſus maximum infinitam diuidi poſſe in partes æquales, huiuſmodi enim diuiſio in medio rei diuiſæ fieri debet: at in illa intenſione non daretur medium: hoc ſiquidem eſt, quod æqualiter diſtat ab extremis: in præfata autem intenſione non eſſent duo extrema, ſed vnum, vt ſupponitur. Ad quartum argumentum dicendum eſt, partes infinitas continui bipalmaris v. g. eſſe partes proportionales, & indeterminatas: at impræſentiarum de ſolis partibus infinitis determinatis, ac non proportionalibus diſputari, an poſſint duobus terminis verſus locum claudi.

9. Quintum argumentum contrarium in eo peccat, quod iuxta illud magnitudo verſus maximum infinita, infinitumque locum occupans, non tantum poſſet, ſed etiam deberet vtrinque terminos, quibus clauderetur, habere: Sequela eſt euidens: conſequens autem vel iuxta ipſos aduerſarios falſum. Deinde, quod effici non poſſit aliquam magnitudinis infinitæ partem non habere aliam poſt ſe, ex eo, quod omnes eius partes aliam poſt ſe non ſubſtineant; alterum, inquam, horum ex altero non effici in ſimili demonſtratum eſt à nobis ſupra. cap. 3. huius tractatus: ibique breuiter oſtenſum, quo pacto intelligenda ſit communis illa Dialecticorum de æquipollentiis agentium regula: *non omnis, quidam non.*

10. Ad poſtremum argumentum aduerſariorum reſpondeo; ita quidem rem ſe habere, vt ſi aliquid non poſſit ſucceſſiuè pertranſiri, ac finiri per infinitas partes determinatas æternitatis, eo ipſo ſit infinitum verſus maximum, locumque infinitum occupare poſſit, at vndi probant aduerſarij, quod ita verſus durationem non habet terminum, illud tamen eum habere poſſe verſus locum. Quemadmodum infinitæ partes determinatæ æternitatis non poſſunt claudi duobus terminis, ac propterea efficiunt, vt in iis nullum infinitum verè tale poſſit ſucceſſiuè percurri, ac finiri: cur etiam infinitæ partes determinatæ loci non debeant carere primo, & vltimo, terminoſque, quibus cohibeantur, reſpuere. Quod ſi reſpuunt, hoc ipſo repugnabit magnitudo illa localiter in infinitum protenſa; & tamen duobus terminis clauſa: id enim eſſet, locum, quem occuparet, terminis claudi, quantumuis haberet infinitas partes determinatas: quo tamen nihil abſurdius.

CAPVT II.

Magnitudinem corpoream infinitè ſimpliciter extenſam quoad locum non repugnare verius eſt.

ITa Okamus, Gabriel, Gregorius, Baſſolis, Auicenna, Algazel, Vazquez, Hurtado, & Conimbricenſes atque Compton. tract. præced. c. 4. à nobis citati. Quibus adde Maironium in 2. diſt. 9. quæſt. 1. Alliacenſ. ibid. diſt. 42. quæſt. 13. art. 3. Holchot diſt. 9. quæſt. 2. art. 5. Argentin. diſt. 1. quæſt. 2. art. 2. Adam. in 3. diſt. 14. quæ. 10. art. 2. dub. 2. Almain ibid. diſt. 10. quæſt. 1. Maiorem in 1. diſt. 44. quæſt. 3. ac noſtrum Arriaga diſp. 13. phyſic. ſect. 4. Suadetur autem hæc ſententia, quam vt veriorem amplexus ſum: primò à paritate multitudinis, ſiue quantitatis diſcretæ, ſimpliciter, atque cathegorematice infinitæ, quam poſſibilem eſſe ſupra oſtendi: ſecundò à paritate durationis, ſiue quantitatis ſucceſſiuæ, & continuæ, de qua etiam infra conſtabit, quod ſit poſſibilis infinita: tertiò denique à ſolutione argumentorum, quæ nobis communiter obiiciunt aduerſarij: qui quidem plurimi ſunt, & valde graues, vt videre eſt apud Balthaſarem Tellez diſp. 31. & Phyſ. ſect. 1. concluſ. 4. 11.

Primum ergo argumentum contrarium eſt: B. Thomæ 1. part. quæſt. 7. art. 3. & ſic habet: omne corpus aut eſt naturale, ideſt: conſtans materia, & forma, aut mathematicum, ideſt conſtans materia, & ſola quantitate: at vtrolibet modo conſideretur corpus, repugnat infinitum eſſe: forma enim ſubſtantialis expoſcit determinata, & finita accidentia, atque adeo determinatã, finitamque quantitatẽ, quæ formæ ſubſtantialis corporeæ magis neceſſaria, magiſque vniuerſalis proprietas eſt: igitur corpus naturale forma ſubſtantiali conſtans finitam quantitatem ſibi vendicat, atque adeò in infinitum protendi nequit. Deinde, corpus mathematicum, ſiue quantum repugnat ſine forma mathematica, qua mathematicum denominetur: at forma mathematica corporis eſt figura: ergo repugnat corpus mathematicum ſine figura: at ſi daretur corpus mathematicum infinitum, illud figura careret; ſiquidem omnis figura terminis comprehenditur: corpus autem infinitum eo ipſo interminatum, illimitatumque eſt. 12.

Verùm hæc ratio in primis falſo ſupponit, corpus naturale materia, & forma conſtare; cum probabilius ſit, corpus naturale ſubſtantialiter ſimplex non repugnare, vti ſupra lib. 3. tract. 2. oſtendimus: deinde falsò etiam ſupponit, formam omnem ſubſtantialem finitam quantitatem expoſcere: cur enim forma ſubſtantialis infinita, & ſine termino protenſa infinitam quantitatem poſtulare nequeat. Rurſus perperam ſupponit corpus mathematicum, ſiue quantum vendicare ſibi pro forma figuram: cum potius eius forma ſit quantitas, ſiue hæc terminis cohibeatur, ſiue non. Et quidem corpus quantum abſque vlla figura, vllisue terminis mathematicum dici poſſe, & à mathematicis conſiderari conſtat ex Euclide lib. 1. petitione 4. vbi corpus poſſe eſſe maius, & maius in infinitum; ac proinde ſaltem ſyncathegorematicè interminum, & expers figuræ ſatis 13.

perſpicuè

perſpicuè tradit. Tandem, eſto figura ſit forma corporis mathematici;certè abſque ea diuinitus eſſe poterit : haud ſecus ac materia prima ſine forma phyſica, & ſubſtantiali ſupernaturaliter produci ſuſtinet.

14. Secundum argumentum eſt eiuſdem B. Thomæ vbi ſupra: fundamentumque habet in Ariſtotele 1. de cœlo cap. 5. Si daretur corpus infinitum, illud eſſet, & non eſſet mobile; quæ contradictoria ſunt: eſſet mobile, quia eſſet corpus naturale conſtans materia, & forma; atque adeò mobile, cum natura ſit *principium motus, & quietis*, &c. Non eſſet mobile, quia neque motu recto moueri poſſet; motus enim rectus poſtulat terminum *à quo*, & terminum *ad quem*, quorum hic acquiratur, & ille deſeratur: at corpus infinitum terminum *ad quem* de nouo acquirere, aut terminum *à quo* deſerere non poſſet, eo quod mole ſua *omnẽ locum* occuparet: deinde motu circulari corpus illud cieri non poſſet: quia cum corpus motu circulari mouetur, ex lineis, quæ ab eius centro ducuntur, vna ad alterius locum peruenire debet; vt videre eſt in radiis alicuius rotæ in orbem volutæ; quorum vnus alteri ſuccedit : at ex lineis corporis infiniti circulariter moti neutiquam vna ad alterius locum deuenire poſſet : ergo corpus illud circulariter, ſiue in orbem moueri non poſſet. Minor probatur: quia quò magis lineæ à centro ductæ ab eo diſtant, eo magis inter ſe diſtant, vt conſtat ex Euclide lib. 3. prop. 26. & experientia ipſa apertè teſtatur : at lineæ à centro, aut quaſi centro corporis infiniti ductæ, ab eo in infinitum porrigerentur : ergo inter ſe infinitè diſſitæ eſſent, atque adeò nunquam per motum vna ad alterius locum deuenire poſſet : aliàs diſtantia infinita finito tempore, motuque horæ v.g. percurri tranſirique ſuſtineret.

15. Reſpondeo in primis, corpus naturale, ſiue mobile, non in ordine ad ſolum motum localem, ſed in ordine ad quemuis alium, ſiue latio, ſiue alteratio, ſiue alia quæuis materialis mutatio ſit, dici poſſe: quare corpus illud infinitum, quantum libet localiter immobile, naturale tamen, ac ſimpliciter mobile eſſe poſſet. Deinde; vt corpus aliquod mobile, & naturale ſit ſatis eſt, vt quoad ſingulas ſuas partes principium motus, & quietis in ſe habeat : atqui corpus infinitum quoad ſingulas partes finitas moueri poſſet, eſto quoad omnes collectiuè ſumptas ſimul mouere nequiret: quoad ſingulas inquam, partes in ſenſu diuiſo aliarum ab aliis, aut ſi aliæ ſine aliis exiſterent. Rurſus fac corpus illud eſſe infinitæ longitudinis verſus Orientem, & Occidentem, & latitudinis finitæ; ſanè eſto ab Oriente in Occidentem, aut ab Occidente in Orientem cieri non poſſet tamen ab auſtro ad aquilonem, & ab aquilone ad auſtrum moueri motu recto poſſet: ergo abſolutè mobile localiter eſſet. Præterea, eſto, eſſet finitæ longitudinis verſus Occidentem, & infinitæ longitudinis ſolùm verſus Orientem; ab Orienti tamen in Occidentem motu recto moueri poſſet, vt inferius hoc ipſo capite oſtendam. Tandem corpus illud, eſtò quaqua verſus infinitum eſſet, nullumque locum non occuparet, motu circulari moueri poſſet : quanquam enim nullæ lineæ ab eius centro deductæ collectim ſumptæ ſibi inuicem quoad locum ſuccederent, nullaque ſecundum ſe totam alterius locum occuparet ob infinitam earum diſtantiam : cæterum vna linea diuiſim ſumpta ad alterius locum deuenire poſſet; cum enim quæuis pars lineæ *A.* v.g. à centro illius corporis infiniti finitè diſtaret : ſanè à quauis parte lineæ *B.* finitè tantum duraret; & proinde quæuis vnius lineæ pars ad alterius locum per motum deuenire poſſet; ac per conſequens tota vna linea diuiſim ſumpta ad locum alterius etiam diuiſim ſumptæ accedere poterit. Quod autem quæuis pars cuiuſuis lineæ à centro corporis infiniti finite tantum diſtaret, eſto ipſa linea collectim ſumpta à centro infinitè diſtaret, ex eo perſpicuum eſt: quia ab inſtanti A. reliquorum in infinitum ſubſequentium collectio, ſiue æternitas infinitè diſtat, & tamen nullum inſtans totius æternitatis ab inſtanti A. infinitè diſtat : aliàs æternitas, & inſtantium infinita collectio duobus terminis coërceretur. Atque ex his conſtat, ſingulas partes corporis infiniti in ſenſu compoſito aliarum circulanter moueri poſſe in aliquo tempore, quin in eo tota partium collectio circulariter moueatur.

16. Tertium argumentum eſt Bonauenturæ in 1. diſt. 43. Si daretur corpus infinitæ magnitudinis, illud eſſet actus purus : at eſſe actum purum eſt proprietas, ac prærogatiua ſolius Dei, quippè qui ſolus omnis potentialitatis expers eſt, cum interim omnis creatura ſit in potentia ad aliquid. Maior probatur: quia corpus infinitum non eſſet potentia ad aliquid, nihilque ei addi poſſet; aliàs finitum eſſet: ergo actus purus non eſſe non poſſet. Verùm hæc ratio nihil concludit : nam Deus eſt actus purus, quia non eſt propriè in potentia ad aliquid : corpus autem illud eſſet in potentia ad plura, nimirum ad non eſſe; ad plura eſſe accidentaria, quibus immutari poſſet; ad formam ſubſtantialem infinitè protenſam, qua compleretur; ad ipſius corporis partes, quarum vna alias intrinſecè poſſet non complere, aut immutare : ac demum ad nouas partes, quæ ei à Deo ſuperaddi poſſent: quamuis enim infinitum eſſet, non ob id additamenti incapax eſſet: qua ratione Deus productis infinitis hominibus albis infinitos nigros eis poteſt ſuperaddere.

17. Quartum argumentum proponitur à Richardo in 1. diſt. 43. quæ. 5. Producat Deus lineam infinitam verſus Orientem, & verſus Occidentem : linea iſthæc quacunque diuidatur, in duas partes æquales diuidetur : quia ſi vna eius diuiſæ pars alteri ſupponatur, neutra alteram excedet : nec enim verſus eam partem, qua facta eſſet diuiſio; cum ibi duo extrema vtriuſque ſupponantur, alterum alteri : nec etiam verſus aliam partem vna aliam excedet; cum verſus aliam ambæ extremis careant : ſcienter ergo duo puncta in ea linea *A.* videlicet, & *B.* ſanè pars illius lineæ per *A.* ad *B.* æqualis erit parti eiuſdem lineæ à *B.* & vltra, ob rationem nuper propoſitam. Deinde pars lineæ vſque ad *A.* tantum, & non vltra eſt æqualis parti lineæ, quæ à *B.* incipit, & in infinitum protenditur : at quæcumque ſunt æqualia vni tertio, ſunt æqualia inter ſe: ergo pars illius lineæ per *A.* ad *B.* & pars etiam illius ad *A.* tantum æquales inter ſe erunt : cum ergo ex his poſtremis altera in altera contineatur, ſanè pars æqualis toti non eſſe poterit.

18. Verùm hæc ratio nihil concludit; ſupponit enim vnam partem infinitam lineæ alteri etiam infinitæ æqualem eſſe; quod omnino falſum eſt, cum æqualitas, & inæqualitas totius quantitatis finitæ

finitæ sint passiones:& quamuis vna pars infinitæ eius lineæ altera etiam infinita maior, aut minor non sit,eamque nec excedat,nec ab ea excedatur inde tamen non sequitur, vnam alteri æqualem positiuè esse : vt enim ait Aristoteles 10. Metaphys.*non omne est æquale,quod non est maius, aut minus* : idque in rebus tantum finitis locum habet ; secus vero in infinitis, quæ & maius,& minus æquale , & inæquale neutiquam suscipiunt. Ita respondet Richardus vbi supra.Cui addiderim, esto gratis admittatur,partem infinitam esse æqualem toti infinito , nihil id inconuenientis habere : solamque æqualitatem partis, & totius in rebus finitis repugnare: siquidem persona Filij ad collectionem trium personarum comparatur,tanquam pars ad totum , siue contentum ad continens : at persona Filij est æqualis in quantitate perfectionis essentialis collectioni trium personarum, in qua continetur. In rebus autem creatis , & finitis partem alicuius collectionis æquare in quantitate perfectionis essentialis totam collectionem planè repugnat.

19. Quartum argumentum,illudque difficillimum à Gregorio in 1.dist.34. quæst.4.art.2.& P.Vazquez.1.part.disp.26.c. 8. aliisque in hunc fermè modum proponitur. Creet Deus longitudinem infinitam versus Orientem , solum, eamque alternatim albam , & nigram:ita vt primo palmo nigra sit,secundo alba,tertio nigra,quarto alba,& sic in immensum : deinde secernat Deus partes albas à nigris , & nigras versus Orientem,sicuti antea continuet , vel per motum, vel sine motu; albas verò versus Occidentem in infinitum etiam protendat, ita vt à prima parte nigra albæ incipiant:sanè in hoc euentu aut longitudo partium albarum duobus terminis claudetur , aut eadem longitudo ex albis , nigrisque coalescens absque vlla additione , aut rarefactione modò spatium infinitum versus Orientem solum;modò infinitum versus Orientem , & Occidentem occupabit;quod aperte videtur repugnare.

20. Respondeo cum P.Vazquez vbi suprà,admissa sequela argumenti. Consequens autem absurdum non esse tripliciter explano : primò , quia quod longitudo illa modò occupet spatium infinitum versus Orientem solum, modò vero spatium infinitum versus Orientem,& Occidentem; non arguit eam occupare modò maius,modo minus spatium ; quia cum verumque spatium est infinitum,neutrum aliò propriè maius,aut minus esse potest : hæ enim relationes,in infinito locum non habent, vti supra non semel edocui.Secundò,quod eadem longitudo modo protensa versus Orientem,modò versus Orientem , atque Occidentem occupet spatium,quod antea, & vlterius infinita alia spatia;idque absque rarefactione,aut absque eo , quod aliqua eius pars in duobus locis collocetur:hoc inquam,inconueniens non est, quia spatium imaginatiũ propriè non occupatur, nec potest. Et quamuis de spatio imaginario finito loquendum sit perinde, ac si aliquid reale esset , aut verè occupari posset;quia alias per ordinem ad illud rerum distantiam,& indistantiam, situm,& posituram metiri non possemus : fortassis tamen de spatio imaginario infinito omnis mensuræ incapaci necessario ita loquendum non est.

21. Tertiò:siue spatium imaginatium propriè occupetur,siue non:sanè eadem magnitudo infinita sine rarefactione,aut,condensione, & absque eo, quod vna illius pars iam in vno , iam in duobus locis sit eadem , inquam,modo aliquod spatium infinitum,modo illud ipsum,quod antea,& aliud spatiũ vlterius occupare poterit:siue,quod perinde est nostro more loquendi , & concipiendi, modò maius, modò minus spatium occupare poterit:ergo longitudo illa in argumento proposita modò versus Orientem , & versus Occidentem in immensum protendi potest. Antecedens suppositis nostræ fidei principiis euidenter demonstro:siquidem collectio pœnarum Iudæ incipiens ab instanti *D.* toti æternitati à parte post commensuratur;sumo eandem collectionem infinitam pœnarum nulla addita, & rogo:an si inciperet ab instanti *A.*quod instanti *D.*tribus instantibus inclusiuè anterius est;an , inquam, omnia instantia æternitatis ab instanti *A.* inclusiuè adæquaret, vel non. Si primum:ergo eadem collectio pœnarum sine vlla additione , aut rarefactione, modò maius,modò minus instantium occupat , & adæquat:cur ergo de quantitate permanẽti idem dici nequeat. Si secundum:ergo collectio illa pœnarum Iudæ ab instanti *A.*inchoans ad aliquod æternitatis non pertingeret , in eoque finiretur : ac proinde infinita esset : aut infinitum duobus terminis claudi posset, quod supra repugnare demonstratum est.

22. Quintum argumentum à P. Hurtado vbi supra proponitur. Creet Deus longitudinem infinitam vtrinque , videlicet versus Orientem , & versus Occidentem : eamque diuidat, qua supra telluris centrum pergit, eique perpendiculariter respondet:duosque palmo,ex ea abscindat. Rursus , Deus partes illas reliquas moueat, alteram ab Oriente ad Occidentem,alteram vero ab Occidenti in Orientem ; ita vt ambæ immediatè se tangãt; aut si mauis,continuentur:sanè in hoc euentu linea illa post interruptionẽ, aliquarumque partium abscissionem;iterum sibi commissa, & reuincta non poterit non amittere spatium aliquod versus Orientem,& versus Occidentem: quia aliàs maius spatium,quàm antea occuparet, quod omnino falsum est,vt supponitur:tum etiam quia ab Oriente in Occidentem , & contrario penes aliam , aliamque sui partem mouetur : quando igitur motus omnis terminum *à quo*, & terminum *ad quem* postulat , certè non poterit longitudo illa versus Orientem , & versus Occidentem spatium aliquod non amittere : quo fiet, vt quantumuis infinita sit duobus terminis eo in euentu claudatur:quod tamen repugnare , supra euidenter,ni fallor,demonstraui.

23. Huic argumento respondet P. Hurtado,partes illius lineæ intercisas moueri non posse : contra tamen primò : quia sine motu potest Deus illas committere, & inter se in aliquo puncto fixo copulare , in qua hypothesi tota vis argumenti redit:sic Christus Dominus sine motu se speciebus consecratis præsentem reddit , easque quodam modo sibi copulat.Contra secundò : quia quamuis collectio aliqua finita successiuè decurrere non possit , quin aliquando præterita sit, tamen collectio aliqua infinita successiuè decurrere potest , quin in vllo instanti vnquam præteritura sit : ergo quamuis magnitudo finita moueri nequeat absque termino *à quo* , tamen magnitudo infinita moueri poterit absque eo,quod collectim sumpta terminum aliquem *à quo* sortiatur , esto

diuisim

diuisim sumpta, & quoad singulas eius partes illum sortiatur. Contra tertiò: quia sicut magnitudo permanens mouetur de loco in locum, ita anima rationalis v. g. mouetur de tempore in tempus: at eo ipso, quod anima rationalis sit æterna à parte post, & infinita duratione prædita sit, potest continuè moueri de instanti in instans absque vllo termino *ad quem*, vltra quem vlterius non progrediatur: ergo eo ipso, quod magnitudo aliqua sit immensa, & infinitæ vbicationis versus aliquam partem poterit moueri de loco in locum absque vllo termino *à quo*, quem omnino deserat. Quare melius argumento respondeti potest, lineas illas per motum sibi committi, & iungi posse: ob id tamen duobus terminis eas clausum non iri; sed spatium, quod antea versus Orientem, & Occidentem; & vlterius spatium partium abscissarum ratione suæ infinitatis occupare posse, vt in solutione præcedentis argumenti exposui.

24. Sextò arguunt aduersarij: implicat qualitas infinitè intensa: ergo & qualitas infinitè extensa. Consequentia videtur sine vllo discrimine. Antecedens suadetur: tum quia si daretur visio Dei infinitè intensa, esset comprehensio Dei, quæ tamen repugnat: tum etiam, quia si grauitas infinita in lapide constitueretur, lapis in instanti moueri posset, & non posset, vti disputat Aristoteles 1. de cœlo cap. 6. non posset moueri in instanti, quia motus essentialiter tempus postulat, in quo exerceatur: posset quidem moueri in instanti, quia quo grauius est mobile, eò velocius, siue breuiori tempore mouetur: ergo, si mobile est infinitæ grauitatis; in vnico temporis puncto moueri poterit. Respondeo negato antecedenti; ad primam eius probationem dicendum est, quod visio Dei infinitè intensa eum non comprehenderet, cum plura Dei connotata, pluresque eius effectus eam latere possent. Ad secundam probationem dicendum est, quod lapis infinita, & summa grauitate præditus in instanti moueri non posset; sed solùm moueri posset in centrum motu summè veloci: motus autem summè velox non est, qui in instanti temporis peragitur; sed qui nullam partem etiam indeterminatam loci non attingit, nullamque etiam partem indeterminatam temporis non exhaurit.

25. Septimò demum argumentatur contrarij. Quia nequit Deus simul producere omnem quantitatem finitam solum: ergo nequit etiam producere simul quantitatem infinitam. Consequentia tenere videtur: vbi enim id, quod finitum, & minus est, à Deo produci nequeat: quâ ratione ab eo produci poterit id quod infinitum; ac proinde finito maius est. Antecedens suadetur: si produceret Deus simul omnem quantitatem finitam solum; ea quantitas additione vnius palmi (quam quantitati infinitæ nondum productæ detrahat Deus) additione, inquam, vnius palmi infinita euaderet, atque finitum additione finiti in infinitum exerescceret, quod chimæricum est. Sequela suadetur: quia omnis quantitas finita solum est maxima quantitas finita: at vbi quantitati finitæ maximæ aliquid addatur, ea finita remanere non potuerit: alias ante additionem inter finitas maximarum fuisset: ergo quantitas illa quacunque additione in infinitam excrescet. Respondeo, producere Deum omnem quantitatem finitam solum, hoc est, quæ infinita non sit, est producere partes quantitatis infinitæ, quin ipsa quantitas infinita producatur: omnis enim quantitas finita est pars, aut potius partes quantitatis infinitæ: cum ergo Deus diuinitus producere nequeat partes omnes alicuius totius, quin totum ipsum producat: sanè quantitatem omnem finitam solum producere nequibit. At ex eo, quod Deus infinitam quantitatem actu produceret, neutiquam sequeretur partes alicuius totius toto ipso improducto à Deo productum iri. Itaque concesso antecedenti præcipuo obiectionis neganda est eius consequentia: nimirum: quia vt visum est, quæ militat in antecedenti ratio, ea nequaquam procedit in consequenti.

TRACTATVS V.

De infinitate corporis naturalis, aliarumque rerum quoad durationem.

CAPVT PRIMVM.

An creatura aliqua permanens, siue corporea, siue corporis expers esse possit à parte ante æterna, siue infinita quoad durationem?

AFFIRMATIVAM quæstionis propositæ partem tuentur B. Thomas 1. part. q. 46. art. 2. & 2. contra gent. cap. 46. & cum eo Caietanus, Capreolus, Ferrariensis, aliique Thomistæ. Item Okam. Gabr. Gregor. & cum his non pauci Nominales. Nec non Scotus, quanquam problemmaticè in 2. dist. 1 quæst. 3. ac Durand. etiam in 2. dist 2. q. 2. Ex nostris Suarez 1. Metaphys. disp. 20. sect. 6. Vasquez 1. p. disp. 177. cap. 5. Molina 1. part. q. 46. art. 2. Conimb. 8 Phys. cap. 2. quæst. 6. art 6. Hurtadus disp. 16. Phys. sect. 1. Compton. disp. 39. Phys. sect. 1. Ouiedo lib. 8. Phys. contr. 19. punct. 1. Rub. tract. de æternit. mund. q. 2 & Arriaga disp 17. sect. 2. subsect. 2. quibus libenter accedo. 1.

Primò, quia non est maior perfectio æternitas, siue infinitas durationis à parte ante duntaxat, quàm æternitas, siue infinitas durationis à parte post: at hæc posterior perfectio conditionem creaturæ permanentis non superat: ergo nec illa prior perfectio est supra conditionem creaturæ suaptè natura permanentis. Maior probatur; quoniam semper fuisse, aliquando tamen non fore, nec beatius, nec perfectius est, quàm aliquando non fuisse, semper tamen fore: imò hic posterior existendi, modus priori perfectior, & beatior est, si altera alterum excedit, vt intuenti constabit: infinitas ergo durationis à parte infinitatem durationis à parte post neutiquam perfectione superat. Minor autem argumenti nostri est de fide, cum Scripturæ Angelorum, & animorum immortalitatem, eorumque æternam, ac nunquam cessaturam pœnam, aut gloriam passim deprædicent. Huc etiam faciunt illud Ecclesiast. 1. *Terra autem in æternum stat*, aliaque id genus sacræ paginæ testimonia.

Secundò probatur nostra sententia: quia magnitudo aliqua permanens in ordine ad locum infinita esse potest, indifferenter qui dem versus 2.

Orientem

Orientem, aut Occidentem v. gr. vt ſuperius oſtendi: ergo etiam in ordine ad tempus, ſiue durationem, vel à parte ante, vel à parte poſt indifferenter infinita, æternaue eſſe poteſt: quæ enim vtrinque diſcriminis ratio, vel leuiſſima afferri poteſt? Aut cur illud immenſitati Dei derogare non poteſt; hoc autem ſecundum æternitatem ei propriam deiiciet, creaturiſque communem efficiet? Tertiò: non eſt de ratione productionis vt ſic, vt in tempore incipiat, atque ab æterno non fuerit: cur ergo creatura aliqua ab æterno produci non poſſit? Antecedens conſpicuum eſt: quia Verbum diuinum verè, & realiter producitur à Patre: at non in tempore, ſed ab æterno: de conceptu ergo productionis vt ſic non eſt, vt in tempore, & non ab æterno ſit. Et quidem, eſtò productio alicuius creaturæ ab æterno fuiſſet, ea generationem Verbi perfectione non æquaret: ſiquidem talis productio eſſe finitum, & imperfectum communicaret, cum interim productio Verbi eſſe infinitum, & ſummè perfectum tribuat.

3. Quartò: non eſt de ratione effectus, vt ſit cauſa ſua poſterior duratio realis, ſed tantum, quod eam durationem naturæ, ſiue rationis ſequatur: at quamuis creatura aliqua permanens eſſet ab æterno à Deo producta, tamen durationem rationis, ſiue naturæ Deo poſterior eſſet, vt durationem reali nequaquam eum ſequeretur: creaturam ergo permanentem eſſe ab æterno non repugnat. Minor perſpicua eſt. Maior probatur: quia lux eſt effectus ſolis, & calor ignis: hi autem ſimiléſque effectus cauſas ſuas duratione reali non ſubſequuntur: quis enim vſquam, aut vnquam ſolem non lucere, aut ignem non caleſcere vidit, vel potuit? Tandem omnipotentiæ Dei denegandum non eſt, quod in ſe terminorum repugnantiam non complectitur: at exiſtentia creaturæ permanentis æterna à parte ante, omniſque initij expers terminos repugnantes, & inimicos non comprehendit, vt oſtendo ſolutione argumentorum: ad quam iamiam progredior.

4. Oppoſitam ergo ſententiam tuentur Henricus quodl. 1. quæſt. 7. & quodl. 9. quæſt. 17. Albertus in 2. diſtinct. 1 quæſt. 2. Richard. in 2. diſt. 1. quæſt. 4. Marſilius quæſt. 1. artic. 2. Guillielmus Pariſ. lib. 1. de vniuerſo. Vdalricus in ſua ſumma lib. 4. Toletus 3. Phyſ. cap. 2. quæſt. 2. Valentia tom. 1. diſputat. 3. quæſt. 3. part. 2. aſſert. 3. Leſſius lib. 4. de perfect. diuin. cap. 2. Tann. 1. part. d. 6. quæſt. 1. d. 3. Murcia. Philoponus, Burlæus, & alij. Quorum primum fundamentum eſt. Creatio rei eſt productio eius ex nihilo: at produci ex nihilo res nequit ab æterno: nequit ergo creari. Maior in aperto eſt. Minor probatur: quia producere rem ex nihilo eſt illam produci ex non eſſe ſui: quare neceſſe eſt, vt cum aliquid ex nihilo producitur, eius non eſſe præcedat eius eſſe: at quod producitur ab æterno, ita comparatum eſt, vt eius non eſſe præcedere nequeat eius eſſe; eo quod eius eſſe ſit ab æterno.

5. Reſpondeo negata minori, & eius probatione: vt enim ex Anſelmo in Monolog. cap. 8. explicant. D. Thomas 1. part. quæſt. 45. art. 1. Durand. in 1. diſtinct. 1. quæſt. 2. Heruæus in tract. de æternit. mundi quæſt. 2. Suarez diſputat. 20. Metaphyſ. ſect. 6. Hurtad. diſputat. 12. Phyſ. ſect. 1. vt inquam hi, aliíque communiter explicant; cum creatio dicitur productio rei ex nihilo, *nihilum* non debet ſumi poſitiuè, quaſi notet ordinem termini *à quo*, qui terminum *ad quem*, ſiue eſſe rei duratione reali anteuertat: haud ſecus ac terminus *à quo* motus eius terminum *ad quem* tempore antecedit; non inquam poſitiuè ſumi debet, vt argumentum ſub ſumit, ſed tantum negatiuè: vt ſit idem rem produci ex nihilo, ac produci non ex aliquo præſuppoſito ſubiecto: qua ratione res exiſtens ab æterno ex nihilo produci poteſt: vt vel in emanatione Verbi diuini cernere eſt.

Arguunt ſecundò: ſi Deus produceret aliquid ab æterno, illud non liberè, ſed neceſſariò produceret: at implicat, Deum producere aliquid extra ſe neceſſitate naturæ, & non potius ſecundum conſilium, arbitriúmque ſuæ voluntatis: ergo, &c. Sequela probatur: quia Angelus v. g. ab æterno productus nequaquam liberè exiſteret, dum exiſteret: quia omne dum eſt, neceſſariò eſt: nec etiam liberè exiſteret, antequam exiſteret: libertas enim, ſiue indifferentia in Angelo ad exiſtendum, vel non exiſtendum, antequam exiſteret, ſupponeret eum non exiſtere in aliquo inſtanti antecedenti eius exiſtentiam: at eo ipſo, quod Angelus eſſet ab æterno, in nullo inſtanti ante ſuam exiſteret exiſtentiam. Reſpondeo, Angelus ab æterno productus, exiſténſque adhuc, liberè, & neceſſariò exiſtere poſſet. Quod autem omne dum eſt, neceſſario ſit, nihil obeſt: quia ea neceſſitas eſt conſequens: & ex ſuppoſitione conſequenti ipſius exiſtentiæ Angelicæ proficiſcitur: vnde poſſet Angelus exiſtens ab æterno, dum eſt, liberè eſſe: quia neceſſitas conſequens, & à determinatione antecedenti alicuius cauſæ non orta nequit libertatem diruere. Sic Deus liberè, & non neceſſariò mundi exiſtentiam efficaciter vult; eſto eum ab æterno velit: quia æternæ illius volitionis nullum principium cum ea connexum, ad eamue determinatum præexiſtit, aut præſupponitur. 6.

Arguunt tertiò. Si Deus produceret creaturam ab æterno, ea æterna eſſet: at æternitas eſt duratio propria ſolius Dei, vt conſtat ex ſymbolo Athanaſij, vbi inter omnipotentiam, immenſitatem, aliáque attributa Dei propria æternitatem cenſet: ibi; *Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus, ſed non tres æterni, ſed vnus æternus:* Id quod etiam omnes Theologi cum B. Thoma 1. part. quæſt. 10. art. 3. profitentur. Confirmatur: quia ſupra conditionem creaturæ eſſe videtur, vt Deo æqualis duratione ſit: quò ſpectat illud Hugonis Victor. lib. 1. de Sacram. cap 10. ibi: *Fugit diuinam virtutem, quod aliquid ſibi coæternum faciat.* At ſi aliqua creatura permanens ab æterno producta eſſet, Deo æqualis eſſe poſſet duratione, eíque coæterna: nimirum ſi Deus eam ab æterno productam æternùm etiam conſeruaret. Reſpondeo: æternitas bifariam ſumi poteſt. Primò, pro duratione infinita, qua quid à ſe, & ratione ſtabilitatis, atque immutabilitatis ſibi innatæ ſemper eſt, nullúmque temporis interuallum non permeat: & in hoc ſenſu æternitas eſt duratio propria ſolius Dei: vt Beatus Thomas quæſt. illa. 10. artic. 3. nuper citatus exponit. Secundò pro duratione infinita, qua quid ſemper eſt, aut erit, & infinita temporum ſpatia, aut à parte ante, aut à parte 7.

poſt,

post, aut etiam vtrinque complectitur; ita tamen, vt id à se non habeat, sed potius extrinsecùs emendicet: & æternitas hac ratione sumpta duratio solius Dei propria non est, & creaturæ potest communicari.

8. Arguunt quartò. Si creatura permanens duraret ab æterno, oporteret eam ita durare per durationem à se distinctam: at per durationem à se distinctam durare diuinitus nequit: ergo, &c. Maior probatur: quia sicut extrema per vnionem distinctam necessario vniuntur, quia reperiri possunt absque eo, quod vniantur; ita creatura permanens nisi per durationem à se distinctam æternum durare nequiret: siquidem tam ipsa creatura, quàm æternitas dari possent, quin ipsa æternitati coëxisteret, aut commensa esset; nimirum si in tempore solum produceretur. Minor probatur: quia creatura permanens ab æterno durare nequiret per durationes successiuas à se distinctas, quæ infinita quadam vicissitudine sibi succederent: sic enim infinitum pertransiri, & aliquando finiri posset: nec etiam per durationem indiuisibilem se ipsa indifferentem, vt ab æterno esset, vel non esset: sicut ipsa creatura, cuius est duratio, indifferens esset: aliàs ea duratio per aliam durationem ab æterno esset; & alia per aliam tertiam, & sic in infinitum: nec demum per durationem indiuisibilem, quæ seipsa essentialiter affixa esset toti æternitati, quàm latè diffusa est: quia eiusmodi duratio derogaret dominio Dei; eo quod Deus illam ex suppositione, quod existeret in vno instanti, non posset destruere non solum in alio instanti, verum etiam in tota æternitate: quare, estò eius productio sub dominio Dei esset, tamen eius conseruatio Dei dominio minimè subesse posset.

9. Respondeo, creaturam permanentem ab æterno conditam duraturam per durationem à se distinctam, & indiuisibilem, quæ seipsa toti æternitati essentialiter affixa esset; quæque ex suppositione, quod semel existeret, non nisi transactis infinitis temporum spatiis à Deo impediri destructiuè posset. Quod autem huiusmodi duratio dominio Dei obesse non posset, triplicitèr ostendo. Primò quidem: quia non magis attinet ad dominium Dei, quod rem, ex suppositione quod existat, destruere posset, quàm quod eam ex tali suppositione conseruare possit: tam enim esse rei, quàm non esse illius penes arbitrium Dei esse debet: at non derogat præfixo Dei dominio, quod durationem affixam essentialiter instanti *A.* v. gr. ex suppositione, quod existat, conseruare non possit, vt etiam largiuntur aduersarij: ergo & eius dominio Dei derogare non poterit; quòd durationem illam æternitati commensam ex suppositione, quod esset, destruere non posset. Secundò: dominio Dei derogare non potest, quod ex suppositione, quod causa necessaria proximè expedita in aliquo signo priori naturæ existat, eius effectum impedire nequeat: ergo nec etiam eius dominio derogare non potest; quod ex suppositione, quod existat duratio aliqua in instanti priori temporis, eam in alio posteriori impedire, aut destruere nequeat. Tertiò & à priori. Quod non possit Deus aliquid ex suppositione consequenti determinationem liberam suæ voluntatis eius dominio detrahere non potest: aliàs omnis effectus liber ad extra eius dominium imminueret, cum nullus sit, qui ex suppositione, quod existat à Deo inimpedibilis non sit: at quod duratio illa, de qua concertatio est, existat in instanti priori est suppositio consequens determinationem liberam diuinæ voluntatis: ergo quod ex ea suppositione nequeat Deus durationem eiusmodi in instanti sequenti destruere, dominio Dei præiudicare non poterit. Respondeo secundò, creaturam illam durare posse ab æterno per durationes successiuas infinita quadam alternatione labentes, atque decurrentes: siquidem infinitum etiam successiuum ab æterno esse posse verius est, vt cap. sequenti ostendam.

10. Demum obiiciunt. Si Deus ignem ab æterno produceret, eique stupam applicaret, eiusmodi ignis stupam ab æterno combureret, & ab æterno non combureret: foret quidem, vt combureret: quia nec in igne virtus ad producendam formam ignis, nec in stupa aptitudo ad eam suscipiendam deesset: foret etiam, vt non combureret: quia aliàs forma ignis, & forma stupæ in eadem materia coaluissent, siue simul fuissent: videlicet quoniam stupa ab æterno producta, & aliunde ab igne ab æterno combusta fuisset. Deinde: si Deus ab æterno lapidem extra centrum creasset, is in centrum ab æterno cecidisset, & non cecidisset: quod non cecidisset, patet: quia aliàs ab æterno in centro staret, cuius tamen contrarium supponitur: quod item cecidisset, haud videtur minus perspicuum, quandoquidem innata sibi grauitate ab æterno fuisset productus. Præterea: si Deus fœminam ab æterno prægnantem produceret, ea ab æterno fœtum pareret, & non pareret; pareret quidem ab æterno, nam quid ab æterno puerperium impedire posset? Quod tamen ridiculum videtur; non pareret ab æterno: aliàs partus prægnatione neutiquam posterior esset. Respondeo: ignis ab æterno productus stupam sibi applicatam ab æterno non combussisset; quanquam enim haberet potentiam remotam ad eam combustionem: nimirum qui virtute combustiua præditus esset, cuique passum combustibile proximè adesset: cæterum non haberet potentiam proximam ad eiusmodi combustionem: quia hoc, quod est, stupam in tempore existere, est conditio necessaria, vt forma stupæ formæ ignis succedat, seu vt stupa in ignem conuertatur: hæc autem conditio in eo euentu deesset: ac per consequens potentia proxima ad combustionem stupæ: id quod etiam ratio in argumento allata confirmat. Eadem ratione lapis ab æterno extra centrum non longè distans productus in illud tota æternitate non descenderet, descensúsque ei impossibilis esset, non impotentia remota, sed impotentia proxima, vti suprà proximè explicui. Eodem denique pacto fœmina prægnans ab æterno quantumcunque potentia remota parere posset, non nisi in tempore tamen pareret; defectu vtique potentiæ proximæ ad pariendum.

* * *

CAPVT II.

An creatura aliqua ſucceſsiua, ſiue corporea poſsit eſſe à parte ante æterna, ſiue infinita quoad durationem?

11. CReaturam ſucceſſiuam æternam à parte poſt, ſiue ſimpliciter finitam, infinitam verò in potentia ſolùm, & ſecundum quid poſſibilem eſſe, imò de facto datum iri Philoſophi omnes Chriſtiani, & quotquot etiam ex Ethnicis minus deſipuere apertè profitentur. Quod verò ad creaturam ſucceſſiuam æternam à parte ante, & ſimpliciter, actúque infinitam attinet; an poſſibilis ſit? inter Authores non parum controuerti ſolet. Porrò creatura ſucceſſiua, de qua an à parte ante æterna infinitáue eſſe poſſit, in dubium reuocari ſolet, duplex eſt: nimirum continua, qualis eſt motus cœlorum v.g. aut diſcreta, quales ſunt generationes hominum, alioruúmue animantium.

12. Aſſero primò: creatura continua ſucceſſiua, qualis eſt cœlorum motus diuinitus æterna, ſiue infinita à parte ante eſſe poteſt. Ita Gregorius in 2. diſt. 1. Heruæus quodl. 9. q. 3. Auerroës lib. 7. Phyſ. comment. 76. Collegium Conimbric. lib. 4. Phyſ. cap. 2. q. 7. art. 4. eſto problematicè P. Vaſquez 1. part. diſp. 177. cap. 5. Capreolus, Ægidius, Iandunus, & alij. Probatur aſſertio primò: quia in eo quod motus circularis cœlorum, aliúſue quiuis, eſto non circularis, ſed rectus ſit, ab æterno ſucceſſiuè decurrat, nullam implicationem inuoluit, vt inferius oſtendam ſolutione argumentorum, quæ in contrarium vrgeri ſolent: ergo, &c. Secundò: non implicat exiſtere ſimul tempore infinitas vbicationes quoad locum ſucceſſiuas, quæ verſus Orientem, aut verſus Orientem, in immenſum protendantur, vt ſupra oſtendi, cum de longitudine, aut verſus Orientem, aut verſus Occidentem infinita diſputationem haberem: ergo etiam non implicat, exiſtere infinitas durationes ſucceſſiuas, quæ vel à parte ante, vel à parte poſt indifferenter termino omni deſtitutæ ſint: ergo etiam motus locales infinitos non ſolum à parte poſt, verum etiam à parte ante dari non repugnat. Aſſero ſecundò: creatura ſucceſſiua diſcreta generationibus hominum v.gr. coaleſcens, ſimpliciter, ſiue à parte ante æterna, infinitáue eſſe poteſt. Ita Capreolus in 2. diſtinct. 1. qu. 1. art. 3. Venetus lib. 7. Phyſ. Collegium Conimbr. vbi ſup. art. 5. & 6. & ſi oppoſitum etiam probabile reantur. Probatur aſſertio ſolutione argumentorum; ad quam gradum facio.

13. Enimverò nullum motum ſucceſſiuum, ſiue continuum, ſiue diſcretum ab æterno eſſe, ſiue à parte ante infinitum (contra quam duabus aſſertionibus præcedentibus aſſerui) cenſent Durandus in 2. diſt. 1. quæſt. 3. Valentia t. 1. diſp. 3. q. 3. punct. 2. Toletus 8. Phyſic. qu. 2. & recentiores Theologi communius. Arguunt primò: motus ille à parte ante æternus poſſet, & non poſſet pertranſiri: quæ repugnantia ſunt: poſſet quidem pertranſiri, imò neceſſe eſſet, eum pertranſiri: quia tandem aliquando ventum eſſet ad inſtans, in quo vera eſſet hæc propoſitio: motus ſucceſſiuus infinitis partibus conſtans præceſſit, ſiue tranſactus eſt: non poſſet pertranſiri; quia infinitum ſucceſſiuè pertranſiri nequit: cum ergo motus ille infinitus, æternúſque eſſet, pertranſiri non poſſet. Antecedens probatur, primò: quia infinitum eſt quod finiri, ſiue pertranſiri non poteſt, in eóque à finito differt. Secundò: quia ideò infinitum à parte poſt cruciatuum Iudæ v. gr. pertranſiri non poteſt, quia infinitum eſt. Tertiò authoritate Ariſtotelis 3. Phyſ. cap. 5. textu 41. ibi: *Si igitur fieri poteſt, vt res innumerabilis numeretur, infinitum quoque poterit tranſiri.*

14. Reſpondeo, infinitum infinito tempore ſucceſſiuè pertranſiri poteſt: quare motus ſucceſſiuus à parte ante æternus, infinitúſue tota æternitate ſucceſſiua pertranſiri poterit. Ad primam probationem oppoſitam dicendum eſt: infinitum definitur, ac nuncupatur tale; quia aliqua ex parte fine caret, eſto alia ex parte terminum, finémque ſibi præſcribat: ſufficit autem ad hoc, vt aliquid pertranſiri, ac præteriri poſſet; vt aliqua ex parte, poſteriori nimirum, finem ſibi præſtituat: vnde infinitum à parte ante rectè pertranſiri poterit. Ad ſecundam probationem dicendum eſt; ideò infinitum, æternúmue à parte poſt pertranſiri non poſſe; quia eſt infinitum à parte poſt; non verò quia vtcunque eſt infinitum, aut æternum. Ad tertiam probationem dicendum eſt, Ariſtotelem ſolum cenſuiſſe infinitum non poſſe tempore finito pertranſiri, quod nos vltrò largimur: & quidem vel exemplum Ariſtotelicum id perſpicuum efficit: ſicut enim innumerabilem numerum, aut menſuram aliquam finitam reuocare non potes (nullus enim numerus eſt, qui eo ipſo finitus non ſit) ſic etiam infinitum tempore finito pertranſiri nequit.

15. Arguunt ſecundò: generatio hominis ſuſceptionem ſeminis, conceptionem fœtus, eius coagmentationem, eiúſque partes complectitur: at hæc omnia ab æterno eſſe non poſſunt: ergo nulla ſingularis generatio ab æterno eſſe potuit, multo ergo minus infinita generationum humanarum collectio ab æterno eſſe potuit. Minor ſuadetur: quia quæ ab æterno ſunt, ſimul ſunt: qua ratione tres diuinæ perſonæ vt ab æterno ſic ſimul duratione ſunt: at ea quæ generationem hominis complectitur ſimul eſſe non poſſunt, ſed ſucceſſiuè: ergo ab æterno eſſe nequeunt. Reſpondeo: nulla generatio humana eſſe potuit ab æterno, ſed potius in tempore eſſe debet: cæterum collectio infinita generationum humanarum ab æterno eſſe potuit, & in tempore eſſe non debet: haud ſecus ac quæuis duratio Angeli præteritura eſt, nulláque eſt, de qua aliquando verum non erit enunciare, *iam præteriit*; & tamen collectio infinita durationum Angelicarum in nullo inſtanti præteritura eſt.

16. Arguunt tertiò: ſi poſſibilis eſſet motus circularis cœli æternus à parte ante, infinitáſque reuolutiones complectens; poſſet Deus ſingulis reuolutionibus ſingulos Angelos creare: cum ergo Angeli immortales ſint, fieret ſanè, vt in hoc inſtanti *A.* quod cœlo infinities reuoluto poſterius eſt, Angeli infiniti ſimul, & ſemel exiſterent. Reſpondeo primò conceſſa ſequela: conſequens autem abſurdum non eſſe ſupra tract. 3. ſatis oſtendi: deinde eſto conſequens abſurdum ſit, & infinitas cathegorematica repugnet: ſanè poterit Deus ſingulis inſtantibus ſingulos Angelos producere; ita tamen vt miraculoſe quos ſemel produxit, in inſtanti ſequenti deſtruat: quo fiet, vt ad infinitam

infinitam eorum collectionem actu, & ſimul exiſtentem nunquam deuenire ſit. Quod ſi Deus in ſingulis cœli gyrationibus, non ſingulos Angelos, ſed ſingulos homines produxiſſet, opus non eſſet, animas alioqui immortales ſemel productas iterum deſtruere: ſed tranſmigratione animarum de corpore in corpus earum infinitatem Deus euitare poſſet: quanquam enim eiuſmodi palingeneſia de facto admittenda non ſit, & contra Pythagoricos erroris damnata ſit, eam tamen poſſibilem eſſe ſupernaturaliter quis ambigat?

17. Arguunt quartò: ſi poſſibilis eſſet motus rectus æternus à parte ante, ſicuti ſupra edocuimus, poſſent duo per totam æternitatem moueri ab Oriente ad Occidentem, & ab Occidente ad Orientem. Conſequens eſt abſurdum: quia non eſſet; cur hodie, quàm abhinc mille annis ſibi occurrerent: nec cur potius Salmanticæ v.gr. quàm quauis alia mundi plaga, aut etiam extra vniuerſi ſpatium qua immenſum illud inane quaquà verſus protenditur; ſiquidem in ſpatio temporis, aut loci ſimpliciter infinito, quod vterque tranſigit, nulla pars definita eſt medium: cum medium ſit, quod æqualiter diſtat ab extremis, quibus tamen ſpatium infinitum caret: cur ergo in vna loci parte potius, quàm in alia concurrere deberent, cum nullum inſtans præ alio medium ſit inter inſtantia, quæ ab æterno fuere, aut quæ in æternum futura ſunt? Rurſus: ſi duo ab Oriente in Occidentem ab æterno moueantur, alter altero duplo velocius; ſanè is, qui tardiùs mouetur, ſpatium infinitum vſque ad inſtans *A.* v.gr. peragit: ergo ille, qui duplo celerius mouetur, ſegniorem interuallo infinito poſt ſe relinquit: aliàs duplo celerius eo non moueretur: ergo ſpatium infinitum duobus terminis vtrinque coërcetur: ſiquidem ſpatium infinitum, quo alter alteri præcurrit verſus Occidentem finitur, ac terminatur, vt ſupponimus: deinde verſus Orientem etiam terminatur, cum verſus Orientem eo incipiat, quo ſegnior quieuit.

18. Reſpondeo: motus æternus à parte ante eſſe poteſt: etſi enim id genus motus terminum à quo ſortiri nequeat: id tamen ratione ſuæ infinitatis non inconuenit, vti ſuprà expoſuimus. Ad primum inconueniens: ſi duo ab Oriente in Occidentem, & è contrà ab æterno mouerentur, altérque in alterius occurſum veniret; ſanè in aliquo determinato ſpatio temporis, & loci ſibi occurrere poſſent. Quale autem eſſet illud temporis, & loci ſpatium, cum ſpatium infinitum medio propriè ſumpto careat, refundi deberet in naturam motus, quo vterque moueretur: motus enim infinitus, atque ſpatio temporis, & loci infinito commenſus, vnius naturæ, aut ſpeciei non eſt: per motum ergo huius ſpeciei in hoc loco, ac tempore ſibi occurrerent, & per motum alterius ſpeciei in alio temporis, & loci interuallo: quanquam autem hanc motuum æternorum, infinitorúmque diuerſitatem anguſtiæ noſtri pectoris capere, aut percipere nequeant; infinita tamen, ac ſuprema mens eam probè nouit, ac comprehendit. Ad ſecundum inconueniens: ſi duo ab Oriente in Occidentem ab æterno mouerentur, neuter altero duplo, aut vllo modo velocius moueri poſſet: cum enim motus velocior alio ſit, qui æquali ſpatio temporis maius loci ſpatium conficit: neuter autem motus in euentu poſito poſſet maius ſpatium alio conficere, eo quod vterque ſpatium infinitum conficiat: vnum autem infinitum alio propriè maius eſſe nequeat; ſanè neuter eorum alio velocior, aut concitatior eſſe poſſet: fateor tamen, quamlibet partem vnius eorum motuum velociorem eſſe poſſe quauis parte alterius motus: inde tamen argui nequit, ad collectionem vnius, alteriúſque motus; eo quod in infinito à diſtributiuo ad collectiuum conſequentia non teneat, vt ſæpè monui, atque probaui.

19. Quintò arguunt: quælibet pars motus æterni à parte ante haberet aliquid ſe prius: ergo totus motus haberet aliquid ſe prius; quod tamen implicat. Denique arguunt: cum motus ille infinitas partes priores, infinitáſque poſteriores alternatim diſcurrentes complecteretur: ſanè partes eius priores plures eſſent, & ſimul non plures, vt eo argumenti genere, quod alternatiuum nuncupant, oſtendi poteſt. Verum priori argumento in ſimili factum eſt ſatis tract. 3. huius lib. cap. 3. poſteriori autem reſponſum eſt ſupra lib. 3. tract. 3. cap. 2.

LIBER OCTAVVS,

DE

Corpore naturali corruptibili, siue sublunari.

TRACTATVS PRIMVS.

De Corpore corruptibili elementari ac mixto.

CAPVT PRIMVM.

An elementa à mixtis distincta dentur, & quis eorum numerus & ordo.

1. ELEMENTA, siue corpora simplicia sunt: in quibus quatuor primæ qualitates contrariæ, nimirum calor, frigus, siccitas, & humiditas permixtæ non sunt: corpora vero mixta, & non simplicia sunt, in quibus omnes quatuor concurrunt: ita fermè Aristoteles 3. de cœlo cap. 3. & Galenus 8. de placitis. Quòd autem dentur corpora mixta, & quatuor primis qualitatibus temperata, testis est experientia: lignum enim v. gr. nisi caliditatem, & siccitatem igni consentaneas in aliquo gradu haberet; cur faciliùs, quàm aqua in ignem conuerteretur? aut nisi frigiditatem, & siccitatem in aliquo etiam gradu haberet; cur in ignem difficiliùs, quàm stupa conuerteretur? Quòd autem dentur corpora simplicia, & non constantia quatuor primis qualitatibus contrariis, sed vel duplici, vel certè triplici suadetur: tum quia in quouis genere summum esse oportet: qua ratione inter belluas leo, inter volucres aquila, inter sydera Sol; inter animantia homo, & inter spiritualia Angelus primas obtinent. Cum ergo plura corpora inæqualiter calida v. gr. sint, necesse quidem erit, vt corpus aliquod summè calidum existat; ac per consequens quod omnis frigoris expers sit; tum etiam, quia in igne, si purus sit, vt non esse alicubi nequit, quod vestigium frigoris est, aut quod caloris vestigium aquæ, humiditatis, terræ, aut siccitatis aëri inest?

2. Elementa hæc quatuor esse cum Aristotele tenet modò omnis Philosophorum Schola: & hac ratione concludi potest. Tot sunt elementa, quot modis quatuor primæ qualitates combinari possunt, seque mutuò compati, si binas semper sumamus, alteramque, vel si mauis, ambas in summo: at eiusmodi combinationes quatuor tantum sunt: ergo, &c. Maior perspicua est: siquidem elementum est, cui aliqua, saltem prima qualitas in summo congruit: alia verò vel in summo, vel iuxta plerosque infra summum: ergo tot erunt elementa, quot modis primæ qualitates combinari possunt. Minor autem non minus perspicua est: quia si quatuor illæ qualitates binæ semper sumantur, vt monuimus, ex iis sex tantum combinationes fieri possunt: nimirum caliditatis cum siccitate, ex qua resultat ignis, humiditatis cum caliditate, ex qua constituitur aër, frigiditatis cum humiditate, ex qua procedit aqua, & siccitatis cum frigiditate, ex qua resultat terra, & caliditatis cum frigiditate, ac humiditatis cum siccitate: hæ duæ postremæ combinationes naturaliter possibiles non sunt; cum calor in summo cum quouis frigore incompossibilis sit, aliàs summus minimè futurus: idemque de humiditate, & siccitate dicendum est: igitur quatuor primæ qualitates quatuor tantum modis ita combinari possunt, vt se mutuo compatiantur.

3. Ratio verò, cur quatuor primæ qualitates, si binæ semper sumantur, sex modis tantum variari possint, à Patre Clauio in principio sphæræ hæc traditur: proposito aliquo numero rerum multiplicetur is per numerum proximè minorem, & producti numeri medietas indicabit numerum combinationum, quæ inter res propositas fieri potest: sic si quinque res combinandæ sunt, multiplicanda sunt quinque per quatuor: & numeri producti, nimirum vigesimi medietas, quæ decas est, regula & mensuro esse debet combinationum, quæ inter quinque fieri possunt: qua ratione Porphyrius inter quinque prædicabilia decem combinationes instituit: cum ergo in præsenti multiplicatis quatuor per tria duodecim resultent: sanè sex tantum modis quatuor primæ qualitates combinari poterunt, si duæ semper accipiantur.

4. Quod si elementum non binas qualitates primas, sed trinas sibi vendicet, vt nonnulli arbitrati: eadem ratione conuinci poterit quatuor tantum elementa esse in rebus: siquidem si ex quatuor primis qualitatibus trinæ semper accipiantur, quatuor tantum modis combinari poterunt: quod in hunc modum ostendo. Ex quatuor qualitatibus vndecim tantum combinationes, quantæ quanta sint, fieri possunt: cum ergo earum sex binas qualitates complectantur, vna vero omnes quatuor: reliquum est, vt solum quatuor combinationes sint, quarum quæuis trinas qualitates primas cõplectatur. Antecedens à P. Clauio vbi suprà suadetur hac regula: sumantur tot numeri incipiendo ab vnitate in dupla proportione, quot sunt res propositæ, & combinandæ; & à summa omnium illorum

illorum subtrahatur numerus rerum, & tunc residuus numerus numerum combinationum indicabit: in præsenti ergo numeri in dupla proportione iuxta numerum primarum quatuor qualitatum sunt vnum, duo, quatuor, octo: quorum summa sunt quindecim; à qua si quatuor abstrahas; sanè vndecim tantum remanebunt: vndecim ergo modis quatuor primæ qualitates combinari poterunt.

5. Secunda ratio, qua probari potest numerus quaternarius elementorum, à grauitate, & leuitate desumitur: omne corpus simplex, siue elementare, vel graue, vel leue est: si graue, aut simpliciter graue, vt terra; aut secundum quid, vt aqua: si leue est, aut simpliciter leue est, vt ignis; aut secundum quid, vt aër: ergo si attendatur grauitas, & leuitas corporum simplicium, hæ quatuor tantum esse poterunt: quò respexit ille Metamorphoseos 15. ibi.

Quatuor æternos genitalia corpora mundus
Continet: ex illis duo sunt onerosa, suoque
Pondere in inferius tellus, atque vnda feruntur
Et totidem grauitate carent, nulloque premente
Alta petunt aër, atque aëre purior ignis.

6. Ratio tertia ex numero motuum simplicium deduci consueuit: vt enim docet Aristoteles 1. de cælo, motus simplices sunt tantum tres; nimirum à medio ad medium, & circa medium: quorum primus vocatur sursum, secundus deorsum, tertius circularis: motus autem, quo corpus fertur, aut ab Oriente in Occidentem, vel è contrario; aut ab austro in aquilonem, vel è contra: hi, inquam, motus non simplices sed mixti sunt. In subiecta enim figura linea, per quam fit motus à meridie in aquilonem, quoad aliquas partes ad centrum, siue punctum circuli accedit, & appropinquat: quoad alias verò ab eo recedit, ac distat: vnde motus ipse factus per eam lineam partim tendit ad medium, ac deorsum est; partim verò à medio pergit, & sursum est: atque adeo non simplex, sed mixtus est.

7. Vnde sic argumentor: aut motus simplex est circularis, siue circa medium; & ita conuenit cælo, quod irrequieto cursu in orbem conuoluitur: aut est ad medium simpliciter; & ita conuenit terræ ob summam grauitatem: aut medium secundum quid; & ita conuenit aquæ ob grauitatem infra summum: aut est à medio secundum quid; & ita conuenit aëri, qui ad leuitatem ignis proximè accedit: si igitur per motus simplices corpora simplicia metiamur, omisso corpore simplici cælesti, corpora simplicia sublunaria quatuor tantum reliqua erunt.

***

CAPVT II.

Quatenus elementa mixtis insint.

8. Elementa quoad eorum substantiales formas mixtis inesse tenent communiter Medici cum Hypocrate, & Galeno, & ex Theologis Aureolus, Albertus Magnus, & Iandunus, aliique. Præcipua huius sententiæ fundamenta (nec enim omnia commemorare vacat) sunt, quæ sequuntur. Quatuor primariæ qualitates elementorum propriæ passiones sunt: at vbicunque propria passio reperitur, inibi forma reperitur: ergo in mixtis, in quibus quatuor primariæ qualitates recipiuntur, formæ etiam elementares recipientur. Præterea: si lignum viride in rogum proiiciatur, ita succendetur, vt in quatuor elementa formaliter resoluatur: igitur iis formaliter constat: in ea enim vnumquodque resoluitur, quibus continetur. Antecedens experientia compertum est: siquidem ex ligno illo in ignem proiecto cernimus prodire flammam fumum, & humorem, ac cineres: at flamma ad ignem fumus ad aërem, humor ad aquam, & cinis ad terram spectat: vnde lignum destrui nihil aliud erit, quàm quatuor elementa in eo formaliter contenta dissipari, ac separari; non verò ea destrui: pro eo ac cecinit ille 15. Metamorphoseos ibi:

Nec perit in tanto quidquam mihi credito mundo:
Sed variat, faciemque nouat, nascique vocatur.
Incipere esse aliud, quàm quod fuit antemorique
Desinere illud idem, cum sint huc forsitan illa
Hæc translata illuc: summa tamen omnia constant.

9. Verùm oppositam sententiam tenent Philosophi, ac Theologi melioris notæ; eiusque probationem hac vnica ratione concludo: quia aut formæ elementorum ita in mixto sunt, vt in eadem eius parte omnes quatuor insint: aut ita, vt materia mixti quoad aliquas particulas formam vnius elementi, & quoad alias alterius elementi suscipiat: neutrum dici potest: ergo, &c. Minor quoad primam partem suadetur: quia iterum aut in materia mixti quoad eius omnes, & singulas partes tantum insunt formæ elementorum: ita vt forma mixti nihil aliud sit, quàm plures gradus formarum elementarium inuicem vniti, & combinati in eadem materiæ particula, & vicissim refracti, siue remissi, sicut Aureolus arbitratus est: & hoc sustineri nequit: tum quia lapis verbi gratia à ligno specie differt, & non penes magis, & minus; sicut album ab albo, vt lumine naturæ compertum est: at iuxta aduersarios specie non differrent, sicut album à nigro, sed sicut magis & minus album. Tum etiam, quia forma hominis cum spiritalis sit, in eiusmodi cohæsione formarum elementarium consistere nequit, quantumlibet virtutes elementorum, nempe primas qualitates postulet: cur ergo reliquorum mixtorum formæ substantiales in eiusmodi coagmentatione formarum elementarium sitæ sint, vt vt virtutes elementorum sibi vendicent? aut, quod Auerroes, & Auicena arbitrati sunt, simul cum formis elementorum in quauis particula materiæ forma essentialis mixti realiter distincta, & superaddita resident? & hoc etiam sustineri nequit: quia ita in eadem parte materiæ

darentur duæ formæ ſubſtantiales, non ſolùm non oppoſitæ, quales ſunt forma mixti, & forma elementi, verum etiam directè oppoſitæ, & repugnantes: cuiuſmodi ſunt formæ elementares, ignis v.g. & aquæ.

10. Eadem minor, quoad ſecundam eius partem, ſuadetur: quia ſi quatuor elementa in mixto reperta non penetrantur, ſed in partibus materiæ ſibi contiguis reperiuntur; aut in iis ita contiguis ſeorſim à quouis alio mixtum conſiſtit: & ſic vnum mixtum ab alio eſſentialiter, & ſpecificè non differt, ſed duntaxat quoad magis, & minus; aut præter elementa totum aliquod eſſentiale ab elementis ſpecie diuerſum, in quouis mixto per partes elementares diſperſum eſt: & cum huiuſmodi totum formaliter elementum non ſit, ſed mixtum: ſanè elementa in aliquo mixto formaliter non inerunt. Deinde quî fieri poteſt, vt elementum ignis piſcibus formaliter inſit, quin ab aqua vndique circumflua extinguatur? vel vt connaturaliter, & abſque violentia extra centrum exiſtat in lapide verbi gratia? Argumenta contraria momentoſa non ſunt. Ad primum reſpondeo: primæ qualitates in ſummo ſunt affectiones formarum elementarium: at non in ſummo, ſed infra ſummum, atque ad temperiem, & æquilibrium redactæ in mixtis reperiuntur. Ad ſecundum reſpondeo: quemadmodum homo reſoluitur, & definit in cadauer? cum tamen formaliter cadauere non conſtet: ita ſimiliter in præſenti &c. Deinde falſum eſt, cum lignum incenditur, illud in quatuor elementa reſolui: fumus enim, etſi aëri affinis ſit, ab eo tamen ſpecie diſtinguitur: haud ſecus ac exhalatio, quam ligna odorifera fragrant: humor etiam, quem lignum per poros exudat, ab aqua ſpecie differt: haud aliter ac humor ex herbis, & floribus eliquatus ab aqua naturali ſpecie differt; & ob id materia Baptiſmi eſſe nequit.

CAPVT III.

Quatenus elementa in mixtis ad temperiem redigantur?

11. VIdimus, quatuor elementa tantum virtualiter, & quoad eorum principales qualitates in mixtis reperiri, ad temperiem tamen, & moderationem redacta: eiuſmodi autem temperamentum nihil aliud eſt, quàm ipſæ primæ qualitates in eo gradu, quo ſe mutuò compati poſſunt: ita Galenus lib. 1. de vſu partium, & Ariſtoteles in cap. de qualitate; temperamentum bifariam æquale eſſe poteſt; nimirum vel ad pondus, vel ad iuſtitiam: æqualitas ponderis tunc interuenit, cum in mixto tot gradus caloris, quot frigoris, totque humiditatis, quot ſiccitatis inexiſtunt: æqualitas proportionis, ſiue iuſtitiæ eſt, qua quatuor primæ qualitates in gradibus inæqualibus mixto competunt; ita tamen, vt eius naturæ conſentaneæ ſint, & ad eius functiones deſeruiant. Deinde temperamentum æquale ad pondus eiuſmodi eſſe poteſt, vel in qualitatibus alteratiuis, quales ſunt quatuor principales, & ex iis oriundæ; vel in qualitatibus loco motiuis, quales ſunt grauitas, & leuitas. Rurſus temperamentum æquale ad pondus in vtriſque qualitatibus, vel debitum, vel indebitum eſſe poteſt.

12. Quibus conſtitutis aſſerendum eſt primò, in qualitatibus alteratiuis naturaliter poſſibile eſſe temperamentum æquale ad pondus nonnullis mixtis indebitum: (æqualitatem ad iuſtitiam, quam nemo non admittit, data opera prætermitto.) Aſſertionem autem poſitam in hunc modum ſuadeo: qualitates contrariæ ſolùm vltra mediam intenſionem in gradibus æqualibus ſe ſe non compatiuntur: igitur in pluribus mixtis in media intenſione, vel infra illam ad pondus æquari poſſunt. Deinde quemadmodum non eſt tranſire de loco propinquo ad remotum ſine medio: ita ſimiliter non eſt tranſire de minus calido verbi gratia ad longè magis calidum ſine medio: at medium inter magis calidum, quàm frigidum; minuſque calidum, quàm frigidum, eſt calidum æquale frigido: ergo nequit aliquod mixtum minus calidum, quàm frigidum tranſire ad magis calidum quam frigidum, vt ſæpè ſæpius tranſit, quin prius ſit æquè frigidum, ac calidum.

13. Aſſerendum ſecundò eſt, complura eſſe mixta, in quibus naturaliter repugnat temperamentum quatuor primarum qualitatum æquale ad pondus: ſiquidem cor ſuaptè natura calidiſſimum eſt; nimirum in quo, velut in camino ſpiritus vitales elaborantur; cerebrum frigidiſſimum eſt, vtpotè quod cordis calorem temperat: oſſa ſummè ſicca ſunt, videlicet quæ ſua ſoliditate, ac duntie reliquam corporis molem velut columnæ quædam ſuſtinent: pupilla humida valdè eſt, ſcilicèt vt in eam ſpecies viſibiles faciliùs imprimantur: quod ſi natura has hominis partes ad æquipondium reuocaret, ſanè functiones ſuas exercere non poſſent, atque adeo naturaliter perirent.

14. Aſſerendum tertiò eſt, poſſibile eſſe mixtum aliquod in quo grauitas, & leuitas ad pondus æquales ſint: primò à paritate æqualitatis ad pondus inter qualitates alteratiuas. Secundò quia in eiuſmodi mixto nulla apparet repugnantia. Dices, eiuſmodi corpus quocunque loco collocaretur, ibi quieſceret: nec enim ſurſum aſcenderet; aliàs eius leuitas eius grauitatem exuperaret: neque etiam deorſum: aliàs eius grauitas eius leuitati præponderaret: incertæ igitur ſedis, nulliuſque centri eſſet, quod tamen repugnat. Verùm in primis conſequens abſurdum non eſſe ex eo conſtat, quod pleráque in hoc potius, quam illo tempore exiſtere minimè poſtulent: cur ergo implicet ſimilis indifferentia in ordine ad locum? Deinde ſequela non tenet: namque corpus illud æqualis leuitatis, & grauitatis locum medium inter ſurſum, ac deorſum velut centrum ſibi vendicaret, & inter aërem & aquam, ſiue in vtriuſque confinio quieſceret.

Ita de æqualitate vtrarumque qualitatum Cardinalis Toletus 2. de generat. qu. 2. Collegium Conimbricenſe, ibidem. Marſilius, Saxonia, & pleríque Nominales.

***

CAP

CAPVT IV.

An elementa in sola mixta immediatè conuertantur?

15. QVod elementa in mixta conuertantur, conſpicuum eſt : tellus enim elementorum infima rerum omnium communis parens, ac procreatrix eſt: aqua etiam modò in vapores diuerſæ à ſe ſpeciei euaneſcit, modò in criſtallum, alioſque ingentis pretij lapillos glaciatur : idémque de reliquis duobus elementis dicendum eſt. Quod autem elementa non ſolùm in mixta, verùm etiam in ſe inuicem ſaltem mediatè conuertantur, & ſtatis circuitionibus à ſemetipſis abeant, & in ſemetipſa redeant, perſpicuum etiam eſt : idque, quatenus accidat, eleganter expoſuit Poëtarum ingenioſiſſimus 15. Metamorphoſ. ibi:

Reſolutáque tellus
In liquidas rareſcit aquas : tenuatus in auras,
Aëraque humor abit : dempto quoque pondere rurſus
In ſuperos aër tenuiſſimus emicat ignes.
Inde retro redeunt, idémque retexitur ordo.
Ignis enim denſum ſpiſſatus in aëra tranſit:
Hinc in aquas : tellus glomerata cogitur vnda.

16. Quare in præſentiarum illud ſolùm diſceptari poteſt ; an hæc conuerſio aliorum elementorum in alia ſit immediata, aut potius mediata : ita, vt prius vnum elementum in mixtum aliquod conuertatur, quàm in aliud elementum faceſſat?

Ariſtoteles 2. de generat. cap. 4. docet, elementa in ſe inuicem immediatè conuerti poſſe. Ariſtoteli Collegium Conimbricenſe, & Toletus ex parte, nec non Græci, & Latini interpretes adſtipulantur ; & merito quidem : ecquis enim non conſpiciat, ceſpitem terræ in ignem proiectum non minus in illum immediatè conuerti, quàm lignum, aliudque mixtum? Deinde quis non videat, aërem flammæ circumfuſum, in flammã proximè abire, eiuſque pabulum eſſe ? Præterea cum aquæ guttulis ignis inſpergitur, an non ignis eas abſumit, quin earum veſtigium aliquod appareat, aut aliquis ſuperhalitus erret ? Quod ſi reliqua tria elementa in ignem immediatè conuertuntur, cur idem de quouis alio elemento dici nequeat, videlicet in illud reliqua tria immediatè commeare poſſe ? Experientiæ ratio ſuffragatur : quia ideo elementum poteſt deſtruere mixtum, illudque in ſe immediatè conuertere ; quia contrarias qualitates habent : at quoduis elementum cuiuis contrarium eſt, & alterutrum qualitates alteri oppoſitas ſortitur. Rurſus quò magis aliquid elemento quoad eius qualitates aſſimile eſt, eo magis in elementum immediatè conuerti poteſt ; qua ratione ſtupa facilius, quàm lapis in ignem immediatè conuertitur : at aliqua elementa magis inter ſe ſimilia ſunt, quàm mixtum ſimile eſt elemento : ea videlicet elementa, quæ in vna tantum qualitate prima opponuntur.

17. Oppoſitam tamen ſententiam tenent plures Recentiores, quibus exparte fauent Rubius, & Tolet. Primò quia aqua nequit conuerti in ignẽ, quin prius diſponatur, & vi ignis applicati caleſiat, & ſiccetur : cum igitur calor ignis longè magis actiuus ſit, quàm eius ſiccitas; aqua prius calida, & humida erit, ſicut ad aëris formam opus eſt, quàm calida, & ſicca ; ſicut ad ignis formam oportet. Reſpondeo ; cum humiditas, & frigiditas æquales ſunt, prius hæc expellitur, quàm illa : videlicet quia calor ſiccitate efficacior eſt : cæterum cum humiditas minor eſt, quàm frigiditas, vt in aqua vſuvenit, ſimul vtraque per calorem, & ſiccitatem expelli poterit, quin aquam prius calidam, & humidam, quàm calidam, & ſiccam eſſe oporteat. Monentur ſecundò : quia vt ex igne immediatè fiat aër, debet calor ignis remitti : at non eſt à quo remittatur: non enim à calore aëris; cum hic calori ignis ſimilis ſit, & natura ſimilium ſit, vt. non mutuam deſtructionem, ſed potius conſeruationem moliantur: non etiam ab humiditate aëris; hæc enim calori contraria non eſt : nec etiam à frigore aëris : tum quia iuxta non paucos aër ſuapte natura frigoris expers eſt : tum quia, eſto aër more reliquorum elementorum trinas habeat qualitates, atque adeo frigidus ſit: tamen eiuſmodi frigus cum valdè remiſſum ſit, ſummum ignis calorem remittere minimè poterit : at præterea in aëre nihil aliud eſt, à quo calor ignis remitti queat. Reſpondeo, calorem ignis remitti poſſe ab intenſa frigiditate aëris huic extrinſecus, & præter naturam competenti. Deinde dici poteſt cum Marſilio, poſtquam aër in materiam ignis ſummam humiditatem introducit, cum aliunde eiuſmodi materia calorem aëri neceſſarium præcontineat, illico introduci in materiam ignis, quantumuis ſummè calidam, formam aëris: quę quemadmodum ſuarum proprietatum productiua, ita alienarum deſtructiua eſt ; ac proinde ſummum ignis calorem ſemel introducta remittit.

Mouentur tertiò : quia ſi vnum elementum in aliud immediatè commutari poſſet, quatuor elementa ſibi contigua, atque immediata mutuo ſe deſtruerent, & antiquum ac primordiale chaos rediret. Verùm hæc ratio, ſi cuius momenti eſt, ſuadet nè immediatè quidem erementa inuicem conuerti poſſe. Deinde : ideo elementa mutuo ſe omnino, ac prorſus demoliri nequeunt, quia ita agunt, vt repatiantur, itáque patiuntur, vt rediganr : vnde quantum vni elemento in vno conflictu deperit, tantundem ei in alio accreſcit, atque inter vtrumque volat dubiis victoria pennis Rurſus author naturæ muneri ſuo de eſſet, niſi elementorum diſcordias concordaret, ita, vt nunquam penitus ſe deſtruere poſſint : quò reſpexit Boëtius l. 3. de conſolatione metro. 19. ibi: 18.

Tu numeris elementa ligas, vt frigida flammis,
Arida conueniant liquidis.

CAPVT V.

An elementa mixtave ſymbolica facilius in ſe conuertantur?

BEatus Thomas 2. de generat. q. 9. & communiter eius aſſeclæ, necnon Conimbricenſes, & Toletus exiſtimant, elementa ſymbolica, hoc eſt, ea quæ in qualitate aliqua intenſa conueniunt, facilius; hoc eſt, breuius citiuſque inuicem conuerti, & tranſmutari poſſe, quàm ea quæ ſymbolica nuncupantur: quibus ipſe adſtipulor. Primò: quia id expreſsè docet Ariſtot. 2. de gener. text. 25. ibi: *nam celerius, & tardius, stem facilius, difficiliusque alia aliis tranſmutationem ſubeunt : quæ enim* 19.

symbolam interse habent, horum celerior est migratio, quæ vero non habent, tarda: quod facilius sit, vnuam, quàm multa mutari. Deinde ex verbis Aristotelis vna, vel altera ratio colligi potest: nã facilius, citiusque vna qualitas expelli potest, quàm duæ qualitates: at cum elementa symbolica transmutantur, vna tantum qualitas expellitur, ea videlicet, in qua non conueniunt: cum vero elementa symbolica transmutantur, duæ qualitates abiguntur. Præterea mixtum aliquod alicui elemento affine, atque symbolicum est, eo citius faciliusque in illlud conuerti potest, quam quod ei asymbolicum, atque dissimile est: qua ratione stupa facilius, citiusque, quàm lapis in ignem conuertitur: ergo similiter de elementis inuicem comparatis philosophandum est.

20. Oppositam sententiam tuentur Albertus, Marsilius, Niphus, aliique. Primo, quia si qua ratione elementa symbolica facilius in se commeare possent, duam asymbolica; maximè quia facilius est, vincere duas qualitates, quàm vnam duntaxat: at hæc ratio nulla est; quasi in elementis symbolicis congredientibus, vna tantum qualitas vincitur, & expellitur; vna etiam vincit, & expellit, & si in asymbolicis duæ expelluntur, duæ etiam expellunt: at non est facilius, vnam tantùm qualitatem ab vna expelli, quàm duas à duabus: quæ enim est proportio vnius ad vnum, ea est duorum ad duo. Secundò; quia actio innititur contrarietati: ac per consequens vbi maior contrarietas, ibi facilior actio: at elementa asymbolica magis contraria sunt, quàm ea quæ symbolica appellantur. Cæterum hæc non vrgent.

21. Ad primum respondeo, æque facile duo à duobus, ac vnum ab vno vinci posse, si cætera sint paria: at in hypotesi nostræ disceptationis cætera paria non sunt: siquidem complicatio duarum qualitatum contrariarum in qua respectu ignis coalescentium, nimirum frigoris, & humiditatis densitatem infert, ratione cuius à calore, & siccitate ignis difficilius superari potest, quàm humiditas sola aeris à siccitata te ignis: parique ratione frigiditas, & siccitas terræ coniunctæ sunt cum densitate, & soliditate, per quas magis, quam aqua aëri resistat, in eamque euanescere nequeat. Ad secundum respondeo: quod actio contrarietati innixa sit, arguit quidem; quò maior est contrarietas, & ad plures qualitates se se extendit, eò extensiuè maiorem esse actionem: cæterum non arguit, eò velociorem, aut faciliorem esse actionem, vt manifestum est.

CAPVT VII.

Qua inæqualitate elementa, & mixta quatuor primas qualitates sortiantur.

22. Assero primò: quoduis elementum tres qualitates primas habere postulat: alteram in summo gradu, alteram in extenso, & alteram in remisso gradu: ac proinde elementa, & mixta primas qualitates minima inæqualitate numerica sortiuntur: ita Combricenses, Marsilius Buridanus, & non pauci Nominales. Probatur assertio: quia quemadmodum se habet humiditas v. g. simpliciter sumpta ad siccitatem simpliciter sumptam: ita certi, ac designati gradus humiditatis se habent ad certos, designatosque siccitatis gradus sibi oppositos: at quoduis elementum vel postulat suapte natura humiditatem, vel siccitatem simpliciter sumptas: ergo etiam designatis certis gradibus humiditatis quoduis elementum vel eos, vel certè gradus siccitatis eis oppositos postulabit: cum ergo ignis v.g. non postulet septimum, & octauum siccitatis gradum aliàs summè siccus non minus, quàm summè calidus esset, sanè primum, & secundum humiditatis gradum postulabit: ac per consequens tres primas qualitates sibi vendicabit. Minor, & consequentia perspicuæ sunt. Maior ostenditur, quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita se habet magis ad magis, vt fert communis paremia: ergo etiam sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita etiam minus ad minus: ac proinde sicut se habet humiditas ad siccitatem, ita etiam gradus aliqui humiditatis ad gradus siccitatis.

Dices primò cum Auerroe 3. de cœlo commento 67. quoduis elementum binas qualitates in summo sibi vendicare, ac proinde tertiam excludere: contra tamen primo ex Aristotele 2. de generat. textu 23. ibi: *nam igni aqua, aeri vero terra aduersatur; hæc enim contrariis affectibus constat. Verumenimvero cum simpliciter quatuor sint, quodque vnius est: terra siquidem sicci potius est, quam frigidi: aqua vero frigidi magis, quàm humidi: aër humidi magis, quam calidi: ignis calidi magis, quam sicci*, hactenus ille. Deinde si aër, sicut est humidissimus, esset etiam suopte ingenio calidissimus, haud quaquam respirationi deseruiret, nec temperiem ad vitam animalium necessariam sibi vendicaret. Dices secundo, elementa non fore simplicia, sed mixta corpora, vbi tres qualitates primas sibi vendicent: deinde nullum futurum elementum, quod respectu alterius symbolicum, eique communione alicuius qualitatis affine non esset: siquidem ignis per calorem cum aere, per humiditatem cum aqua, per siccitatem cum terra conueniret. Respondeo, corpus mixtum in præsenti dicitur, quod quatuor primis qualitatibus temperatur, & commiscetur: at in nostra sententia nullum elementum quatuor primas qualitates habet. Rursus symbolicum elementum dici potest, & solet, quod cum alio in gradu intenso, & excellenti conuenit: at in nostra sententia non quoduis elementum cum quouis alio in gradu intenso, & excellenti, sed interdum in solo remisso consentit. 23.

Assero secundò: qualitates primæ pluribus elementis, nec non elementis, mixtisque communes specie non differunt: ac proinde elementa, mixtaque qualitates primas nulla inæqualitate specifica sortiuntur: ita Alexander, Scotus, Thom. Bonau. Conimbricens. Tolet. & communiter reliqui Philosophi. Probatur assertio: quia quod ad elementa inuicem comparata attinet; ignis, calefaciendo aquam, eam in aërem resoluit, & attenuat: calor ergo igneus ad aëris productionem disponit; quidni ergo ad eius conseruationem sufficiat? cum quibus causis res producitur, iisdem conseruetur. Quod vero ad mixta, & elementa inuicem comparata attinet; si qua qualitas elementaris à qualitate prima alicuius mixti specie differret, maxime calor igneus à calore vitali siue cœlesti, quem cœlum scilicet in hæc inferiora influit, vt Mirandula, aliique arbitrati sunt: at calor ignis à calore vitali non differt: 24.

tum

tum quia medicamenta igneo calore affecta concoctionem iuuant, & promouent: quod non efficerent, nisi igneus eorum calor vitalis esset, vitalemque concoctioni idoneum produceret. Tum etiam quia radij solis in speculo refracti stupam in ignem conuertunt: cum ergo calorem cœlestem producant, sanè calor cœlestis ad ignem disponit, ac proinde igneus erit. Quæ in contrarium obiiciuntur, nullius momenti sunt.

CAPVT VII.

Quatenus elementa, & mixta grauitent, & leuitent.

25. Assero primò: grauitas, & leuitas, quibus elementa, & mixta naturaliter mouentur, ab eorum substantiis non distinguuntur: ita cum Arriaga de generat. non pauci, nec ignobiles Philosophi. Probatur assertio: tum quia non sunt multiplicandæ entitates sine vrgenti necessitate, iuxta commune proloquium: tum etiam quia potentia loco motiua, qua animal de loco in locum progreditur, ab eius subsistentia indistincta est: & potentia etiam illa, qua causa intentionaliter mouetur, ferturque ad obiectum, aut per intellectum, aut per affectum ab anima ipsa non distinguitur, vt in Metaphysica constabit: ergo similiter in præsenti.

26. Obiicies primò: grauitas hominis non identificatur cum eius anima rationali, cum hæc spiritus sit; spiritus autem terreæ grauitatis suapte natura expers sit: nec identificatur etiam cum eius materia; cum hæc non magis grauis, quàm leuis sit, quantum est de se, vt videre est in materia ignis, quæ ab omni grauitate immunis sursum emicat, summaque locum sibi legit in arce: quod si ignis in cinerem, ac terram faceſſat, eadem materia deorsum suis momentis feretur: ergo grauitas hominis ab eius materia, & forma, atque adeò ab eius subsistentia distinguitur. Respondeo quemadmodum, iuxta aduersarios, grauitas accidentia hominis ad eius substantia distincta, eiusque indiuidua proprietas nec à sola anima hominis emanat, nec à sola eius materia; & tamen ab vtraque prout vnita siue à complexione vtriusque proficiscitur: ita similiter in nostra sententia, vt vt grauitas hominis ab eius anima distincta sit, & etiam ab eius materia: tamen ab vtriusque complexione non distinguetur.

27. Obiicies secundò: in venerabili sacramento datur grauitas in speciebus panis, & vini: at non datur substantia panis, & vini: ergo grauitas à substantia rei grauis distinguitur. Verum inprimis dici potest, in venerabili sacramento forte non esse grauitatem, sed effectum grauitatis, nimirum impulsum, aut motum deorsum; quos ad celandum miraculum, fideique nostræ meritum augendum Deus producit. Deinde dici potest, in pane, & vino duplicem esse grauitatem: alteram in vtriusque substantia sitam; & hanc in venerabili sacramento non inesse: alteram in collectione accidentium panis, & vini sitam; & hanc solam in venerabili sacramento substantiæ destructæ superesse. Dices: ergo hostia ante consecrationem magis grauitabit, quàm post consecrationem: siquidem non consecrata duplici grauitate consecrata verò tantum vna grauitate grauitat: consequens autem experientiæ repugnat. Respondeo: accidentia, & substantia panis, cum penetrata necessario sint, eodemdue ferantur, eundem impulsum, siue grauitationem per modum vnius causæ adæquatæ, & duplicis inadequatæ producunt: cum autem in venerabili sacramento altera causa inadæquata, nimirum substantia panis, deficit, Deus eius concursum supplet, eundemque inpulsum, siue grauitatem, quam antea, simul cum speciebus panis efficit: vnde hostia quantum ante, tantumdem post consecrationem grauitat; idque longe minori miraculo, quàm aduersarij explicare possunt.

28 Assero secundò elementa, mixtaque quò grauiora, aut leuiora sunt; eò velocius in centrum feruntur: ita communiter omnes Philosophi, excepto Arriaga. Probatur assertio: quia non ideò lapis v.g. ligno grauior est, quia inferius centrum habet: siquidem telluris centrum vtrique connaturale: nec etiam ideo grauior est, quia plures partes graues sortitur: siquidem lapis eum eadem, & non maiori extensione partium ligno grauior est: igitur ideò præcisè lapis grauior erit quam lignum, quia lapis in centrum suum citius velociusquè mouetur: ac proinde corpora omnia, quò grauiora, vel leuiora, eò celerius aut ascendunt, aut descendunt. Deinde motus vitalis, & progressiuus in omnibus animalibus æqualis non est, sed in aliis tardior, in aliis cõcitatior: motus etiam violentus, & ab extrinseco impulsu profectus in diuersis corporibus diuersus, & inæqualis est: ergo etiam tertia species motus, nempe motus naturalis, quo res suis momentis in sedes sibi cognatas, & salutares feruntur, in omnibus æqualis non est, sed in grauioribus, ac leuioribus velocior; in reliquis verò segnior.

29. At inquit P. Arriaga, se experientia deprehendisse, & oculis conspexisse duo pondera; quorum alterum altero grauius erat declupo, aut magis; æquali tamen velocitate in centrum descendere. Verum suspicor, pondera ab eodem tempore librata non finisse, aut certè pondus illud, quod grauius erat, non rotundum, aut acuminatum finisse, sicut ad scindendum aërem oporteret; sed in latitudinem expansum, atque protensum, eiusque figuræ beneficio in aëre sustentatum, & quodam modo detentum fuisse: qua ratione volucres expansis aliis in aere sustentantur, & corpora lata, amplamque figuram habentia in aquis supernatant: alterum inquam, horum in eo euentu euenisse suspicor: siquidem ipse etiam huius rei periculum feci, & coram multis expertus sum, corpora inæquali ponderositate prædita, inæquali etiam velocitate deorsum ferri. Atque vt constet, nostram sententiam & experientiæ, & rationi esse magis consentaneam; en Augustinum nobis suffragantem tom. 1. lib. de quantit. anim. cap. 22. ibi: *Lege naturæ cedunt pondera minora maioribus: non modo cum ad proprium locum suapte natura feruntur: vt humida, & terrena corpora in ipsius mundi medium locum, qui est infimus: rursum aëria, & ignea sursum versus: sed etiam cum aliquo tormento, aut iactu, aut impulsu, aut repulsu eo, quo non sponte feruntur, vi aliena ire coguntur: nam si ex alio deieceris quanquam simul duos lapides disparis quantitatis, citius quidem maior terræ perueniet: sed si ei minor subiiciatur, eoque ineuitabiliter occupetur, cedit profectò, simulque in solum deducitur.*

tur. Hactenus Auguſtinus expreſſis verbis.

30. Aſſero tertiò: elementa, & mixta, quò centro ſuo propius accedunt, eò velocius, & concitatius mouentur: ita omnes Philoſophi, excepto Arriaga vbi ſupra, & Simplicio lib. 1. de cœlo; quorum ille id negat, hic vero in dubium reuocat: cæterum immeritò: quia motus violentus non eſt æqualis in principio, & in fine; ſed cum incipit, velocior, & cum deſinit tardior: vt in glande ferrea exploſa cernere eſt, quæ propterea cominùs grauiorem ictum facit, quàm eminus. Deinde motus vitalis non eſt æqualis in principio, fine, & medio; ſed celerior in medio, & ſegnior in principio, & fine: videlicet quia motus ille fit ope ſpirituum vitalium, quorum magna copia incipiente motu in muſculos, & neruos è cordis ventriculo tranſmitti nequit: finiente vero motu eorum copia diminuitur; eo quod membris agitatione caleſcentibus per poros expirent: in medio vero motus magna eorum copia in muſculos, & neruos deriuatur, & per poros nondum calefactis nimium membris haud quaquam euaneſcunt: igitur etiam ab æquitate rationis motus naturalis rei in centrum æqualis ſemper non erit; ſed in eo ab vtroque nuper commemoratio differt, quòd in principio, & medio ſegnior, in fine verò celerior ſit, & quidem triplicis illius motus triplicem inæqualitatem iam iam explicatam perſpicuè docet Ariſt. 2. de cœlo cap. 6.

31. Aſſero quartò: elementa, mixtaque in propriis ſedibus non grauitant, nec leuitant: ita cum Archimede, & Ptolemæo Mathematici; & cum Ariſtotele Peripatherici fermè omnes, vt cernere eſt apud noſtros Conimbricenſes 4. de cœlo. quæ. 2. cap. 6. art. 1. Probatur aſſertio: quia ideò corpora omnia grauitant, & leuitant, vt centro ſuo coniungantur: ergo centrum aſſequuta amplius non grauitant, nec leuitant: adepto enim fine aliquo, medium ei adipiſcendo idoneum, ſuperfluum eſt, & naturæ minimè conſentaneum.

CAPVT VIII.

An vapor, & exhalatio inter elementa, vel potius inter mixta numerari debeant.

32. VApor eſt halitus humidus, & calidus, qui ex aqua ſolis, ac ſiderum vi calefacta procedit, & in aëris regionem aſcendit: exhalatio eſt habitus calidus, & ſiccus, qui ex terra calore ſolis, ac ſyderum vſtulata proficiſcitur: vapor, & exhalatio ſunt materia propinqua meteororum: hinc nubes denſantur, pluuiæ eliquantur, ac nebulæ noctis interdum æmulæ terris incubant: hinc venti vires accipiunt, & magno mundi ſpatio quaſi in aperto liberoque campo prælia miſcent: hinc multiplices in aëre calores elucent, aliique purpuraſcunt, alij reuireſcunt, alij luteoli, alij punicei ſunt: omneſque omnium oculos amænant, animoſque oblectant: hinc tonitruum terrificus fragor, fulminum exitialis furor, cometarum feralis flamma: & ſi quæ ſimilia ſubiectus orbis vel horret, vel demiratur.

33. Diſſidium ergo eſt inter Philoſophos: an concretionum omnium meteorologicarum materies, vapor nimirum & exhalatio formas ſubſtantiales elementorum ſibi vendicent: ita vt vapor ab aqua, & exhalatio à terra ſpecie non diſtinguantur. Partem affirmatiuam docet Ariſtoteles lib. 1. Metaphyſ. cap. 3. vbi vaporem partes aquæ ſegregatas appellat: eademque ratione exhalationem partes terræ ſegregatas appellare tenetur. Ariſtotelem ſequuntur Louanienſes, Albertus, Toletus, & Collegium Conimbricenſe: quorum ſententia mihi etiam probatur, primò: quia prædicti habitus facillimè in elementa, à quibus ſpirant, reſoluuntur: vt cernere eſt in olla feruentis aquæ cooperta, vbi vapores in operculo refracti in aquæ ſtillas, & guttulas mox conuertuntur: & etiam in iis vaporibus, qui ſyderum ſoliſque calore in mediam aeris regionem euecti, ibi in aquas pluuiales mox reſoluuntur: ergo quia eiusmodi halitus à ſuis elementis parum, & accidentaliter ſolum differunt, nō vero ſpecificè, & ſubſtantialiter: ſic aqua calida in frigidam facilè tranſmutatur, quia aqua calida, & frigida tantum accidentariò differunt: cæterùm ignis in lapidem, aut lapidis in ignem haud ita facilis eſt tranſmutatio, quia ſpecificè & ſubſtantialiter differunt.

Dices: flamma etiam facillimè conuertitur in 34.
aërem, & aër in flammam: & tamen flamma, & aër ſpecifice, & ſubſtantialiter differunt: ergo ſimiliter in præſenti, &c. Verum hæc obiectio communis argumenti vim non eneruat: ſiquidem vapor conuertitur in aquam à ſeipſo, & in abſentia alterius aquæ; idque facillimè vt videre eſt in nubibus, quæ in media regione aëris aquarum aliàs experti, in aquas tamen ſoluuntur: quod certè percipi nequit, quin vapor eiuſdem ſpeciei cum aqua ſit: vt aër à ſemetipſo, & in abſentia ignis in ignem non conuertitur, flammāque non corripit, aut vice verſa: mirum ergo non eſt; quod aër, & ignis diuerſæ ſpeciei, ſint quantauis facilitate inuicem commutentur.

Secundò id ipſum ſuadeo: quia non magis dif- 35.
fert leuitate, raritate, & aliis qualitatibus vapor ab aqua aſcendens ab aqua, à qua aſcendit, quam differt grauitate, denſitate, aliiſque qualitatibus gelu ab aqua: at aqua ſubſtantialiter, & ſpecificè non differt à gelu, in quod concreſcit: ergo neque etiam à vapore, in quem euaneſcit. Maior ſuadetur: quia vinum congelatum eſt ſubſtantialiter, & propriè vinum: ergo aqua congelata, &c. Antecedens perſpicuum eſt: quia vinum conſecratum, etiamſi congeletur, ſanguinem Chriſti retinet: at ſi propriè, & ſubſtantialiter vinum non eſſet, ſanguinem Chriſti retinere non poſſet: quēadmodum quia acetum reuera vinum non eſt, vinum conſecratum in acetum conuerſum ſanguinem Chriſti minimè retinet. Maior à Paire Suarez 3. p. q. 74. art. 8. diſp. 45. ſect. 2. tamquam certa pronuntiatur: & probari facilè poteſt ex Miſſali Romano in defectibus Miſſæ; vbi dicitur, ſi contingat in calice vinum conſecratum congelari, debere liquefieri, & conſumi tamquam verum ſacramentum.

Verùm Auerroes, Philoponus, & alij non pau- 36.
ci arbitrantur, vaporem ab aqua, exhalationem à terra ſpecie differre. Primò, quia vapor, & exhalatio ſurſum feruntur: terra verò, & aqua deorſum: igitur ob hos diuerſos motus non poterunt non ſpecie differre prædicti habitus à ſuis elementis: haud ſecus ac vnum elementum ſpecie diſtinguitur ab alio, quia vtrumque diuerſos

motus

motus, diuersasque sedes naturales potiuntur. Secundò quia halitus animalis animal non est, vt negari nequit: cur ergo halitus ex terra, & aqua prodeuntes terra, & aqua sint? Respondeo ad primum: quod vapor, & exhalatio sursum ferantur, non ab eorum natura, & exigentia oritur, sed à calore & raritate, & leuitate iis extrinseus vi syderum, solisque impressis: cum autem naturæ suæ relinquuntur, deorsum semper feruntur per modum pluuiæ, roris, pruinæ, alteriusve meteori: cum ergo motum naturalem diuersum à suis elementis non sortiantur, sed duntaxat violentum: non est, cur ab iis specie distinguatur. Porrò autem vapores, & exhalationes sursum euehi motu non naturali, sed violento; ostendi potest exemplo fumi, qui esto sursum contendat, id tamen habet non ab intrinseco, sed à spiritibus igneis, quos includit: cuius signum est, quia in principio velocius ascendit, in fine verò, & medio segnius, ac tardius: cum tamen, si motu naturali eueheretur, in medio, & fine velocius, & concitatius ferri deberet. Ad secundum respondeo: halitus animalis in animali, à quo procedit, conuerti facilè nequit: sicut halitus ex aqua, & terra prodeuntes in eas facile redire possunt: vnde vtrinque eadem ratio non militat.

CAPVT IX.

Quatenus vapor, & exhalatio in meteora commutentur?

37. QVod ad aqueas concretiones attinet: vbi vapores ad mediam regionem aëris, astrorum, & præcipuè solis calore euehuntur, illic peregrinum, aduentitiumque calorem exuunt, & ad natiuam frigiditatem se reducunt: quandoquidem enim eiusdem speciei cum aqua sunt, vt cap. præcedenti ostensum est, profectò suapte natura frigidi sunt, & non calidi: ideo verò calorem cum frigiditate commutare facilè possunt: quia media aëris regio, præ tertia, & prima, de se frigida est, vt tract. sequenti cap. vlt. exponemus: vnde eiusmodi commutationem naturæ vaporem consentaneam non impedit, sed potius promouet: vapores autem ad frigiditatem suam restituti per eam, & per siccitatem sibi cognatam addensantur: & ita addensati nubes sunt, & appellantur, Quum autem nubes in aquam soluuntur, pluuiæ dicuntur: at sicut in nutritione viuentium quædam partes in rei alitæ conuertuntur substantiam; aliæ vero sunt incapaces eiusmodi conuersionis; & ob id in excrementa facessunt: ita similiter in nubibus quædam partes in aquam abeunt: aliæ vero ad aquam generandam inutiles sunt, & quasi excrementitiæ terris incubant: atque in nebulam, & caliginem cuncta opacantem conuertuntur.

18. Porrò autem, cum nubes ante mutationem suam in aquam congelatur, præ nimia frigiditate sic gelata in media regione aëris niuis rationem obtinet: & sicut qui regiones boreales incolunt, ob frigiditatem cœli, solique candidi & lactei coloris sunt: ita similiter nix merito frigiditatis albescit. Quod si nubes postquam resoluta est in aquam, & antequam interram decidat, præ nimio frigore congeletur, non nix, sed grando appellatur: haud secus ac aqua telluris congelata glacies vocatur. Quod si vapor subtilis, tenuisque fuerit, & præ remissione caloris in mediam regionem nubium, niuium, grandinumque sedem non attollatur, sed in prima regione consistat: modo in rorem, modò in pruinam conuertitur: si enim frigus serenæ noctis vehemens sit, in pruinam eiusmodi vaporem congelat; si vero temperatum, in rorem eam conuertit. Dixit *serenæ noctis*: quia templus pluuiis, ventisque turbatum roris, & pruinæ materiam dissipat, eamque nullo modo concrescere sinit. Quum autem simul cum vapore illo tenui partes quædam terræ subtiles eleuantur: sane ex multiplici talium partium cum humido tenui commixtione generatur liquor quidam suauissimus, & sapidissimus, qui herbis, foliis, floribus, graminibus, terræque solo exceptus; modo mel, modo cœli sudor, modo syderum saliua, modo verò purgantis se aeris succus nuncupatur: quanquam autem nonnulli apud Senecam epist. 64. doceant, mel non à cœlo diffluere, sed ad apibus virtute sibi ingenita generari: cœterum Aristoteli lib. 5. de histor. animal. cap. 22. & reliquis oppositum arridet, nempe mel non ab apibus de rore fieri, sed de cœlo elaboratum diffluere, & ab apibus duntaxat colligi: quò allusit Virgilius Georg. lib. 4. ibi.

Protinus aërei mellis cœlestia dona.

& Ouidius 12. Metamor. ibi:

Non apis inde tulit collectos sedulo flores.

Quod si vapor ille humido, terreoque subtili admixtus valde excoquatur, & crassitie sua defæcetur; efficitur liquor quidam mellei saporis, & candidi coloris, qui in arborum ramis & foliis, & in terræ floribus, herbis, lapidibus, aliisque quibusuis partibus extimis inueniatur, & manna Hebraicè, & syriace appellatur. Et hactenus de concretionibus aqueis.

39. Quod autem ad concretiones aëreas attinet, potissimum quæ sunt; venti nimirum, qui aut in aëre agitato consistunt, aut certè aeri affines sunt, & colores ij, qui in aere apparent. Materià ergo ventorum triplex est: siquidem in primis exhalatio calida, & sicca perinane agitata, ventus est, vt cum Aristotele Peripatetici tuentur: cuius indicium est, igneum calorem in aëre ventos portendere: videlicet quia ignis ille apparens consistit in flagranti, humidaque exhalatione: vapor etiam agitatus ventus est, vt docet Collegium Conimbricense tract. 6. Metaphys. cap. 2. vnde venti è mari perflantes humidi sentiuntur: quod vaporibus eos constare indicat Rursus, aer ipse agitatus ventus dici potest, vt cum Seneca lib. 5. c. 6. Stoici tuentur: quibus etiam fauent D. Isidorus lib. 13. & Damascen. lib 2. fidei orthodoxæ cap. 6. aër enim agitatus perflat, refrigerat, desiccat, omnesque effectus ventorum sibi vendicat: cur ergo ventus dicinequeat? Antecedens autem experientia constat, in aëre per flabellum moto, qui præfatas proprietates sortitur, vt vt ventus non dicatur: tum quia exiguus valde est nec longè latèque per regionem aëris diffunditur: tum etiam, quia non naturaliter, sed artificiose cietur. Hanc rationem subtiliter attigisse mihi videtur Augustinus de quantit. animæ cap. 4. ibi: *Nihil aliud, quam istum aërem commotum, ac agi-*

tatum

tatum ventum eſſe ſentimus: quod in loco tranquilliſſimo, & ab omnibus ventis quietiſſimo, vel breui ſtabello approbari poteſt: quo etiam muſcas abigentes aërem commouemus, ſtatumque ſentimus: quod cum euenerit occultiore quodam motu cœleſtium, vel terrenorum corporum per magnum ſpatium mundi, ventus vocatur, ex diuerſis partibus mundi, vel cœli, nomina etiam diuerſa ſortitus.

40. Cauſa etiam, qua cientur venti, triplex eſt: prima quidem eſt, quia cum exhalatio non ſolum ſicca, verum etiam humida ſit; parteſque graues, parteſque leues habeat, per has ſurſum, per illas vero deorſum rapitur: & ita neque ſurſum omninò, neque omnino deorſum fertur; ſed potius quaſi diuiſo certamine in obliquum repulſat: vapor etiam non minus, quam exhalatio partim leuis, partim grauis eſt: & ob id flectitur, & obliquatur non ſine vi, & impetu: & tam exhalatio, quam vapor aërem, quo miſcentur, ſecum raptant, verruntque. Secunda cauſa eſt: quia cum exhalatio, & vapor, aërque iis mixtus ſolis, & ſyderum calore ſurſum attrahuntur, ad mediam regionem aeris vſque perueniunt. Tum autem, aër ille, eo quod frigidus, denſuſque ſit, iis ita in ſublime elatis reſiſtit, & deorſum propellit; vnde, cum pulſu deorſum deprimantur, & ob naturalem leuitatem ſurſum erumpant, refracto quodam impetu, ac turbine, qua data porta ruunt, & per obliquam viam, mediamque inter ſurſum, ac deorſum proſiliunt. Tertia cauſa eſt peculiaris quorumdam aſtrorum influxus in exhalationes, vapores, aeremque ipſum, quibus aut ſimul, aut ſeorſim venti omnes conſtant. Etenim negari nequit, certa ſyderum poſitura, occurſu, aſpectu, ortu, atque occaſu frequentes, maximoſque ventos aut ſæuire, aut deſæuire: nec aliter Aſtrologi ventos prædicere poſſent.

41. Colores autem, qui in aere apparent, profecto in ipſomet aere addenſato, ſpiſſiſque halitibus, & vaporibus luce illuſis, atque penetratis conſiſtunt: cum autem id quod in aere lucis irradiatione percutitur, vel denſum eſt; vmbroſum, nigricantemque colorem efficit: cum vero aliquantulum denſum, ſimulque humidum eſt, cæruleum colorem refert: quod ſi adhuc minus denſum, ſpiſſumque fuerit, purpureum colorem imbibit: & ne ſingulis coloribus recenſendis immorer; ſicuti flammæ pro varia fumi commixtione varios colores ſubeunt: ita ſimiliter pro diuerſa affectione materiæ, in quam lux incidit, necnon pro intenſione, aut remiſſione diuerſa ipſius lucis multiplices colores in aere elucent. Porrò autem huiuſmodi colores varias ſpecies, atque imagines in aeris regione depingunt: interdum enim foueam referunt, quæ cum magna eſt, vorago; cum vero parua, hiatus appellatur: interdum etiam coronam, & quandoque virgas repræſentant: nonnunquam etiam ſol in nubem diaphanam anteriore ſui parte, & interiore parte terminatam, & vmbroſam more ſpeculi; in eiuſmodi, inquam, nubem imaginem ſui imprimit, aliumque ſolem facit apparere: quod ſi plures nubes ſolem imitando ſint, ita, vt vna nubes ſolis ſpeciem acceptam in aliam refundat, & hæc rurſus in aliam, & ſic vlterius: non tam duo, verùm etiam tres, aut quatuor, pluresve ſolos videri videbuntur: & huiuſmodi ſpectacu-

lum à Græcis parelia nuncupatur.

Nullum autem in aere ſpectrum apparet ſpectabilius Iride, quę mille trahit varios aduerſo ſole colores; iiſque in modum arcus, aut ſemicirculi pulcherrimè diſtinguitur, & variegatur: vnde illud Eccleſiaſtici cap. 3. *Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum: valde ſpecioſus eſt in decore ſuo, gyrauit cœlum in circuitu gloriæ ſuæ: manus excelſi aperuerunt illum.* Ideo autem iris orbem non concludit, eumque imperfectum, atque biſiſſum relinquit: vel quia nubes in irim conuerſa penes ſe totum irradiationem ſolis ſuſcipere non poteſt, ſed penes deuexam, arcuatamque ſuperficiem ſoli oppoſitam: vel quia ipſa nubes rorida, quæ iridis materia eſt, ratione ſuæ leuitatis, necnon aeris agitati, non linea recta, ſed obliqua in præceps defluit, ac proinde arcuata ſuapte natura eſt: vel demum, quia nubes, cum totius ſolis imaginem referre non poſſit, ſegmentum quoddam ipſius, & ſemicirculum repræſentat. Idcirco verò inter innumeros colores, quibus induta iris eſt, præcipui ſunt puniceus, viridis, & purpureus; priorque, & ſupremus circulus punicei coloris eſt, medius autē viridis, & infimus purpurei coloris: quia radius lucis cum exigua denſitate, & craſſitie, ſiue opacitate efficit colorem puniceum, ſiue citreum, cum mediocri viridem, & cū maiore purpureum: at opacitas, craſſities, ſiue denſitas nubis in parte externa, & ſuperiori nubis exigua eſt, in media mediocris, & in interiori quæ prope centrum nubis eſt maior. In ſecunda vero iride, quæ ex reflexione primæ proficiſcitur, colores apparent inuerſo ordine: & intimus, infimuſque puniceus eſt, medius viridis, & extimus, ac ſupremus purpureus: videlicet quia quæ per reflexionem ſpecierum videntur ordine inuerſo apparent, vt cernere eſt in ſpeculo, in quo quæ dextra, ſunt ſiniſtra; quæque ſiniſtra ſunt, dextra conſpiciuntur: quia vero tertia iris ex reflexione ſecundæ oritur, quoad ordinem colorum, ſecundæ difformis; ac proinde primæ conformis eſt. 42.

Quod ad igneas concretiones attinet, earum materia eſt exhalatio valde calida, & valde ſicca: cui ſi vapor, aut aer immiſceantur, aut ſine mixtione eiuſque qualitatis ſortiantur; ſanè ignitis meteoris alimento erunt: ignes ergo cœlo concepti varias figuras præ ſe ferunt: qui lanceæ, trabis, iaculis ſimilitudinem referunt, horum etiam nominibus appellantur: qui perpendiculo, ſiue columnæ pyramidali aſſimilis eſt, nimirum craſſioribus eius partibus in baſim deſidentibus, & ſubtilioribus ſurſum in pyramidem deſinentibus; haud aliter ac in candela accenſa cernere eſt: hic, inquam, ignis perpendicularis nuncupatur: qui vero frigidæ nubis impulſu verſus latus flectitur, curuaturque tanquam draconis venter draco volans appellatur: & qui talis eſt, vt à continenti eius materia fila quædam inter ſe diſtincta dependeant, per quæ tota exhalatione accenſa ſaltus quoſdam, & excurſiones flamma efficiat: is quidem appellatur capræ ſaltantes: tum quia villos, ac barbulas caprarum; tum etiam quia earum ſaltus appendicibus ſuis imitatur. 43.

Is autem ignis, qui nauigantibus modo duplex, modo triplex apparet: & cum huc illuc diſcurrit, tempeſtatis ſignum: cum vero in antennis, aliiſve nauis partibus inſidet, malaciæ 44.

ſignum

signum habetur, Castor, Pollux, & Helena ab antiquis appellatus est; eo quod alternatione sua Castoris, & Pollucis alternationem referat, numero verò ternario tria illa Ledæ pignora: is verò, qui ad motum aëris nobis circumfusi facilè cietur, ita vt nos modò fugere, modò insequi videatur: quique in cæmeteriis & suprà capita eorum, qui in patibulis pendent, haud rarò apparet: eo quod cadauera mephitim, & viscosum halitum exhalent: huiusmodi, inquam, ignis fatuus nuncupatur, vel ab inconsulto, & fortuito, incertóque, & quasi stulto eius motu, vel à fato mortuorum. Atque de hoc igne notanda sunt verba Gersonis tom. 1. in opuscul. contra impugnantes ordinem Carthusiens. ibi: *sed ne passim populus in errorem iret, Ecclesiæ censura canonizationis moderamen adhibuit. Nam populus falso rumore; vel simulato signo; vel naturalium impressionum, quocirca corpora occisorum, vel patibula de nocte ardent, quasi candelæ: ignarus, facilimè seduci posset, vt latronem pro sancto honoraret: sicut in aliquorum sanctorum legendis factum reperitur.* Porrò autem ignis ille, qui inhærescere aliquando consueuit, eo quod rara, & subtili exhalatione per aërem sparsa constet, aut etiam pingui, & viscoso animalium sudore, & halitu ignis lambens meritò nuncupatur.

45. Quoties etiam exhalatio, flamma concepta, vel in altum emicat, vel deorsum impulsu nubis frigidæ, & spissæ protruditur; vel partita contentione in latus oblique fertur, syderis discurrentis speciem exhibet: & ob id stella volans, aut stella cadens nuncupatur: quanquam & alio etiam modo stella cadens in aëre appareat: non quia reipsa exhalatio stellæ similis cadat, sed cadere videatur: sicut enim, cum duæ lucernæ prope se positæ sunt, vna superior, & altera inferior, illa accensa; & hæc paulò ante extincta; ea, quæ inferior est, tam citò corripit flammam ratione fumi à se ad aliam aspirantis, vt flamma descendere videatur, cum tamen re ipsa non descendat, sed per successiuam aggenerationem ab vna ad aliam lucernam deriuetur: ita similiter, cum exhalatio aliqua calida, & sicca deorsum longo tractu protenditur, flamma per eam ea celeritate serpit, & ab vna eius parte alteri per successiuam aggenerationem communicatur; vt cum re ipsa non cadat, tamen cecidisse videatur: quò forte allusit Ouidius 2. Metamorph.

At Phaëton rutilos flamma populante capillos
Voluitur in præceps, longóque per aëra tractu
Fertur, vt interdum de cœlo stella sereno
Etsi non cecidit, potuit cecidisse videri.

Quod si exhalatio non tantum in longum, verum etiam in latum, & quoad nos non successiuè, sed simul ratione suæ subtilitatis ignem concipiat, & splendorem diurnæ lucis æmulum circum circa diffundat, non stella cadens, sed fax, seu flamma nuncupari assolet.

46. Quum autem expiratio calida, & sicca intra nubem spissam densamque, & lateribus protensam, ac frigore coarctatam concluditur non nunquam impatiens claustri huc illuc diffugit exitum quæsitura; & partim per motum, partim per antiperistasim calescit, & rarefit; flammamque concipit, nec intra nubis cauitates cohiberi potest: vnde in nubem impingit ingenti ictu, eamque frangit impetu suo; sonitus autem ceu fragor ea collisione editus tonitru appellatur; flamma verò foras erumpens fulmen vocatur; lapis verò igni delatus, etsi vulgo fulmen censeatur, fulmen tamen non est; cum fulmen subtilitate, ac tenuitate sua corpora absque eorum diruptione traiicere soleat: qui tamen effectus ei competere non posset, si densitiem lapidis haberet: fulgur autem à fulmine differt, quia expiratio fulguri materiam, alimentumque præbens rarior, minusque compacta est: item quia non simul, & confertim, sicut expiratio fulminea, sed sparsim, & cum interruptione incenditur. Rursus, quia fulmen nubem effingit, eiusque crassitiem, ac soliditatem eluctatur: fulgur verò eo quod minori vi, & energia polleat, nube coërcetur; ac dum taxat circum clausira fremit, & intonat.

Inter omnia autem meteora ignita principalem 47.
locum tenent cometæ, quo Chaldæi complures quondam arbitrati sunt, esse de numero septem stellarum errantium, Pythagoras verò esse vnam, eandémque stellam errantem à septem vulgatis diuersam, quæ raro quidem se in conspectum det, eo quod solem ferè semper comitetur, eiusque splendore propter viciniam occultatur: Seneca autem, & Apollonius Alindius esse stellam errantem à septem vulgatis distinctam, non tamen vnam, eandémque, sed multiplicem, & aliis temporibus aliam, aliamque: tandem Democritus, & Anaxagoras eos malunt, esse coalitum duorum planetarum; cum ita appropinquant, vt commisso lumine longioris stellæ speciem exhibeant. Verùm Aristoteles lib. 1. Metereor. cap. 7. & plerique eius interpretes Ptolemæus, & meliores Astrologi arbitrantur, cometas non esse de materia cœlesti, & incorruptibili, sicuti Authores numero superiori citati censent, sed de materia sublunari, & corruptibili; eiusque materiam esse exhalationem multam, pinguem, viscosam, spissam, benéque compactam, & coagmentatam: quo fit, vt cometæ per septem dies, aut per sex menses, aut etiam per integrum annum, aut vltra durare possint: nimirùm prout exhalatio maior, aut minor fuerit, ignemque facilius, aut difficilius concipere; conceptúmque diutius, aut breuius retinere possit.

Quod autem cometæ huiusmodi materia sub- 48.
lunari, & corruptibili coalescant; suadetur, primò: quia cometæ interdum è parua quantitate in magnam exerescunt, & è magna in paruam decrescunt: huiusmodi autem incrementa, & decrementa in substantias cœlestes, & incorruptibiles cadere nequeunt. Secundò, quia cometæ luctantes ventos, tempestatesque sonoras portendunt, videlicet ob affluentiam, & copiam exhalationum: signum ergo est, eos exhalatione constare. Tertiò quia Mathematici altimetricis instrumentis lunam dimensi, comperiunt eam esse altiorem cometis, hosque in suprema aëris regione sedem habere: at si materia Cœlesti constarent, in mundo cœlesti, & non in elementari existerent. Porro autem cometa diuidi solet in crinitum, caudatum, & barbatum: eo quod sub triplici hac specie effulgere soleat: motus etiam cometarum triplex est: primus est, quo ab oriente in occidentem vna cum sphæris cœlestibus, igne, & suprema aëris regione circumferuntur: secundus, quo ab occidente ad orientem retro feruntur: tertius interdum est ab austro ad septentrionem: interdum econtra: interdumque versus alias locorum differentias.

CAPVT X.

Quatenus elementa, & mixta maximum, & minimum naturale sibi præscribant?

49. DE maximo, & minimo rerum naturalium plures plura differunt, quæ mihi non probantur, quæque refelli absque negotio possent, si per otium liceret: satius tamen erit, quæ mihi se se obtulerint, in medium proferre; quod nonnullis assertionibus præsto. Ergo: assero primò, elementa, mixtaque omnia magnitudinem aliquam certam sibi definiunt, vltra quam excrescere nequeunt. Probatur assertio quoad elementa, & mixta non vitalia; quoad ea, quæ vitalia sunt statim probanda: namque ignis vniuersi, cuius est pars, incolumitatem postulat: at ad incolumitatem vniuersi spectat, vt ignis definitam, ac certam magnitudinem habeat, neve in immensum ardeat: eadem ratione aqua exigit certam, ac determinatam magnitudinem, ne mundus elementaris, cuius est pars, eius fluctibus obrutus intereat: & huiusmodi exigentia est lex illa, de qua Prouerb. 8. ibi: *certa lege, & gyro vallabat abyssos, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos:* idémque est de cæteris elementis, & mixtis, quibus vniuersum constat: quod autem communiter dici consueuit, elementum ignis verbi gratia maximum naturale sibi non præstituere, id aut falsum est, aut certè intelligendum est attenta exigentia particulari ignis, & seorsim ab exigentia boni communis: quæ quidem in quouis elemento præcipua est, vt cernere est in aqua, quæ postposito bono proprio, per fistulam ascendit, ne contra vniuersi bonum in rerum natura vacuum existat: itaque si ignis infinita lignorum congerie circum circa cingeretur, in infinitum excrescere posset: videlicet quia tunc vniuersi, quod nullum esset, bonum non obesset.

50. Quoad mixta verò, vitalia, & animata speciatim ea assertio probatur: quia homo de facto existens certam, ac determinatam magnitudinem sibi definit, quam præterire naturaliter nequit: ergo à fortiori de aliis viuentibus homine magis imperfectis idipsum dicendum erit. Antecedens probatur: quia anima rationalis de facto existens finitæ, & circumscriptæ perfectionis est: ergo finitam, & circumscriptam corporis molem, non verò syncathegorematicè infinitam animare potest: haud secus ac Angelus, ipsaque anima eo quod finitæ, ac limitatæ perfectionis sint, finitum limitatúmque duntaxat spatij locum occupare possunt. Quanta autem sit hæc magnitudo, quam homo nostræ speciei, sibi definit, incertum est: illud verò certum, exploratúmque est, longissimis interuallis maiorem esse ea, quæ hominibus defacto existentibus obtingit: siquidem sacris, & profanis litteris habetur, extitisse homines gigantes, & portentosæ magnitudinis. De Og enim rege Basan Deuteron. 3. dicitur, lectum eius ferreum habuisse nouem cubitos longitudinis, & quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis: & Abulensis 1. Gen. q. 12 inquit anno 800. salutis nostræ inuentum fuisse cadauer Pallantis Euandri filij à Turno interfecti, illudque in pedes erectum Romæ mœnia barba superasse: & August. l. 15. de ciuit. Dei c. 9. ait, ostensum sibi fuisse dentem molarem Diui Christophori pugno maiorem. At statura humana non solùm à prodigiosa magnitudine, verum etiam ab apta, & conuenienti sæculis labentibus continuo decrescit iuxta illud Iuuenalis satyr. 15.

Nam genus hoc viuo iam decrescebat Homero
Terra malos homines nunc educat, atque pusillos

Videlicet quia virtus seminalis, & procreatrix in dies degenerat, deteriorque, atque imbecillior euadit, more reliquarum rerum humanarum, quæ quo fini propiora sunt, eo quotidie in peius ruunt: vt enim ait Cyprianus ad Demetrianum: *minuatur necesse est quidquid fine iam proximo in occidua, & extrema deuergit; sic sol in occasu suos radios minus claro splendore iaculatur: sic declinante iam cursu exoletis carnibus luna tenuatur.*

Assero tertiò: elementa, & mixta non vitalia 51.
minimo naturali carêt, nullamque magnitudinem adeò exiguam sibi definiunt, quin in alia minori existere possint. Probatur assertio: quia si ignis v. g. minimum aliquod naturale sibi præscriberet, posset materia aliqua combustilis esse intra sphæram actiuitatis ignis, quin tamen in ignem vllatenus abire posset: videlicet, si minimum naturale ignis quoad dimidiam eius partem intra sphæram ignis existeret. Præterea, quæuis pars ignis, & quantumuis exigua cum toto igne est homogenea: sicut ergo ignis producitur in ea quantitate, quæ, iuxta aduersarios, minimum naturale constituit, cur similiter in quauis parte materiæ quantumuis exigua produci non possit? Fateor tamen, ignem v. g. sibi præscribere magnitudinem aliquam, in qua, & non minori aliquandiu conseruari posset; quæ est contrariorum agentium cum eo lucta, & oppositio: & huiusmodi magnitudo eius minimum naturale quodammodo dici potest.

Assero quartò: viuentia omnia minimo natu- 52.
rali gaudent, aliquamque magnitudinem sibi definiunt, in qua & non minori produci, aut existere possint. Suadetur assertio: quia ideo homo v. g. certam aliquam magnitudinem, vltra quam excrescere nequit, sibi definit: quia eius anima finitæ perfectionis est, atque adeo finitæ magnitudinis corpus postulat, vt suprà philosophabar; at etiam anima humana est finitæ imperfectionis, necnon eius imperfectio summa est: ergo etiam homo certam aliquam paruitatem, infra quam consistere nequeat, sibi definit; eiusque anima corpus certæ alicuius exiguitatis, & non minoris postulat. Vnde quamuis organa aliqua viuentis producta, & perfecta sint; tamen forma vitalis in materiam sic organicam non introducetur, donec reliqua organa producantur, & perficiantur: quantum autem sit minimum hoc, in quo homo produci possit, incertum est: probabile tamen est, quod docet ex Aristotele D. Thomas in 3. d. 3. q. 5. art. 2. eiusmodi minimum quantitatem apis non excedere. Hinc arbitror Pygmæos, *quorum tota cohors pede non est altior vno*, non esse fortassis de genere Simiarum, vti Albertus Magnus sentit, sed esse veros homines: si enim forma hominis in magnitudine, quæ quantitatem apis non excedit, produci potest; cur in magnitudine pygmæa conseruari diu nequeat?

Assero quintò: quamuis quæuis species viuen- 53.
tis certam aliquam quantitatem materiæ sibi definiat, quam vltra, citraque consistere nequeat, vti

vti hactenus ostensum est : cæterum probabilius est, viuens in genere nullum magnitudinis, aut paruitatis terminum sibi præstituere ; posséque Deum producere viuentia maiora, & maiora in infinitum syncathegorematicè, & etiam minora & minora in infinitum syncathegorematicè : ita tamen, vt quæ per se, & suapte natura, non verò per accidens maiora sunt, diuersæ speciei sint ab iis, quæ minora sunt. Probatur assertio quoad primam partem : quia Deus potest producere materiam primam maiorem, & maiorem in infinitum : ergo etiam materiam maiorem, & maiorem in infinitum animare poterit : quæ enim repugnantia est in animali, quod mundi magnitudinem æquaret, & in quod quadraret illud Virgilij 6. Æneid.

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore versat.

54. Dices futurum, vt partes eius animalis prope modum infinitè distarent : vnde nec cibus ab eius ore in stomachum, nec chilum à stomacho in hepar, nec sanguis ab hepate in cor, nec spiritus vitales à corde in reliquas partes commodè traiici possent : atque adeo membra eius per tentosi corporis mutuis officiis se se iuuare non possent, sicut ad eorum conseruationem oporteret. Contra tamen : quia partes eius corporis ea magnitudine essent præditæ, vt inuicem insigniter non distarent : deinde admissa gratis prope infinita illa distantia, non video, cur sicut sol quantumlibet prope infinitè distet à mundo elementari, eum tamen splendore suo illustrat, calore temperat, & influxu fouet : cur, inquam eadem ratione partes eius corporis quantumuis distitæ, mutuis tamen influentiis, atque officiis se se iuuare non possent.

55. Quoad posteriorem partem eadem assertio suadetur : quia potest Deus producere materiam minorem, & minorem in infinitum : ergo materiam minorem, & minorem in infinitum organizare, & animare potest : atque adeo viuens minus, & minus in infinitum producere. Dices : organa ad vitam necessaria non nisi in quantitate à nobis saltem perceptibili reperiri possunt ; in materia enim adeo exigua, vt à nobis percipi nequeat, qua ratione oculorum orbes, aurium errores, atque mæandruli, oris hiatus, narium bifores, feneſtellæ reperiri possunt ? quaue ratione in ea caput eminere, cor medium tenere, aut pedes totam molem sustentare poterunt ? &, ne singulis partibus organicis immorer, quo pacto in adeo minuto corpusculo, vt designari nequeat, tot nerui, tot venæ, tot arteriæ, tot musculi, tot ossa locum habere possunt ? At si viuens minus, & minus in infinitum à Deo produci posset, tandem deuenire esset ad aliquod viuens imperceptibilis quantitatis : ergo fieri nequit, vt viuens minus minusque in infinitum possibile sit. Quod si vix intelligi potest, vt in grano seminis, cuius substantiam breuis capacitas tenuissimæ cutis includit, etiam causaliter, siue virtualiter contineantur, vt Diui Mamerti verbis vtar ; *tumores germinum, herbarum virentia, calami stipularum, spicarum spicula, leuia palearum, ac pinguia frugum* : quo pacto fieri poterit, vt hæc omnia, & longè plura non dicantin granulo sementis, verùm etiam in materia imperceptibilis exiguitatis formaliter, seu corporaliter, seu corporaliter existant. Quis non rideat, aliquid adeo minutum, vt percipi nullo sensu possit, radicibus tamen solo hærere, trunco consistere, germina producere, ramos extendere, frondibus virere, floribus vernare, fructibus ditescere, ac demum omnia sortiri, quæ necessaria sunt, vt in arbusculum euadat ?

Verum sapientissimus ille artifex, qui viuentia 56.
omnium nobilissima, nimirum Angelos absque vlla materia fabricauit ; cur viuentia aliqua fabricare nequeat in materia adeo exigua, vt à nobis imperceptibilis, & moraliter nulla sit. Rursus : qui hominem in prima sui generatione format in magnitudine apis, vt suprà vidimus, cur formicam verbi gratia non censeatur primò formare in ea quantitate materiæ, quæ à magnitudine formicæ adultæ tantundem distet, quantum apis ab homine adulto distat : at quantitas materiæ, quæ à magnitudine formicæ tantum distat, quantum apis ab homine, est à nobis imperceptibilis pro sua exiguitate : ergo Deus formicam omnibus numeris, & organis absolutam in materia à nobis imperceptibili format, & fabricat. Præterea si Archimedes sphærula vitrea, & pellucida totius cœli ambitum complexus est ; in eaque solis, & lunæ cursus, syderum errores, orbiúmque superiorum diuersos motus ad amussim expressit ; cur supremus artifex in materia minori, & minori in infinitum viuens quantauis organorum numerositate, varietate, atque symetria polleat, delineare, & formare non possit : de eiusmodi sphæra eleganter Pelusiacus Vates.

Iupiter in paruo cum cerneret æthera vitro
Risit, & ad superos talia dicta dedit :
Huccine mortalis progressa potentia curæ
Iam meus in fragili luditur orbe labor.
Iura poli, rerumque fides, legesque Deorum
Ecce Syracusius transtulit arte senex.
Inclusus variis famulatur spiritus astris,
Et viuum certis motibus vrget opus,
Percurrit proprium mentitus signifer annum.
Et simulata nouo Cynthia mense redit.
Iamque suum voluens audax industria mundum
Gaudet, & humana sydera mente regit.

57. Demum si Callicrates nauim, quam auicula pennis integebat, si muscam alis quadrigam cum agitatore tegentem, si sexcenta id genus opuscula minutissima fabricauit ; cur supremi artificis potentia in viuentium fabrica ad certam aliquam materiæ quantitatem redigatur, & non potius in minori, atque minori semper materiæ quantitate se se mirandam exhibeat, atque ostentet ? Vnde miror Hurtadum, Arriagam, aliosque Philosophos communiter certam viuentibus etiam in genere materiam præscripsisse, infra quam consistere non possint ; ob eorum organa : quasi verò Deus organa vitalia in infinitum minuere, & tenuare non posset. Quod si incredibile iis videtur, tot organa in materia quantæuis exiguitatis fabricari à Deo posse, credant animalia aliqua alterius ordinis Deo possibilia absque eiusmodi organis vinere posse in materia minutissima, quæque nobis sit inuisibilis : cum de facto complura animalcula absque oculis videant, absque auribus audiant, absque dentibus comedant, & absque pedibus gradiantur, & ne multis morer, absque organorum varietate varias vitæ actiones

poſſint exercere. Quam doctrinam totam elegantèr inſinuat Tertullian: in lib. de anima cap. 10. ibi: *oculos habent ad videndum?* (ſupple culices, formicæ, & tineæ) *At quin & pergunt quo volunt, & vitant, & adpetunt quæ videndo ſciunt; deſigna oculos, denota pupillas. Sed excedunt tineæ; demonſtra mandibulas, deprome genuinos. Sed & perſonant culices, ne in tenebris quidem aurium caci; tubam pariter & hiantiam oris illius oſtende. Quoduis animal vnius licèt puncti, aliquo alatur, neceſſe eſt; exhibeas pabuli tranſmittendi, decoquendi, defæcandique membra. Quid ergo dicemus: ſi per hæc viuitur, erunt hæc in omnibus vtique quæ vivent, etſi non videntur, etſi non adprehenduntur pro mediocritate: hoc magis credas, ſi Deum recogites tantum artificem in modicis, quantum & in maximis. Si verò non putas, capere tam minuta corpuſcula Dei ingenium, ſic quoque magnificentiam eius agnoſcas, quod modicis animalibus ſine neceſſariis membris nihilominus viuere inſtruxit, ſaluo etiam vſu ſine oculis, & eſu ſine denticulis, & digeſtu ſine alueis, quemadmodum & incedunt quædam ſine pedibus manante impetu, quod angues: & inſurgente conatu, quod vermes: & ſpumante reptatu, quod limaces. Ita & ſpirari cur non putes ſine pulmonum follibus, & ſine fiſtulis arteriarum?* Hactenus ille.

CAPVT XI.

Elementorum figura.

57. TEllurem in primis rotundam, & ſphæricam eſſe hac ratione Ptolomæus Regiomontanus, Alphraganus, Clauius, & reliqui Mathematici ſuadent: terra eſt rotunda, & ſphærica ab Oriente in Occidentem, & à ſeptemtrione ad meridiem: ergo vndique ſphærica eſt. Antecedens quoad primam partem ſuadetur: quia ſi terra ab oriente in occidentem plana eſſet, ſtellæ tam cito orirentur orientalibus, ac occidentalibus; eodémque tempore vtriſque occiderent, quia omnes eundem horizontem haberent, nimirum planitiem terræ: ſi verò terra ab oriente in occidentem caua eſſet, citius orirentur ſtellæ occidentalibus, quàm orientalibus: vt cernere eſt in valle, cuius partes occidentale citius à ſole colluſtrantur, quàm partes eius orientales: at vtrumque aliter vſuvenit, & potius ſtellæ citius oriuntur, citiuſque occidunt orientalibus populis, quàm occidentalibus: igitur terra ab oriente in occidentem neque caua, neque plana eſt; ac per conſequens tumida, & ad rotunditatem accedens. Maior conſpicua eſt. Minor ſuadetur: quia cum ecclipſis lunaris oriatur ab ingreſſu lunæ in vmbram terræ: ſanè eodem temporis articulo luna omnibus mortalibus occultatur: cum ergo ecclipſis lunæ occidentalibus populis prima hora noctis verbi gratia & orientalibus tertia hora noctis appareat, vt ex libris hiſtoriarum, & certis relationibus conſtat; negari vtique nequit, populos orientales duabus horis prius habuiſſe noctem, ac per conſequens totidem horis citius his ſolem exortum fuiſſe.

58. Idem antecedens quoad ſecundam partem ſuadetur: quia ſi terra à ſeptemtrione ad auſtrum plana eſſet, quantumcunque quis à ſeptentrione ad auſtrum pergeret, eaſdem ſemper ſtellas videret, vtpote qui ſemper eſſet ſub eodem orizonte, nimirum eo, quem planities terræ deſignaret: ſi verò terra à ſeptentrione ad auſtrum caua eſſet, quo magis quis à ſeptentrione ad auſtrum procederet, eo plures ſtellas verſus polum arctcum conſpiceret, pluréſque verſus polum antarctcum ei occultarentur: at vtrumque aliter vſuvenit; & experimento conſtat, eum, qui à ſeptemtrione ad auſtrum procedit, non eaſdem ſemper ſtellas conſpicere, ſed quæ Borealibus populis ſempiternæ occultationis ſunt, ei ſenſim apparere: quæ verò iis ſempiternæ apparitionis ſunt, ei pedetentim occultari: haud aliter ac qui montis tumorem gyrat, plura quæ antea videbat, ei occultantur, & plura, quæ antea ei occultabantur, ſub eius conſpectum veniunt. Deinde experimento etiam conſtat: quo magis accedit quis ad auſtrum, & ab aquilone recedit, eo plures ſtellas eum conſpicere verſus polum antarcticum, & pauciores verſus arcticum: quod autem terra vndique nobis plana eſſe videatur, facit eius magnitudo: namque ſi quis ex circumferentia maximi alicuius circuli minimam partem abſcinderet, ea quidem ſeorſim conſiderata plana appareret: at quidquid nobis de terra apparet reſpectu totius ambitus terræ, minima quædam particula eſt.

59. Aquam etiam rotundam, & ſphæricam eſſe iiſdem rationibus ſuaderi poteſt: quibus hanc ex Ariſtotele lib. 2. de cœlo adiicio: ſi aqua non haberet ſuapte natura figuram ſphæricam, & rotundam, in loca decliuiora non deflueret: quod tamen experimento apertè repugnat. Sequela ſuadetur: quia ſi aqua ſphærica, ac rotunda non eſt, ſed plana; aut alterius figuræ; ſit ſuper terram expanſa per lineam *A. B. C.* ſanè partes aquæ verſus *A.* & verſus *C.* magis à centro terræ, quàm partes *B.* diſtabunt, vt in ſubiecto ſchemate cernere eſt: ergo partes aquæ verſus *A.* & verſus *C.* eleuatiores erunt, quàm partes aquæ verſus *B.* ergo ſi partes aquæ verſus *A.* & verſus *C.* ſuapte natura ita collocatæ ſunt, eamque planitiem, aut expanſionem cum reliquis aquæ partibus conſtituere poſtulant; ſanè ſuapte natura eleuatæ erunt, & in decliuia, ac inferiora loca lapſum non poſtulabunt.



60. Ex hac ratione efficitur, elementum aquæ ſuaptè natura habere tumorem, quo terram ambit, & vnum cum ea globum efficit, cuius centrum ſit centrum totius vniuerſi: ſic enim & non aliter aqua collibrata quieſcet, omnéſque eius partes æqualiter à centro diſtabunt, & aliæ aliis altiores de ſe non erunt. Vnde etiam ingeniosè Mathematici colligunt, vas in radice montis collocatum plus aquæ continere poſſe, quàm ſi in montis cacumine collocetur. Quod ad reliqua duo elementa attinet, non poterit aër non eſſe ſphæricus, cum aquæ, & terræ globum vndique ambiat, nec poterit etiam ignis non eſſe ſphæricus, cum ſphæram aëris contineat, & à ſphæra lunæ contineatur.

CAP

CAPVT XII.

Elementorum situs.

61. IGnem cæteris elementis eminere, & ad cœli concaua consistere tractatu sequenti constabit: aërem etiam supra terram, & aquam euanescere experimento constat: vnde tota controuersia ad maris, & terræ elementa reuocatur: vtrum scilicet altero eleuatius, vtrum depressius sit? Tellurem quoad extimam superficiem esse altiorem mari tenent Contarenus lib. 2. de element. Caietanus in 1. Genes. Clauius cap. 1. sphæræ. Conimbricenses 2. de cœlo qu. 4. c. 4. art. 2. vbi pro eadem sententia Chrysostomum, Damascenum, & Augustinum adducunt. Molina part. 1. de oper sex dierum, Pererius in Genesim, aliique plures, quibus ipse subscribo: quia aqua non est altior terra quoad extimam vtriusque superficiem: igitur ea depressior est. Antecedens suadetur: quia si aqua esset celsior terra, maximè quia aqua, & terra non constituunt vnum, eundémque globum? quorum alter interfecet alium, eoque emineat, vt cum D. Thoma p. 1. q. 69. art. 1. omnes fermè aduersarij philosophantur: atqui hoc falsum est, quia si elementum aquæ in globum illum à terra distinctum, eáque altiorem cogitur; cur aqua, quæ decliuia semper amat, in terram non defluit, eámque totam non innundat? aut cur non.

Expatiata ruunt per apertos flumina campos,
Cũque satis arbusta simul, pecudesque, virosque,
Tectaque, cumque suis rapiunt penetralia sacris?

62. Dicunt primò nonnulli: ideo aquæ è congerie illa, in quam coacta est, non descendere, terramque fructibus suis non obruere; quia suapte natura in orbem, figuramque rotundam se se conuoluit, vt videre est in guttulis aquæ, quæ se se in sphæram, ac rotunditatem disponunt. Verùm, etsi aqua in subiectam sibi tellurem dilaberetur, & vndique eam operiret, iterumque verum esset illud Poëtæ:

Iamque mare, & tellus nullum discrimen habebant
Omnia pontus erant, deerant quoque littora ponto.

Quanquam, inquam, hoc eueniret; adhuc aqua figuram rotundam haberet, vtpote telluris rotunditati vndique circumflua: igitur appetitus figuræ orbicularis, & rotundæ in aqua non vetat, quominus terram inundet, & fluctibus suis operiat.

63. Alij malunt, effrænæ maris licentiam à Deo miraculosè, & supernaturaliter coërceri: iuxta illud Iobi c. 38. *quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulua procedens, cum ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud, quasi pannis infantiæ, inuoluerem. Circundedi illud terminis meis, & posui vectem & ostia: & dixi, vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic franges tumentes fluctus tuos.* Verùm hoc testimonio tantum conuincitur, Deum in prima nascentis origine mundi miraculosè, & supernaturaliter effecisse, vt tellus abyssо illa aquarum, quibus immersa erat, ad vsum habitationemque hominum emergeret; cum tamen, si ad homines non respiceret, & suis omnia legibus ire sineret; aqua, quia leuior terra, eam omni exparte innundare, eique eminere deberet. Cæterùm supposito illo miraculo, quod aqua quotidie terram non obruat, omnino naturale est, & non miraculosum: & quidem sine vlla necessitate aduersarij conseruationem mundi, & incolumitatem hominum in perenne miraculum referunt.

64. Deinde consequens illud falsum esse ex eo constat: quia si terra, & aqua diuersos illos globos constituerent, diuersisque centris gauderent; sequeretur partem aliquam terræ, & partem aquæ ex aliquo loco sublimi liberè demissas, eodè loci non descensuras, nec per eandem lineam rectam perrecturas, nec similes, & æquales angulos effecturas: quod tamen experientiæ apertè repugnat. Rursus: si terra, & aqua duplicem globum constituerent, in ecclipsi lunari luna duplicis globi vmbra opacaretur; id est non vnam, sed duplicem vmbram rotundam ingredi cerneretur: ac proinde non semel, sed bifariam corniculata, & circularis appareret: quod etiam experientiæ repugnat. Præterea; si aqua in cumulum illum, globumque à terra distinctum intumesceret, quoties nauis eiusmodi globum ascenderet, & à terra longè recederet, nulla bolide possent nautæ altitudinem maris explorare, aut eius fundum inuenire, ob immensam eius suprà terram altitudinem: consequens autem contra experientiam est, cum nautæ, quantumcunque à terra in altum ferantur, vbique fundum, & non procul reperiant. Vlterius: si mare in eiusmodi cumulum suis paulatim voluminibus eleuaretur, nauis, cum è portu soluit, & pelago se credit, contra natiuam graultatem sursum ascenderet: & è contra, cum portum repetit, descenderet, ac proinde æquali ventorum flatu aspirante citius ad portum rediret, ac tardius à portu iret; imò nullis ventorum flabris impulsa natiui ponderis munere ad portum remearet: quæ tamen experimento repugnant.

65. Tandem: quia, cum medium maris æquor tenemus, quodcunque adspicimus, nihil est; nisi pontus, & æther: cum verò propè littora accedimus, tunc primum montes, scopuli, arces, mœnia, & alia eiusmodi exurgere cernuntur & quasi ab aquis emergere; idque ea proportione, vt montium culmina, & turrium apices prius appareant, mox mediæ partes, ac demum infimæ: quod si mare continentem fermè, & perpetuam cum terra superficiem non efficeret, sed potius in cumulum, tumorémque ab ea eccentricum assurgeret, postquam quis summitatem illius tumoris, altioresve eius partes teneret, omnia quæ sunt in littore non paulatim, sed simul, & vnico obtutu conspiceret: haud secus ac is, qui verticem alicuius montis ascendit, omnia, quæ in subiecta planitie sunt, simul despicit.

66. His argumentis respondent aliqui, iis manifestè quidem conuinci, aquam non constituere globum distinctum à globo terræ, sed potius vnum, eundémque: cæterum in eo globo, in quem terra, & aqua coalescunt, partes aquæ vt plurimum eminere partibus terræ: haud secus ac in globo ipsius terræ secundum se spectatæ, montes vallibus editiores sunt. Verùm in primis aqua maris, qua telluri contermina, & vicina est, altior terra non est, sed potius ea depressior: siquidem flumina prono lapsu in mare se se proripiunt: cum ergo loca magis decliuia ament, vt experientia docet; fieri nequit, quin mare quà prope terram est, & redeuntia ad se flumina sinu suo quasi amplectitur,

terra ipſa, vnde flumina labuntur, inferior ſit? Quare ſolùm penes eos tractus, qui à terra diſſiti ſunt, mare altius terra eſſe poteſt, atque adeò in cumulum, ac tumorem aſcendit, eo altiorem, quo longius à terra recedit: at hoc falſum eſſe ſuperiora argumenta manifeſtè conuincunt.

68. Alij verò reſpondent, terram, & aquam vnum, eundémque globum conſtituere: in quo tamen nec partes terræ partibus maris, aut e contra eminent, ſed potius ambæ æqualis altitudinis ſint. Verùm, cum mare quatenus iuxta terram fluit, refluitque, terra depreſſius ſit: & aliunde quatenus à terra diſtat, in altitudinem, & tumorem non eleuetur; ſanè omni ex parte terra depreſſius erit: id quod ſacræ literæ luculenter inſinuant Pſ. 135. *qui firmauit terram ſuper aquas*, & Pſalm. 106. *qui deſcendunt mare in nauibus.* Itaque tellus cauernis ſuis aquas includit: haud ſecus ac ſi globus aliquis igneus complura haberet foramina, quibus aquam ſuſciperet: ſicut autem in eo globo ligneo lignum quod contineret aquam, ſuperius, & eminentius illa eſſet: ita ſimiliter in præſenti. Verùm hæc eminentia, & altitudo terræ ſuper aquas exigua eſt, & nullius momenti, ſi diameter, & magnitudo totius terræ ſpectetur.

69. Contrariam ſententiam tuentur B. Thomas vbi ſuprà, Catharinus in 1. Geneſ. Burgenſis, Canus, & non pauci Thomiſtæ. Arguunt primò ex ſacris: *fundaſti* (inquit Regius Vates Pſalm. 103.) *terram ſuper ſtabilitatem ſuam, abyſſus ſicut veſtimentum eius ſuper montes ſtabunt, aquæ: ab increpatione tua fugient.* & Pſalm. 68. ibi: *veni in altitudinem maris.* Secundò quia vt ait Baſilius Hom. 4. in Examer. & Plinius l. 6. c. 29 experimento deprehenſum eſt ab inſignibus Mathematicis, mare rubrum eſſe altius tribus cubitis terra Ægypti, ob quod Seſoſtris Rex Ægypti, & Darius Rex Perſarum tentarunt mare Ægyptiacum, aut certè Nilum Ægypti flumen, aut certè vtrumque coniungere mari rubro: quod certè non tentarent, niſi mare rubrum terra Ægyptiaca altius eſſet, per eámque non accliuem, ſed decliuem, pronumque curſum haberet. Tertiò, quia nauta, vbi ex alto redeunt terras ſibi ſubiectas eſſe, & infrà ſe conſiſtere tuentur. Quartò, quia terra eſt grauior aqua, & hæc terra leuior: ergo aut vtráque perpetuam violentiam patitur, aut terra infrà aquam, & hæc ſuprà terram ſedem ſuam habebit. Quintò, quia flumina omnia à mari originem ducunt; iuxta illud Eccleſiaſtes c. 1. ibi: *omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant.* Cùm ergo experientia aquæ ductuum conſtet, aquam non plus aſcendere, quàm deſcenderit; & aquæ fluuiales à ſuperciliis, ac tantum non cacuminibus montium ſcaturiant: certè eo aſcendere non poterunt, quin à mari deriuatæ tantundem deſcenderint: deſcenſus autem earum à mari, æqualis earum præfato aſſenſui eſſe nequit abſque eo, quod mare, montium ſupercilia, atque cacumina altitudine exæquet: quo fit, vt terra nullatenus depreſſior eſſe poſſit, ſed potius maiori ex parte ea excelſius.

70. Ad primum reſpondeo, Dauidem loco adducto ſermonem habuiſſe de terra, non prout modo exiſtit, ſed prout à Deo primò producta eſt, tantúmque voluiſſe, terram initio productionis ſuæ aquis vndique coopertam fuiſſe: verba autem illa: *ſtabunt aquæ*, æquipollent: *ſtabant aquæ*, futurúmque ponitur pro præterito imperfecto, quo carent Hæbrei, vt cum Eugubino plures ſcitè interpretantur: altitudo autem maris iuxta Dauidem ſignificat eius profunditatem, non verò eminentiam ſuprà terram. Ad ſecundum reſpondeo, vt experimento compertum ſit, mare rubrum eſſe altius terra, quæ inter ipſum, & mare mediterraneum intercluſa eſt: quod plures negant, non pauci in dubium reuocant: vt, inquam, huiuſmodi experientiam à Mathematicis factam hiſtoriæ credam, quantula eſt ea portio terræ ad reliquam telluris periegeſim mari eminentiorem. Tranſeat ergo, bimarem Ægypti terram mari rubro depreſſiorem eſſe: ſicut etiam Hollandia, & Zelandia mari vicino depreſſiores ſunt, multiſque repagulis egent, vt mari obſiſtant, ab eóque non inundentur: cæterum, cum hæc, & ſimiles regiones (ſi quæ aliæ ſimiles ſunt) ad magnitudinem totius terræ, nullius, aut certè exigui momenti ſint, ſanè terra abſolutè altior mari dicenda eſt. Ad tertium reſpondeo: quæ atro calore prædita ſunt, poſita iuxta ea, quæ candido calore affuſa ſunt, depreſſiora, & profundiora apparent: videlicet quia calor ater minus mouet ſenſum, minuſque conſpicuus eſt: & hac ratione pictores vbi hiatum, aut profunditatem aliquam depingere volunt, atro calori candidum circumfundunt: cum ergo calor terræ ater ſit, vel certè ad atrum accedat ratione opacitatis terræ; color verò maris candidus ſit, vel certè ad candorem accedat, eo quod mare pellucidum, ac diaphanum ſit, & lucis plus hauriat, poterit quidem terra videri depreſſior mari, cum tamen ea depreſſior non ſit.

Ad quartum reſpondeo: inprimis quod terra ſit grauior aqua, & hæc illa leuior, non arguit, terram quoad conuexam, & extimam ſuperficiem debere eſſe inferiorem mari, defacto loquendo, ſed tantum quoad concauam ſuperficiem, & pleráſque partes, quæ inter vtrámque ſuperficiem coërcentur, eſſe depreſſiorem mari: haud ſecus, ac reliquæ telluris partes, montes nimirum, nonnullis aëris partibus altiores ſunt, & ſuprà vbi pluitur; ac ningitur, verticem interdum erigunt, quantumuis quibuſcunque aëris partibus grauiores ſint. Deinde, tametſi tellus modo explicato altior mari ſit, tamen partes terræ aliores non aquis, ſed aliis terræ partibus innituntur: parteſque etiam aquæ, quæ terra depreſſiores ſunt, terræ non ſubſunt, nec eius molem ſubſtinent: cum ergo magis miraculoſum ſit, terram eſſe altiorem mari, quàm puteum aliquem aquis ſuis eminere? Fatendum tamen eſt, magis conforme fore appetitui naturali aquæ circa proprium bonum, ſi terram quoad omnes eius partes cooperiret, eique circum circa emineret, ſicut in primæua vtriuſque elementi generatione accidit: cæterum appetitus hic ſingularis aquæ cedit appetitui vniuerſali, quo bonum vniuerſi poſtulat, & conuexam telluris ſuperficiem ad habitationem hominum, & reliquorum animantium fluctibus ſuis emergere deſiderat: ac proinde perpetuam violentiam neutiquam patitur. Ad quintum tr. ſequenti capite 2. conſtabit. 71.

***

TRA

TRACTATVS II.

De quatuor Elementis in particulari.

CAPVT PRIMVM.

De Terra.

1. ASSERO primò: Terra est summè sicca, & prope summum frigida: ita cum Aristotele 2. de generat. quæst. 5. cap. 3 communiter omnes Philosophi: & probatur hac ratione, qua etiam quæ cuiuis elemento qualitas in summo conueniat, perspicuum fiet: debita elementorum dispositio postulat, vt sicut supremo elemento, igni nimirum, prima, & præcipua qualitas actiua in summo conuenit, ita etiam elemento infimo, & omnium ignobilissimo, nimirum terræ, qualitas passiua posterior, & ignobilior in summo competat: atque vt, quemadmodum prima qualitas actiua elemento ignis conuenit, prima etiam passiua elemento aëris, igni dignitate proximo, conueniat: ac per consequens, vt secunda qualitas actiua, quæ tantum superest, aquæ in summo conueniat: cum ergo prima, & præcipua qualitas actiua sit calor, & secunda, ac minus præcipua frigus; prima verò, & præcipua qualitas passiua sit humiditas, secunda vero & minus nobilis siccitas: certè dispositio recta elementorum postulat, vt, quêadmodum igni calor in summo, sic etiam terræ siccitas in summo, nec non aëri humiditas in summo, & aquæ frigiditas in summo congruant. Eadem etiam dispositio principum qualitatum ad elementorum conseruationem maximoperè confert, cum iuxta illam qualitates in summo contrariæ sibi contiguæ non sint. Quæ autem Auicena de cœlo cap. 16. & Albertus Magnus pro summa terræ frigiditate opponunt, tantum efficiunt, alteram nostræ conclusionis partem, aut certè terram ab extrinseco interdum summe frigidam esse.

2. Assero secundò: terra in mundi medio immobilis hæret. Hæc assertio suadetur: primò ex sacris literis, siquidem Psalm. 103. habetur: *qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in saculum saculi*, & Ecclesiastes cap. 1. *terra in æternum stat*, & Paralipomenon cap. 16. *Deus fundauit orbem immobilem*. Secundò id ipsum ratione suadetur: quia terra nec naturaliter, nec violenter mouetur: ergo nullo modo, non naturaliter, quia ille motus naturalis aut esset rectus, & sic esset à medio, cum terra in mundi medio sit: terram autem naturaliter moueri à medio, siue sursum naturaliter impossibile est: aut esset circularis, & velocissimus, sicut cum pluribus Pytagoricis nouissimè Copernicus arbitratur: & hoc etiam repugnat, primò, quia siquis sagittam in altum eiacularetur, non deberet decidere supra eandem telluris partem, de qua sursum proiecta eret, sed supra aliam longe dissitam, atque remotam: haud secus ac cum quis è naui sagittam sursum proiicit; è naui, inquam, ventis impulsa, & maria celerrime aranti, ea non suprà nauim, sed longe post illam decidit, eo quod motum nauis consequi nequeat. Secundò, quia ædificia omnia corruerent: si enim terræ motus, qui vnam, aut alteram telluris particulam solicitat, & qui non semper, sed statis temporibus grassatur, tamen vrbes integras diruit, vallibus montes æquat, orasque, ac littora tremere, & mugire facit; quid stabile, & inconcussum esse poterit, vbi tota terræ moles irrequieta volubilitate, ac perpetua vertigine in orbem rapiatur. Tertiò, quia videmus tellurem immobilem stare, & cœlum, ac syderà circum nos volui, vt spatio viginti quatuor horarum encyclopediam absoluant. Quod autem respondet Copernicus, sensum nostrum ludificari, & potius cœlum cum syderibus semper immobile stare, solamque terram esse, quæ mouetur ea celeritate, vt spatio viginti quatuor horarum circulum suum perficiat: haud secus ac cum quis à portu soluit, nauis ei consistere, & littus moueri videtur, quo respexit ille Æneid. 3.

Prouehimur portu: terræque vrbesque recedunt.

Hoc, inquam, quod respondet Copernicus, in congregatione Cardinalium merito damnatum est: vtpotè quod multis sacræ Scripturæ testimoniis repugnat: inter quæ luculentissimum est illud Ecclesiastes cap. 1. *oritur sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur: ibique renascens gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem.*

3. Quod autem terra, quæ est eius firmitas, ac stabilitas, violenter non moueatur vt ad secundum à nobis probandum deueniam, adeò perspicuum videtur, vt probatione non egeret, nisi oppositum sensisset P. Vasquez 1. 2. disp. 82. c. 2. num. 6. Primò quia centrum grauitatis terræ debet esse penetratum cum centro magnitudinis vniuersi: siue, quod in idem recidit, cum loco omnium infimo: at si aliquod pondus terræ ex vna parte, & non ex alia accedat, esto sit minima quædam stipula, aut tantillus ei impulsus imprimatur: magis quidem ex vna parte circa punctum medium suæ magnitudinis, & magnitudinis vniuersi; magis, inquam, ex vna parte, quam ex alia grauitabit: igitur punctum magnitudinis terræ, nec non totius vniuersi non erit, sicut antea punctum grauitatis terræ, neque cum eo penetrabitur: igitur tota terra trepidare, & moueri debet ad hoc, vt punctum grauitatis eius cum puncto magnitudinis terræ, & vniuersi penetretur, & coincidat; siue, quod perinde est, ad hoc vt terra in infimo loco sit: aut si ita non moueatur, certè sursum quiescet.

Secundum huius sententiæ fundamentum est, quia cum lapis in terram decidit, impetum aliquem terræ imprimit: ille autem impetus, siue impulsus terræ impressus aliquando perit, nec enim semper durat: at nõ perit defectus subiecti, siquidem illud ratione suæ stabilitatis illæsum remanet: nec etiam defectu motoris, siue causæ efficientis: quia motor lapidis in centrum ruentis, terramque lapsu suo concutientis est ipse lapis, qui illæsus etiam permanet: igitur per alium impetum contrarium destrui debet: eiusmodi autem impetus, siue impulsus contrarius aliter produci à terra nequit, quam quia ratione põderis impressi deorsum subsidit, vt centrum magnitudinis suæ, ac totius vniuersi cum centro suæ grauitatis penetret; sursum verò iterum subsultat; eo quod partes à centro vniuersi deiectæ illud recuperare nitantur: terra autem ita subsi-

dens, atque subsultans trepidanti similis est.

5. Verùm inprimis iuxta hanc sententiam terra in perpetuo motu, ac trepidatione esset: cum nusquam, aut nunquam ab impetu aliquo ei impresso, aut pondere ei iniecto immunis sit: consequens autem non solum experimento repugnat, verum etiam rationi naturali, iuxta quam nullum violentum naturaliter perpetuum esse potest. Rursus: si palea bilanci in æquilibrio posita iniecta illam non inclinat, nec in alteram partem flectit: qua ratione credendum est, telluris molem quantumuis æquilibrium amet, vllo pondere, vlloue impetu tremere, aut commoueri posse. Præterea vt centrum grauitatis terræ penetretur cum centro magnitudinis eius, necesse non est, vt impresso aliquo impulsu, aut iniecto aliquo pondere terræ versus aliquod eius latus, illico tota telluris moles, ac vastitas moueatur; sed satis est, vt versus aliud latus æquale pondus terræ iniiciatur, æqualisue impulsus ei imprimatur; sic enim ad æquilibrium tota reuocabitur, tametsi non moueatur: & rationi magis consonum videtur, vt terra huiusmodi ponderum, & inpulsuum quasi contrapositionem postulet, quam vt à violento trepidationis motu nunquam quiescat. Postea: sicut duratio affixa instanti *A.* eo elapso absque vllo contrario perire potest, cur similiter impulsus absque impulsu contrario perire nequeat. Cum ergo terra aliqua ex parte impellitur de nouo, non erit opus, vt ad destruendum eiusmodi impulsum alius contrarius, non sine totius terræ titubatione, producatur. Tãdem sicut corpus aliquod recipit impulsum, quin per eum moueatur; vt cum quis ingentem rupem totis viribus, loco dimouere, aut in altum leuare frustra conatur: cur similiter corpus impulsum producere nequeat absque eo, quod moueatur? atque adeo tametsi ad destruendum impetum terræ impressum alio impetu contrario opus sit; sanè eiusmodi impetum contrarium tellus immota, atque inconcussa producere poterit.

CAPVT II.

De Aqua.

6. Assero primò: Aqua est summè frigida, & prope summum humida: ita cum Aristotele plerique eius interpretes, & Philosophi, ac nouissimè Compton. disp. 12. de gen. sect. 3. num. 2. & facilè suaderi potest: quia aqua nequit esse summè sicca, vt experientia demonstrat: deinde nequit esse summè humida, aut summè calida, vt constabit inferius; cum de aëre, & igne egerimus: reliquum igitur est, vt summè frigida suopte genio sit. Quod verò prope summum humida sit, adeo compertum est ipsa experientia, vt probatione non egeat. Dices: si aqua frigidissima esset suapte natura gelu, siue glacies esset; cum nimia frigiditas corpora liquida congelet. Verum quemadmodum ignis non lucet, nisi subtili terreo admixtus: eaque de causa in propria sphæra non videtur: ita etiam aqua non gelascit, nisi exhalatione terrea concreta, vt docet Auerroes 4. de cœlo comment. 32. aqua autem suapte natura eiusmodi concretionem non postulat, sed potius pura, ac defœcata esse.

Assero secundò: Aquæ fontanæ, atque fluuiales à mari origenem ducunt. Ita Basilius Hieronym. Isidor. Damascenus. Thomas, Idonisyus, & alij Patres. Suadetur primò ex illo loco citato Ecclesiastes cap. 1. *omnia flumina intrant in mare*, &c. Respondent aduersarij, flumina à mari exire, non quod per occultas terræ vias, quasi per venas quasdam à mari dissëminentur, sed quod materia fluminum, ac fontium sint imbres, & pluuiæ; quæ, quia magna ex parte à mari oriuntur, vaporibusque ex eo surrectis aluntur, ideo mediate (vt aiunt) fontes, & flumina à mari exire dicuntur. 7.

Cœterùm hanc solutionem elegantissimè refellit Seneca lib. 3 natural. quæstion. cuius hæc sunt verba: *Primum ego tibi vinearum diligens fossor affirmo*, nullam pluuiam esse tam magnam, quæ terram vltra decem pedes in altitudinem madefaciat; omnis humor intra primam crustam consumitur, nec in inferiora descendit: *Quomodo ergo potest imber suggerere amnibus, vires, quæ summam humum tingit. Pars maior eius per fluminum alueos in mare effertur: exiguum est, quod sorbet terra, nec id seruat: aut enim arida est, & absumit quidquid in se fusum est: aut satiata, si quid supra desiderium cecidit, excludit: & ideo primis imbribus non augentur amnes, quia totos in se sitiens terra trahit. Quid? quod quædam flumina erumpant saxis, & montibus his quid conferent pluuiæ, quæ per nudas rupes deferuntur, nec habent terram, cui insideant. Adiice, quod in siccissimis locis putei in altum acti per ducenum, aut tricenum pedum spatia inueniunt aquarum vberes venas in ea altitudine, in quam aqua non penetret, vt scias illic non cœlestem esse, nec collectitium humorem, sed quod dici solet viuam aquam: illo quoque argumento hæc opinio refellitur, quod quidam fontes in summo montis cacumine redundant: apparet ergo, illos sursum agi, haud ibi concipi, cum omnis aqua pluuialis decurrat.* 8.

Secundò suadetur nostra sententia: quia flumina, & fontes originem non trahunt ex pluuiis, & imbribus, vt numero præcedenti ostensum est: nec etiam ex vaporibus, & aëre intra cauernas, porosque terræ conclusis, & indidem in aqua solutis; vti Aristoreles, & cum eo eius interpretes arbitrati sunt: igitur à pelago oriuntur. Posterior pars antecedentis, quæ sola probationis indiga est, in hunc modum probatur: quia si flumina, & fontes ex vaporibus, & aqua intra terræ sinus inclusis, & in aquas addensatis originem ducerent; haud secus ac pluuiæ ex vaporibus oriuntur, non possent fontes esse perennes, sicut etiam pluuiæ perennes non sunt: & quemadmodum pluuiæ quot annis, & quot mensibus modo cadunt, modo non cadunt: & nunc has, nunc illas terræ partes irrorant: ita pariter fontes, & flumina statos, certosque cursus non obtinerent, sed eodem anni tempore modo fluerent, modo deficerent: & nunc hos, nunc illos telluris tractus alluerent, & irrigarent. Quid? quod incredibile est, intra terræ poros tantum aëris, tantumque vaporum concludi, quantum ad generationem tot, tantorumque fluminum sufficiat. Quis sibi persuadeat, à stiblicidiis montium, & vaporibus in aquas guttatim resolutis vires accipere Pelusiacum illum Nilum (vt interim alia flumina prætermittam) cuius aquarum copia ea est, vt septem ostiis in mare deuoluatur, eoque impetu, ac torrente, vt 9.

eius

eius sonitu non nullibi incolæ obsurdescant: deinde vt totam Ægyptum ripis superfluus inundet, atque fœcundet; vt demum infinito tractu decurrens fontem atque originem mortalibus occultet, quasi alicubi paruum videri probro sibi esset.

10. Enimuero explicandum superest, quatenus aqua suapte natura grauis à mari, quod terra inferius est, ascendere possit in altissimos montes, vbi tot fontes scaturiunt, tam multa flumina erumpunt. Aliquas causas referam, alias addam; quarum, esto singulæ ad maris per terræ fistulas, & quasi venas ascensum non sufficiant: certè omnes simul sumptæ satis superque erunt. In primis ergo dici potest, terram velut spongiam attrahere, & quasi sugere ad se aquam, eamque in sublimioribus locis refundere: aqua autem sic attracte, reddita, si diuite vena fluat, riuus; si paupere, fons appellatur. Deinde dici potest, intra telluris viscera vastos esse specus, ingentes recessus, abruptos hiatus, & laxa cauaque spatia, intra quæ aqua maris magna copia se se insinuat: & cum occupatam, coarctatamque se deprehendit, & per angustos fistulareque cuniculos, per quos mari extrinsecus premente, & incumbente delapsa est, tota redire, ac retrocedere nequit; exitum, qua potest via, quærit; sursumque erumpit, & modo in fontes scaturit, modo in riuos disseminatur.

11. Præterea dici potest, aquam intra telluris cauitates spiritu, & flatu intus agitante compelli, compulsam euehi, sursumque euectam eadem vi foras scaturire: equidem cum vapor, & exhalatio à sole calorem, & cum calore lenitatem mutuentur miranlum non est, quod aquam à mari per terræ rimas secũ attrahant, sursumque euehant; & illicis, ruptisque montium lateribus foras effundant. Rursus dici etiam potest, aquam per occultas terræ cauernas è pelago sursum ascendere ad replendum vacuum, quemadmodum è contrario aër descendit, latebrososque terræ sinus occupat, nec vacuum in rebus detur. Tandem dici potest, aquas ex imo maris per terræ venas vi solis, ac syderum sursum attrahi, videlicet communis boni causa, & vt terra aquis irrigua, & humore irrorata animalibus vsui sit, iisque alendis deseruiat.

12. Assero tertiò: causa fluxuum, & refluxuum maris sydus lunæ est: ita Basilius, Ambrosius, Thomas, Cicero, Ptolemæus, Alensis, Scotus, Conimbricenses, aliique plures, quos ipsi referunt, & sequũtur. Hæc assertio in hunc modum suaderur, quia æstus maris sequitur motum diurnum lunæ: & sicut luna spatio viginti quinque horarum circulum suum perficit, ita mare eodem spatio temporis bis fluit, refluitque: ac reciprocationem suam absoluit: & sicut luna in quartas diuiditur iuxta quatuor cœli partes, quarum puncta sunt ortus, & occasus, vertex diei, & vertex noctis: ita pariter iuxta easdem periodos fluxus, refluxusque maris dissecatur: primusque fluxus inchoat tribus fermè horis, postquam luna orta est; duratque totidem horis, postquam luna verticem diei, siue meridianum prætergressa est: rursus incipit primus refluxus maris tribus ferme horis ante occasum lunæ, & post eius ortum in altero hemisphærio totidem horis durat: deinde secundus maris fluxus incipit tribus horis, antequam luna verticem noctis seu punctum oppositum nostro meridiano attingat, & transacto eo puncto totidem horis durat: tamdemque tribus horis ante ortum lunæ in nostro hemisphærio secundus refluxus incipit, totidemque horis post eius ortum durat: quis autem sibi persuadeat, hanc symmetriam, & proportionem (vt alias plures omittam) inter motum reciprocum maris, motumque diurnum lunæ intercedere posse, nisi quia alter ab altero regulatur, & causatur.

13. Verum inquies: si luna gubernatrix tenebrarum, & nobilis vndæ ob id æstus maris efficere censetur, cur etiam aquas flumineas fluere, & refluere non facit. Deinde: si æstus maris lunæ adscribendus est, cur ea absente, & in aliud hemisphærium delapsa mare æstuat? cur sicut occulto sole luna non micat, sic eriam absente, occultaque luna mare non deferuet, & à reciprocatione non cessat. Rursus: si mare motum lunæ sequitur, cur non solum fluit, verum etiam refluit? certè quantum fluxu suo lunæ obsequitur, tantundem refluxu suo ei renititur. Postremo: cur fluxus non oriente luna, sed tribus horis postea incipit, aut cur refluxus non incipit, attingente luna meridianum, sed tribus etiam horis postea: sanè sicut lux sole oriente oritur, & à meridiè decrescere incipit: ita similiter mare oriente luna fluere, & meridiem transgrediente luna refluere deberet. Cœterum hæc argumenta non vrgent. Ad primum respondeo, eo dumtaxat concludi ad reciprocos æstus attendi oportere, non solum influxum, motumque lunæ, verum etiam aquarum naturas, & qualitates; quæ quam diuersis in locis diuersæ sint, quis non conspiciat? Ad secundum argumentum respondeo: qualitates impulsiuæ, quibus luna pelagus ciet, more complurium aliarum qualitatum terras penetrare possunt: vnde interposita terra, & occidente luna pelagus cieri vltro citroque potest: in sole lunam irradiante secus euenit: solaris namque lux telluris opacitatem penetrare non potest. Deinde probabile est, mare sequi motum lunæ non per qualitates sibi à luna impressas, sed per naturalem sympathiam; ad quam impertinens est; quod luna in nostro, vel in alieno hemisphærio sit. Ad tertium respondeo: ideo mare fluit ad littus, vt motum lunæ sequatur: quia vero ad certos terminos, & non vlteriores progredi potest, renitente natiuo pondere aquæ, & eminentia terræ, ac exigentia totius vniuersi aquis emergere postulantis: ideo mare fluctus suos reprehendit, ad propriumque alueum regreditur, vt iterum fluat, lunãque sequatur. Ad postremum respondeo: ideo fluxus maris tribus horis ab ortu lunæ incipit, quia luna in ea cœli parte, qua tribus horis post ortum suum sistit, moueri cœpta est: vnde tam primus maris fluxus cœpit; idemque ordo postea continuari potuit, & debuit.

CAPVT III.

De Aëre, & Igne.

14. Assero primò: Aër est suapte natura summè humidus, & propè summum calidus: ita cum Aristotele maior, & melior Philosoporum pars. Probatur assertio, primò: quia humidum est, quod alieno termino facilè terminatur, quodque fluidum est; ac proprio termino difficilè terminatur

terminatur: at aër omnium elementorum facillimè alieno termino terminatur, & difficillimè proprio; omniumque summè fluidum est: vnde aër quacunque penetrat, vbicunque absque difficultate continetur, omnemque locum realem absque negotio occupat, eique se se adaptat. Secundò: quia humor facilem receptionem causat: quoque aliquid humidius est, eo facilius quamuis impressionem suscipit: at aër inter reliqua elementa magis, faciliusque receptiuus est: cum actionum omnium, quæ in distans transmittitur, medium sit: quod vero aër sit prope summum calidus, satis perspicuum est ex iis, quæ supra de primarum qualitatum dispositione disseruimus. Obiicies tamen primò cum Galeno, Auicena, & aliis: aqua magis humectat, quam aër, vt experientia testatur: igitur aqua humidior est aëre: ac proinde hic summè humidus non est. Obiicies secundò: qualis qualitas aëri in summo naturaliter congruat, colligendum non est ex suprema aëris regione quæ ob vicinam ignis admodum calida non esse nequit, tametsi summam frigiditatem postulet: neque etiam ex infima regione, quæ varias mutationes extrinsecus subit, sed solùm ex media regione, quæ ab agentibus extrinsecis magis libera est: at aër in media regione summè frigidus est, cum ibi imbres, grandines, aliaque frigentia meteora formentur: igitur aër suapte natura summè frigidus est: quo fit primò, vt summè humidus non sit: aliàs idem elementum duas qualitates in summo sibi vendicaret: & fit etiam secundò, vt aër calidus prope summũ esse nequeat: aliàs, idem elementum in excellenti, siue intenso gradu qualitates oppositas sibi assereret.

15. Ad primum respondeo: quemadmodum ferrum candens licet calidus non sit stupa in ignem conuersa, merito tamen maioris densitatis magis calefacit, quam ignis in stupa conceptus: ita similiter in præsenti. Ad secundu respondeo: media aëris regio summè frigida est, non ob aëris exigentiam, sed ob exhalationes frigidas, & siccas, vaporesque humidos, & frigidos vi solis, & astrorum illuc ascendentes: non parum etiam confert ad frigiditatem mediæ regionis antiperistasis, siue agentium circumstantium contrarietas: de qua supra lib. 6. tract. 2. cap. 8.

16. Quod ad ignem elementarem attinet, eum esse summè calidum, & siccum prope summum, experientia constat: & etiam ex iis, quæ hactenus disseruimus, perspicuum est: vbi autem sit, & quale centrum obtineat, adeò exploratum non est: ipse cum plerisque Philosophis censeo, ignem nec incertam, vagamque sedem habere, nec in abditis terræ speluncis residere, vt alij aliique arbitrati, sed potius reliquis elementis loco eminere, & infimo, lunarique cœlo circumcirca suffusum esse. Primò, quia vt experientia testatur, ignis suapte natura sursum erumpit, ac irrequieto conatu ascendit: & vt ascensui expeditior sit, in acumen se se dirigit, ac flammis suis conum efformat: igitur quia sursum est centrum ignis: quemadmodum deorsum est terræ centrum, quia illuc suis momentis fertur. Secundò, quia reliquis elementis leuior est, vt censu notissimum est: igitur superiorem sedem sibi vendicat.

17. At inquies: si elementum ignis ad cœli concaua longe, lateque diffunditur; cur vicinum aërem non depopulatur, violentasque flammas ad nos vsque non eiaculatur? Rursus quo pabulo illic tamdiu ali potest? voracissimum enim elementum substracto pabulo statim emoritur, vt experientia testatur. Deinde, qui cometas cernimus, cur, noctu saltem globum ipsius ignis, quouis cometa prope modum infinitè maiorem, totamque lunaris cœli extimam superficiem ambitione sua complectentem, neutiquam conspicimus.

18. Ad primum respondeo: ignis aërem, & reliqua elementa non consumit: tum quia aër humiditate sua ei resistit: tum quia ignis, quo rarior, eo minus actiuus est; at in sua sphæra rarissimus est: Tum etiam sydera frigiditate præsentia, præsertim Luna, & Saturnus eius calorem coërcent, vt sua vniuerso temperies constet. Ad secundum respondeo: ignis ob id extra centrum pabulo tantopere eget, quia contrariis vndique cingitur: cum enim inter reliqua elementa vt magis actiuus est, sic etiam minus resistat, contrariis statim succumberet, nisi pabulo aliquo aleretur: at in sua sphæra contrariis circumcirca non oppugnatur: siquidem cœlum, quo regitur, ei non contrariatur, cum fermè aut omnino incorruptibile sit: aër autem quem infra se habet, cum prope summum calidus sit, ei parum contrariatur: summa enim humiditas aëris, tametsi siccitati ignis opposita sit, quia tamen qualitas passiua, non actiua est, ideo in ignem non tam agit, & si etiam aliquid agat, quam ei resistit, eiusque actiuitatem retundit. Ad postremum respondeo: ignis à nobis non conspicitur, tum ob distantiam, tum ob celeritatem, qua à sphæris cœlestibus in gyrum agitur: tum etiam ob raritatem: experientia enim compertum est, corpora, quo magis distant, eo minus videri: quoque velocius cientur, eo minus etiam à nobis discerni: vt cernere est in tabula aliqua litteris insculpta, quæ immota à nobis legitur: si verò celerrimè huc illuc moueatur, legi non potest: ac tandem, quò rariora sunt corpora, eo etiam minus videri posse: vnde aërem ipsum ratione suæ raritatis in semetipso non cernimus, & loca aëre plena vacua nobis videntur.

LIBER

LIBER NONVS,

DE

Corpore naturali incorruptibili siue cœlesti.

TRACTATVS PRIMVS.

De Cœlorum essentia.

CAPVT PRIMVM.

An Cœli sint compositi?

1. CORPVS incorruptibile, atque cœleste in genere sumptum à nobis semotissimum quidem est, in pauciscque periculum sui permittit: idcirco non tot de eo, quot de his inferioribus sciri possunt: experientia enim scientiæ mater est, prolemque sibi similem parturit. Cœterùm plura de eo probabiliter disseri, & nonnulla euidenter demonstrari possunt, in quibus astrologorum placitis, quoad eius fieri potest, me libenter addicam, cum cuiuis in sua arte credendum sit, vt Aristoteles & fecit, & consuluit. Assero ergo primò: probabile est, corpora cœlestia materia, & forma constare, ac substantialiter simplicia non esse: ita ex antiquis Philosophis Pythagoras, Democritus, Empedocles, Plato; & ex Theologis Thomas, Bonauentura, Capreolus, Herueus, Suarez, Hurtado, aliique plerique. Suadetur primò ex illo Sapientiæ 11. *Omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa.* Vbi nomine orbis terrarum materia constantis intelligi debere non solum terram, verum etiam cælum, totumque mundum corporeum docet August. lib. 1. de Genes. contra Manichæos cap. 5. ibi: *Prima ergo materia facta est confusa, & informis: vnde omnia fierent, quæ distincta, atque formata sunt: quod credo à Græcis chaos appellari: sic enim & alio loco legimus dictum in laudibus Dei: qui feciſti mundum de materia informi: quod aliqui codices habent de materia inuisa.* Suadetur secundò: quia cum homo cœlis longè perfectior à materiæ concretione defæcatus non sit, non conspicio, cur ea perfectio cœlis tribuenda sit, qua materiam excludant, & omnis compositionis essentialis expertes sint. Huic assertioni id difficultatem facessit non modicam, an cœlorum materia sit eiusdem speciei cum materia corporum sublunarium, vel potius diuersæ. Sed enim supra lib. 2. huius operis tr. 5. cap. 2. & cap. 3. vtramque partem probabilem esse, & problematice defendi posse, multis ostendi: vt non sit opus in præsenti quidquam ibi disputatis adiicere.

2. Assero secundò: probabile est, cælos esse corpora essentialiter simplicia, & quæ materia, & forma minimè componantur: ita Auerroës, Aureolus, Durandus, Gabriel, Bassolis, & alij plures. Probatur assertio, quia non repugnat corpus completum essentialiter simplex, vt lib. 3. tr. 2. per totum propugnaui: verisimile igitur est, illud de facto existere: quemadmodum enim in ordine spirituum alij incompleti vt animi rationales, alij completi, vt Angeli à Deo creati sunt: ita similiter in serie corporum alia incompleta, vt materiæ primæ: alia vero completa actu producta esse credendum: quæ quidem non alia, quàm cœlos posse esse conspicio. Assero tertiò; cœli sunt continue compositi: ita omnes Doctores: & patet manifestè: quia tametsi corpori continuo, non composito conuenire possit motus rectus, at non motus circularis: quod enim circulariter, & in orbem mouetur, est in eodem loco adæquato: tantumque loca inadæquata mutat, quatenus nimirum quæuis eius pars est in diuerso loco ab eo, quem occupabat antea: quia tamen cuilibet altera in eodem succedit loco, ob id totum ex omnibus coalescens semper est in eodem spatio loci, eundemve locum totalem, siue adæquatum possidet. Porro cœli mouentur circulariter: quomodo ergo non constent partibus continuis inter se realiter distinctis? Atque hactenus de cœlis mobilibus, & Empyreo subiectis.

Assero quartò: probabile est, cælum empyreum 3.
neque essentialiter, id est ex materia, & forma, neque integraliter, hoc est ex partibus continuis esse compositum. Hanc conclusionem statuimus supra lib. 3. tr. 1. c. 2. & tr. 2. c. 2 Suadetur autem: quia vt locis proxime indicatis ostensum est, nulla apparet repugnantia in corpore duplicis illius compositionis, nempe essentialis, & integralis experti: non est ergo, cur cœlum empyreum non sit eius conditionis, cum id eius perfectionem maximoperè commendet. Rursus: ideo cœli mobiles continuè saltem, compositi sunt, quia mouentur, & circum nos irrequieto cursu properant: at cœlum empyreum immobile est, vt fatentur omnes, vtque inde constat, quod sit Beatorum sedes, & habitaculum, cui eius muneri quis non videat conuenire, vt non sit in perpetuo motu, sed potius stabile, & fixum? Denique non obstat in contrarium, quod dicitur Apocalyps. c. 21. *Et fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata: primum fundamentum iaspis*, &c. Hæc enim, & similia, etsi compositionem continuam, & integralem sonent, haud tamen accipienda esse nisi mystice, de variis scilicet virtutibus, & donis, docent ex nostris Alcasar, & Ribera, cæterique etiam interpretes, tum nostri, tum etiã exteri. Assero denique quintò: probabile

est,

eſt,cælum empyreum eſſe compoſitum,tum integraliter,tum etiam eſſentialiter. Hæc aſſertio cõſtat ex dictis ſupra in ſimili de cœlis mobilibus.

CAPVT II.

An cœli à quatuor elementis formaliter,aut virtualiter ſumptis ſpecie differant.

4. HOc eſt:an cœli vel formas ſubſtantiales elementorum,vel certè eorum virtutes,nempe quatuor principes qualitates,calorem',frigiditatem,humiditatem,& ſiccitatem ſuo ſibi iure vendicent.Peripatetici fermè omnes cum Ariſtotele partem affirmantem tuentur;vnde in prouerbium abiit:*quinta eſſentia Peripateticorum.* Mouentur primò : quia cœlum incorruptibile ſuoptè ingenio eſt, vt inferius oſtendetur,& experientia ipſa teſtatiſſimum videtur : at ſi elementis formaliter ſumptis conſtaret , quam hæc corruptibilia ſunt, tam corruptioni obnoxium eſſet : quod ſi elementis virtualiter ſumptis,ideſt,calore , & frigore , &c. conſtaret, cum hæ qualitates contrariæ ſint:mutuumque interitum ſibi moliãtur , non poſſent corpora cœleſtia non corrumpi vel à ſeipſis inuicem, vel ab igne ſibi contiguo. Mouentur ſecundò:omne corpus elementis formaliter , aut virtualiter ſumptis conſtans in loco alicuius elementi eſſe poſtulat , eius videlicet , quod in eo prædominatur : ſic lapis,in quo terra prædominatur , telluris centrum ſibi vendicat; exhalationes verò, & vapores,in quibus aër regnat , huius locum petunt : liquores autem ; pari ratione aquæ ſedem ſibi præſtituunt : at cœlum non petit locum vllius elementi , ſed potius de ſe ſuprà omnia elementa eminet. Mouentur tertiò:quia cum cœlum ſit commune, & vniuerſale agens,quo hæc inferiora,& ſublunaria reguntur, & conſeruantur , æquum fuit, vt ab iis non minus dignitate naturæ.quam loco diſſideret:atque adeò nec eorum formas , nec eorum virtutes, ſed potius alias longe altioris ordinis ſibi vendicaret.

5. Cæterum plerique Philoſophi ante Ariſtotelem , & non pauci Aſtronomi, ac ſacræ Scripturæ interpretes negatiuam quæſtionis partem amplectuntur.Primò:quia quidquid ex aliquo elemento procreatur , id qualitates primarias eius elementi ſortitur , qua ratione mixta omnia ſub lunaria qualitates quatuor elementorum ſibi vendicant; quia ex quatuor elementis oriunda ſunt: at cœlum ex aquis à Deo procreatum eſſe haud leuiter probari poteſt eo argumento, quod ſupra lib.2.tract.5.c.3.ex Molina expendimus. Deinde quia id plerique Patres edocent,præſertim Theodoretus quæſt. 11. in Geneſim ibi : *Propterea appellatum eſt firmamentum , quod ex aqua , quæ prius fluxa,& liquabilis vehementiſſimè ſpiſſata , fortiſſimèque indurata , concretum fuerit.* Et Beda in ſuo hexam ibi : *in media aquarum firmatum eſſe conſtat ſyderum cœlum , nec aliquid prohibet, vt de aquis factum eſſe credatur:qui enim criſtallini lapidis , quanta firmitas , quæ ſit perſpicuitas, ac puritas , noximus;quem de aquarum concretione certum eſt, procreatum eſſe:quid obſtat credi, quod idem diſpoſitor in firmamentum cœli ſubſtantiam ſolidarit aquarum.*

6. Mouentur ſecundò:quia firmamento,ſiue cœlo ſydereo aquæ ſupernatant, illudque in modum globi circumfluunt ; ac proinde cælum quoddam conſtituunt , cum nomine cœli nihil aliud intelligatur,quàm globus aliquis elementis eminentior , iiſque vndique circumfuſus:ergo iam cœlum aliquod ab aqua non differt. Antecedens probari poteſt , & ſolet ex illo Geneſ.1.cap.ibi: *fiat firmamentum in medio aquarum , & diuidat aquas ab aquis.* Deinde quia id plerique Patres edocent , ac præſertim Iuſtinus Martyr reſpondens ad 93. quæſtionem Orthodoxorum, vbi huius rei hanc rationem tradit inquiens : *terga cœli tecta aquis eſſe,ſecundum illud:qui tegis aquis ſuperiora eius : earum vero aquarum duplicem eſſe vſum:alterum , ad immenſum tot,tantorumque ſyderum ardorem,ne penitus omnia conſumantur,ſua refrigeratione mitigandum , atque temperandum: alterum , vt earum pondere dorſum cœli vrgeatur, ac prematur deorſum, ne crebro,ac violento ventorum impulſu concuſſum huc illuc agitetur.*

Mouentur tertiò: quia raritas,& denſitas ſunt 7.
effectus primarum qualitatum:ignis enim , quia aëre calidior, ideo eo rarior eſt:& aër, quia aqua humidior , ea etiam rarior eſt : è contrario vero terra , quia præ cœteris elementis frigiditatem cum ſiccitate in excellenti gradu coniunctam habet ; ideo cœteris elementis denſior eſt : aqua etiam ratione maioris frigiditatis aëre', & igne denſior eſt. Tum ſic,vbi ſunt effectus proprij primarum qualitatum,ibi primas qualitates reperiri neceſſe eſt : at in cœlis ſunt effectus primarum qualitatum , raritas nimirum,ac denſitas:ſiquidẽ cœlum eſt diaphanum valde , vt ex ſuperiorum lumine ad nos tranſmiſſione conſtat : more igitur aëris diaphani rarum exiſtit. Deinde ad polum antarcticum conſpiciuntur nocte ſuda quidam veluti hiatus ; qui aliud non ſunt, quam partes cæli rariores,quæ quia lucem adeo condenſatã,ac reliquæ partes cœli magis denſæ non ſuſcipiunt, ideo vacuitates quaſdam , & foramina referunt.

Mouentur quartò : quia colores ſunt effectus 8.
primarum qualitatum , & ex earum multiplici temperie , & commixtione multi,ac varij oriuntur : ſiquidem humiditas, & frigiditas candorem pariunt,vt in niue,ac lacte videre eſt : humiditas, & caliditas ruborem generant , vt in ſanguine conſpicere eſt : ſiccitas , ac frigiditas atrum,obſcurumque colorem efficiunt, vt in malancholia, ac terra ſibi affinibus cernere eſt:caliditas autem, & ſiccitas flauitiem inferunt, vt videre eſt in flauabili, melle, & auro. Tum ſic:vbi ſunt effectus primarum qualitatum , ibi eæ reperiri debent:at colores,quos primarum qualitatum effectus eſſe, nuper oſtenſum eſt , cœlo inſunt ; cœlum enim conſpicimus , conſpici autem non poſſet,ſi ſuapte natura decolor eſſet.

Hæc in vtramque partem diſputari aſſolent , 9.
quæ certè neutram ſententiam demonſtrant,alterutram tamen probabilem efficiunt. Quo circa vtramque ſententiam problematice defendi; & ad vtriuſque argumenta reſponderi poſſe cenſeo, & quidem conſultius mihi viſum eſt in materia longiſſime à nobis poſita ; &, vt experientiæ,ſic etiam ſcientiæ parum obuia nihil certi definire, quàm incerta pro certis , & obſcura pro claris diuendere. Ad primum ergo prioris ſententiæ argumentum cap.5. & 6.conſtabit.Ad ſecundum reſpondeo:quemadmodum quoduis corpus mixtum ſublunare quatuor elementis virtualitèr, aut formaliter ſumptis conſtat , quin centrum

quatuor

quatuor elementorum postulet, aliàs quatuor centris gauderent: ita similiter corpora cœlestia quantumlibet quatuor elementis mixta, nullius tamen elementi sedem sibi vendicabunt: equidem sicut in oppositа sententia temperies primarum qualitatum non eandem vbique grauitatem, aut leuitatem infert, sed in aliquibus mixtis maiorem, in aliis minorem; ita ea temperies talis esse potest, talibusque accidentibus coniuncta, vt nullam grauitatem, aut leuitatem inferat, sed potius corpus, quod temperat, extra locum grauium, & leuium, & circum illum constituat. Ad tertium respondeo in primis: cœlum non est perfectius sublunaribus substantiis, cum earum plures animatæ sint. Deinde esto iis perfectius sit, idque ad illarum regimen oporteat; certè maior illa perfectio salua manebit, quantumlibet cœlum quatuor primas qualitates elementorum, siue eorum virtutes cum iis inferiores cómunes habeat: videlicet, quia alias peculiares qualitates sortiri potest, quibus cũcta sibi subiecta longissimis interuallis superet.

10. Ad primum argumentum posterioris sententiæ respondeo, cœlos ex aquis minimè fabricatos esse, sed vel primò die simul omnes ex alia materia speciei diuersæ factos fuisse quod qua ratione euenire potuerit latè ostensum est à nobis suprà lib. 2. tr. 6. c. 3. vel certè esse corpora simplicia, & nulla materia nedum aquarum constantia, vt colligi potest ex dictis tum cap. præced. tum etiam lib. 3. huius operis tr. 2. cum ageremus de non repugnantia corporis simplicis, ac seipso, & sine adiuncta forma essentialiter completi. Verùm enim verò si cœli materia eiusdem speciei cum corporibus sublunaribus constant, vt probabile est; probabiliter etiam dici potest, cœlos ex aquis fabricatos esse, quin tamen aut forma aquæ, aut eius qualitates primæ in iis remanserint. Quanquam enim iis generationibus quæ serie quadam causarum secundarum eueniunt accidentia aliqua corrupti in genito maneant, vel quoad speciem, vel, quod probabilius est, quoad individuum: ac proinde quæ ex elementis de facto procreantur, eorum primis qualitatibus gaudeant: cærum in prima generatione cœlorum mobilium ex aquis à solo Deo facta, & longè diuersi ordinis à quauis alia longè aliter vsuenisse credendum est. Ad secundum respondeo negato antecedenti; ad primam eius probationem factum est satis cit. l. 2. tr. 6. c. 3. Ad secundam probationem ex Iustino Martyre deductam dici potest, cum cœlum formaliter calidum non sit, necesse non esse, vt aquis subiaceat ad hoc, vt eius calor, ardorque temperetur. Ad tertiam rationem ex eo deductam dici etiam debet, violentos ventorum flatus nullum cœlo periculum creare posse, cum enim Philosophia magistra venti ne supremam quidem aëris regionem attingere, eiusve serenitatem miscere, aut temerare possit, vt eleganter tetigit ille.

nubes excedit olympus
pacem summa tenent.

Qui fieri poterit, vt cœlum vsque auolare, eiusque cardines concutere possint: equidem pari ratione persuaderi posset figmentum illud poëticum, quo dicitur Deus luctantes ventos, tempestatesque sonoras speluncis addidisse atris.

Ni faciat, maria, ac terras, cœlumque profundũ,
Quippe ferãt rapidis secũ, verrantque per auras.

11. Ad tertium respondeo: raritas, ac densitas non semper ab iisdem causis proficiscuntur, sed interdum ab his, interdum verò ab aliis, non solùm diuersis, verum etiam oppositis; cum calor lutum condenser, & induret; frigus verò aquam gelascere faciat, eique densitatem tribuat: quocirca tametsi raritas, ac densitas in sublunaribus primarum qualitatum soboles sint, non erit, cur in cœlis ab iis, & non aliis longè diuersæ rationis proficiscantur. Ad postremum similiter respondeo: colores tametsi in nobis effectus primarum qualitatum sint, in cœlo tamen ab iis qualitatibus diuersi ordinis proficisci posse. Non deerunt etiam, qui nõ veros colores ab irradiatione lucis distinctos, sed solũ apparẽtes cœlo tribuant: quorũ solutio probabilior est, si colores aliqui à luce corpore illusa distinguũtur; de quo inferius l. 10. tr. 4. c. 2.

CAPVT III.

An, aut quatenus Cœli inter se specie differãt?

12. Assero primò: Planetæ inter se specie differunt: ita D. Thomas, Albertus, Ferrariensis, Hurtadus, Conimbricenses, & cum Ptolemæo plerique Astronomi. Probatur assertio: primò, quia quæ motus contrarios, & oppositos sibi vendicant, ea specie distinguuntur: qua ratione elementa ob diuersos motus sursum, atque deorsum specie distinguuntur: at Planetæ longè diuersos motus sibi vendicant, & super diuersos polos diuersa celeritate rotantur. Deinde quæ diuersas operationes, & influxus non per accidens, aut fortuito, sed per se ineuitabiliter habent, ea specie non distingui nequeunt: aliàs cur equus, & leo specie distinguantur? at Planetæ longè diuersas operationes, atque influxus sortiuntur: siquidem luna humiditatem, Mars calorem, & siccitatem, Saturnus frigiditatem & siccitatem; & sic de reliquis astris in hæc inferiora influunt. Præterea, vt aliis argumentis supersedeam, an sol astrorum princeps, temporum arbiter, lucis dispensator, dici parens, mundi oculus, cœli cor, centrumque, telluris fœcunditas, maris gratia, animantum vigor, naturæ pulchritudo, vniuersi decor, ac diuinæ, & inaccessæ lucis perfecta imago; an, inquam, phœbeum istud iubar, orbisque pulcherrima lampas cum quantæuis ignobilitatis astro eiusdem speciei credi potest?

13. Assero secundò: orbes etiam, siue sphæræ cœlestes inter se inuicem specie differunt. Hæc assertio suaderi potest iisdem fundamentis, quibus superior: & vlterius addi potest hæc congruentia: quia quemadmodum diuersa specie elementa diuersorum specie animalium receptacula sunt: & è contrario diuersa specie animalia diuersis specie elementis velut habitaculis gaudent, ac, vt cecinit ille Metamorphos. 1.

Cesserunt nitibis habitandæ piscibus vndæ
Terra feras cepit, volucres agitabilis aër.

ita similiter credendum est, diuersos specie planetas diuersos specie orbes, quibus insideant, postulare.

14. Assero tertiò: Planatæ, siue stellæ errantes, necnon fixæ à suis orbibus specie differunt: ita Molina, Hurtadus, & alij communiter. Hæc assertio etiam suaderi potest iisdem fundamentis: namque Planetæ omnes, excepto sole, habent epicyclos, in quibus diuerso motu à suorum orbium motu circumuehuntur: deinde omnes stellæ, tam fixæ,

quàm errantes maiori denſitate, ac maiori claritate, & ſplendore potiuntur, quàm orbes, quibus inſidet, idq; perpetuò, & ineuitabiliter. Præterea influxus quoſdã habent, qui in orbes ſuos minimè conueniunt: neque enim ſolum Lunæ reciprocationem maris cauſat, ſicut ipſum ſydus Lunæ: nec etiam orbis, ſolis heliotropij, & ſcorpiuri flores circumagit, ſed ipſe eſt, vt compertum eſt: neque cœlum, in quo vrſa minor fixa, aliudve aſtrum eius cœli magnetem, aut ferrum magnete tactum ad ſe conuertit, ſed eiuſmodi influxus ſoli vrſæ minori competit. Video Alexandrum, Auerroëm, Iandunum, & Durandum in ea ſententia eſſe, vt exiſtiment, nec orbes cœleſtes ab omnibus, nec Planetas à Planeteis, nec hos à ſtellis fixis, nec fixas, aut errantes à ſuis orbibus ſpecie differre. Cæterùm video etiam nullum huius paradoxi fundamentum eſſe, quod ſolutione egeat.

CAPVT IV.

An cœli ſolidi, vel potius liquidi, ac fluidi ſint?

15. QVanquam inſpecta authoritate eccleſiaſticorum Scriptorum, præſertim Chryſoſtomi, Iuſtini, & Origenis, probabilis ſit ſententia tenes cœlos liquidos, ac fluidos eſſe: cœterùm probabilior, & communior eſt ſententia oppoſita, quam ſuadeo: Primò ex illo Iobi cap. 37. ibi: *Tu forſitan cum eo fabricatus es cœlos, qui ſolidiſſimi, quaſi ære fuſi ſunt.* Deinde quia probabile eſt, cœlum eſſe quintam quãdam eſſentiam incorruptibilem; idque complures aduerſarij fatentur: at ſi fluidum, ac liquidum eſſet, eo ipſo corruptibile eſſet: ergo, &c. Minor ſuadetur, quia conſeruatio rei in ſuo eſſe non tantum ab vnione eſſentiali materiæ, & formæ, verum etiam ab vnione continuatiua partium eius integralium dependet: vnde ſi partes aquæ ſegregarentur, omneſque vnione continuatiua abſoluerentur; certè aqua ita ſegregata, & diſſoluta illicò periret: at cœlum eo ipſo, quod fluidum, ac tranabile ſit more aëris, quo circumfundimur, vnio eius continuatiua quaqua verſus deſtrui poſſet, ſicut de facto quotidie deſtruitur verſus eas partes, per quas ſydera curſus ſuos cõtendunt: ergo cœlum corruptibile non eſſe non poſſet. Præterea præſcindendo à corruptibilitate, & incorruptibilitate cœli, quarũ alterutra probabilis eſt, ita argumentor: nullum corpus per ſe moueri poteſt verſus diuerſas partes; ab oriente v.g. ad occidentem; & ſimul ſemelque ab occidente in orientem: ſed ſi vterque motus ei ſimul conueniat, alter ratione ſui, alter ratione alterius corporis, cuius impetum ſuſcipit, ei conueniet: quod ipſa experientia euidenter demonſtrat: ecquis enim non videat, muſcam ſeſola motam verſus vnam tantum partem moueri poſſe, ab alio vero corpore, cui affidet, motum, verſus duas partes moueri poſſe; vt cum curru cui inhæret, orientem verſus raptato, ipſa in occidentem pergit: at ſtellæ ab oriente in occidentem, ac ſimul ab occidente in orientem mouentur, vt Aſtrologi compertum habent: igitur alter eorum motuum cuilibet ſtellæ ratione ſui, alter vero ratione orbis, cui infixa eſt, conueniet; ac proinde cœlum non eſt fluidum.

16. Deinde ſi cœli eſſent fluidi, ac agitabiles aëriæ regionis more, certè ſydera cœlos curſu ſuo ſcindentia, ac mole ſuo verberantia ſonitum proculdubio ederent; & eiuſmodi ſonitus pro corporum collidentium, atque frangentium magnitudine ingens eſſet, taliſque qui à nobis longè, lateque, audiri poſſet: haud aliter ac ſyderum lux, quantumuis à nobis diſſita, quæ tamen eſt eius magnitudo, & claritas, ſe ſe non celat, & in oculos noſtros illicò incurrit. Conſequens eſt abſurdum. Sequela vero perſpicua eſt: ſi enim auicula quæuis quoties elementi volubilis ſpatia tranat laterum plauſu, alarum concurſu, atque aëris multiplici verbere ſonitum aliquem, eumque interdum non exiguum, edit; quatenus, qualiſque cenſen-eſt flagor ille, quo ingentis terramque ſuperantis magnitudinis aſtra per ſerenos, liquidoſque cœli tractus euoluuntur. Vlterius: ſi cœli eſſent fluidi, ac liquabiles, ſtellæ fixæ eundem ſemper ſitum non haberent, nec eandem inter ſe, aut à nobis diſtantiam ſeruarent, ſed potius quæ eſt cœlorum, quibus innatant; volubilitas, & inconſtantia huc illuc paſſim fluitarent, & modò ad ſe accederent, modo verò à ſe, nobiſque recederent. Conſequens falſum eſſe ab Aſtrologis demonſtratur.

Hæc quamuis ita ſint, contrariæ tamen ſententiæ probabilitatem non tollunt: quippe, quibus haud difficulter reſponderi poteſt: Ad primum eorum dicendum eſt, locum illum Iobi cap. 37. non alium habere ſenſum, quam quod cœlum, quamuis fluxum, ac flabile ſit, non minus tamen conſtans, ac perpetuum ſit, quam ſi ſolidiſſimum eſſet, atque ære fuſum. Cui interpretationi fauet Pater Pineda obſeruans ex Caiet. nec non Tigurina, & Regia verſione cœlos eo loco Iobi pro aëria regione ſumi: conſtat enim aërem nullatenus eſſe durum, ſolidumve, ſed potius fluidum. Ad ſecundum dicendum eſt, valde probabile eſſe, quod cœlum, de quo agimus, ſit corruptibile, vt oſtendetur infra. Ad tertium dicendum eſt; etſi in hoc inferiori, & ſublunari mundo nullum corpus contrarijs motibus agatur, niſi vnus illorum motuum ei per ſe conueniat, & alter per accidens tantum, ac ratione alterius corporis illud ſecum agitantis: at oppoſitum euenire poſſe; nihilque eſſe repugnantiæ in eo quod duo motus contrarij per ſe, vt aiunt, eidem corpori conueniant: cur enim aliquod corpus verſus orientem ſponte ſua concitum non poſſit, vt ab alio corpore, ſic etiam à ſe ipſo, præſertim adiuuante, & concurrente intelligentia retrotrahi, & ad orientem conuerti, atque moueri? Tale quid ergo de facto in cœlis accidere credendum eſt, etſi quidem quod accidat facilius propugnari poteſt, quam impugnari. 17.

Ad quarum dicendum eſt; cœlum, etſi corpus fluidum, ac ſpirabile ſit, cum tamen diuerſæ ſpeciei ab aëre ſit, incapax ſoni eſſe poſſe. Qua ratione in imis aquarum ſedibus, vel nullus iuxta non plures, vel certè perexiguus ſonitus dari poteſt, tametſi elementum aquæ ſit fluidum, ac molle. Ad quintum, & poſtremum dicendum eſt, quemadmodum lapis, quantumuis longo per aëra tractu feratur, aëreque per quem fertur, volubilis, & inconſtans ſit, ſi tamen ab eodem loco ad centrum demittatur, etſi millies demittatur, ſemper tamen eadem via recta deſcendet: & ſecluſo agente aliquo extrinſeco, neque ad hanc, nec ad illam partem ſe flectet, deſcenſumve ſuum obliquabit: ita ſimiliter ſydera eadem via, eademque orbita ſemper curſus ſuos perficient, quin vnquam magis, minuſve ad ſe accedant, vel à ſe recedant, quantumlibet cœli, per quos euoluuntur fluidi, atque agitabiles ſint. 18.

Cuius

Cuius ratio à priori est : quia vel ille motus est naturalis;& sic erit semper vniformis,cum natura æquabilitatis , ac tenoris amans sit : vel est ab extrinseco,scilicet à Deo,aut intelligentia : & sic multo minus auius esse poterit,aut etraticus,quæ videlicet est alterutrius agentis perfectio.

CAPVT V.

An Cœlum suapte natura sit corruptibile?

19. PArtem affirmatiuam tuentur nec pauci , nec indocti Authores : præterquam enim quod ei subscribunt Stoïci,Platonici,omnesque Philosophi Aristotele antiquiores ; eam iam pridem à scholis exterminatam in lucem iterum reuocarunt plures nostri sæculi Mathematici , & reliquorum facilè princeps P. Chrystophorus Clauius in sphæra eam velut magis probabilem amplectitur. In eadem etiam etiam sententia est P.Martinus Delrius insignis Scripturæ interpres in c. 1. Geneseos,vbi pro ea laudat Theodoretum, Basilium, Ambrosium, Damascenum, Iustinum,Irenæum, Chrysostomum, aliosque perplures Ecclesiæ Patres. Missis autem reliquorum testimoniis , vnius Chrysostomi verba tacere non libet: qui Hom 10.ad populum Antiochenum sic fatur: *hic quidem cœlorum pulchritudinem narrans sic inquit ; cœli enarrant gloriam Dei : alter verò demonstrans,quod etsi pulchrum & magnum , tamen est corruptibile sic inquit ; initio tu Domine terram fundasti , & opera manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt,& omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos , & mutabuntur.* Psalm. 101. Et rursus paulo inferius:*ipse de creaturis iterum omnibus disseram demonstrans quòd non solus sol,sed & omnis mundus corruptibilis est:*

20. Primò ergo suaderi potest authoritate Patrum. Secundò, quia cœli aliquando peribunt, & corrumpentur:ergo suapte natura corruptibiles sunt. Consequentia perspicua est ; cur enim Deus cœlum aliquando corrumpendum, suaptè tamen natura incorruptibile condidisset ? an non satius esset illud corruptibile condidisse. Antecedens autem suadetur,tum ex loco illo Psalmi 201. nuper citato,tum ex illo Ecclesiastici cap. 17. ibi : *quid lucidius sole ? & hic deficiet :* tum ex illo Lucæ 21. *cœlum,& terra transibunt , verba autem mea non transibunt.* Tum demum , vt aliis testimoniis supersedeam,ex illo Petri cap.3. *cœli magno impetu transient , elementa verò calore soluentur.* Tertiò,quia quod quatuor primis qualitatibus inuicem contrariis compactum est , eo ipso corruptibile est : qua ratione corpora omnia sublunaria corruptioni obnoxia sunt : at cœlestia corpora quatuor primis qualitatibus affecta esse, iisrationibus suaderi potest,quæ suprà cap 2. allatæ sunt. Quartò,quia tametsi cœli quatuor primis qualitatibus affecti non sint, adhuc eorum corruptibilitas probari potest : siquidem omne quod quatuor primas qualitates inuicem inimicas, & contrarias sibi vendicat , eo ipso corruptibile est ob bellum illud intestinum , quo nihil periculosius, aut ad interitum , & corruptionem accommodatius esse potest : ergo pari ratione , quod motus inuicem contrarios,& inimicos sibi vendicat,non poterit corruptibile esse. At cœlum diuersis, contrariisque motibus agitari Astrologis proculdubio credendum est. Quintò , ac postremo , vt alia argumenta leuiora prætermittam. Astra cœlorum suapte natura corruptibilia sunt: ergo & cœli , quibus insunt ; cum hi syderibus suis perfectioris naturæ , aut maioris incorruptionis esse nequeant. Consequentia perspicua est. Antecedens suadetur , quia stellæ aliquæ de nouo apparent,ac denuo euanescunt, & corrumpuntur : inter quas celebris fuit illa , quæ in constellatione Cassiopeæ apparuit anno salutis nostræ 1572. & post biennium euanuit. Rursus vt refert D. Augustinus l. 21. de ciuitat. Dei c. 8. sydus Veneris dicitur semel murasse figuram,cursum,atque magnitudinem:idque regnante Ogyge accidisse nobiles Astronomi perhibuerunt.

21. In contraria sententia cœlis incorruptibilitatem annuente sunt cum Aristotele omnes fermè eius interpretes,& scholasticæ Theologiæ Doctores tantum non omnes , sequuti Dionysium c. 4. de diuin.nominib. Qui arguunt primò : quia vt docet Chysostomus Hom. 10. ad populum Antiochenum non longè à fine , & experientia ipsa rerum omnium intereuntium constat, omnis corruptibilitas ex luctu, & discordia quatuor primarum qualitatum proficiscitur. At cœlos quatuor illis qualitatibus distinctos esse suaderi potest iis argumentis,quæ suprà cap. 2. fusè expensa sunt. Secundò, quia si lunæ orbis suapte natura corruptibilis esset,hactenus corruptus esset; siquidem elementi voracis sibi vndequaque suffusi , atque contigui vim, atque ardorem tot sæculis euadere non potuisset. Tertiò, quia ad perfectionem,ac ornatum vniuersi attinet,vt sicuti in eo sunt corpora animata , & corpora etiam inanimata; ita etiam in eo sint corpora corruptibilia, & corpora etiam corruptioni minimè subiecta. Quartò , quia cum mundus hic inferior ab illo superiori , ac cœlesti tantopere dependeat, & perpetuo contineatur ; non poterit hic non esse magis incorruptibilis,quam ille: *propter quod enim vnum quodque tale & illud magis tale :* at hic mundus inferior,ac sub lunaris quoad speciem naturaliter incorruptibilis est : ergo & ille quoad individuum incorruptibilis naturaliter erit. Maior perspicua est. Minor declaratur , quia tametsi singulæ partes aquæ naturaliter corruptibiles sint ; ac decursu tot sæculorum re ipsa corrumpentur ; quia tamen iis aliæ similes succedunt,eaque successio naturaliter impediri nequit;ideo aer quoad speciem incorruptibilis est:idque non solùm de hoc elemento,sed etiam de reliquis omnibus pari ratione dicendum est. Quintò , quia forma substantialis ex genere suo,vt aiunt , perfectior est quouis accidenti materiali : at accidens aliquod materiale naturaliter incorruptibile reperitur , videlicet quantitas materiæ coëna : ergo etiam forma substantialis materialis naturaliter incorruptibilis neganda non est. Eiusmodi autem forma quæ nisi cœlestis esse potest ? Sexto , quia non repugnat corpus aliquod suapte natura incorruptibile: at eo ipso quod non repugnet tale esse cœlum credibilius est : nimirum cum id eius perfectioni , & pulchritudini magis conueniat. Tandem huius sententiæ argumentum omnium optimum est experientia tot sæculorum,quibus absque vlla mutatione , aut vicissitudine substantiali sua cœlo semper forma constat : cum tamen hic inferior mundus tot,tantasque vices habeat , & nunquam in eodem statu permaneat.

CAPVT VI.

Vtraque ſententia velut probabilis defenditur.

22. QVàm probabilis ſit vtraque ſententia, argumenta ſuperiora oſtendunt: ne autem alterius probabilitas alteri obſit, vtriuſque argumenta diſſoluenda ſunt. Ad primum argumentum prioris ſententiæ ab authoritate Patrum deſumptum reſpondeo, fortaſſis iis ſermonem eſſe de incorruptibilitate, qua res ne diuinitus, vt aiunt, aut ſupernaturaliter à Deo deſtrui poſſit; non verò de ea incorruptibilitate, qua res naturaliter, & ſeruato naturæ ordine, & ſolito tenore deſtrui à Deo minimè poſſit: hæc autem incorruptibilitas poſterior, non verò illa prior eſt, qua cœlum prædituſ eſſe arbitror. Hanc autem fuiſſe mentem Sanctorum Patrum ſuaderi poteſt ex Chryſoſtomo, qui poſtquam omnium luculentiſſimè corruptibilitatem cœlorum vbi ſuprà ſtatuiſſet, ſtatim ſubiungit, omnem creaturam eſſe corruptibilem in hæc verba: *non enim de cœlo, & terra ſigillatim vobis dicemus, ſed de omni pariter creatura: & hoc ipſum vobis demonſtrantẽ Apoſtolum oſtendemus ſic manifeſtè dicentem, quod omnis creatura corruptioni nunc ſeruit.* Tum ſic Chryſoſtomus docet, cœlum eſſe corruptibile, ſiue non eſſe incorruptibile ea ratione qua omnis creatura à Deo producta eſt corruptibilis, & non incorruptibilis: at omnis creatura à Deo producta tantum dici poteſt corruptibilis, & non incorruptibilis diuinitus: eo quod Angelus & animus, ac quidquid creatur, naturaliter corrumpi, aut deſtrui nequit: ergo ſolùm diuinitus corruptibile, & non incorruptibile eſſe cœlum cenſuiſſe credendus eſt Chryſoſtomus, ſicut & reliqui Patres, qui cum eo in eadem verba loquuntur.

23. Ad ſecundum argumentum reſpondeo, quanquam complures Philoſophi antiqui, præſertim diſciplinæ Stoicæ, arbitrati ſint cœlos reipſa corrumpendos, ac diſſoluendos eſſe; ex quorum ſententia ita loquitur Lucanus 1. Pharſaliæ ibi:

Sic, cum compage ſoluta
Sæcula tot mundi ſuprema coëgerit hora
Antiquum repetens iterum chaos: omnia mixtis
Sydera ſyderibus concurrent: ignea pontus
Aſtra petent, telluſque extendere littora nolet,
Excutietque fretum: fratri contraria Phœbe
Ibit & obliquum bigas agitare per orbem
Indignata diem poſcet ſibi, totáque diſcors
Machina diuulſi turbabit fœdera mundi.

Quanquam, inquam, ita ſenſerint antiqui Philoſophi; &, quod caput eſt, complures Theologi, ac Patres: cæterùm oppoſitum probabilius eſt. Cum enim cœlos ſubito illo interitu perire, atque extingui naturaliter impoſſibile ſit, vt infra ex omnium ſenſu perſpicuum erit, cur eiuſmodi interitus ſuperfluo, & abſono miraculo admittatur? Quod autem ad loca Scripturæ in contrarium oppoſita ſpectat, ea quidem intelligenda ſunt de interitu non quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum; eoque, quo cœli & elementa, quin omnino pereant, in melius commutentur. Ita non pauci Eccleſiæ Patres, quorum vnum, aut alterum producam. *Quæri*, inquit Gregorius lib. 17. moral. cap. 5. *poteſt, cum per Salomonem dicitur, generatio præterit, & generatio aduenit, terra verò in æternum ſtat; cur B. Iob omnia humiliari aſſerat, & auferri? quod tamen facilè diſcutimus, ſi terra, & cœlum vel qualiter tranſeat, vel qualiter maneat, diſtinguamus. Vtraque namque hæc per eam, quam nunc habent imaginem tranſeunt, ſed tamen per eſſentiam ſine fine ſubſiſtunt. Hinc namque per Paulum dicitur, præterit figura huius mundi: hinc per ſemetipſam Veritas dicit, cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt: hinc ad Iob angelica voce perhibetur, erit cœlum nouum, & terra noua; quæ quidem, non alia condenda ſunt, ſed hæc ipſa renouantur. Cœlum igitur & terra tranſit & erit, quia & ab ea quam nunc habet ſpecie, per ignem tergitur, & tamen in ſua ſemper natura ſeruatur. Vnde per Pſalmiſtam dicitur, mutabis eos, & mutabuntur: quam quidem vltimam mutationem ipſis nobis nunc viciſſitudinibus nuntiant, quibus noſtris vſibus indeſinenter alternant: nam terra à ſua ſpecie hyemali ariditate deficit, vernali humore viridescit: cœlum quotidie à caligine noctis obducitur, & diurna claritate renouatur. Hinc ergo fidelis quiſque colligat, & interire hæc, & tamen per innouationem reſici, quæ conſtat nunc aſſiduè velut ex defectu reparari.* Id ipſum docet Hieronymus ſuprà cap. 51. & 65. Iſaïæ, cuius verba, ne largus ſim, prætermitto.

24. Ad tertium argumentum reſpondeo: Cœlos principum qualitatum expertes eſſe ſat probabile eſt, vt etiam ſuprà cap. 3. oſtenſum manet. Ad quartum reſpondeo: motus contrarij, quibus cœli mouentur, haud quaquam contrarij dicuntur, eo quod inuicem ſe deſtruant, cum potius ſe compatiantur, ſed quod terminos *à quo* & *ad quem* oppoſitos, ac diuerſos reſpiciant: in tantum verò eiuſmodi motus cœlos deſtruere poſſent, in quantum ſemetipſos ad cœlorum conſeruationem neceſſarios poſſent deſtruere, atque demoliri: cum ergo hoc poſterius naturaliter repugnet, id ipſum de eo priori cenſendum, atque exiſtimandum eſt. Cæterum quatuor primæ qualitates re ipſa inter ſe contrariæ ſunt, & ſemetipſas interimunt: & quamuis in cœlis adſtruerentur in eo intentionis gradu, quo ſe poſſent compati; cæterum calor v. g. cœlorum à ſole vſque adeo augeretur, vt temperiem illam, & cum frigore concordiam exueret: & frigiditas vi Saturni tantundem creſceret, vt calorem omnem ſeptimæ ſphæræ conſentaneum abigeret. Hinc eſt, quatuor primas qualitates non poſſe reperiri in cœlis ſine horum corruptibilitate, vt rectè aſſumitur in argumento. At quod propterea motus cœlorum contrarij, aut quaſi contrarij non arguant, cœlos eſſe de ſe corruptibiles, iam iam oſtenſum manet.

25. Quintum argumentum Aſtrologos, ac Philoſophos in cõtrarias opiniones rapuit: quidã reſpondent nouam ſtellã Caſſiopeam nõ fuiſſe verè ſtellam, nec in firmamento extitiſſe, ſed fuiſſe ex nubibus compactam, atque more reliquorum cometarũ in elementari regione ſedem habuiſſe: ſi enim, inquiunt, materiei cœleſtis eſſet, magnitudinem telluris inſtar aliorũ ſyderum ſuperaret; ac proinde tanta materia biennio deflagraſſet, vt foramina ex eo incendio in cœlo relicta nulla alia materia farciri poſſent: quæ enim alia eſſet? nec enim cœleſtis, quippe quæ iam aſſumpta eſſet; nec elementaris, vtpote quæ nulla via ſurſum attrahi extra centrum poſſet: & caſu quo attraheretur,

adeo

adeo ingens damnum compensando non esset. Contra tamen: quia quæ aërea regione, & in quacunque eius parte quantumlibet edita visuntur, ea vbique terrarum eodem in loco non apparent, sed in diuersis tractibus diuersum sui aspectum exhibent, si cum stellis fixis comparatio fiat, vt Astrologis exploratum est: qua ratione luna ipsa ob vicinitatem à varietate aspectus omnino immunis non esse perhibetur: at nouum Cassiopeæ sydus eodem loci vbique terrarum semper apparuit: foramina autem ex eius incendio relicta (si modò incendium dici meretur, interitus stellæ, quæ iuxta aduersarios non ignis, sed igneæ, & lucentis naturæ fuit) foramina inquam illa materia ipsius stellæ ad aliam formam substantialem minus perfectam, ac lucidam commutata bene reparari potuerunt: cum enim materia prima eius stellæ immortalis sit, cur non vi illius, necnon formæ succedentis cœlum sartum, & tectum, vt aiunt, atque ab omni detrimento syncerum, integrumque cõseruari potuerit, ac debuerit?

26. Alij respondent, stellam illam Cassiopeam fuisse aliquam ex stellulis, quæ extra sextæ magnitudinis sunt, atque ob sui exiguitatem conspici nequeunt; biennio autem illo interiectu quarundam exhalationum videri potuisse: quemadmodum enim sol prope horizontem maior apparet ob interpositas illic spirationes inter ipsum, nostrumque aspectum: ita similiter sydus illud nouum merito exhalationum absolutè maior nobis apparere potuit. Verùm hæc solutio non satisfacit, & perinde ac superior confutari potest: siquidem cum eiusmodi exhalationes in elementari regione, non verò in ætheria plaga extiterint, non potuerunt vbique terrarum non habere magnam aspectus varietatem: vnde hic inter nostrum aspectum, & stellam Cassiopeam; alibi verò inter nostrum aspectum, & aliam stellam eiusdem constellationis apparuissent: quo fieret, vt vbique terrarum non illud nouum sydus, sed interdum aliud distinctum, diuersique situs nunquam antea conspectum, interdum verò antiquum aliquod sydus eius constellationis, solito tamen maius, eo biennio apparuisset.

27. Alij censent eiusmodi stellam nihil aliud fuisse quàm complexionem quandam plurium corporum lucidorum, quæ in cœlis existunt: & licèt seorsim ob cuiusque exiguitatem inuisibilia sint, cum tamen per motum casu concurrunt, ac prope se collocata sunt, instar syderis aspectabilis habere. Contra tamen primò: quia si talis cometa ex coniunctione corporum lucidorum, siue partium cœli magis illuminatarum ortum haberet, debuisset aliquomodo conspici medius cometa in vna parte, & medius in alia, ac deinceps ambo simul: haud secus ac è contrario, cum ob motum peculiarem solis, & lunæ, & vtriusque non coniũctionem, sed potius separationem; & interpositionem terræ, luna ecclipsatur prius vna eius pars, ac deinde alia tertia, vel quarta, ac postea media, & denique tota non sine ordine, ac successione quadam ecclipsem patitur. Contra secundò, quia moraliter impossibile est, vt, si cometa ille ex fortuito corporis splendentium concursu coaluit, semper vniformis, & similis lucis, ac continentis, ac perpetui splendoris apparuerit: cur enim toto illo biennio, quæ est nunquam intermissa varietas cœlestis motus, corpora illa fulgida aliquantulum separari, ac dimoueri aliquando non potuerint? Contra tertiò, quia si ex vario cœlorum motu, ac diuersarum eius partium coniunctione ea stella coaluit, cur eiusmodi stellæ, siue cometæ magis frequentes non sunt: haud secus ac eclipsis ex cœlorum motu, & planetarum vel coniunctione, vel separatione oriundæ eo ipso frequentes valdè apparent.

Nonnulli verò malunt, sydus illud Cassiopeæ 28.
constellationis a Deo de nouo productum miraculosè quidem & supernaturali virtute, eademque postea euanuisse; miraculi autem finem vel incertum esse, vel certe fuisse prodromum insignis illius cladis, qua Sebastianus Lusitaniæ Rex apud Africanos Mahumetanos sub id tempus cum suis fusus, atque interfectus est. Fateor, Deũ nonnunquam similibus miraculis, ac non minoribus, nec minus admirandis in ætherea illa, ac suprema regione vsum fuisse: namque Isaiæ c. 38. perhibetur, solé retrorsum properasse; & Iosue 10. cap. immobilem constitisse, & in sacro Euangelio, Christo moriente tenebris obscuratum fuisse. Verùm, cum eiusmodi miracula, cum certo non constant, asserenda non sint; aliàs profectò mutationes naturales, nonnullæ pluuiæ v.g. & grandines, miraculosę interdum dici possent, ac deberent: aliunde verò stellam nouam miraculosam, ac supernaturalem fuisse minimè constet; satius quidem esset eius ignorantiam fateri, quàm ad diuinæ virtutis miraculum confugere; quasi verò quæcunque nobis ignota sunt, eo ipso miraculosa, ac supernaturalia essent.

Quapropter missis aliorum responsionibus, bi- 29.
fariam explicari potest nouum illud, atque insolitum sydus: namque si cœli solidi sunt, dicendum est stellam illam in firmamẽto, siue in octaua cœli plaga sedem habere, non tamen more plerarumque aliarum motu solo sui orbis ferri, sed potius habere epicyclum, quo peculiari quodam motu vehitur: cum autem eiusmodi epicyclus minimè pellucidus, ac diaphanus sit, non semper nobis apparere stellam illam eo concluſam, sed duntaxat eo biennio, in quo superficies epicycli eam continens nobis fermè semper auersa pro ratione motus epicyclæi ad nos eo temporis spatio conuersa est, forte iterum cõuertenda decursu plurium sæculorum. Quod si cœli non solidi, sed fluidi, ac liquidi sint, dicendum est cœlos, quantumuis suapte natura incorruptibiles, condensari tamen, aut rarefieri de nouo posse: tametsi id rarius, ac difficilius quàm in hoc mundo elementari contingat. Nec enim raritas, & densitas cœlorum eorum incorruptioni obstat, cum ex aliis causis præter primas qualitates sibi contrarias, & cum subiecti sui corruptione coniunctas proficiscantur, vt suprà c. 2. ostensum manet. Nec etiam quod de nouo accidant, aut crescant, vel decrescant etiam incorruptioni cœlorum obstat: siquidem tota ea mutatio, ac nouitas, qua cœli magis vel minus denuo rarescunt, aut densantur quoad aliquas eorum partes, accidentalis, & non substantialis est: vnde cœlorum incorruptibilirati non magis obstat, quàm animæ immortalitatẽ lædit, quod per intellectionem, ac volitionem accidentaliter toties mutetur. Sydus igitur illud, quod in constellatione Cassiopeæ apparuit, & cum reliquis in ea sitis figuram illam exhibuit, quæ à Geometris trapezium appellatur, nihil aliud fuit, quàm pars aliqua cœli ibi solito plus condensata, & magis compacta, prout ad lucem eximiam reddendam oportet.

Altero etiam ex his duobus modis varietas illa in stella Veneris quondam conspecta, & quodcumque id genus phænomenon explicari potest.

30. Iam ad posterioris sententiæ argumenta progredior; quorum primum hac resoluendum est. In primis quemadmodum non ex iisdem qualitatibus secundis, aut morbis mors & corruptio prouenit; ita non conspicio, cur ex iisdem causis quasi primariis, & radicalibus corruptio, & interitus proficiscatur: vnde tametsi in hoc elementari mundo ex lucta quatuor primarum qualitatum, caloris nempe, frigoris, humiditatis, ac siccitatis rerum omnium corruptibilitas proficiscatur: tamen in cœlesti illo mundo ex aliis primis qualitatibus longe diuersi ordinis corruptibilitas nasci poterit: & quemadmodum qualitates illæ, & hæ, quas experimur, diuersæ sunt; ita, & corruptio, quam inferrent: altera enim rarior, ac difficilior, altera vero frequentior ac facilior: perperam ergo ex eo, quod cœli quatuor primis qualitatibus careant, incorruptibiles adstruuntur. Deinde quam probabile sit cœlos quatuor primariis qualitatibus affectos esse, constat ex iis, quæ suprà disseruimus. Ad secundum argumentum respondeo, quemadmodum elementum ignis aërem sibi vicinum, ac proximum quantumlibet corruptibilem penitus atque omnino non abolet, aut consumit: ita orbem lunæ, quamuis corruptibilem, non erit, cur prorsus depopuletur. Ratio vero à priori huius esse potest: prior, quia quantum lunæ in vno conflictu deperit tantumdem ei in alio accrescit; alternante victoria, sicuti in elementis euenit: posterior verò, quia etsi orbis lunæ corruptibilis sit, non tamen ab igne, cum quo in iisdem qualitatibus non congruit, quarumque ab eo suscipiendarum incapax est, vt pauso suprà visum est, sed ab orbe Mercurij, qui mitius quàm ignis præliatur, ac tamen voracitate, & acrimonia non pollet.

31. Ad tertium argumentum respondeo: esse in mundo corpora aliqua animata, alia verò inanimata; nihil aliud est, quàm formas aliquas esse animales ac vitales, aliàs verò minimè tales: materia enim vtrorumque corporum eadem absque vllo discrimine est: at hac ratione quamuis cœli incorruptibiles sint, erunt in mundo corpora corruptibilia, & corpora etiam incorruptibilia: hoc est, quorum formæ sunt corruptibiles, nec non etiam quorum formæ incorruptibiles sunt, vt in Metaphysica cõstabit, cum de immortalitate animæ sermo erit. Quod si alium sensum aduersarij flagitent, negandum est, duplicem illam corporum differentiam ad perfectionem vniuerso necessariam requiri, licèt ad maiorem eius perfectionem conducere: haud secus ac perfectionem ac pulchritudinem vniuersi promoueret, quod luna ab initio fulgeret vt sol, & sol septuplum lumen acciperet: vt aliquando futurum Isaias prædixit, nunquam tamen hactenus euenisse experientia demonstrat: & haud secus ac si Deus ab initio animalia corruptibilia, nec non incorruptibilia etiam condidisset, quæ tamen condere noluit pro eo ac potuit. Ad quartum argumentum respondeo, vt cœlum incorruptibilius sit quàm hæc inferiora, quæ ab incorruptione influxu suo præseruat, necessarium non est, vt quoad individuum omninò incorruptibile sit, sed satis est, vt quoad modum difficilius corrumpi, ac dilabi possit, quàm hæc inferiora, quibus incorruptionis causa est. Rursus proloquium illud, *propter quod vnumquodque tale est, & illud magis tale*, haud semper verum habet, vt missis aliis exemplis vel in ipsis cœlis conspicuè cernere est: qui quidem per inimicas ac noxias qualitates, quas interdum influunt in hæc inferiora, iis corruptionis causæ sunt, cum tamen ipsi interim ab omni corruptione immunes sint, nec magis corruptibiles censeri queant. Rursus cœli sunt suis proprietatibus incorruptionis causæ: ideoquè proprietates cœlorum quarto modo perpetuæ sunt, quia essentia, à qua dependet, immortalis ac interitui minimè obnoxia est: & tamen cœli non sunt magis incorruptibiles, quàm eorum proprietates; cum iuxta aduersarios vtrorumque incorruptibilitas naturalis sit.

Ad quintum argumentum respondeo: forma 32.
etiam corporea sublumaris ex genere suo est longe perfectior materia sublunari, vt indubitatum est: quis enim materiam sulunarium prope nihil ab Augustino appellatam cum forma equina aut leonina conferre audeat? At hoc non obstante materia sublunaris est naturaliter incorruptibilis, nec nisi diuinitus destrui potest; cum tamen omnis forma corporea sublunaris procul dubio naturaliter corruptibilis sit: ergo similiter inpræsentiarum, esto forma substantialis corporea sit ex genere suo præstantior accidenti materiali, hoc tamen poterit esse interdum incorruptibile, quin illi eandem incorruptionis, atque immortalitatis prærogatiuam concedi oporteat. Rursus falsum est, accidens aliquod materiale naturaliter incorruptibile in rebus reperiri: quantitatem enim materiæ coëuam, ab eaque distinctam, commentitiã esse in Metaphysica constabit: nec verò aliud accidens à quantitate distinctũ ei coëuum fingi potest, cum vbicationes, durationes, & cum formis substantialibus qualitates ab iis prognatas passim commutet. Ad sextum argumentum respondeo, multa quidem non repugnare, quæ etsi cœli ornatum, & perfectionem magnoperè promouerent, de facto tamen ei nnn competunt, vt nuper in solutione tertij argumenti ostensum est: vnde cœlorum incorruptibilitas, quamuis non repugnet, actu tamen non datur. Ad postremum argumentum respondeo: in cœlesti illo, ac supernaturali mundo, multas quidem transmutationes substantiales accidunt; cœterùm eæ ob nimiam distantiam sub experientiam venire nequeunt: sic si quis superæthera magnũ sydereasque plagas à Deo supernaturaliter euectus inde *despiceret mare velivolum, terrasque iacentes, littoraque, & latos populos*, certè omnia hæc inferiora ob nimiam distantiam punctus ei apparerent: ac proinde in hoc elementari mundo nullas vices, nullas mutationes, aut vicissitudines discernere, aut experiri posset, cum tamen innumeris scaturiret.

TRACTA

TRACTATVS II.

De Cælorum proprietatibus.

CAPVT PRIMVM.

Cælorum numerus, & ordo.

1. PRÆTER cœlum empyreum, quod, vno excepto Caietano, ab omnibus Theologis admittitur, & in sacris literis modò cœlum cœli, modò ciuitas in quadro posita, aliisque nominibus appellatur, decem cœlos mobiles esse communior Astrologorum, ac Philosophorum sententia tenet, quam etiam ipse amplector: quia quot sunt motus diuersi in corporibus cœlestibus, totidem cœli admittendi sunt, cùm non nisi vnus motus vni cœlo per se conuenire possit: at decem diuersos motus longo vsu, & diuturna experientia solertissimi Astronomi obseruauerunt: primum, qui diurnus, siue raptus appellatur, & quo primum mobile spatio viginti quatuor horarum ab oriente ad occidentem, & iterum per occidentem ad orientem mouetur, eodemque fermè spatio sphæras omnes inferiores secum rapit: secundum, quo cœlum glaciale, siue crystallinum ab occidente in orientem contra impetum primi mobilis mouetur spatio 49000. annorum, secumque etiam cœlos omnes inferiores rapit; & hic annorum numerus à nonnullis annus Platonicus appellatur: tertium, quo octaua sphæra à septentrione ad austrum, & è contrario tirubat; & hic etiam motus sphæris inferioribus communicatur, & spatio 7000. annorum absolui creditur: quartum, quo Saturnus triginta annis ab occidente in orientem proprio motu, ac super proprios polos fertur: quintum, quo Iupiter duodecim fermè annis ab occidente in orientem proptio etiam motu pergit: sextum, quo Mars duobus fermè annis ab occidente in orientem graditur: septimum, quo Sol diebus 365. horis 5. minutis 49. sec. 16. circulum etiam suum ab occidente ad orientem peragit: octauum, & nonum, quo Venus, & Mercurius eodem fermè temporis spatio circulos suos absoluunt: postremum, ac decimum, quo Luna viginti septem diebus ab occidente in orientem, & per orientem iterum ad occidentem itque, reditque vias.

2. Obiicies tamen primò, illos motus, vel certè horum plerosque explicari posse, tametsi tot sphęræ non admittantur; videlicet si cœlum plures habeat canales, per quos quasi per fornices quosdam, ac victrices arcus planetæ triumphantium instar propriis motibus rotentur: si corpus humanum suas habet cauitates, scilicet venas, & arterias, quibus mirificè variegatur: sic tellus occultas, apertasque vias habet, per quas flumina currunt, atque recurrunt. Verùm caua illa spatia, per quæ sydera sine vllo etrore continuo errant, an vacua omni corpore sunt, vel potius corpore aliquo fluido, spirabili, atque ad cedendum facili replentur? Alterutrum enim dici debet, & neutrum sustineri potest: non secundum, vt aduersarij fatentur, & merito; aliàs totum cœlum liquidum, ac separabile esse posset: non primum, quia aliàs daretur vacuum in rerum natura, quod & Aristotelì, ac reliquis Philosophis repugnat. Dices, nullùm in rebus vacuum sequi; quia vacuum est locus aptus repleri corpore, eo tamen non repletus: eiusmodi autem canales, quamuis corpore non repleantur, nisi cum per transennam aliqua sui parte Planetam suscipiunt, cœterùm corpore repleri apti non sunt. Contra tamen, quia in primis cur caua illa, & laxa spatia corporis incapacia sint? cur sicut successiuè corpus suscipiunt, eoque replentur; simul etiam, & versus omnes partes eo occupari nequeant? haud aliter ac cauitates omnes sublunares repleri aptæ sunt. Deinde ne de nomine quæstio sit, certè quæ rationes vacuum in hoc mundo sublunari impugnant, eædem suadent cauitates illas in mundo illo cœlesti minimè adstruendas esse, quidquid sit, an vacui nomen mereantur: nam, vt aliis rationibus supersedeam, quî fieri poterit, vt per eas cauitates nullo corpore repletas influxus cœlorum in hæc inferiora traiiciatur?

3. Etenim canales eiusmodi haud quaquam concipi debent, tanquam lineolæ quædam subtiles, quæ longo volumine, atque tenui admodum ambitione cœlum omne diuidant, atque circumforent: quin potius cœlum excauatum esse potest, non solum versus omnem suam longitudinem ab oriente in occidentem, & ab oriente iterum per antipodas in orientem, sed etiam versus immensam illam latitudinem, qua cœlum ab vno solstitio ad aliud extenditur, cum sol ab vno ad aliud, & è contrario meet, atque remeet; quo ita diuersas anni partes diuersis orbis gentibus dispenset. Quo constituto, sic argumentor: vt cœlum, & sydera in hæc inferiora influant, debent operari in medio per spatium illud cœli, quod ab vno solsticio ad aliud longè latéque diffunditur nullum enim agens in distans operari potest, quin prius in medio operetur: at, cum eiusmodi spatium inter medium nullo corpore repleatur, in quo aliquid agi, fierique possit; certè cœlum, ac sydera in eo minimè operari possunt: igitur in hæc inferiora sub eo spatio longè, ac latè collocata influere non poterunt. Illo quoque argumento hæc sententia refelli potest, quod iuxta Astrologos luna v.g. in eodem puncto Zodiaci existens modò propior sit terris, modò remotior: at si per canalem rotaretur in eodem Zodiaci puncto eodem semper interuallo à terris distaret.

4. Porrò autem ex cœlis planetariis nullum est, quod vt minimum non complectatur tres orbes partiales non continuos, sed contiguos: quorum medius simpliciter, & quoad vtramque superficiem mundo excentricus est: duo verò extremi excentrici secundum quid; eò quod superior quoad superficiem conuexam, habeat idem centrum cum centro vniuersi, quoad inferiorem tamen, & concauam, centrum longè diuersum, cum tamen inferior orbis oppositio modo se habeat. Hæc doctrina à Ptolomæo, & reliquis Astrologis hoc argumento suadetur: quod eadem magnitudo procul visa, modò maior, modò minor appareat, ex eo oritur, quod aspectui modò propior, modò remotior sit, vt perspectiui tradunt: at sol v.g. (eadem est ratio de aliis Planetis) modò maior, modò minor nobis apparet; idque esto vtrobique eadem temporis serenitas sit, ac nullæ nu-

bes, nulli vapores cœlum asperent: sol enim existens in signis australibus maior videtur, in borealibus verò minor, eiusque diameter visualis in capricorno maxima, in cancro vero minima est: igitur sol terris modo propinquior, modo remotior est: at si in orbe omnino concentrico telluri veheretur, in eadem distantia semper appareret, vt perspicuum est: igitur in orbe omnino excentrico vehitur, cuius orbis motus cum diuersus sit à motu duorum orbium, quos interiacet; & qui inæqualis crassitiei sunt; certè sol cum interiacet, partem magis crassam orbis inferioris, minusque crassam superioris; siue, quod perinde est, cum est in puncto, quod aux appellatur, necesse est, vt tunc maxime à terris distet, cum vero interiacet partem magis crassam orbis superioris, & minus crassam inferioris, siue, quod recidit in idem, cum est in puncto, quod oppositum augis appellatur, necesse erit, vt tunc à terris in minima distantia sit; quoque magis, aut minus ab iis punctis recedit, vel ad ea accedit, eo magis, vel minus à tellure distabit, ad eamue appropinquabit.

5. Rursus iuxta plerosque Astronomos, cœlũ cuiusque Planetæ, sole excepto, præter tres orbes præfatos habet epiciclum, idest, orbem exiguum, intra crassitiem orbis excentrici, immersum, & qui centrum mundi nullatenus ambiat, sed omnino extra illud sit: siquidem Planetæ omnes præter solem in auge existentes, modo tamen altiores, modo depressiores feruntur: & quod hinc sequitur, modo maiores, modo minores apparent, maioremque, & minorem Zodiaci partem diametris suis abscindunt: at idipsum etiam vsu venit, cum Planetæ in opposito augis feruntur: at hæc inæqualitas ab orbibus excentricis proficisci nequit, vt manifestum est: ergo solum ab epiciclis; prout enim Planeta in puncto sublimiori, aut humiliori epicicli mouetur, à terra magis vel minus eleuabitur: nec vero hinc sequitur, quod non nemo sequi contendat, per solos epiciclos maiorem, ac minorem distantiam Planetarum à tellure quotiescunque accidit, explicari posse: siquidem luna v.g. existente in eodem epicicli puncto deprehensum est ab Astrologis eam modo magis, modo minus à terra distare: vt ergo hæc inæqualitas explicetur, præter epiciclos orbes excentrici admittendi sunt; ex quibus etiam oritur, vt hoc etiam obiter insinuem, quod motus superiorum Planetarum inferioribus non communicentur: quia vt orbis superior secum rapiat inferiorem, debent ambo esse concentrici: vt iustrumento materiali ad id fabricato ostendi solet,

6. Hactenus de numero orbium cœlestium, quod autem attinet ad numerum stellarum, eæ absolute (vt aiunt) sumptæ tot sunt, vt à nobis communiter numerari nequeant: vnde sicut arenæ maris numero propemodum infinitæ sunt: primò, quia id multis in locis Scriptura testatur, præsertim Ieremiæ cap. 33. *sicut enumerari non possunt stellæ cœli, & metiri arenæ maris, sic multiplicabo semen Dauid serui mei.* Secundò quia id experientia ipsa testatur: siquidem hyemali tempore, præsertim versus polum arcticum infinitæ, ac innumerabiles stellæ in cœlo visuntur: quod autem Astrologi respondent, non stellas, sed apparentias stellarum conspici, visumque ludificari, vbi infinitos lucis radios, ac scintillationes sydera esse putat; hoc, inquam, futile est: nam eadem ratione dici poterit, stellas, quæ ab Astrologis eiusmodi censentur, non stellas, sed lucis scintillas ac radios esse. Tertio id ipsum suadetur: quia galactia, siue via lactea, quid aliud esse potest, quam quædam octauæ sphæræ ambitio infinitis stellis minutissimis longe, lateque conspersa. Quod autem air Aristoteles, viam lacteam in aëria, & elementari plaga non vero in ætherea regione sitam esse, ac nihil aliud esse, quam exalationes quasdam inflammatas, atque in longum, latumque profusas, facile refelli potest: quia inprimis incredibile est, tantam halituum vim sursum attrahi, quanta sufficit ad conseruandum tot sæculis maximum illum circulum, qui latitudine amplissimus est, vt oculis cernitur; longitudine vero sua totum cœlum in duo hemisphæria per sagittarium, & geminos diuidit. Deinde, si via lactea esset in aërea, & elementari plaga, non cerneretur vbique gentium in eodem situ comparatione facta ad stellas fixas, sed ab aliquibus prope has, ab aliis verò prope illas cerneretur: qua ratione cometæ ob vicinitatem iuxta easdem stellas fixas vbique gentium non conspiciuntur: at contrarium ab Astrologis longo vsu, & experientia, deprehensum est.

7. Enimuero tametsi infinitæ propemodum stellæ in firmamento appareant, cæterum plures earum adeo exiguæ sunt, vt solo hyemali tempore appareant, quando aër magis purgatus, & propter inopiam caloris pauciores halitus sursum euehuntur: aliæ verò propter crebram, ac vehementem scintillationem: inconstantem, ac vagam lucem certam sedem habere non videntur; vnde neutræ in sphæra materiali describi, aut in numerum reuocari possunt: idque ex parte expressit Aristoteles lib. 1. Meteoror. cap. 8. ibi: *quæ Sporades, hoc est, sparsæ nuncupantur, non adeo licet in sphæra describere, quod nulla earum vsquequaque euidentem situm obtineat, sed spectantibus cœlum manifestæ sunt.* Hactenus ille: quocirca credibile est, stellas alterius ordinis, idest, nec minimas, nec luciuagas tantum esse mille viginti duas, vt peritissimi Astronomi longo vsu, & experientia deprehenderunt.

8. Quod autem attinet ad ordinem sphærarum cœlestium talis communiter censetur esse, qualem initio capitis insinuauimus: & confirmari potest. Primò, quia quo magis cœlum aliquod à natura, & conditione primi nobilis abest, magisque velociter contra eius motum, & impetum ab occidente in orientem agitatur, eo magis à primo mobili distare debet: sic elementa directe opposita, & contraria loco distare, ac sibi immediata non esse supra asseruimus, cum de corpore corruptibili ageremus: atqui luna citissime ab occidente in orientem contra impetum primi mobilis mouetur: Deinde Mercurius mox Venus, postea Sol, tum Mars, deinceps Iupiter, & sic de reliquis. Secundò id ipsum confirmari potest, quia astrum illud, quod aliud ecclipsat, alio inferius, ac telluri vicinius est: at ab Astrologis deprehensum est, lunam reliqua sydera ecclipsare, ac Mercurium obscurare Venerem, & sic de reliquis, præter Solem, qui à Mercurio, & Venere non ecclipsatur; non quod iis superior non sit; sed quod iuxta Albategnium, Clauium, & alios circulus visualis Mercurij adhuc longe minor sit circulo visuali Veneris.

9. Ad hunc Planetarum ordinem respexerunt antiqui

antiqui dierum ſeptimanæ inſtitutores: cum enim ſenſiſſent, ſingulis diei horis ſingulos ſuo ordine Planetas præſidere, v. g. primæ horæ primi diei ſabbathi videlicet, Saturnum, ſecundæ Iouem, tertiæ Martem, quartæ Solem, quintæ Venerem, ſextæ Mercurium; ſeptimæ Lunam, rurſus octauæ Saturnum, nonæ Iouem, decimæ Martem, vndecimæ Solem 12. Venerẽ, 13. Mercurium, 14. Lunam, 15. Saturnum, 16. Iouem, 17. Martem, 18. Solem, 19. Venerem, 20. Mercurium, 21. Lunam, 22. Saturnum, 23. Iouem, 24. Martem, ac rurſus 25 ſiue primæ horæ, ſecundæ diei Solem: & ſic vlterius: cum, inquam, ordine hoc ſingulis horis diei ſingulos Planetas præeſſe arbitrati eſſent, mirandum non fuit, quod dies hebdomadæ non denominarent penes eorum ordinem immediatum, ſed penes ordinem mediatum, & retrogradum, duobus intermiſſis: quò ſpectat vulgare diſtichon

Cynthia, Mercurius, Venus, & Sol, Mars, Ioue, Satur:
Ordine retrogrado ſibi quinis vendicat horam.

CAPVT II.

Cœlorum figura, & magnitudo.

10. PLerique Philoſophi cum Ariſtotele 2. de cœlo cap. 6. & Aſtronomi fermè omnes cum Ptolomæo tuentur, cœlum eſſe globoſæ, ac ſphæricæ figuræ: & quidem merito, quia cœlum inter corpora ſimplicia perfectiſſimum eſt: quemadmodum ergo reliqua corpora ſimplicia figura ſphærica prædita ſunt, ita ſimiliter cœlum ea præditum eſſe debet; eo vel maximè, quia hæc figura perfectiſſima ſit: tum quia principio, & fine more creatoris caret: tum, quia ſimpliciſſima eſt, & vnica ſuperficie continetur: tum demum, quia inter omnes figuras iſoperimetras capaciſſima eſt. Secundò id ipſum ſuadetur ex motu cœleſti: nam cum motus cœleſtium corporum ſit menſura aliorum motuum, & per tempus illud in cœleſtium ſphærarum vertigine conſtitutum durationes rerum ſublunarium regulentur, & menſurentur; ſanè motus cœleſtium corporum velociſſimus, ſeu minimæ durationis eſſe debet, quoad eius fieri poterit: quod enim in vnoquoque genere minimum eſt, id reliquorum menſura eſt: quia ratione numeri per vnitatem, & pondera per vnciam menſurantur: vnde corpora cœleſtia ea figura prædita eſſe debent, quæ ad motum velociorem magis apta eſt: at figura ſphærica ad motum velociſſimum aptiſſima eſt; ſiquidem motus qui fit per lineam ſphæricam, & circularem cæteris paribus eſt minimus, ſiue velociſſimus inter omnes motus, quibus aliqua res ab eodem puncto ad illud idem punctum redit, eo quod linea circularis ſit minima earum, quæ ab vno termino exeunt, & ad eundem reuertuntur. Præterea, cum cœli inferiores moueantur motu oppoſito motui primi mobilis ſuper diuerſos polos; ſanè niſi ſphæricis ac rotundi ſint, taleſque in quibuſ nihil eminens, nihil lacunoſum, nihil angulis, aut anfi tibus inciſum ſit, certè eorum ſciſſio, vel penetratio per motum neceſſario fiet. Adde, ſtellas omnes fixas eandem diſtantiam reſpectu noſtri ſemper ſortiri, vt Aſtrologi compertum habent: at ſi cœlum figuræ ſphæricæ non eſſet, ſed in planitiem extenſum, alteriuſve cuiuſcunque figuræ ſtellæ omnes in eo fixæ eodem modo à nobis non diſtarent, ſed quæ in oriente eſſent, magis à nobis diſtarent, quàm quæ ſupra verticem emine-rent.

11. Quod ad magnitudinem cœlorum attinet, ambitus concauæ lunæ continet milliaria 7580250. cum autem cœli ſuperiores proportione ſeruata ſemper maiores ſint, quiuis facile coniicere poterit, quanta ſit Saturni, quanta firmamenti, quanta demum cœli glacialis, ac primi mobilis ambitio, & vaſtitas. Non prætermittam autem duo, quæ circa magnitudinem firmamenti ſubtiliter demonſtrat P. Clauius ſæculi ſui Euclides cap. 1. ſphæræ. Primum eſt, tantum eſſe ſpatium illud loci, quod vna hora quoduis æquatoris punctum in conuexo firmamenti conficit, quantum vix annis 1094. conficeret quis, tametſi quotidie 40. milliaria ſine vlla mora, aut intermiſſione tranſigeret: vnde neceſſe fore, vt ſagitta aliqua, aut auis in ſpatio temporis vnius Salutationis Angelicæ ſæpius, quàm ſepties totam tellurem circumeat, ſi motum horarium illius puncti conſequatur, ac pari cum eo celeritate moueatur: cum ergo ſpatium illud loci 24. aut 23. vicibus minus ſit, quàm totius firmamenti ambitus, quantus hic ſit, quis non ſtupeat? Secundum, quod demonſtrat, eſt ſtellam polarem, quæ eſt in extremo caudæ vrſæ minoris, ſiue cynoſuræ, quæque à polo arctico tantum diſtat tribus gradibus, & dimidio vnius gradus, deſcribere circulum, intra quem collocatus totus orbis, cui ſol infixus eſt, eum adhuc non tangeret: cum autem eiuſmodi circulus comparatione aliorum, quos firmamentum motu ſuo deſcribit, minimus, ſit vt colligere eſt ex eius indiſtantia à polo, & ex eo, quod ſtella polaris vix locum mutare videatur, cuiuis vel hinc perſpicuum erit, quàm vaſta, ingenſque ſit firmamenti magnitudo.

12. Quod ſpectat ad ſtellarum magnitudinem inter omnes tam errantes, quæ ſeptem ſunt, quàm fixas, quæ in ſex claſſes, ſiue magnitudines inæquales ab Aſtrologis diſſecantur, nulla prorſus eſt, quæ non ſit octodecies maior, quàm tota telluris moles; plureſque earum eam longè magis excedunt: & Sol omnium maximus continet magnitudinem terræ 166. vicibus, & nonnihil amplius. Ab ea tamen regula excipias Venerem, Mercurium, & Lunam: ſiquidem terra continet in ſe Lunæ magnitudinem 39 vicibus, & non nihil amplius; & magnitudinem Veneris 37. vicibus, & non nihil amplius, ac magnitudinem Mercurij aſtrorum minimi 21952. vicibus. Atque hinc eſt, vt interpoſitione horum trium aſtrorum inter ſolem, & noſtrum aſpectum eclipſis ſolaris nequaquam ſit vniuerſalis, & comparatione omnium gentium; ſicuti eſt vniuerſale deliquium lunæ.

13. Quoniam vero nonnulli ſenſuum iudicio ducti ea, quæ de magnitudine ſyderum, ac cœlorum ex Aſtrologis adduximus, falſa, & commentitia eſſe arbitrantur; ideo breuiter, ac dilucidè demonſtremus, terram quantauis mole prædita, ac ſolari corpore toties maior videatur, eò tamen multo minorem eſſe; & Lunam etiam, quæ eiuſdem cum ſole magnitudinis nobis videtur, eo tamen multo minorem: hinc enim fiet vt in reliquis etiam, quæ de magnitudine ſyderum, ac

cœlorum

cœlorum, nec non de eorum distantia, situ, positura, motu, & aliis proprietatibus Astronomi tradunt, hos potius, quam se, sensusque suos toties ludificatos sequi non grauentur. Prius ergo eorum, quæ proposita sunt, in hunc modum demostrari solet: si sol foret æqualis terræ, huius vmbra proiiceretur æqualibiliter in infinitum per modum cylindri, nec quo longius procederet, tenuaretur, aut augeretur: quod si sol minor esset, quam terra; huius vmbra, quo longius à terra procederet, eo magis in infinitum augeretur, latiorque euaderet: quorũ hoc manifeste demonstratur à Vitellione lib. 2. perspectiuæ propositr. 28. illud vero prop. 26. & experientia duorum corporum, quorum alterutrum sit opacum, alterum luminosum, in certa distantia iuxta se positorum, vtraque assumpti pars euidenter constabit. Consequens autem est aperte falsum: quia aliàs nocte serena aliquæ stellæ fixæ occultarentur; eæ videlicet, quæ essent in vmbra terræ: eadem ratione Mars, Iupiter, & Saturnus, Soli è diametro obiecti ecclypsim paterentur: quod tamen nunquam visum est: vnde sol erit multo maior, quã terra; indeque fiet, vt vmbra terræ pyramidalis, siue conica sit; desinatque in punctum indiuisibile, quod stellas fixas, dictosque Planetas minime pertingat. Posterius autem eorum, quæ proposita sunt, in hunc modum clarissime probatur: cum enim vmbra terræ conica sit, semperque angustior euadat, eius diameter diametro terræ minor erit: quare cum tota luna intra eam vmbram toties abscondatur, quoties ecclypsim patitur; idque longo temporis interuallo, & in magna à terra distantia, vbi vmbra minima est, fieri nequit, quin luna multo minor, quam terra; ac proinde multo adhuc minor quam sol existat.

CAPVT III.

Cælorum motus quam habeat causam efficientem.

14. QVot, & quibus motibus Cœli moueantur supra cap. 1. ostendimus, cum esset nobis sermo de numero, & ordine Cœlorum: quare id in præsenti discutiendum supereſt, à qua causa Cœli effectiuè moueantur. Ioannes Maior, Saxonia, & alij, quos refert Bonouentura in 2. dist. 14. art. 3. quæst. 4. censent Cælos à seipsis solum effectiuè moueri. Simplicius tamen, Philogonus, Damascen. Thom. Aquinas, Bonauent. suprà citatus, Gab. Zimara & alij docent Cælos à solis intelligentiis cieri: nonnulli vero cum Alberto Magno tenent, eos nec à se ipsis, nec ab intelligentiis, sed à solo Deo moueri; ipsi verisimilius arbitramur eos tam à se ipsis, quam ab intelligentiis effectiue moueri. Prius suadetur: quia omnis essentia suas proprietates efficit: at motus circularis est proprietas cœli ei debita, & connaturalis: igitur cœlum motum circularem efficit. Maior suprà lib. 4. tract. 7. probata est, cum de concursu substantiæ in accidentia sermo nobis esset, & infrà lib. 10. tract. 1. prælibanda est. Minor probatur, quia ex eo colligimus calorem v. g. in summo gradu esse proprietatem ignis ei connaturalem, quia videmus omni igni, & soli igni, & semper igni conuenire: secluſa autem hac experientia, cedo (si libet) cur calor in summo sit proprietas connaturalis ignis, aut cur vlli alteri essentiæ vlla alia affectio propria, & connaturalis sit; at videmus, motum circularem præsertim perpetuum omni cœlo conuenire, & soli ei, ac semper conuenire. Rursus id ipsum suadetur: quoties natura alicui substantiæ corporeæ organa ad motum, aut operationem aliquam largitur; siue, quod perinde est, quoties corpus aliquod substantiale ad operationem aliquam, aut motum subeundum adaptat, toties ei facultatem, ac vim actiuam ad idem concedit: an non frustra concederet natura homini pedes, quibus ambularet, vim tamen actiuam, & deambulationis productiuam ei denegaret; atqui Deus corpus cœleste ad motum circularem adaptauit, & concinnabit, ac quasi organizauit, eique figuram sphæricam ad eum mutum aptissimam largita est; nec non grauitatem, & leuitatem, quibus sursum, aut deorsum impelleretur; aliasque omnes qualitates, quibus à motu circulari impediri posset, ei ademit.

15. Præterea id ipsum suadetur: quia motus grauium, & leuium est ab intrinseco: quanquam enim id nonnulli Philosophi negent, eos tamen Aristoteles 1. de cœlo cap. 8. optimè refellit, & inferius l. 10. tract. 1. cap. 3. confutandi sunt: at non est potior ratio, cur motus grauium, & leuium sit ab intrinseco, quam motus cœlestium corporum; imo potior ratio est, vt cœlestia corpora à semetipsis efficienter, quam grauia, & leuia moueantur; cum vis se mouendi perfectio sit; ac proinde in corpora perfectiora, qualia sunt cœlestia, conuenire magis debeat, quam in ea, quæ minus perfecta sunt, si in vna, & non in alia conuenire censeatur. Postremo id ipsum suadetur, quia cœlum efficienter mouet corpora sublunaria de loco in locum, vt perspicue constat ex iis, quæ de magnete, de heliotropia, de pelago fluente, ac refluente toties disseruimus: cur ergo seipsum localiter mouere nequeat? Certè quemadmodum ridiculum esset asserere hominem, qui se ipsum ne latum quidem vnguem mouere, aut de loco in locum discedere posset; cum tamen virtute alios mouendi præditus esset; aut ignem, qui in aliis calorem produceret, eum producere nequiret: ita similiter absurdum est, cœlum alia localiter mouere posse, se ipsum tamen mouere non posse, cum tamen in æterno, & irrequieto motu sit.

16. Posterius suadetur: quia negari nequit, quin Angeli cœlorum præsides, & gubernatores sint, eosque perpetuo moderentur: tum quia id postulat connexio, & subordinatio reperta inter mundum visibilem, & inuisibilem, atque inter creaturam corporatam, atque incorpoream: quæ certè nullo iure magis negari potest, quam connexio, & subordinatio inter causas corporeas, superiores, & inferiores, cœlestes, & sublunares; quarum aliæ ab aliis reguntur, & alia aliis subiiciuntur. Tum quia id perspicue docent Ecclesiæ Patres, præsertim Augustinus 83. quæstion. q. 16. ibi: *vnaquæque res visibilis in hoc mundo habet potestatem Angelicam sibi præpositam, sicut aliquot locis diuina Scriptura testatur.* Et Origenis tom. 6. in Ieremiam: *omnibus rebus Angeli præsident tam terræ, & aquæ, quam aëri, & igni, ideſt principalibus elementis: & hoc ordine perueniunt ad omnia animalia, ad omne germen, ad ipsa quoque astra cœli,* At Angelos præesse cœlis, eosque

regere

regere,& moderari quid aliud eſſe poteſt, quam cœlos mouere,ac certos,ſtatoſque curſus iis præfinire?nec enim cura illa , & regimen Angelorum in eo conſiſtere poteſt , quod cœlos in ſuo eſſe directe conſeruent : qui enim cœlos producere non potuerunt, qua ratione eos directe conſernare tot ſæculis valebunt? neque etiam in eo, quod indirectè cœlos conſeruent, hoc eſt, in eo quod cœlos ab iniuria , & violentia agentium contrariorum vindicent , & ſi quid detrimenei eis extrinſecus immieeat,id omne ab iis arceant: cum enim cœlum , aut omnino incorruptibile, & ab agentibus extrinſecis lædi neſcium ſit, vt Peripatetici tuentur, aut certè non niſi difficillime; ac parum lædi,aut corrumpi poſſit;vt experientia tot ſæculorum conſtat , inepte quidem cura illa cœleſtis machinæ Angelis demandata ad ſolam illam indirectam conſeruationem & contrariorum agentium vim arcendam reuocaretur. Præterea idem ſuadetur:quia cœleſtia corpora hæc inferiera localiter mouent , vt ſæpe inſinuatum eſt:à fortiori ergo dicendum eſt, Angelos mouere cœlos, cum Angeli naturæ dignitate plus cœlos ſuperent, quàm cœli corpora ſublunaria antecellunt. Rurſus:ſicut minor hic mundus,videlicet homo habet ſpiritus vitales,& animales:per quos regitur , & vi quorum de loco in locum mouetur, pari ratione congruum fuit, vt maior hic mundus per ſpiritus incorporeos , & cœleſtes regatur,eorumque vi,& influxu motum localem ſubeat penes eas partes , ſecundum quas ſummo artificio localiter mouetur. Huc ſpectat illud Iobi c.1.ibi *ſub quo curuantur, qui portant orbem*;nec non Eccleſiaſtes cap.1.*pergit in circuitu ſpiritus,& in circulos ſuos reuertitur*, ideſt,cœlum ita pergere, & reuerti facit,vt interpretatur D.Thomas opuſc.11.art.6.

17. Obiicies tamen contra priorem neſtræ ſententiæ partem: ſi qua ratione,cœlum à ſemetipſo efficienter moueretur, maximè quia motus ei eſſet connaturalis,eiuſque ingenito appetitui conformis; vt ſuprà argumentati ſumus : at motus ei connaturalis non eſt , ſiquidem nulla res connaturaliter mouetur,niſi ad hoc,vt centrum adipiſcatur : cœlum autem perpetuo eſt in centro , & nunquàm ab eo exulat , aut poteſt.Deinde obiicies contra poſteriorem noſtræ ſententiæ partem: cœli à ſemetipſis effectiue mouentur:cur ergo ad eorum motus intelligentiæ efficienter concurrãt? pari quidem ratione,dici poſſet , quoties lapis in centrum delabitur,aut ignis, vel aër ſurſum euolat,autmare fluit,refluitque , aut quæuis alia res naturaliter mouetur, huiusmodi motus ab intelligentiis efficienter proficiſci ; quod ridiculum videtur.

18. Ad primum reſpondeo : corpori in centro exiſtenti ſolus ille motus connaturalis minimè eſt, qui ſe habet per modum deſiderij,qualis eſt motus rectus:poſſeſſio enim centri eius deſiderium, & è conuerſo tollit:cæterum motus ille , qui ſe habet per modum quietis,aut gaudij connaturalis eſſe poteſt corpori , quantumlibet in centro exiſtat , motus autem circularis cœli eſt motus per modum gaudij,& quietis,cum ratione illius cœlum toraliter ſumptum ſemper ſit in eodem loco, ac centro. Præterea dici poteſt , quamcumque partem globi cœleſtis habere pro centro adæquato totum illud ſpatium , per quod circulariter mouetur : at cœlum in toto eo ſpatio ſemper non eſt,& ſemper extra aliquam eius partem eſt: vt ergo in toto eo ſucceſſiue ſit , ad illud ſucceſſiue moueri abſque vlla violentia, & connaturaliter poterit.

Ad ſecundum reſpondeo , inprimis in eorum ſententia , qui cœlos eſſe eiuſdem ſpeciei arbitrantur , facile dici poſſe , quemcumque orbem cœleſtem indifferentem eſſe adhuc motum , vel ad alium quemcumque ſpecie diuerſum, ſiue ad hoc,quod maiori,vel minori celeritate ſuper hos, aut ſuper illos polos ab oriente ad occidentem, aut è contrario moueatur:ad hanc ergo indifferentiam quoad ſpecificationem , & non ſolum quoad indiuiduum tollendam angelorum miniſterio Deus vti potuit, ac debuit. Cæterum grauia, & leuia non ſunt indifferentia ad diuerſos motus quoad ſpecificationem,ſed quoad indiuiduum : cum ergo ſolius Dei ſit,determinare effectus cauſarum ſecundarum quoad indiuiduationem , mirum non eſt , quod Angeli motus grauium, & leuium non efficiant.Rurſus motus lapidis v. g. nullo artificio præditus eſt, nihilque admirandi , aut ſuſpiciendi habet, ratione cuius intelligentiæ aſſignari debeat, aut in ipſum lapidem , tanquam in cauſam ſecundam adæquatam reuocari non poſſit:contra vero credibile non eſt ordinatiſſimos illos , ac adeo admirabiles,nunquam tamen ſatis admiratos ſyderum ortus & occaſus,dierum ac noctium ſtabiles,ac certas vices , lunæ menſtrua curricula, & incrementa , ac decrementa, anni quadripartitam diſtinctionem quadripartito elementorum numero congruentem,magnorum orbium in circulos partim annuos,partim ſæculares recurſus:hos, inquam,ordinatiſſimos motus , & quoſdam quaſi temporum verſus in inanimis cœli ſubſtantiam velut cauſam ſecundam adæquatam reuocari poſſe,& non potius tales eſſe, ad quos Angelorum miniſterio Deus vti debuerit. 19.

Præterea probabiliter dici poteſt , motum,atque impetum ſupremi cœli, nec non inferiorum cœlorum eius naturæ,& conditionis eſſe,vt quémadmodum ſupremum cœlum inferiores ſecum rapit, ij etiam illud ſecum rapere poſſent;nec eſſe potiorem rationem,cur vnum potius,quam aliud eueniat , ſi cœli ſecundum ſe ſpectentur:vt ergo hæc indifferentia determinetur , & vt ita motus cœlorum temperetur , vt à ſupremo cœlo ad inferiores , & non è contrario traiiciatur , neceſſe eſſe,vt Angelus cœleſtium corporum motibus ſe ſe immiſceat, eoſque ex parte efficiat medio impulſu,quem applicet , aut producat:negari enim nequit , quin ex vario modo adhibendi impulſum oriti ſoleat, quod res ſurſum, ac deorſum in latera,aut in orbem moueatur. 20.

CAPVT IV.

Motus contrarij an eidem cœlo poſſint conuenire.

MOtus contrarij bifariam accipi poſſunt : primò etenim tales dici poſſunt ij , per quos duo corpora in diuerſis locis ſimul conſtituuntur,quique ſi eidem corpori conueniunt , illud etiam in pluribus loci ſpatiis ſimul collocarent : & in hoc ſenſu motus contrarios eidem cœlo 21.

cœlo conuenire non poſſe extra omnem controuerſiam eſt, cùm ſimul, & ſemel duos locos occupare nequeat. Secundò dici ſolent motus contrarij, qui diuerſos terminos à quo & ad quem reſpiciunt, & per quos corpus aliquod ab occidente v.g. ad orientem, & ab oriente ad occidentem ſimul mouetur: quòd an accidere poſſit, quin idem corpus in duobus locis ſimul ſit, aliudve inconueniens ſequatur, valdè inter Aſtrologos, ac aliquos Philoſophos controuertitur, vbi hi partem negantem, illi verò affirmatiuam acriter defendunt.

22. Enimverò affirmans ſententia, quam in ſuperioribus ſæpè ſuppoſuimus, in præſenti etiam nobis magis placet: quia planetæ omnes motum diuinum ab oriente in occidentem, & ſimul ab occidenti in orientem motibus ſibi propriis moueri, variis experientiis, & obſeruationibus Aſtrologi manifeſtè concludunt; quarum aliquas ſupra adduximus, cùm de numero cœlorum ageremus. Vt enim ibi aiebamus, fieri non poſſet, vt planetæ modò magis, modò minus inter ſe, & à ſtellis fixis diſtarent, vtque puncta, ortus, & occaſus in horizonte variarent, ſi tantum vno communi motu, & per vnum communem circulum videlicet æquinoctialem, ac ſuper eoſdem polos, ſcilicet polos totius mundi ab oriente in occidentem tantum mouerentur; & vlterius propriis, ac diſtinctis motibus ſuper polos Zodiaci, ac circulum etiam Zodiacum ab occidente in orientem minimè cierentur.

23. Reſpondent Achilinus, Alpetragius, & alij aduerſarij, cœlos inferiores, cum ſolo motu diurno moueantur, videri tamen nobis eos moueri ab occidente in orientem, contra impetum primi mobilis: ac proinde planetas omnes cùm ſint in eadem diſtantia tam reſpectu ſui, quàm reſpectu fixarum, in diuerſa tamen diſtantia, ac poſitiua nobis apparere: nimirum quia orbes inferiores, quo magis diſtant à primo mobili, eo tardius quàm ſuperiores ab oriente in occidentem mouentur. Quam doctrinam hoc exemplo, & quidem, vt ipſis videtur, apertiſſimo declarant: ſi ſint tres ordines hominum collaterales linea recta diſpoſiti, ſimulque ab oriente in occidentem moueantur ea conditione, vt homines primi ordinis celerrimè, homines ſecundi ordinis tardius, ac homines tertij ordinis tardiſſimè currant; certè procul eos ordines intuenti apparerent homines ſecundi ordinis retrocedere ab occidente in orientem, necnon etiam homines tertij ordinis; & hos lentiori gradu quàm illos; cùm tamen omnes duntaxat ab oriente in occidentem mouerentur. Similiter ergo cum planetæ inferiores ſegnius, ac lentius moueantur ab oriente in occidentem quàm ſuperiores, eo quod magis diſtent à primo mobili, à quo iis communicatur motus: contra verò ſuperiores concitatius moueantur ab oriente in occidentem quàm inferiores; hi pedetentim nobis retrocedere videbuntur ab occidente in orientem, eoque citiùs quo lentius ab oriente in occidentem re ipſa mouentur: vnde Luna inter reliquos planetas lentiſſimo gradu incedens, citiſſimè tamen, ac ſpatio vnius menſis ab occidente in orientem retrocedere nobis videtur.

24. At hoc, quod reſpondent aduerſarij, parum, aut nihil habet momenti: nam, ſi cœli inferiores non haberent peculiares motus ab occidente in orientem, ſed propter inæqualitatem motus repedare exiſtimarentur, ſanè eiuſmodi repedatio, ac defectio fieret per eandem lineam, nempe circulum æquinoctialem, & circa polos mundi, cum motus diurnus planetarum ab oriente in occidentem per eum circulum, & circa eos polos rectà fiat: vnde omnes ſtellæ fixæ, & errantes eoſdem circulos parallelos vltra, & citra æquinoctiales ſemper deſcriberent; ac nunquam Sol, aut Luna, aliudve ſydus puncta, ortus, & occaſus variarent, aut vno tempore propius quam alio ad noſtri capitis verticem accederent, aut magis ab eo recederent, vt nuper argumentabamur. Illo quoque argumento refelli poteſt hæc ſententia, quia ſol viginti quatuor horis motum diurnum abſoluit, Luna verò vndecies velocius quàm Sol ab occidente in orientem repedare videatur, vt eſt manifeſtiſſimum.

Secundò ſuaderi poteſt ſententia, quam amplexi ſumus, quia non magis opponuntur motus ab oriente in occidentem, & motus ab occidente in orientem, quàm calor, & frigus v.g. at calor, & frigus ita temperari poſſunt, vt in eodem ſubiecto ſe compatiantur, ſimulque reperi poſſint: pari ergo ratione duo illi motus ita temperari, ac modificari poſſunt, vt ſimul eidem cœlo poſſint conuenire. Tertiò hæc eadem ſententia multiplici experientia ſuaderi ſolet: nam ſi nauis à portu ſoluat, & nauita à prora ad puppim tendat, ſimul & ſemel, vt aiunt ab oriente in occidentem motu proprio, ab occidente verò ad orientem motu totius nauis mouebitur. Similiter muſca rotæ aſſidens ab oriente in occidentem motu totius rotæ, & ab occidente in orientem motu proprio contra impetum rotæ mouetur. Rurſus, ſi quis ab oriente in occidentem ambulet, & manum retrò verſus orientem extendat, vna eademque manus ab oriente in occidentem motu totius corporis, ab occidenti verò in orientem motu proprio, ac peculiari ſimul mouebitur. Plura alia eiuſmodi exempla adduci ſolent, quæ certè, ni fallor, rem concludunt. Nec conſpicio, quæ experientia certa ſit, ſi ſenſu refragante in prædictis caſibus vnam eandemque ſubſtantiam diuerſos motus ſimul ſubire negetur. 25.

Quartò ſuadetur ea ſententia authoritate multiplici: namque in primis eam tuentur non tantum plerique Aſtrologi, vt ſupra prædiximus, verum etiam Ariſtoteles, & cum eo Peripatetici omnes. Eandem etiam ſequuntur communiter Stoïci, ac præſertim Seneca in conſolat. ad Heluiam cap. 6. ibi: *Aſpice ſydera mundum illuſtrantia: nullum eorum perſtat: labitur aſſiduè, & locum ex loco mutat: & quamuis cum vniuerſo vertatur, in contrarium nihilominus ipſi mundo refertur. Per omnes ſignorum partes diſcurrit perpetua eius agitatio: & aliunde alia commigratio eſt.* Ita etiam ſentit Plato in Timæo ibi: *Ipſorum ergo planetarum corpora ita fab refacta, atque compoſita collocauit Deus ad motus, & circuitiones, quas alterius motus deducit ſeptem quidem illas, quum & ipſi planetæ ſint ſeptem. Collocauit ergo illos; lunam quidem in primo, qui circa terram eſt, orbem: ſolem in ſecundo à terra: luciferum, & eum qui Mercurio eſt ſacer, in iis, qui pari celeritate qua ſolis orbis mouentur, contrariam tamen ei obnixamque ſe ſe mouendi ſortiti ſunt poteſtatem: eaque conuerſione, quam inter ſe habent Lucifer, Mercurius, Sol, alij alios vincunt, viciſſimque vincuntur.* Et paulo infra: *Quando igitur vnumquodque eorum ſyderum curſum decorum eſt adeptum,* 26.

ptum, è quibus erat motus temporis consignandus: & colligata sunt corpora animalibus vinculis, tum animantia orta sunt. Ea verò demandatum munus didicerunt, eiusque parere imperio, & præscripta obedire; tunc ex alterius naturæ motione transuersa, atque obliqua in eiusdem naturæ motum incurrentia, in eoque hærentia, atque impedita: quippe quæ princeps esset, atque primaria, & firmiori potestate: quum alia maiorem lustrarent orbem, alia minorem: tardiusque maiorem, celeriusque minorem: momento verò vnius, eiusdemque naturæ, quæ velocissimè mouebatur, ea celeritate vinci à tardioribus, & cum superabant, superari videbantur: omnes enim orbes quasi spiræ inflexione vertebat, quod bifariam contrariis motibus progrediantur: vt quod esset tardissimum, id proximum fieret celerrimo. Ac denique haud ita post: *diuinis autem singulis duo genera motus attribuit;* (Deus scilicet) *vnum, quod semper esset in eodem aque, & idem in omnibus, atque de iisdem rebus sibi ipsi consentiret: alterum, quod in antiquam partem è conuersione eiusdem & similis pelleretur.* Platonem non tantum sequitur, sed penè transcribit Cicero de viuerso, atque in eadem, qua vterque, opinione sunt cæteri Academici.

27. Quod caput est, id ipsum opinantur passim Ecclesiæ Patres, & in primis Isidorus Pelusiota lib. 4. epist. 58. ibi: *quemadmodum si rota vehementi feratur impetu, formica contrario ipsi motu ingrediens nihil tantopere promouet (nam rotæ celerrimo, rapidissimoque motu superatur) ita & errantia sydera se habent, si cum inerrantium motu comparentur.* Et Anselmus de concordia præsc. & præd. Dei, in hæc verba: *item si consideremus solem sub eadem parte cœli, cum semper cœlum lustrando ad eandem partem festinet: videmus quia idem locus est à quo recedit, & ad quem accedit, & indesinenter ei eodem tempore appropinquat, & elongatur. Patet etiam cursum eius non ignorantibus, quia si cœlum consideremus, semper transit ab occidentali parte ad orientalem: si verò terram attendimus, nunquam nisi ab orientali ad occidentalem: & sic semper contra firmamentum vadit; & licèt tardius, cum firmamento. Quod ipsum in omnibus planetis cernitur.*

28. Deinde id ipsum repetit Anselmus libro 1. de imag. mundi cap. 24. ibi: *septem stellæ singulis circulis contra mundum feruntur, & ob vagum cursum planetæ, id est erraticæ dicuntur. Hæ immensa celeritate firmamenti ab oriente in occidentem raptantur; tamen naturali cursu contra mundum ire comprobantur: sicut musca si in rota molendini circumferatur, ipsa tamen proprio motu contra reuolutionem eius ire videtur.* Et ibidem inferius: *luna, licèt quotidie violentia firmamenti ab oriente in occidentem feratur; tamen contra mundum nitens omnia Zodiaci signa 17. diebus peruagatur: circulum autem suum in 19. annis perambulare affirmatur.* Et nonnullis intercisis: *quartus planeta est sol, &c. hic ab oriente in occidentem impetu firmamenti fertur: sed contra mundum nitens per totum Zodiacum 365. diebus graditur: circulum autem suum 28. annis perambulare traditur.* Ac denique ibidem: *septimus planeta est Saturnus, qui & Phaëton, Sphæricus, gelidus contra mundum, vt inferiores regiones, gradiens signiferum triginta annis percurrit.* Anselmum, & Isidorum sequitur, vt alios Patres prætermittam, Damascenus libro 2. de fide capite 7. ibi: *cœlum affirmant, ab exortibus in occasus moueri: planetas verò ab occasu in exortus: & cœlum sui ipsius motu quàm ocissimo circumferre septem planetas.* Constat autem ex modo, quo se alibi explicare solet, cum ex propria sententia loqui non obstante ea particula, *affirmant.*

Quintò, & postremo suadetur eadem sententia: quia si qua ratione duo motus, ad orientem alter, alterque ad occidentem eidem corpori cœlesti, aut etiam sublunari simul conuenire non possent, maximè quia sequeretur, eorum vi corpus idem in diuersis locis simul constitutum iri. At quod hoc non sequeretur; facilè explicari potest in Aristotelis de compositione continui principiis: iuxta ea namque in tempore, & loco sunt infinitæ partes indeterminatæ. Quamuis autem mobile in pluribus partibus temporis indeterminatis, seu proportionalibus nihil spatij acquirat, non ob id tamen dicetur quiescere, cum quies, si propriè loquamur, sit assignari posse partem aliquam determinatam temporis, in quo mobile nihil spatij de nouo acquirat. Rursus, esto mobile plures partes spatij indeterminatas, seu proportionales motu suo non attingat, nihilominus rigorosè fando haud transiliet de extremo ad extremum sine medio, nec saltus vllos etiam exiguos efficiet, cùm saltus propriè tales dicantur in ordine ad solas partes temporis determinatas: atque nisi hæc ita sint, haud ita facilè poterit explicari velocitas, ac tarditas motuum sine morulis, & saltibus: quo tamen nihil absurdius. Suppositâ ergo tota hac doctrina, quam vberius tradidi suprà lib. 3. tract. 8. cap. 3. & alibi sæpè, cum cœli ab oriente in occidentem, & simul ab occidente in orientem mouentur, eorum motus illi contrarij non respiciunt easdem partes indeterminatas temporis, & loci: vnde per eos cœli in diuersis locis simul non constituentur. 29.

CAPVT V.

Cœlorum lumen, & influxus in hæc inferiora.

IN primis lucem cœlorum, corporum etiam sublunarium haud esse formam substantialem patet aduersus aliquos, quos refert B. Thomas 1. p. q. 67. art. 3. quia alioqui aër v. g. quoties à sole illuminatur, duplicem formam substantialem, videlicet formam aëris simul & semel haberet. Deinde nec lucem esse corpus contra Empedoclem relatum ab Aristotele 2. de anim. cap. 7. exinde constat, quod aliàs duo corpora penetrarentur, cum lux experientia teste penetrari soleat cum corpore diaphano, quod illustrat. Quæ cum ita sint, lux suapte natura qualitas quædam accidentalis est, à quatuor primis, calore scilicet, frigore, humiditate, & siccitate distincta, iisque nobilior. 30.

Secundò statuendum est contra Albertum, Richardum de Media villa, Ægidium, & alios, lucem astrorum non differre specie à luce corporum inferiorum: nec à fortiori lucem vnius astri, à luce alterius. Ita B. Thomas in 4. distione 44. quæstione 2. articulo 4. & ratio est: quia non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate: at quæ necessitas est in præsenti 31.

diſtinctionis ſpecificæ ? ſi qua enim, maximè quod ſydera tum inter ſe, tum à corporibus ſublunaribus ſpecie differant : at hoc non tollit, quominus eandem ſpecie lucem ſortiantur : quo pacto homo v.g. & equus quamuis diuerſi ſpecie quantitatem tamen ſpecie minimè diuerſam ſibi vendicant.

32. Tertiò ſtatuendum eſt, aſtra non de ſuo omnino lucere, ſed lumen à ſole mutuari. Ita de luna perſpicuè Anſelm. in lib. de imag. mundi cap. 24. ibi : *Luna eſt primus planetarum*, &c. *Huius corpus eſt globoſum natura igneum, ſed aqua permixtum: vnde & proprium lumen non habet, ſed in modum ſpeculi à ſole illuminatur.* Et quidem hanc eſſe naturam lunæ ſuadetur : tum quia quid aliud eſſe poteſt eius eclipſis, quàm eam interiectu telluris priuari lumine, quod à ſole accipit? tum etiam, & eodem redit, quia lunam creſcere, & decreſcere, modoque magis, & modo minus illuminari, variaſque figuras induere pro varietate aſpectuum ſolis, multiplicique ab eo diſtantia, & indiſtantia, an non etiam arguit, eam à ſole lucem emendicare ? Vide P. Compton. d. 2. de cœl. ſect. 3.

33. Quartò denique ſtatuendum eſt contra Durandum in 2. diſtinct. 14. quæſt. 1. lucem, omnem eſſe per ſe, ac ſponte ſua productiuam caloris. Probatur primò ex Ariſtotele 1. Meteor. cap. 3. vbi id ſentit : eius autem ſententiam plerique alij ſequuntur. Secundò, quia calor ſolis experientia demonſtrante calefacit : ergo & lux cæterorum aſtrorum : quippe quæ maiori ex parte à ſole deriuatur : ſi qua vero ab eo originem non habet, certè ea cum luce ſolari eiuſdem eſt ſpeciei, vt ſupra conſtitutum. Quod autem Saturnus, & alia aſtra refrigerent, non obſtat : quia cum lux, quam producunt, exigua ſit, parum ac modiciſſimè calefaciet, & ſic quominus aſtra, à quibus diffunditur, valdè refrigerent, impedire non poterit.

34. Quod attinet ad influxum cœlorum in hæc inferiora, nihil eo ſiue authoritate, ſiue experientia magis teſtatum, compertumve. Authoritatem pro eo Philoſophorum, ac Patrum citant, qua ſolent eruditione Conimbricenſes lib. 2. de cœlo cap. 3. quæſt. 2. art. 2. nec eſt certè qui diſſentiat. Quod autem experiamur paſſim eiuſmodi cœlorum influxum, quis neget ? Experimur certè, & quotidie cernimus noctu magis quàm interdiu, & æſtate magis quàm hyeme nos caleſcere : vno anni tempore pluuias, ac ventos, alio tempeſtates exiſtere : vno tellurem floreſcere & virere, alio flores, & virorem amittere : nunc eam fructibus abundare, nunc infructiferam eſſe : quæ omnia à ſole, eiuſque motu annuo proficiſci euidentiſſimum eſt. In ſuperioribus etiam oſtendimus ſolem abſente igne ignem in materia vltimo diſpoſita producere : ab eo & aliis aſtris effici animalia, quæ non ex coitu maris, & fœminæ, ſed ex putrefactione telluris generantur : eundem conuertere ſecum Scorpiuri, & heleotropij flores.

35. Quod ad ſolem minorem, ſiue lunam attinet, ſupra etiam in loco demonſtrauimus, eam motu ſuo cauſare æſtus, & reciprocationes maris. Ea etiam creditur pituitam augere, ſicut & Mars flauam bilem, & Saturnus melancholiam, & Sol, ac Iupiter ſanguinem. Et quidem Medici diligenter obſeruant periodos lunæ ad corpora noſtra ritè curanda : quod ſigno eſt, eam, ac reliquos planetas in humores noſtros non parum dominari. Quid plura ? nonnè Aſtrologi futuras tempeſtates, morbos, ſterilitates ex variis ſyderum aſpectibus, ac motibus prædicunt : tales ergo effectus ab aſtris dependent. Tandem in ſuperioribus explicuimus, non alia de cauſa naturam tantopere abhorrere vacuum, niſi quia illud influxum cœleſtium corporum in hæc inferiora ad eorum conſeruationem neceſſarium impediret.

Quod ſpectat ad virtutes, quibus influunt cœli in hæc inferiora, ex dictis conſtat in primis, quod influunt per motum, & lucem. Sanè ex multiplici acceſſu, & abſceſſu lucis, motuque ſolis vtrumque efficiente creantur dies, noctesque, æſtates, & hyemes, verque, & autumnus ; nec non tot alterationes, generationeſque ſubſtantiales, quæ à prædictis temporum viciſſitudinibus dependent. Adde lunam motu ſuo, & ignem elementarem, & huius interuentu aërem ciere, ac ſecum in gyrum agitare. Quamuis autem hæc in ſe habeant ; at contra Picum Mirandulam, Georgium Agricolam, Medinamque, & quoſdam Arabes apud Conimb. ſupra quæſt. 13. art. 1. firmiſſimè tenendum eſt cum cæteris omnibus Philoſophis, cœleſtia corpora per alias occultas qualitates à motu, & luce diſtinctas influere in mundum iſtum inferiorem. Etſi namque cœli mediante luce motuque calefaciant ; cœterum frigiditas, humiditas, ſiccitas, quas cœli influunt, quî poſſunt ab eorum luce, & motu prodire ? 36.

Quod enim aiunt Picus, & alij aduerſariorum, calorem cœleſtum cauſare frigiditatem, necnon cæteras primas, & ſecundas qualitates : quare omnes mediatè oriri à luce cœleſti : quippe à qua calor cœleſtis efficitur : hoc inquam abſurdiſſimum eſt. Calor namque cœleſtis, cùm verè calor ſit, opponitur frigori, illudque deſtruit : non ergo producit. Tum etiam eiuſmodi calor eſt eiuſdem ſpeciei tum calore ſublunari ; vt de cœli, ſoliſque luce ſupra in ſimili dicebamus : quam ergo nequit vnus, tam non poteſt alter frigiditatem cauſare. Rurſus quod alij reſpondent, lucem vt inſtrumentum vnius ſyderis producere frigiditatem, vtque alterius inſtrumentum calefacere, & pari ratione, ac proportione ad cæteras qualitates ſe habere, haud magis probabile eſt : quî enim probari, crediue poteſt, in vna luce tot, tamque contrarios effectus contineri ? Ac quidquid de hoc ſit, quid dicent aduerſarij ad metalla ab aſtris producta in viſceribus, latebriſque terrarum, quo nec eorum motus, nec lux deſcendit ? quid ad fluxus, refluxuſque maris à Luna in alio hemiſphærio exiſtente, & nec lucem, nec motum huc tranſmittente cauſatos ? quid ad magnetis, acuſque eo attritæ conuerſionem ad polum arcticum, etiam vbi nihil eſt lucis, ad quam poſſit id prodigij reuocari ? quid denique ad innumerabiles alios effectus, qui niſi per occultas quaſdam qualitates nulla ratione poſſunt à cœlis emanare ? 37.

Porrò autem, vt ad motum quo, etſi non ſoli, cœli influunt, reuertar, eum partim neceſſarium, & partim non neceſſarium arbitror, ad id vt corpora ſublunaria à cœleſtibus, ſiue localiter, ſiue alio modo moueantur, & immutentur. Ex parte quidem neceſſatium, quia niſi mouerentur cœli, & ſydera, quis non videt quadripartitam 38.

titam anni distinctionem, mirabilem illam alternationem, ac seriem generationum, & corruptionum ex ea distinctione dependentem, fluxus, & refluxus maris, alioſque non paucos effectus, de quibus suprà, illico cessaturos? Atque ideo certè dixit Plato in Teæteto: quousque solis circuitus perseuerat, omnia tam Deorum, quàm hominum sunt, atque seruantur. Sin autem hîc quasi ligatus staret, confestim omnia dissoluerentur, eueniretque quod dicitur, sursum deorsum omnia. Ex parte etiam non necessarium: quia vt verbi gratia ignis immotus vrit, & aqua infrigidat: similiter, quin moueatur, vtque etiam magnes sine vllo motu suo præuio ferrum attrahit; cur etiam cœli, licèt non mouerentur, non possent nihilominus in hæc inferiora operari? & quidem quod possent, tuentur Scotus in 2. distinctione 14. quæst. 3. Argentina ibidem art. 2. Richardus de Media villa dist. 3. circa 3. princip. q. 5. & Durandus in 2. dist. 15. quæst. vlt.

39. Pari ratione dicendum est, cessante cœlorum motu, & operatione in corpora sublunaria, quasdam horum actiones cessaturas, & quasdam perseueraturas. Cur enim nihil influente, aut operante cœlo, lapis non rueret in centrum, candor non immitteret species, luminosum quoduis lucem longè, latéque non diffunderet? At verò cum sol, & homo generent hominem, quomodo posset homo per se loquendo; sine concursu solis hominem generare? Quum etiam probabile sit iuxta dicta superius lib. 4. tract. 7. c. 2. quamuis etiam generationem substantialem, licèt non sit viuentis à viuente, sed non viuentis à non viuente sibi simili verbi gratia ignis ab igne vendicare sibi, vt causam efficientem partialem cœlum, ac sydera; horum deficiente influxu, an non necessario deberet deficere, & intermitti? Demum si ipsamet terra rectè disposita in visceribus suis producit metalla auri, argenti, &c. cum ad ea producenda non sufficiat se sola, & non concurrentibus corporibus cœlestibus, quomodo, quæso, possit sublato tali concursu tales, tamque nobiles effectus producere?

LIBER DECIMVS,

DE

Corpore naturali animato, siue viuenti.

TRACTATVS PRIMVS.

De Vita in communi.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Vita?

1. COMMVNIS; & recta methodus postulat, vt in explicandis rerum generibus ab imperfectis ad perfectiora gradus sit: vnde explicato corpore corruptibili, prout ab animato, & inanimi abstrahit, necnon corpore incorruptibili, & cœlesti, quod animæ omnis expers est, tantum superest, vt corpus animatum, ac viuens, vtroque perfectius explicetur: id autem commodius fieri nequit, quàm si de vita in communi; deinde de vita corporis, siue anima corporea; mox de vita vegetatiua; ac tandem de vita sensitiua sigillatim, ac suo ordine agatur. Hæc ergo quatuor tractatibus complectar, quibus absolutis tota huius libri series, necnon vniuersa Physica finem sunt habituræ. Porrò autem vt ad titulum capiti huic præfixum propius accedam; non omnia proprie viuere, sed aliqua hac prærogatiua carere omnes tanquam lumine naturæ notum supponunt, vbi in serie prædicamentali substantiam in viuentem, & non viuentem dispescunt: idque etiam tanquam indubitatum edocet Magnus Augustinus in libro 65. quæstion. quæstione 26. ibi: *creatura plus scilicet videtur in arte, qua facta est, quam ipsa in se ipsa, quæ facta est: propterea enim ait Euangelista Ioannes: quod factum est in ipso vita erat: omnia ergo, quæ facta sunt, & vitam non habent, in ipso Verbo Dei vita sunt, in seipsis vita non sunt: cœlum, terra, lapis vitam non habent, & tamen in Deo vita sunt.* Vt autem Philosophi, præsertim Recentiores viuentia à non viuentibus discernant rationem quandam vniuocam vitæ vt sic comminiscuntur, in eaque explicanda nemo eorum alteri, nemo sibi consentit, vt vel hinc perspicue appareat, eam fictitiam esse: quocirca anteaquam vitam per eius speciem explicem, communem illam rationem prius euertere libet nonnullis argumentis, quorum primum sit.

2. Vita physica, qua Plantæ viuunt, est proprie vita, vt capite sequenti constabit: & vita intentionalis, qua cognoscimus, & volumus, est etiam

etiam propriè vita, vt nemo non fatetur: at ab vtraque ratio communis vniuoca vitæ nullo modo abſtrahi poteſt: ergo ab omni vita, &c. Maior, & conſequentia probatione non egent. Minor verò ſuadetur: quia ſimilitudo intentionalis, qua cognitio obiectum refert, & exprimit; ac ſimilitudo phyſica, & prædicamentalis, quæ in conſenſu prædicatorum conſiſtit, ita comparatæ ſunt, vt ab iis vna ratio communis vniuoca ſimilitudinis præſcindi nequeat: ergo à pari vita phyſica, & intentionalis, &c. Antecedens perſpicuum eſt: quid enim reipſa, & ſecluſo nomine commune habet in ratione ſimilitudinis cognitio, quæ eſt claritas quædam intentionalis cum ſimilitudine phyſica, & prædicamentali, quæ nihil aliud eſt, quam coëxiſtentia duarum rerum, quales demum cunque ſint. Equidem ſumma ſimilitudo intentionalis cum ſumma diſſimilitudine phyſica cohæret, vt cernere eſt in cognitione diuina, quæ intentionaliter ſummè ſimilis eſt creaturæ, quam clariſſimè cognoſcit, & perfectiſſimè repræſentat; ei tamen phyſicè diſſimillima eſt, ab eaque infinite diſtat: è contrario verò ſumma ſimilitudo phyſica interdum coniuncta eſt cum ſumma diſſimilitudine intentionali, vt cernere licèt in complexo duorum lapidum, qui phyſicè quidem ſummè ſimiles ſunt, intentionaliter tamen nullo modo ſimiles, ſed potius ſummè diſſimiles ſunt; eo quod neuter alterum *vt quo*, vel vt *quod* cognoſcat: ſignum igitur eſt; vtramque ſimilitudinem nullam habere proportionem, nullam vniuocam conuenientiam, ſed potius diuerſi generis, atque ordinis eſſe.

3. Secundum argumentum ita proponi poteſt: motus phyſicus, quo verbi gratia ignis calefacit, & motus intentionalis, quo intellectus cognoſcit in ratione motus vniuocè non conueniunt: ergo nec vita phyſica, & intentionalis in ratione vitæ. Antecedens ſuadetur: quia motus phyſicus calefactionis eſt dare eſſe calori, illumque producere: motus verò intentionalis eſt cognoſcere aliquid, vel amare: at hæc duo præter communionem nominis, quid commune habent, aut præter quam quod ambo nomine motus appellentur, in quo re ipſa conueniunt? Aut ſi hæc conuenientia mere æquiuoca non eſt, quæ conuenientia ſolarum vocum cenſenda eſt? cur ne conuenientia canis cœleſtis, ac latrabilis ſolius nominis eſſe iudicatur? quocirca omnes vtrumque motum æquiuocè in ratione motus conuenire arbitrantur. Neque verò dici poteſt, motum intentionalem in eo differre à phyſico, quod propriè motus non ſit: cuius ſignum eſt, quod in Deum motus expertem cadere poſſit: cæterum vitam intentionalem non minus quam phyſicam propriè vitam eſſe; hoc, inquam, nihil dictu eſt: tum quia, quamuis vita intentionalis propriè vita ſit, non propterea vniuocè conueniet cum vita phyſica: haud aliter ac canis cœleſtis propriè canis eſt, & appellatur, & tamen vniuocè cum cane latrabili canis non eſt: tum etiam quia verius, motum intentionalem verè, & propriè motum eſſe; ſiquidem cognitio verè, & propriè obiectum ſuum intellectui repræſentat, cum repræſentatio obiecti ab omnibus definiatur: at aliquid alicui repræſentari eſt vnum ad alterum moueri: ergo cognitio, ac proinde motus intentionalis verè, & propriè motus eſt: pari ratione amor motus in obiectum verè, & propriè eſt, cum proſequutio obiecti definiatur: quoties autem dicitur. Deus omnis motus expers, ſermo eſt de motu phyſico, qui ſolus propriè mutatio, ac viciſſitudo eſt; quæ in Deum cadere nequeunt.

Tertium argumentum ſit: vita in actu primo, quam homo verbi gratia habet pro priori naturæ, antea quam quidquam cognoſcat, aut amet, actuve vegetetur, eſt propriè vita: id quod omnes fatentur, & perſpicuè docent Ariſtoteles 2. de anima t. 37 ibi: *viuere viuentium eſt eſſe, cuius ſanè cauſa eſt, vt conſtat, atque principium anima*, & D. Thomas 1. p. quæſtione 18. art. 2. ibi: *& ſecundum hoc viuere nihil aliud eſt, quam eſſe in tali natura.* Deinde vita in actu ſecundo, qua homo actu cognoſcit, & amat, actuue vegetatur, eſt etiam propriè vita, vt expreſsè docet Ariſtoteles 2. de anima t. 3. ibi: *vitam autem dicimus nutritionem, accretionem, atque decretionem, quæ quidem per id ipſum fit, quod viuere dicitur.* Id ipſum etiam docet 9. ethicor. & alibi ſæpè, & de ſe perſpicuum eſt, vt mirum videatur id negaſſe D. Thomam vbi ſuprà. Tum ſic: vtraque vita propriè, ac ſtrictè vita eſt: at ab vtraque ratio communis vniuoca vitæ abſtrahi minimè poteſt, vt omnibus in confeſſo eſt; & merito, ſiquidem poſſe intelligere verbi gratia & actu intelligere; ſiue, quod perinde eſt, intelligere in actu primo, & intelligere in actu ſecundo longè diuerſa ſunt, neque enim in ratione vitæ vniuocam conuenientiam habent: ecquæ enim eſt vita illa vtrique vniuocè communis? non hoc, quod eſt intelligere, cum poſſe intelligere non ſit propriè intelligere: non aliquid aliud, quia quid illud ſit ſecluſa voce nullatenus explicari poteſt. 4.

Quartum argumentum ſit: vita nutritiua, ſiue vegetatiua propriè vita eſt, vt tract. 3. huius libri conſtabit; & vita etiam ſenſitiua, aut cognoſcitiua propriè vita eſt: at ab vtraque ratio communis vniuoca vitæ præſcindi nequit: ergo, &c. Minor ſuadetur: quia vita vegetatiua penes propriam, & ſpecificam rationem ſumpta multo magis conuenit cum eo, quod vita non eſt, nimirum cum aggeneratione ignis verbi gratia, quam cum vita ſenſitiua: igitur vita vegetatiua vniuocè, & re ipſa non conueniet cum vita ſenſitiua, ſed duntaxat æquiuocè, & in ſolo nomine: haud aliter ac canis cœleſtis, quia penes ſpecificam rationem ſumptus magis conuenit cum alio ſydere, quod canis non eſt, quàm cum cane latrabili, non poteſt vniuocè, & re ipſa conuenire cum cane latrabili in ratione canis, ſed duntaxat æquiuocè, & in ſolo nomine. Antecedens ſuadetur: quia vegetatio plantæ, & aggeneratio ignis in eo conueniunt, quod ratione vtriuſque planta, & ignis alienam materiam prius alteratam, ac diſpoſitam priſtina forma ſubſtantiali ſpolient, & propria forma ſubſtantiali eam afficiant; ſiue, quod perinde eſt, alienam ſubſtantiam in ſuam conuertant, conuerſamque ſecum ſubſtantialiter copulent: nullaque alia vtrinque differentia eſt, niſi quod planta operetur per intus-ſumptionem, vt aiunt, & ſubſtantiam, quam in ſe conuerſura eſt, prius per poros attrahat; 5.

hat; ignis verò non operetur per intussumptionem sed potius pabulum per meram iuxta positionem sibi præsens in se conuertat, ac secum substantialiter copulet: in qua differentia quàm parum momenti sit, quis non conspiciat? At vegetatio planetæ à sensione animali, & cognitione spiritali, aliaque quauis vita intentionali vsque adeò discrepat, vt inter mille discrimina vix sit inuenire conuenientiam vllam etiam virtualem, & genericam.

6. Postremum argumentum sit: si daretur ratio communis vniuoca vitæ ab omni vita in particulari abstrahens, quænam ea esset definiri, & explicari posset: at quænam sit, nullo modo explicari, aut definiri potest magis, quàm quid sit canis, provt à sydereo, marino, & latrabili præscindit, vt cap. tertio apertè conuincam. Confirmatur, & declaratur: quod ratio vniuersalissima entis tantumlibet vniuoca explicari, ac definiri non possit magis, quam per se nota sit, oritur ex eo, quod non habeat genus se superius, per quod definiri possit, nempe substantiam, quæ in viuentem, & non viuentem dissecatur: cur ergo si vna ratio communis viuentis abstrahi potest, ea definiri nequeat. Adde iuxta aduersarios non paucos nullum prædicatum vniuoce de Deo, & creaturis dici posse, cum tamen Deus, & creatura proprie viuant.

CAPVT II.

Vita per eius partes explicatur.

7. POstquam in communi rationem æquiuocam esse, ac proinde vnicæ definitione indefinitam statuimus: reliquum est, vt eam per eius species multifariam explicemus. Vita ergo, aut est intentionalis, aut physica: intentionalis est, quâ aliquid intentionaliter in obiectum, quodcunque sit mouetur: aliaque est, qua sentitur, aut intelligitur: alia, qua appetitur, aut amatur: quarum vtraque à nobis, tum tract. vltimo huius libri, tum etiam decursu Metaphysicæ fusè explicabitur. Vita physica alia est, qua aliquid substantialiter per intus-sumptionem augetur: alia, qua aliquid progressiuè mouetur, hoc est, qua propria, ac naturali vi de loco in locum quaqua versus, & non magis in vnum, quàm in alium ferri potest. Prior species vitæ physicæ in plantis, & animalibus locum habet, quorũ omnes omnino partes innumeris poris variegatæ sunt, vt per eos humor alimentarius attrahi, distribui, & corriuari possit: omnes etiam ad eundem finem prædita sunt vi sugendi, & succum assimilandi, atque in suam substantiam conuertendi. Stupendum quidem, atque instar miraculi est quo artificio, atque ingenio id fiat, & per quot fibras, ac fistulas pabulum sensim attrahatur, & per omnes partes diffundatur. Hoc ergo genus argumenti substantialis per intussumptionem factam efficit, plantas & animalia viuere, ac differre à non viuentibus, quæ tametsi substantialiter, non tamen hac arte augentur.

8. Posterior vitæ physicæ species in solis animalibus ac spiritibus reperitur: eam autem esse proprie, at formaliter vitam quæque progressiue mouentur, eo ipso viuere contra nonnullos Recentiores facile suaderi potest. Primò quia id perspicuè docet Aristoteles 2. de anima cap. 3. ibi: *Atque potentias animæ diximus, nutritiuum, sensitiuum, appetitiuum, loco motiuum, atque intellectiuum.* Et cap. 4. ibi: *At vero constat, animam id etiam esse, vnde primum motus ad locum accommodatus emergit.* B. Thomas 1. p. quæst. 76. art. 1. ibi: *Anima enim est primum, quo nutrimur, & sentimus & mouemur secundum locum; & similiter quo primò intelligimus.* B. Augustinus tom. 9. tract. 19. in Euangelium Ioan. ibi: *Nisi enim viueret (puta anima) corpus non moueret pedibus gressum, manibus opus, oculis intuitum, auribus auditum, non aperiret os ad vocem, linguam ad distinctionem vocum non moueret.* Chrysostomus tom. 4. super epistol. Pauli ad Philip. serm. 3. ibi: *Non viuo, inquit, communem vitam: quomodo ergo viuis ô Beate Paule Solem non vides, communem hunc aërem non spiras? num cibis, quibus nemo non vescitur, non pasceris? num terram istam more nostro non calcas?* Athanasius in orat. contra idola ibi: *Motus animæ nihil aliud est, quàm vita ipsius, & omnino corpus viuere dicitur, cum mouetur.* Et ne multis morer, Patres fermè omnes, & meliores quique Philosophi hanc sententiam amplectuntur, & hoc modo de motu progressiuo loquuntur: cum ergo vocibus, vt nummis vtamur, æque id valeant, & significent, quod principales authores per ea significari volunt, nemini dubium esse potest, quin motus progressiuus vitæ nomine appellari debeat.

9. Quod autem P. Arriaga nobis aduersarius disp. 2. de anim. sect. 2. subsect. 4. docet, motum progressiuum esse duntaxat arguitiuè vitam, facilè refelli potest: tum quia Patres, & Scholastici proximè allegati eodem prorsus modo asserunt, motum localem esse vitam, ac sensionem, vegetationem, & intellectionem esse vitam, neque inter eum, & has functiones discrimen vllum assignant: quemadmodum ergo sensio, vegetatio, & intellectio non arguitiuè tantum, sed etiam formaliter vita sunt: ita etiam motus progressiuus, non arguitiuè, sed formaliter vita erit. Tum quia sicut dicitur, motum progressiuum esse arguitiuè vitã, id est, non nisi argumentum infallibile vitæ: ita similiter dici posset, vitam sensitiuam esse tantum arguitiuè vitam: nam sicuti motus progressiuus nusquam & nunquam reperitur sine vita aliqua sensitiua, aut intellectiua: ita similiter motus sensationis nunquam, & nusquam reperitur sine vita aliqua vegetatiua, aut intellectiua: cur ergo tantum arguitiuè vita non appellatur, sicut de motu progressiuo aduersarij philosophantur.

19. Rursus: vita alia est in actu primo: alia in in actu secundo; quæ cuiusmodi, qualesve sint cap. præcedenti satis explicatum est. Illud explicandum est quibus ambæ conueniant: quæ cum sit quæstio mere vocalis, qua fieri poterit breuitate ab ea nos expediemus. In primis ergo quæuis substantia completa, quæ vi sua nutriri, seu loco moueri potest, quæve cognoscere, & tamen sentire vel appetere potest, vita in actu primo, eaque substantialis, & præcipua dici debet: id quod omnes fatentur, & testimoniis Aristotelis, & Beatæ Thomæ capite præcedenti adductis liquido constat.

Pari ratione potentiæ animæ, videlicet vis nutritiua, locomotiua, ſenſitiua, &c. ſi à ſubſtantia animæ diſtinguantur, vitales in actu primo accidentario, ſiue vita accidentalis in actu primo proculdubio nominandæ ſunt: id quod omnes etiam vnanimi conſenſu fatentur. Præterea habitus naturales, quibus potentiæ animæ ad operandum coadiuuantur, vitales in actu primo appellandæ ſunt: ſiquidem ideo potentiæ animæ vitales vt quo, atque in actu primo ſunt; quia ſunt virtutes, quibus anima viuit, hoc eſt, intelligit, amat, ſentit, aliaſque operationes exercet: at etiam habitus naturales ſunt virtutes quædam variorum actuum vitalium exercitio ad eos iterum repetendos acquiſitæ: igitur etiam vitales in actu primo non vt quod, ſed vt quo cenſeri debent.

11. Habitus etiam ſupernaturales vitales in actu primo; ſiue, quod perinde eſt, vitæ quædam accidentales in actu primo vocitandæ ſunt: ſiquidem in primis ſunt potentiæ quædam ſimpliciter neceſſariæ ad actus ſupernaturales, eorúmque effectrices: igitur aut potentiæ naturales non erunt vitales in actu primo, aut certè habitus ſupernaturales etiam vitales nuncupari debent. Deinde multo magis perfectè concurrunt habitus ſupernaturales ad ſuos actus, quàm habitus naturales: ergo cum ij ſint vitales, & illi etiam vitales cenſendi erunt. Conſequentia videtur perſpicua, quia cum vitalitas ſit perfectio ex genere ſuo, vt aliquid cenſeatur vitale, aut non vitale, eius perfectio, aut imperfectio in operando magnopere ſpectandæ ſunt. Antecedens verò ſuadetur: quia habitus ſupernaturales ſunt ſimpliciter neceſſarij ad ſuos actus, ad eoſque non tantum facilè poſſe, verum etiam ſimpliciter poſſe homini tribuunt: deinde actus ſupernaturales in genere cauſæ efficientis producunt: at ex iis duobus alterum iuxta omnes, alterum verò iuxta non paucos habitibus naturalibus reſpectu ſuorum actuum minimè conuenit.

12. Species etiam intentionales, ſiue impreſſæ, quæ obiecti vicariæ ſunt, vitales in actu primo iudicandæ ſunt: tum quia ſunt virtutes mediis quibus anima operationes vitales exercet, ab iiſque denominatur; quod autem ab obiecto emittantur, eiuſque vicem ſuppleant, quid intereſt? Tum quia repreſentatio formalis obiecti eſt vita in actu ſecundo, ſiue formalis, vt exploratum eſt: ergo repræſentatio virtualis obiecti eſt vita in actu primo, ſiue virtualis: cum ergo ſpecies impreſſa ſit repræſentatio virtualis ſui obiecti, vita in actu primo, ſiue virtualis non eſſe non poterit. Tum demum, quia cognitio vnius obiecti quatenus ducit intellectum ad cognitionem alterius eſt vitalis in actu primo: qua ratione B. Thomas 1. p. quæſt. 16. art. 3. docet, aſſenſum primorum principiorum vitaliter concurrere ad aſſenſum concluſionis: ergo ſimiliter ſpecies impreſſa quatenus ducit intellectum ad ſpeciem expreſſam, ſiue cognitionem obiecti, à fortiori vita in actu primo cenſenda eſt; cum multo magis neceſſaria ſit ſpecies impreſſa ad expreſſam, quàm vna expreſſa ad aliam.

13. Quæ de vita in actu primo hactenus diſſeruimus, adeò conſtantia non ſunt: vitalitas namque habituum naturalium ab aliquibus Recentioribus, vitalitas habituum ſupernaturalium à pleriſque, & vitalitas ſpecierum intentionalium ab omnibus negatur. Quocirca obiicies primò: ideo potentiæ animæ ſunt vitales in actu primo, quia ſunt virtutes naturales debitæ animæ à primo inſtanti ſuæ productionis ad hoc, vt vitaliter operari poſſit: at habitus naturales non ſunt virtutes debitæ animæ à primo momento ſuæ productioni, ſed paulatim exercitio actuum comparantur: pro reliquis etiam inſtantibus non determinatè, quemadmodum potentiæ, ſed indeterminatè tantum animæ debentur. Hinc à fortiori probari poteſt; habitus ſupernaturales non eſſe vitales in actu primo, cum neque ſint virtutes naturales animæ, neque ei vllo modo, aut pro vllo inſtanti debeantur. Obiicies ſecundò: vt ſpecies intentionales, ſiue impreſſæ eſſent vitales in actu primo, eæ deberent eſſe, mediis quibus homo ab intrinſeco operaretur: haud aliter ac mediis potentiis ab intrinſeco operatur: at homo mediis ſpeciebus non operatur ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco quodammodo; cum non ab homine fluant vt potentiæ, ſed ab obiecto extrinſecus emittantur, & non nomine hominis, cui inſunt, ſicut potentiæ, ſed nomine obiecti concurrant. Confirmatur: quia ſpecies impreſſa ſuapte natura eſt indifferens, vt ſit in ſuppoſito viuenti, aut in ſuppoſito vitæ experti: ſpecies enim viſualis per aëra funditur, priuſquam ad potentiam deueniat: ergo ſpecies impreſſa non eſt vitalis vt quo, ſiquidem vita vt quo ſuapte natura debet eſſe connexa cum vita vt quod, ſiue ſuppoſito vitali, vt in potentiis animæ conſpicere eſt.

Obiicies tertiò: ſi non ſolùm potentiæ animæ, verum etiam habitus naturales, habitus ſupernaturales, ac ſpecies intentionales eſſent vitales in actu primo; pro eo ac aſſeruimus, nulla res mundi eſſet, quæ vitalis in actu primo non eſſet, cum nulla ſit, quæ animam ad actus vitales quodammodo iuuare nequeat: cur lapis, aut lignum, ignis, aut aqua, aliudve quoduis elementum, aut mixtum ad ſenſionem tactus (ſi ad hanc, vt aliqui putant, non requiritur ſpecies) immediatè concurrens vita in actu primo non ſit? cur cœlum, aut terra, aut quæuis alia res media ſpecie ſui, quam immittit ad ſenſionem, aut cognitionem ſui vitalem concurrens eo ipſo vitalis in actu primo non ſit? haud ſecus ac eo ſolo nomine habitus naturales, ac ſupernaturales, ſpecieſque impreſſæ vitales cenſentur: quod autem eiuſmodi concurſus rerum omnium in aliquam operationem vitalem mediatus ſit, non poteſt obſtare, cum homo vitalis in actu primo ſit tantum mediatè, videlicet mediis potentiis iuxta complures concurrat ad eos actus, quibus viuit. Conſequens autem abſurdum eſt, quia ſuprà initio cap. præcedentis, vitam omnibus rebus minimè conuenire tanquam certum, & indubitatum ſtatuimus. Obiicies quartò quem admodum habitus naturales, & ſupernaturales, ſpecieſque intentionales ad actum vitalem concurrunt ita: ſimilitet habitus naturales, & ſupernaturales, ſpecieſque intentionales non impreſſæ, ſed expreſſæ ad actum liberum immediatè concurrunt: at liberi in actu primo non ſunt, cum iuxta omnes libertas in actu primo ſolius voluntatis prærogatiua eſſe videatur: ergo ſimiliter in præſenti, &c.

14.

Verùm ad primum reſpondeo, negata maiori, ſi particula, *ideo*, præcisè ſumatur: quemadmodum enim anima eſt vitalis in actu primo, quin ſit virtus naturalis, aut debita ſibi ipſi ſuperaddita,

15.

vt

vt compertum est: ita enim habitus naturalis,& supernaturalis poterit esse vitalis in actu primo absque eo, quod virtus vel naturalis,vel debita animæ sit. Et vt alio exemplo vtar, quemadmodum cognitio,& amor præsertim supernaturales, quin debeantur animæ, eamue naturaliter afficiant, vitales in actu secundo sunt: ita similiter habitus naturalis, ac supernaturalis poterunt esse vitales in actu primo,quin animæ debiti sint, eamui naturaliter afficiãt. Ad secundũ argumentũ respondeo: vita intentionalis in actu secundo non consistit in operatione ab intrinseco: alias Deus vitæ intentionalis expers esset; sed in actu, qui sit agnitio, & amor,ac denominationem cognoscentis,atque amantis impertiat. Vnde quamuis per speciem intentionalem intellectus non operetur ab intrinseco,sed quodam modo ab intrinseco, cum tamen vi illius cognoscat,& intelligat, poterit illa esse vitalis in actu primo. Ad confirmationem respondeo: sicuti calor humani corporis vitalis dicitur, tametsi extra illud in supposito non vitali esse possit;eo quod à calore elementari specie non distinguatur:ita similiter species impressa quantumlibet extra suppositum vitale naturaliter esse nequeat,tamen hic & nunc vitalis vtique erit, cum potentiam vitalem intrinsece compleat,& coadiuuet.

16. Ad tertium argumentum respondeo: vita in actu primo alia est substantialis, & vt quod,videlicet substantia completa, cognoscitiua, aut volitiua,vel etiam vegetatiua,aut loco motiua,vt sæpe sæpius ostensum remaneret: alia est vita in actu primo,& accidentalis, & vt quo;quæ vt ex ipso vocis ethymo constat,prioris vitæ,nimirum substantialis accidens aliquod intrinsecum esse debet:haud secus ac vita accidentalis alicui substantiæ viuenti intrinsece accidere debet, vt omnes fatentur: cum ergo non omnis res mundi eiusmodi substantia completa, aut aliquod eius accidens intrinsecum sit; ad modum, quo habitus naturales, ac supernaturales:nec non species intentionales talis substantiæ accidentia intrinseca sunt: non conspicio quatenus ex eo, quod prædicti habitus, speciesque sint vitales in actu primo, sequatur omnem rem mundi illico vitalem esse.

17. Ad quartum argumentum respondeo:libertas in actu primo duplex est: alia namque est facultas, quæ potest amare, aut non amare,sed potius odisse:alia vero,quæ eiusmodi facultatem ad alterutrum libertatis exercitium proximè complete & expedit. Prior libertas in actu primo est principalis, posterior vero minus principalis: prior libertas nõsolum est indifferentiæ, verum etiam spõtanei,vt aiunt:posterior est solius indifferentiæ. Prior libertas est vt quod, præsertim si voluntas ab anima non distinguatur:posterior est vt quo duntaxat. Demum prior libertas in actu primò est radix posterioris, & non è contrario: siquidem voluntas postulat prærequisita ad actum liberum: hæc autem non postulant voluntatem, sed eam supponunt: libertas ergo in actu primò priori modo sumpta est prærogatiua solius voluntatis,in eamque duntaxat conuenit:secus vero libertas posteriori modo sumpta;quæ non est cur in habitus naturales, ac supernaturales, aliaque voluntatis comprincipia non conueniat; ac proinde etiam vitalitas in actu primo ea ratione sumi potest, vt in habitus naturales,ac supernaturales, speciesque impressas non incongruat. Et hæc de vita per modum actus primi. Quibus autem vita per modum actus secundi conueniat, operosum admodum non est, ex dictis definire: siquidem solum exercitium potentiæ nutritiuæ, loco motiuæ, cognoscitiuæ, aut appetitiuæ vitæ in actu secundo nomen, rationemque merentur: id quod supra cap.præcedenti Aristotelis, & Beati Thomæ testimoniis luculenter ostendimus.

Vita rursus, alia est intrinseca, & essentialis, 18.
quam supra multis exemplis explicuimus: alia extrinseca, & accidentaria,quæ iis congruit,quæ viuunt per denominationem à vita alterius rei, à qua causantur, vel causari possunt: sic omnes creaturæ etiam vitæ expertes, extrinsece tamen in Deo, à quo causantur,& in cuius vita continentur,viuere dicuntur,iuxta illud Ioannis:*quod factum est in ipso vita erat*: sic terminus actionis nutritiuæ cum sit intrinsecè,& essentialiter eiusdem speciei cum termino actionis generatiuæ, qui absolute vitalis non est,extrinsece tamen denominatur vitalis ab actione vegetatiua, seu intussumptiua, per quam hic & nunc producitur: sic vbicatio per motum progressiuum producta cum intrinsece, & essentialiter vitalis non sit, & per impulsum extrinsecum modo mortuo produci potuetit, tamen ab actione facultatis loco motiuæ vitalis denominatur: sic demum, quod plus est, ipsa actio nutritiua essentialiter, & intrinsece nutritiua, ac vitalis non est, vt contra Hurtadum dispur. 3. de generat. & corruptione, sect. 5. in hunc modum ostendo:non magis differunt potentia nutritiua, ac generatiua, quàm potentia libera, ac necessaria: sicut enim potentia nutritiua, ac generatiua habent diuersa organa, ac diuersas dispositiones postulant: ita potentia libera, & potentia necessaria diuersas dispositiones, diuersa prærequisita,& quasi diuersa organa suo sibi iure vendicant: at hoc non obstante actio libera non est intrinsece, & essentialiter talis, quinimo necessaria suapte natura esse potuit:ergo similiter actio nutritiua,& vitalis, &c. Tandem, vita alia est creata,qua creatura viuit:alia increata,qua creator viuit,non eminentialiter solum, vt nonnulli ausi sunt asserere, sed formaliter, ac propriè, vt constat ex Apocalypsis 5.cap. ibi:*adorauerunt viuentem in sæcula sæculorum*:aliisque Scripturæ locis, in quibus Deus per antonomasiam viuens appellatur.

CAPVT III.

Aliorum sententiæ referuntur,& refelluntur.

QVi rationem communem vniuocam ab omni vita, præsertim creata,abstractam ruentur, in ea explicanda parum consentiunt. Prima, & vetustissima Stoicorum sententia est, vitam vt sic in motu intentionali,cognatione videlicet, & amore sitam esse; plantas autem proprie non viuere quantumlibet vegetentur. Cæterum hæc sententia infra tract. 3. fusè impugnabitur. Secunda sententia est Thomistarum asserentium vitam vt sic consistere in motu ab intrinseco, siue in operatione immanenti. Verùm in primis iuxta hanc sententiam omnis essentia creata viueret, 19.

cum nulla ſit, quæ ſuas proprietates immanenter non operetur, ad eaſque ab intrinſeco non moueatur, vt lib. 4. oſtenſum manet, cum de cauſa, efficienti creata ſermo nobis eſſet. Deinde iuxta eam ſententiam grauia, & leuia viuerent, cum immanenter operentur, ac ſurſum, ac deorſum vi ſua moueantur: tum quia id expreſsè docet Ariſtoteles 4. de cœlo text. 24. ibi: *graue, & leue in ſeipſis mutationis principium habere videntur; illa verò non in ſe ipſis, ſeu ſanabile, & accreſcibile.* Tum quia quod aiunt Thomiſtæ, grauia, & leuia non à ſe ipſis, ſed à generante in ſedes ſibi cognatas moueri, manifeſtè refelli poteſt, ſiquidem, cum lapis v. g. in centrum deſcendit, generans interdum abſolutè non eſt, interdum propè non eſt: cum ergo omnis actio cauſam exiſtentem, & approximatam poſtulet, non poterit quidem motus lapidis in generans refundi. Tum quia, quod alij ex Thomiſtis docent, grauia, & leuia à ſe ipſis quidem moueri, non tamen nomine proprio, ſed alieno, videlicet generantis. quod iis grauitatem ac leuitatem, quibus feruntur, primò contulit, atque ingenerauit: qua ratione ſi quis proiiciat lapidem ſurſum, lapis non mouebitur nomine proprio, ſed nomine ſolius proiicientis, atque impetum imprimentis: hoc, inquam, etiam non ſatisfacit, nam etiam anima, iuxta Thomiſtas, operatur immanenter mediis potentiis, quas eius cauſa ei ingenerauit; ac proinde non nomine proprio, ſed alieno; & tamen viuit toties, quoties mediis potentiis vitalibus immanenter operatur. Rurſus: primus actus liberi arbitrij Angelici eius creatori attribuitur: & non nomine proprio, ſed alieno fit iuxta Thomiſtas, qui ob id Angelum in primo inſtanti peccare non poſſe tuentur, ne videlicet tale peccatum Deo tribuatur: at eiuſmodi actus vitalis eſt: ergo deſcenſus lapidis tametſi nomine generantis fiat, vitalis erit, ſi ſemel vita in motu ab intrinſeco conſtituatur.

20. Tertia ſententia eſt: viuens vt ſic eſſe, quod poſtquam eſt conſtitutum in ſtatu ſibi connaturali, ac debito ab intrinſeco, moueri, ac immanenter operari poteſt. Ita cum Molina, & Suarez communiter noſtri Authores. Verum in primis iuxta hanc ſententiam Deus propriè, ac formaliter viuere non poterit, cum ab intrinſeco moueri; ſiue, quod perinde eſt, intrinſece mutari, non niſi ſumma cum improprietate poſſit: vita ergo in motu ab intrinſeco conſiſtere nequit, tametſi ſtatui debito, & connaturali ſuperueniat. Rurſus iuxta hanc ſententiam, ignis quoties vires ſumit & ſubſtantialiter augetur, non poterit non viuere, cum ab intrinſeco moueatur, etiam poſtquam in ſtatu ſibi connaturali, ac debito conſtitutus eſt; & non ſolum alium ignem, verum etiam eius vnionem ſibi intrinſecam, atque in ſe manentem producat. Iſtis duobus argumentis etiam Thomiſtarum opinio oppugnari poteſt. Præterea Angelus per cognitionem, qua ſe ipſum cognoſcit, formaliter viuit: & tamen iuxta non paucos Theologos eiuſmodi cognitio eſt Angelo à primo inſtanti ſuæ productionis debita; ac proinde ſtatui eius connaturali, ac debito non ſuperuenit: neceſſe ergo ad vitam non eſt, vt rei iam connaturaliter conſtitutæ ſuperueniat: quidquid autem ſit de Angelo negari nequit, quin poſſibilis ſit ſubſtantia intellectiua, cui cognitio ſui, vel alterius obiecti debita ſit: quę enim in eiuſmodi ſubſtantia implicatio inuoluitur? at in ea idem argumentum formari poteſt.

Vlterius Deus per intellectionem neceſſariam qua ſe ipſum contuetur, formaliter viuit: at talis intellectio eum non ſupponit conſtitutum in ſtatu ſibi connaturali, ac debito: ergo eiuſmodi ſuppoſitio ad vitam neceſſaria non eſt. Minor, quæ probationis indiga eſt, ſuadetur: nam talis intellectio, iuxta pleroſque Theologos, eſt ipſa eſſentia Dei: at eſſentia Dei Deum nec naturaliter nec non naturaliter conſtitutum ſupponit. Deinde tametſi Deus non intellectione, ſed principio intellectionis eſſentialiter, & quidditatiue conſtituatur, adhuc vis argumenti eadem remanet; ſiquidem ea intellectio, licet ſtatum quidditatiuum, & eſſentialem Dei non conſtituat, ſed ſupponat, tamen eius ſtatum connaturalem, ac debitum conſtituit, cum ſit ſummè neceſſaria Deo, ac multo magis, quam nulli eſſentiæ creatæ eius proprietates neceſſariæ ſunt. Quod autem non nulli reſpondent, Deum ante intellectionem neceſſariam ſupponi cum omni perfectione entitatiua ſibi debita; neque per eam magis intenſiue perfici, ac proinde per eam viuere, nullo pacto ſatisfacit: nam quemadmodum amor creatus cognitionem ſupponit; ita etiam amor in creatus cognitionem ſupponit: ergo ſimiliter quemadmodum vita creata in actu ſecundo ſupponit rem cum omni ſua perfectione non ſolum intenſiua, verùm etiam extenſiua ſibi debita, & connaturali: ita ſimiliter vita increata. Vnde intellectio neceſſaria Dei omnem eius perfectionem intenſiuam, non vero omnem extenſiuam ei debitam ſupponens, vita eſſe non poterit, ſi huic ſententiæ ſtandum eſt. 21.

Quarta ſententia eſt, *viuens eſſe, quod habet prædicatum ab intrinſeco per ſe ſpeciali titulo abſtrahente à ratione perfectionis debitæ.* Particula *ab intrinſeco*, ſiue à ſe denotat, prædicatum illud, quod vita eſt, non eſſe ab agente adæquato extrinſeco, qua ratione non ſolum creatura, verum etiam creator quantumlibet omnis mutationis expers à ſe, ſiue ab intrinſeco habet, quod cognoſcat v. g. cum eius cognitio non ſit ab agente adæquato extrinſeco. Particula, per ſe, denotat prædicatum illud, quod vita eſt, ita ab intrinſeco eſſe debere, vt reſultare nequeat ex quacunque approximatione duorum eiuſdem rationis: quo fit, vt ignis, aggenerans per aggenerationem, ſiue productionem vnionis cum igne à ſe producto minimè viuat, quia licet hic & nunc ea vnio à ſolo igne aggenerante, non vero ab aggenerato producatur; haud aliter ac vnio animi rationalis à Deo, vel certè aggenerante, non ab ipſo animo reali producitur; tamen ſola approximatione vtriuſque ignis, & eſto neuter ab altero produceretur, ea vnio reſultare, & ab vtroque igne produci poſſet. *Titulus* ille *ſpecialis* in definitione poſitius facilis intellectu eſt: eſt enim quicunque, & qualiſcunque titulus præter illum actionis intrinſecæ, ſiue perfectionis intrinſecæ tranſcendentaliter, & communiſſimè ſumptæ: intrinſecæ, inquam, ideſt poſtulantis ab intrinſeco prouenire. Hoc quod eſt *abſtrahere à ratione perfectionis debitæ*, adeò eſt manifeſtum, vt explicatione non indigeat. Merito huius poſtremæ particulæ Deus per intellectionem etiam neceſſariam viuit, quia quantumcunque perfectio neceſſaria, ac debita ſit, tamen eſt ab intrinſeco ſpeciali titulo abſtrahente 22.

hente è ratione perfectionis debitæ, id est, titulo cognitionis diuinæ, siue à qua Deus cognoscens denominatur: qui titulus specialis est, & abstrahit à ratione perfectionis debitæ, cum Deus plures cognitiones habeat, quæ ei debitæ non sint; imò quæ iuxta complures nullo modo perfectiones sint, videlicet intellectiones liberas. In summa nullum est viuens, cui hæc definito non conueniat; nullum non viuens, cui conueniat, vt intuenti constabit.

23. Impugnatur tamen hęc sententia: quia iuxta definitionem illam propositam non daretur ratio communis vniuoca vitæ, Deo, & creaturæ: quod & falsum est, & ab ipsis aduersariis non admittitur. Sequela probatur: quia Deus, & creatura non conueniunt vniuocè in hoc, quod est habere prædicatum ab intrinseco per se: ergo nec in ratione vitæ. Antecedens suadetur: nam Deus habet cognitionem v. g. ab intrinseco negatiuè tantum, id est, non ab alio: creatura vero habet cognitionem suam ab intrinseco positiuè, cum Deus cognitionem suam absolutè non producat, creaturæ vero suam producat: at esse ab intrinseco non est ratio communis vniuoca ad esse ab intrinseco positiuè, & esse ab intrinseco negatiuè: sicut iuxta aduersarios esse absolutè non est ratio communis vniuoca ad esse, posse positiuè, & esse negatiuè. Neque valet, tam creaturam, quàm creatorem habere prædicatum ab intrinseco negatiuè, id est non ab agente adæquatè extrinseco: a duplici autem prædicato negatiuo rationem communem vniuocam prædicati negatiui abstrahi posse; ac proinde esse ab intrinseco negatiuè Deo, & creaturæ vniuocè conuenire; sicut oportet ad hoc, vt vita iis vniuocè communis sit: hoc, inquam facilè confutari potest: nam tota res eodem resoluitur; si enim attentè inspiciatur, creatura non negatiuè, sed positiuè habet ab intrinseco quodcũque prædicatum à se habet: siquidem ideo creatura habet prædicatum aliquod, & non ab agente adæquato extrinseco, quia illud à se, tanquam à causa inadæquata habet, illudque positiuè producit: & hoc posterius idem prorsus est, ac illud prius.

24. Secundò ea sententia impugnatur, quia iuxta eam Deus non solum per cognitionem, & amorem, sed per omnipotentiam, immensitatem, & quoduis aliud attributum viueret: siquidem habet omnipotentiam *à se*, siue *ab intrinseco*, ac *per se*, vt manifestum est: necnon speciali titulo abstrahente a ratione perfectionis debitæ: videlicet titulo prædicati diuini: qui vna ex parte abstrahit proculdubio à ratione perfectionis debitæ; eo quod Deus plura prædicata sibi indebita, videlicet libera, & contingentia sortiatur; alia verò ex parte specialis esse negari nequit: tum quia prædicatum diuinum, in quo fundetur, singularissimum, ac specialissimum est: tum etiam quia non est titulus perfectionis, aut actionis in communi postulantis ab intrinseco prouenire: quiuis autem titulus ab hoc distinctus ab aduersariis specialis censetur. Consequens autem tametsi à recentioribus non paucis admittatur, absurdum esse suadetur. Primò quia si per impossibile Deus neque esset cognoscitiuus, neque esset volitiuus, nullo modo viueret, sed esset tanquam Dij gentium, de quibus Dauid: *Os habent, & non loquuntur, oculos habent, & non videbunt*, &c. Ergo de facto per eas formalitates, quibus neque in actu primo, neque in actu secundo cognouit, aut amat; per eas, inquam, minime viuet. Secundò quia non magis attinet ad infinitam, omnique ex parte incomprehensam perfectionem Dei, quod viuat, quàm quod omnipotens, sapiens, iustus, immensusve sit: at non obstante infinita Dei perfectione; non omne eius prædicatum est formaliter, ac ratione nostra omnipotentia, sapientia, iustitia, aut immensitas, sed duntaxat realiter: ergo similiter ea non obstante non omne prædicatum Dei erit formaliter, ac ratione nostra vita, sed duntaxat realiter: idque non aliud ex infinitate Dei, & eius supra creaturas dignitate colligi poterit. Tertiò: quia si proprietas diuinæ essentiæ est vita in actu secundo perfectissima, & diuina; cur proprietas creatæ essentiæ vita in actu secundo imperfecta, & creata non sit? haud aliter ac quia diuina essentia est vita in actu primo perfectissima, & diuina, aliqua etiam essentia creata vita in actu primo imperfecta, & creata est. Quartò demum, quia vita ab Aristotele, & reliquis Philosophis tantum quadrifariam diuiditur, nimirum in nutritiuam, cognoscitiuam, & appetitiuam, vel in actu primo, vel in actu secundo: quod si vlterius aliud genus vitę pro libito comminiscamur, nullus erit viuentium numerus certus, aut ratus: at quoduis attributum Dei nec est formaliter facultas nutritiua, aut loco motiua nec cognoscitiua, aut appetitiua, harumve facultatum exercitium, vt certo certius.

25. Tertiò ea sententia impugnatur: quia iuxta eam lapis v.g per motum deorsum proprie viueret: siquidem lapis habet motum illum ab intrinseco per se, vt perspicuum est, nec non etiam speciali titulo, videlicet titulo motus deorsum, qui non solum abstrahit à ratione perfectionis; verum etiam, quod plus est, non est realiter & à parte rei perfectio debita lapidi: nam lapidem moueri deorsum imbibit in se hoc, quod est, lapidem esse extra centrum; esse autem extra centrum non est perfectio debita lapidi, eive connaturalis, sed perfectio ei indebita, & eius naturæ minimè consentanea: quod vero facta aliqua suppositione, & lapide extra centrum collocato motus deorsum ei debitus sit, parum iuuat: quæuis namque cognitio Angelum cognoscentem denominans facta aliqua suppositione, & positis omnibus prærequisitis ad eam eliciendam Angelo debita, ac necessaria est; & tamè titulus cognitionis Angelum denominantis est titulus abstrahens à ratione perfectionis debitæ, sicuti ad vitam oportet: id quod aduersarij ipsi docent, vt cognitionem Angelicam circa se ipsum vitalem esse tueantur: similiter ergo motus lapidis deorsum, tametsi secundum quid & facta aliqua suppositione ei debitus sit, absolutè tamen à ratione perfectionis debitæ abstrahit, quemadmodum ad vitam oportet.

26. Quartò ea sententia impugnatur: quia possibilis est materia prima, cui hæc specie quantitas determinate debita non sit, sed hæc, vel illa: haud aliter ac ei hæc, vel illa specie forma indeterminatè tantum debetur. Quo constituto, sic argumentor: materia illa prima per productionem immanentem suæ quantitatis non viuit, vt exploratum est: & tamen habet quantitatem ab intrinseco per se, vt negari nequit; & speciali titulo, id est, titulo quantitatis materiam mensurantis: nec non titulo abstrahente à ratione perfectionis debitæ: nam quantitas materiam illam afficiens ei determinatè debita non est: quod autem ei indeterminatè

terminatè debita sit, non tollit rationem vitæ: aliàs Deus per scientiam liberam, qua Antichristum futurum videt, minimè viueret: siquidem illa indeterminatè ei debita est, ideſt, illa, vel alia, qua Antichristum non futurum videret.

27. Quinta sententia est P. Hurtadi disp. 3. de anima sect. 2. viuens esse, quod producit terminum immanentem non vtcunque, sed ob exigentiam innatam, qua terminus immanens ab intrinseco produci postulet: quo fit, vt essentia per proprietates, quas immanenter producit, minimè viuat; eo quod ab essentia, cui immanent, produci non postulent, & de se indifferentes sint, vt ab intrinseco, vel ab extrinseco producantur. Verum inprimis, cum naturaliter fieri nequeat, quin proprietates ab essentia fluant; quantitas v.g. à materia aliquid exigere debet, vt ita fluant: cum ergo non sit potior ratio, vt id exigat materia, quam quantitas ob reciprocam, & æqualem connexionem materiæ cum quantitate à se fluente, & quantitatis cum materia eam producente; certè tam materia, quam quantitas talem quantitatis fluxum, & quasi emanationem à materia postulabit. Deinde terminus actionis nutritiuæ, cum sit eiusdem speciei cum termino actionis primò generatiuæ; & alteruter sit caro, & sanguis v.g. non postulat terminus prioris actionis magis proficiscì ab intrinseco, quam terminus posterioris actionis: vnde si defectus eius exigentiæ vitalitati obstat; eoque nomine essentia per productionem proprietatum non viuit; sanè animal, aut planta per nutritionem viuere nequibunt. Tandem: actio immanens per quam proprietas producitur, postulat prouenire ab intrinseco; cum nè diuinitus fieri possit, vt ab extrinseco proueniat: igitur essentia per eam actionem viuit, vt vt per ipsam proprietatem nulla exigentia secum connexam minime viuat.

28. Sexta sententia est, substantiam viuentem esse, quæ non est determinata ad vnum à generante, sed indifferens ad oppositos actus immanentes: etenim Deus, Angelus, & homo cum mente, ac libertate prædìti sint, affirmare, vel negare, amare, vel odisse possunt: belluæ etiam tametsi in iisdem rerum circumstantiis nunquam non immanenter eodem modo operentur, eo quod libero arbitrio careant: tamen mutatis circumstantiis diuersos, & oppositos actus immanentes eliciunt, & fame modò, modò siti, nunc ira, nunc voluptate, interdum metu, & nonnunquam pudore tanguntur; & quidquid de his, ac similibus passionibus, quas belluis perperam negat Seneca lib. 1. de ira c. 3. & 4. [*certè eodem indice impetus habent feræ, rabiem, feritatem, incursum*, nec non affectus iis oppositos, vt paulo infra explicat ibi: *cito cadunt, mutantur in contrarium, & cum acerrimè sæuierunt expauerunt que, pascuntur, & ex fremitu, discursuque vesano statim quies, soporque sequitur.* Plantæ etiam oppositos actus immanentes efficiunt: modò enim vnionem continuatiuam partium suarum, modo vnionem earum terminatiuam producunt: deinde ramos, folia, &c. non sine immanentia efficiunt: in incremento, vel decremento partium, quæ in suo esse immutatæ manent, oppositos motus locales subeunt; & vel comprimuntur, vel dilatantur, ac versus oriens, vel versus occidens, aut aliorsum mouentur: in iis vero substantiis, quæ non viuunt, omnia alia vsuenire, & hanc operationum immanentium varietatem locum non habere experimento constat.

Contra tamen: quia si daretur substantia vnius obiecti, & vno duntaxat modo cognoscitiua, ea procul dubio imtentionaliter viueret: & tamen ad oppositos actus immanentes nullam indifferentiam haberet. Deinde lapis descendere in centrum diuerso tramite potest, si à diuersis locis libere demittatur; & eod em etiam tramite descendens, diuersa tamen celeritate, ac celerius in ffne quam in medio, aut in principio proruit: igitur ad oppositos actus immanentes indiuersis circumstantiis absque vllo genere vitæ indifferens est. Præterea ignis modo punctum terminatiuum, modo continuatiuum priori oppositum in se immanenter producit, prout ignis ei contiguus existit, vel non existit. 29.

TRACTATVS II.

De Vita corporis.

CAPVT PRIMVM.

Quæ corporis partes animentur, siue viuificentur.

1. VITA corporis nihil aliud est, quam anima corporis: quæ ab Aristotele in hunc modum definitur: *est actus primus corporis physici organici potentiâ vitam habentis: actus primus*, ideſt substantialis, & non accidentarius: *corporis*, ideſt materiæ primæ: *physici*, ideſt corporis non mathematici, aut artificialis, sed naturalis: *organici*, ideſt habentis organa, siue instrumenta, hoc est, variorum accidentium, ac dispositionum multiplicem apparatum ad varias operationes eliciendas: *potentia vitam habentis*, ideſt habentis instrumenta idonea non vtcunque, sed ad operationes vitales eliciendas. Multa hîc Recentiores de significato eius particulæ *corporis*, aliarumque antecedentium, & consequentium: verum me iudice manifeste inutilia, & vocalia sunt, & non tam philosophica, quam theologica, & ex materia de Eucharistia magna ex parte transcripta, iis ergo omissis quæstionem propositam aggredior.

2. Assero primò: Sanguis Humanus anima rationali informatur: ita Toletus in libris de anima. Hurtadus disp. 1. ibid. sect. 1. Arriaga ibid. etiam disp. 1. sect. 9. subsect. 2. Caietan. Conradus, Medina, Sylueſter, Henricus, Hispalensis, & non pauci ex Medicorum, ac Philosophorum schola. Assertio suadetur primò: quia ideo anima rationalis informat partes solidas corporis, carnem videlicet, & ossa; quia sunt veræ partes hominis, & ad humanæ naturæ constitutionem attinent: at etiam sanguis (eademque est ratio de reliquis tribus humoribus) est vera pars hominis, & ad humanæ naturæ constitutionem attinet: ergo anima rationalis eum informat. Maior perspicua est: non enim ideo anima rationalis carnem, & ossa informat; quia in iis apparet operatio aliqua animi rationalis propria, quæque ab anima solum sensitiua, aut vegetatiua proficiscì non posset: ideo ergo præcisè

præcisè eas informat, quia partes hominis sunt, & ad naturæ humanæ constitutionem pertinent. Minor autem suadetur, quia si homo omni sanguine spoliaretur, & à Deo exanguis conseruaretur, procul dubio mutilus, & imperfectus esset: haud aliter ac si manus, aut pedes abscinderentur: signum igitur euidens est, sanguinem esse veram homines partem, & ad eius integritatem, & constitutionem more reliquarum partium attinere.

3. Rursus eadem minor multiplici authoritate suadetur: nam in Epistola Cyrilli octaua ad Nestorium approbata, & recitata coram Concilio Ephesino tract. 2. cap. 12. sic habetur *Verbum vero factum esse carnem nil est aliud, quam quod in carne, & sanguine nobiscum similiter communicauit, ac nostrum corpus sibi proprium fecit, & homo prodiit ex muliere.* Rursus apud Innocentium III. extrauag. de celebrat. Missar. sic statuitur: *De latere Christi exiuit sanguis, & aqua, vt esset signum corpus illud constare ex quatuor elementis, & habere quatuor humores; quod est de ratione, & compositione veri corporis humani, quale Verbum assumpsit.* Vltetius in sacra Scriptura per carnem, & sanguinem tanquam per præcipuas partes totus homo intelligitur, vt perspicue constat ex Math. 12. ibi: *caro, & sanguis non reuelauit tibi,* & Pauli ad Ephes. 6. ibi: *non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem.*

4. Secundò suadetur eadem assertio, & superior ratio corroboratur: si sanguis humanus non animaretur, in homine esset duplex forma substantialis: alia animata, inanimis alia: alia partes hominis fluidas, alia vero solidas afficiens, & perficiens. Quod autem hoc sit apertè falsum, hunc in modum ostenditur: si in homine daretur duplex illa forma substantialis, alia animata, inanimis alia; daretur etiam in homine duplex, aut etiam triplex anima, alias, aliasque eius partes informã, scilicet vegetatiua, sensitiua, & rationalis, contra quam definitum est in octaua synodo Generali; quæ est Constantinopolitana 4. can. 11. cuius verba retulimus lib. 1. huius operis tract. 6. cap. 3. & propterea hic omittuntur. Sequela autem hæc manifestè suadetur: quia si in sanguine humano, inquo nulla apparet operatio vitæ, eo ipso iuxta aduersarios nulla est forma vitalis, sed potius forma non vitalis ab anima omni realiter distincta; cur etiam in ossibus, in quibus nulla apparet operatio vitæ sensitiuæ, sed solius vitæ vegetatiuæ, vlla sit anima sensitiua, sed potius anima solum vegetatiua: & rursus si in carne, in qua nulla apparet operatio vitæ rationalis, & intellectiuæ, sed solum sensitiuæ, ac vegetatiuæ, cur vlla sit anima rationalis, sed solum anima sensitiua simul, & vegetatiua: quo fiet vt in homine tres animæ realiter distinctæ reperiantur. Quod si hoc ab aduersariis minimè admittatur, & potius vna, eademque anima rationalis in carne vbi non intelligit, sed sentit, & nutrit, & in ossibus, vbi nec intelligit, nec sentit, sed solum nutrit, existere censeatur: non conspicio, cur etiam in sanguine existere negetur, tametsi in eo nec intelligat, nec sentiat, nec operationem facultatis nutritiuæ, aut loco motiuæ exerceat.

5. Tertiò suadetur hæc assertio: quia si qua ratione anima rationalis non posset informare sanguinem, maximè quia sanguis non vnitur reliquis corporis partibus; eoquod hæc sint solidæ, & sanguis fluidus, ac lubricus sit; vna vero eademque indiuisibilis anima partes inter se minime vnitas informare nequit: at hæc ratio, qua non pauci, nec ignobiles aduersarij nituntur, nulla est, & falsum prorsus principium assumit. Minor suadetur, quia homo est vnum ens per se: at vnum ens per se ex partibus inter se minimè vnitis, quales censentur ab aduersariis esse caro, & sanguis, neutiquam resultare potest; sed duntaxat ens per accidens, & aggregationem, qua ratione aceruus lapidum vnum ens non per se, sed per accidens est. Quod si aduersarij adhuc contendant, partes solidas, partesque fluidas, quamuis non vniantur, ob subordinationem tamen, & inseparabilitatem naturalem constituere posse vnum ens per se; non conspicio, cur ratione eiusdem subordinationis, & inseparabilitatis vna, eademque indiuisibili anima informari nequeant. Equidem aut nulla valet consequentia, aut valet hæc: partes corporis non vnitæ vnum ens per se constituunt: ergo partes corporis non vnitæ vnam formam suscipiunt, aut certè possunt.

6. Quartò suadetur hæc assertio ad homines contra eos: qui naturam irrationalem à Deo assumi nequire satis probabiliter arbitrantur: nam Verbum assumpsit sanguinem humanum: cum ergo nullam substantiam irrationalem assumere potuerit iuxta non paucos eorum, quibuscum disceptamus, efficitur sanè sanguinem non esse substantiam prorsus irrationalem, sed potius animo rationali formatam. Antecedens certissimum est, & expresse definitum à Clemen. VI. in extrauag. vnigenitus, de pœnitent. & remissionib. ibi: *in ara crucis innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis sufficisset, sed velut quoddam profluuium noscitur effudisse.* Quod autem aliqui censent, substantiam irrationalem completam à Deo assumi non posse, eo quod in illa locum habeat communicatio idiomatum, qua dici posset: *Deus est equus, bos,* &c. substantiam verò irrationalem incompletam à Deo assumi posse, eo quod in illa locum non habeat communicatio idiomatum, qua dici possit: Deus est sanguis, phlegma, &c. hoc, inquam, friuolum, & nullius momenti est: siquidem tam repugnat, Deum habere causam incompletam, & inadæquatam, quam habere causam compleram, & adæquatam: ergo similiter tam repugnat, Deum assumere substantiam irrationalem incompletam, ac assumere substantiam irrationalem completam.

7. Assero secundò: sanguis belluinus nulla anima, ne belluina quidem, animatur; si. vt multis verius videtur, animæ belluarum sint suapte natura diuisibiles Hanc assertionem, quamuis supposita priori singularis, & noua sit, ob id tamen reiiciendam non esse, sed potius tanquam verissimam amplectendam esse arbitror: siquidem, vbi semel supponatur, nullius belluæ animam esse indiuisibilem, profecto eæ belluini corporis partes, in quibus bellua sentit, & vegetat, anima sensitiua, & vegetatiua informabuntur, eæ vero partes, quæ à contrario vegetationem subeunt, minime vero sentiunt (cuiusmodi sunt ossa) anima duntaxat vegetatiua à priori realiter distincta, ac specifice diuersa informabuntur: ergo etiam eæ partes, in quibus nec sensionem, nec

vegetationem

vegetationem, nec vllam aliam operationem vitalem exercet, nulla forma vitali, nullaue anima informabuntur. Antecedens infra conſtabit, cum formas belluinas partibus heterogeniis, ſi vllatenus partibiles ſint, conſtare oſtendemus. Conſequentia autē clarior eſt, quam vt à nemine negari poſſit: tum ſit vlterius: atqui ſanguis belluinus nullam habet operationem vitalem: igitur nulla anima, formaue vitali informatur. Subſumptum ſuadetur, quia in primis.

8. Quod docent B. Hurtadus diſput. 1. de anima ſect. 6. & P. Arriaga ibidem ſect. 9. ſubſect. 1. ſanguinem augeri per intus-ſumptionem; ac proinde vitæ vegetatiuæ functiones exercere, facilè euerti poteſt: ſiquidem nullo indicio colligi poteſt, ſanguinem augeri per intus-ſumptionem, quo non minus probabiliter colligi poſſit, lac, & ſemen, imò etiam aquam, & vinum, mel, & quemcunque, & qualemcunque humorem per intus-ſumptionem augeri: at iuxta aduerſarios lac, & ſemen, & iuxta omnes aqua, & vinum, & quiuis alius humor ea ratione non augetur: ergo nec ſanguis. Deinde à priori: ſubſtantia, quæ per intus-ſumptionem augetur, debet habere continuos, ac perennes poros, per quos alimentū ſtatis, & quaſi diſpoſitis vicibus attrahi poſſit: at eos continuos, ac perennes ſortiri nequit ſubſtantia vlla fluida, & labilis; cuius nimirum partes, cum ſoliditatis, & conſiſtentiæ expertes ſint, in poros illico confluent, & alimenti vias obturabunt.

9. Quod autem Medici quidam apud Hieronymum à Rua controuerſ. 4. ſcholaſtica in 1. part. controuerſ. ad 3. docent, in ſanguine aliquam vitalem operationem exerceri, videlicet motum localem, quo in diuerſas partes corporis agitur; vt cum quis præ verecundia rubet, facilè refelli poteſt. Primò, quia nullum animal progreſſiuè, ac localiter moueri poteſt, quod ſenſitiuum non ſit, vt experientia conſtat, & perſpicuè docetur ab Ariſtotele lib. 3. de Hiſtoria animalium: ergo etiam nulla pars animalis localiter, ac progreſſiuè moueri poteſt, quin etiam ſenſitiua ſit: cum ergo ſanguis ſenſitiuus non ſit, non poterit motum localem, & progreſſiuum ab intrinſeco ſortiri. Secundò, quia motus localis, & progreſſiuus ab appetitu de facto ſemper imperatur: quo fit, vt in nobis, penes quos eſt noſtri appetitus dominium, motus etiam localis liber ſit, & pro cuiuſque arbitrio poni, aut impediri poſſit: at motus ſanguinis ab appetitu non imperatur; cuius ſignum eſt, quod nos, qui appetitui noſtro dominamur, huic motui dominari, eumque pro libito ponere, vel impedire non poſſimus: impera, ſi potes, ſanguini, ne, cum verecundaris, faciem non operiat; aut, cum times, ad cor non recurrat, vſque ad faciei pallorem; aut, cum gaudes, per totum corpus non diffundatur, vſque ad cordis & pectoris, à quibus leniter exit, dilationem & requiem; aut, cum inuides, corporis membra ſenſim non deſerat, vſque ad eorum liuorem; necnon cordis, pectoris, ad quæ refluit, anguſtias. Tertiò, quia ſi ex eo, quod occaſione alicuius paſſionis animum ſolicitantis ſanguis mouetur verſus aliquam corporis partem, colligere fas eſt, eum moueri modo vitali, & animali; pari ratione dici poterit, humorem per vreteres ad veſicam tranſmiſſum; aliaque corporis excrementa modo vitali, & animali moueri: ſiquidem etiam occaſione alicuius paſſionis multoties excernuntur. Conſequens autem quis ridiculum eſſe non conſpiciat?

Quocirca tenendum eſt, ſanguinem non ab intrinſeco moueri, ſed extrinſecus, & mediis qualitatibus impulſiuis, quas ab aliis partibus animatis accipit. Quod autem cum commotione, & alteratione appetitus ſanguis moueatur, non ideo eſt; quod ad edictum appetitus, aut voluntatis, ſicuti pes, aut brachium moueatur, vt experimento conſtat, & ex eo etiam perſpicuum, quod appetitus commoti actus non motum ſanguinis, ſed alia obiecta iucunda, vel iniucunda ſibi præſtituant; ſed ideo, quia, quemadmodum humorum varia temperies, & commotio ad varios appetitus ſenſitiui actus phyſicè diſponunt: ita è conuerſo varij appetitus noſtri effectus ad variam ſanguinis, & humorum commotionem, qualitateſque eius commotionis effectrices diſponunt: ſic actus habitum, & è contrario habitus actum quadam quaſi alteratione generant. 10.

Secundò ſuadetur eadem aſſertio ad homines (vt aiunt) contra Caietanum, Sylueſtrum, alioſque Thomiſtas: nam ij vbi ſuprà in quouis animali diſtinguunt duplicem ſanguinem: alium perfectum, purum, & defœcatum: alium verò imperfectum, impurum, ac fœculenum; & priorem ſanguinem, non verò poſteriorem animari cenſent; contra quos ita argumentor: multo maior eſt diuerſitas inter ſanguinem humanum, & belluinum, quàm inter publicē hominis ſanguinē magis, & minus perfectum: at ipſi inter duplicem hominis ſanguinem diſtinguunt, aliumque animatum, inanimem alium adaſſerunt: cur ergo eandem diſtinctionem inter ſanguinem humanum, & belluinum admittere grauantur? præſertim cum ratio diſcriminis inter ſanguinem humanum, & belluinum non vna nobis aſſignata, & aſſignanda ſit; ratio verò diſcriminis inter ſanguinem humanum perfectum, & imperfectum nulla ab his Authoribus adduci poſſit. 11.

Tertiò ſuadetur illamet aſſertio: quia quæ argumenta ſuadent, ſanguinem humanum animari, ea in ſanguine belluino minimè militant, ſi ſupponatur animas belluarum eſſe diuiſibiles: ex hac ergo hypotheſi ſanguis belluinus inanimis eſt. Antecedens inductione ſuadetur: nam ideo in primis animarationalis ſanguinem informat, quia indiuiſibilis manens plures corporis partes informare poteſt, & debet: cum igitur non ſit potior ratio de vnis quàm de aliis, omnes omnino tam liquidas, quàm ſolidas informabit: hoc autem argumētum in anima belluina, ſi ſit indiuiſibilis, quem locum habere poteſt? Deinde ideo ſecundo anima rationalis ſanguinem humanum quantumlibet omnis vitalis operationis expertem animare poteſt, quia partes corporis, vbi non intelligit, informat, tametſi intellectiua ſit, parteſque corporis vbi non ſentit, ſed ſolum nutrit, etiam informat, tametſi non ſolum nutritiua, ſed etiam ſenſitiua ſit. Hæc autem ratio non militat in equo v. g. cuius anima, ſi diuiſibilis ſit, nullibi ſenſitiua eſt, vbi non ſentiat; & vegetatiua nullibi, vbi non vegetet. Tertium etiam argumentum ad animationem ſanguinis belluini probandam non facit, cum Verbum ſanguinem belluinum perinde ac humanum minime aſſumpſerit. Quartum etiam argumentum huc non facit, cum non directè, ſed indirectè tantum, & ab euerſione oppoſiti fundamenti procedat. 12.

Aſſero tertiò: dentes, vngues, & capilli anima to- 13.

tius

tius substantiæ completæ, cuius instrumenta, & ornamenta sunt, re ipsa animantur. Ita B. Thomas, Scotus, Suarez, & alij communiter. Atque in primis dentes naturam ossium sortiuntur, imò sunt ossa quædam non carne contecta, nec semper duratura, sed extra carnem sese exerentia, & aliquando casura: cum igitur ossa omnium confessione vita vegetatiua polleant, id ipsum de dentibus negari nequit. Quod autem ad vngues, de quibus maior est controuersia, attinet, eos etiam animari suadetur: tum quia ab ossibus non differunt, vt perspicuè docet Aristoteles lib. 3. de Histor. animalium cap. 12. ibi: *quod idem vnguibus etiam euenit: quippe, cum in nonnullis animalium genus vnguium præ nimia duritudine nihilo ab ossibus differat.* Hactenus ille: quod si aliqui vngues osseæ naturæ sint, reliqui etiam eiusdem erunt, cum omnes solùm penes magis, & minus inter se differant. Tum etiam quia vngues plerumque reliqui corporis affectionis participant: sic cutis calorem æmulantur: sic in pueris ad incrementum cæterarum partium notabiliter crescunt: sic demum ætatis flexu à teneritudine ad duritiem deflectunt: haud aliter ac in reliquis membris vsuvenit: signum igitur manifestum est, eos vitam, animamque sortiri eandem essentialiter, aut integraliter cum reliquis membris. Tum quia si vngues præscindantur, decursu temporis cuspidem generant: manifestum igitur est, eos non tantum crescere versus radicem carni proximam, per meram iuxtapositionem, sed etiam versus partem extremam, & à carne dissitam per subtilem attractionem, & artificiosam intus-sumptionem alimenti vsque ad eam partem, quemadmodum ad vitam nutritiuam oportet. Tum demum quia in vnguibus cernuntur fibræ quædam, ac venulæ pabuli deriuatrices: ergo, &c.

14. Quod autem ad capillos attinet, eos etiam in homine informari animo rationali, & in belluis animo irrationali, iisdem penè rationibus suadetur: nam in primis capilli affectiones reliqui corporis participant: sic qui cutem habent blandam, tenuemque, exili etiam, blandoque capillamento gaudent: qui verò asperam, crassamque cutem sortiuntur, setosi, & hirsuti sunt, vt notauit Aristoteles lib. 3. de histor. animal. cap. 9. sic etiam pro varia quatuor humorum per reliquum corpus commixtione experimur, capillos varios etiam colores induere, & vel nigrare, vel flauere, vel albescere, vel rutilare: sic, cum animal calore destituitur, experimur etiam capillos calore destitui: vnde senes defectu eius caloris illico canescunt: canicies enim absentiam caloris, & frigiditatem arguit vt in niue, & pruina conspicuum est. Deinde capilli cuspidem, conumve generant: non ergo versus radicem solùm per meram iuxta positionem, sed etiam versus apicem per subtilem, interiorémque alimenti ad superiores partes assumptionem augentur, sicut ad vitam vegetatiuam oportet. Rursus id in nobis est capillus, quod in arboribus frondes, & volucribus plumæ: quò alluſit ille 13. Metamorphoseos ibi:

Turpis sine frondibus arbor
Turpis equus nisi colla iubæ flauentia velent,
Pluma tegit volucres, suibus sua lana decori est,
Barba viros, hirtæque decent in corpore setæ.

At arborum frondes omnium confessione viuunt, & vegetantur; & plumæ etiam volucrum pari ratione viuunt, ac nutriuntur: tum quia suam habent organorum varietatem, sicut res, quæ viuere creduntur: tum quia secundum proportionem, & seruata eadem figura, sicut arbores, crescunt. Tum demum quia oculi illi, quibus paui plumæ interpuncti sunt, paulatim crescunt, & maiores fiunt: ergo non tantum propè cutem, & per meram iuxtapositionem plumæ huius auis augentur, sed etiam procul à cute; ac proinde per alimenti subtilem intus-sumptionem, occultamque, & secretam per poros attractionem.

Assero quartò, & vltimò: semen, & lac non animantur. Ita plerique Philosophi, & Medici: & quidem quod ad belluas attinet, res est clara, si earum sanguis non animatur: hoc enim supposito; quo iure earum lacti, & semini anima tribui poterit? Quod verò ad hominem attinet, in hunc modum assertio suadetur: anima rationalis eas tantum partes hominis informat, quæ verè, & proprie tales sunt, & ad humanæ naturę constitutionem, & integritatem spectant: at semen, & lac eiusmodi partes non sunt: ergo &c. Maior ex iis constat, quæ supra de sanguine humano disseruimus. Minor probatur: tum quia semen, & lac resurrecturis restituenda non sunt, vt omnes Theologi docent; cum tamen certum sit, iis restituendas esse omnes partes, quæ ad humanæ naturæ integritatem, & constitutionem spectant. Tum etiam quia pueri, & puellæ habent partes omnes ad humanæ naturæ integritatem necessarias, tametsi in minori quantitate, & extensione: at semine, & lacte carent. Tum demum quia lac, & semen ad alterius aut productionē, aut conseruationem potissimum ordinantur, non ergo ad integritatē, & constitutionē eius indiuidui, cui existunt.

CAPVT II.

Obiectiones contrariæ soluuntur.

NVllum sanguinem animari tenent Suar. tom. 1. in 3. part. disp. 15. sect. 3. & Vasq. ibidem disp. 36. c. 3. Card. de Lugo disp. 14. de incarn. sect. 4. n. 68. Tanner. 3. p. disp. 1. q. 4. Compton. disp. 3. de an. sect. 3. & perplures Theologi, quos pro se referunt, necnon plerique Medici cum Galeno l. 4. de vsu partium. Vnde contra primam assertionem argues primò: nutritio est conuersio sanguinis in carnem, & ossa, quibus homo constat; cum sanguis sit alimentum proximū, & immediatum hominis, teste Arist. l. 2. de partib. animal. c. 3. & alibi sæpè: at nutritio est conuersio substantialis, siue vnius substantiæ in aliā à se diuersam: ergo etiam conuersio sanguinis in carnē, & ossa, quibus coalescit, est cōuersio substantialis, siue vnius substātiæ in aliam à se diuersam: quod si sanguis anima rationali informaretur perinde ac caro, & ossa nō esset substantia ab iis diuersa; ac proinde ea conuersio substantialis futura non esset. Respondeo: nutritio bifariam dici potest conuersio, nimirum mediata, vel immediata: quatenus enim sanguis per poros attractus conuertitur in carnem, est conuersio immediata alimenti in substantiam aliti: quatenus verò est conuersio cibi chili, & chimi, &c. in substantiam aliti, est conuersio mediata. Rursus nutritio prout est conuersio mediata est conuersio substantialis, ideſt, vnius substantiæ in aliam à se specie diuersam: id quod satis est, vt cibus chilus, chimusque

anima rationali non informetur, atque à carne, & oſſibus ſpecie diſtinguatur, tametſi ſanguis anima rationali afficiatur, & oſſibus ſpecie non diſtinguatur. Cæterum nutritio prout eſt conuerſio immediata non eſt conuerſio ſubſtantialis, ſed tantum accidentaria: neque oppoſitum aduerſarij ſuadent. Quid? quod non deſunt, qui partes hominis heterogeneas eſſe, & vnionibus partialibus ſpecie diuerſis conſtare cenſent; in quorum ſententia, quam aduerſarij plurimi amplectuntur, ſanguis tametſi anima rationali informatus ob vnionem tamen ſpecialem cum illa, à carne, & reliquis corporis partibus ſpecie differret, prout oportet ad hoc, vt nutritio, ſiue conuerſio ſanguinis in carnem, & oſſa ſit conuerſio ſubſtantialis, ideſt, vnius ſubſtantiæ in aliam à ſe ſpecie diuerſam. Quid ſecundò? quod plures Medici cum Valleſio, necnon plures Theologi tenent, inter carnem & ſanguinem mediare tres, aut quatuor alios humores, rorem videlicet, cambium, & glutenem, eoſque vel omnes, vel certè aliquos à carne, & oſſibus ſpecie differre, ac nullo modo viuere: in qua ſententia, de qua infra fortaſſis ſermo recurret, nutritio non erit conuerſio immediata ſanguinis in carnem, & oſſa, ſed alterius humoris, ac proinde ſubſtantialis eſſe poterit.

17. Obiiciunt ſecundò: cum vena ſcinditur, & ex ea ſanguis in ſcutellam defluit, ſanguis intra venam contentus, & ſanguis extra eam exiſtens ſunt eiuſdem prorſus ſpeciei, vt ſenſu ipſo notiſſimum videtur: at ſanguis extra venam exiſtens eſt inanimis; quis enim aſſerat animam rationalem extra corpus exiſtere, & in ſcutella innatare? igitur etiam ſanguis vena cluſus inanimis cenſendus eſt. Huic argumento reſpondet Arriaga conceſſa maiori, & negata minori: & abſurdum arbitratur, animam rationalem intra ſcutellam, & extra corpus palpitare, quandiu emiſſio ſanguinis durat, & ſanguis è corpore miſſus cum ſanguine venali continuatur; haud aliter ac cum vi morbi incidentis, aut inflicti vulneris inteſtina alicui foras elabuntur, anima rationalis in inteſtinis à corpore defluxis, non tamen à corpore interruptis exiſtit. Quod ſi hoc alicui durum videatur, dici poterit, ſanguinem eo ipſo, quod extra corpus emicet, animam ſpoliari, & forma cadauerica informari, quamuis hæc diuerſitas, & mutatio ſenſu non percipiatur; haud aliter ac cum pomum ex arbore abſcinditur, omnium conſenſu anima vegetatiua ſpoliatur, & augmenti, ac nutritionis incapax efficitur, tametſi hæc diuerſitas, & mutatio ſenſum fallat, & experientiam prætereat.

18. Obiiciunt tertiò: ſi ſanguis humanus informaretur anima rationali, eſſet vera pars corporis: cùm ergo partes omnes corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis vi verborum ponantur: certè ſanguis Chriſti ſub iis eadem vi ponetur: conſequens autem eſt abſurdum, & contra Concilium Tridentinum, in quo iterum iterumque aſſeritur, ſolùm corpus Chriſti Domini vi verborum poni ſub ſpeciebus panis, & ſanguinem ſolùm eadem vi poni ſub ſpeciebus vini; nec niſi per meram concomitantiam, & naturalem connexionem corpus ſub ſpeciebus vini, & ſanguinem ſub ſpeciebus panis collocari. Verùm in primis hoc argumentum in ſententia aduerſariorum apertè inſtatur: ſiquidem ſanguis, tametſi inanimis ſit, eſt vna pars corporis humani, vt ſuprà capite præcedenti luculenter oſtendimus: explicandum igitur aduerſariis ſupereſt, cur ſub ſpeciebus panis vi verborum non collocetur. Deinde dici poteſt; corpus, quatenus abſtrahit à viuo, & mortuo, poni ſub ſpeciebus panis vi verborum: ſanguinem autem non eſſe partem corporis, prout abſtrahit à viuo, & mortuo, ſed prout determinatè viuum eſt. Præterea non impoſſibiliter cum Hurtado dici poteſt, nomine corporis poſiti ſub ſpecibus panis vi verborum intelligi partes ſolidas tantum, cum eæ ſolæ cibo & comeſtioni deſeruire poſſint; partes autem fluidas, cum non cibi, ſed potus inſtar habeant, nomine corporis intelligi nequire: cum igitur ſanguis inter partes ſolidas corporis connumerari non poſſit, certè, quantumlibet animatus, nomine corporis vi verborum ſub ſpeciebus panis collocati minimè ſubaudietur.

Nullum ſanguinem etiam belluinum non animari cenſent Caietanus, Sylueſter & ij Authores, quos ſuprà pro prima Aſſertione adduximus. Vnde miſſis iis argumentis, quæ ſuprà obiter ſoluta ſunt, arguunt primò: amiſſio ſanguine anima etiam illico amittitur: ergo quia anima in ſanguine continetur. Verùm quemadmodum aëris, per quem reſpiramus, copia amiſſa, illico vitam, animamque expiramus, & amittimus, quin aër propterea viuat: ita ſimiliter in præſenti, &c. Arguunt ſecundò: adeps, ſiue pinguedo animalis teſte Galeno libro 3. de temperamentis, eſt ſanguis frigore concretus, vel teſte Ariſtotele libro 1. de generat. animal. capite 19. eſt ſanguis per bonam nutritionem concoctus: at adeps cuiuſque animalis viuit: tum quia id communiter Medici docent: tum quiaper intuſſumptionem non minus quàm caro augetur; nec eiuſmodi augmenti vllum maius indicium in carne, quàm in adipe elucet: tum demum, quia adeps, vt experimento inflicti vulneris conſtat, propriè ſentit. Reſpondeo adipem non eſſe ſanguinem, ſed ab eo ſpecie differre: Ariſtotelem autem & Galenum ſanguinis, aut concreti, aut concocti nomine adipem appellare; eo, quod ſanguis præ nimia concoctione, ac concretione in adipem à ſe ſpecie diuerſum conuertatur: haud aliter ac aquam concretam cryſtallum appellamus, tametſi cryſtallus ab aqua ſpecie diſtinguatur. 19.

20. Opponunt tertiò duplicem authoritatem: alteram ſacram, profanam alteram: prior eſt Leuitici c. 17. ibi: *ſi venatione, atque aucupio ceperit feram, vel auem, quibus veſci licitum eſt, fundat ſanguinem eius, & operiat illum terra; anima enim omnis carnis in ſanguine eſt.* Poſterior eſt Ariſtotelis l. 3. de Hiſtor. animal. c. 19. ibi: *palpitat intra venas ſanguis omnium animalium, pulſuque ſimul vndique mouetur, & ſemper, quandiu vita ſeruatur, ſanguis vnus animatur, & feruet.* Reſpondeo: anima omnis carnis in ſanguine eſſe dicitur; non quod ſanguis anima omnis carnis tanquam forma conſtet, cum hoc falſum ſit etiam iuxta pleroſque aduerſarios, qui non animam carnis, ſed aliam partialem ſpecie diuerſam ſanguini attribuerit; neque etiam eo quod, ſanguis, & anima, & forma corporis ſit, vt nonnulli ſtultè arbitrati ſunt; ſed quia amiſſo ſanguine vita amittitur: quo etiam nomine vita noſtra, animaque in calore naturali

turali conſiſtere dicitur, & hic ipſe calor vitalis nuncupatur. Aliam eius loquutionis rationem, eamque ſubtiliſſimam tradit Auguſtinus libro 2. contra aduerſarium legis, & Prophetarum cap 6. ibi: *ſic enim dictum eſt, anima omnis carnis ſanguis eſt; quomodo dictum eſt, petra erat Chriſtus, non quia hoc erat, ſed quia hinc ſignificabatur: non autem fruſtra lex animam voluit ſignificare per ſanguinem, rem ſcilicet inuiſibilem per rem viſibilem, niſi quia ſanguis per venas omnes ab ipſo corde diffuſus in noſtro corpore, plus cæteris humoribus principatur: ita vt vbicunque fuerit vulnus inflictum non humor alius, ſed ipſe procedat: ita quoque anima, quia omnibus, quibus conſtamus, inuiſibiliter præualet, illo melius ſignificatur, quod omnibus, quibus conſtamus viſibilibus præualet.*

21. Tertiæ aſſertioni noſtræ refragantur Galenus in lib. artis Medicinæ, tametſi non ſibi ſatis conſtans, Peramattus, & communiter Medici. Quod autem arguant, dentes, vngues, & capillos fieri ex materia ſuperflua, & reiectanea, ſiue excrementitia, ea videlicet, quæ in carnem, & oſſa conuerti non potuit, ac proinde eos nutriri, ſeu vitaliter augeri non poſſe, cum nutritio fiat ex iis, quæ natura non negligit, ſed ſeligit: hoc, inquam, friuolum eſt: ſiquidem ſuccus terræ per radices arboris attractus, ac per fibras in caudicem, & ramos diſperſus, non totus in lignoſam arboris ſubſtantiam conuertitur, ſed aliquas habet partes excrementitias, eique nutritioni inutiles, alias aërias, aquoſas alias; quarum hæ in fructus, illæ verò in flores formantur: & tamen fructus & flores viuunt, & nutriuntur: quod igitur velut ſuperfluum, & inutile ad nutritionem aliquarum partium ab iis excernitur, & excreatur; id ad veram nutritionem, & vitalem augmentationem aliarum partium conferre poteſt.

22. Quartæ, & vltimæ aſſertioni, quod ad ſemen attinet, refragantur Plato in Timæo, Themiſtius, Galenus, Valleſius, Peramattus, Zimara, & alij. Quorum cæteris argumentis, quia minus operoſa ſunt, omiſſis, ad illud quod à ſeminibus plantarum proculdubio vitaliter, & per intus-ſumptionem creſcentibus, quandiu plantis inhæreſcunt, adduci ſolet, dicendum eſt, diſparitatem in eo eſſe, quod ſemina plantarum non tantum ſemina, verum etiam fructus ſint: ſemen autem humanum non fructus, ſed virtus eius procreatrix ſit. Quod ad lac attinet, illud animari, & viuere, à ratione ſuaderi poteſt: lac nihil aliud eſt, quàm ſanguis menſtruus defæcatus, & probe concoctus, vt docere videntur Ariſtoteles lib. 4. de generat. animal. cap. 8. B. Thomas in 10. caput Iob, & alij Patres communiter: quod etiam ex eo conſtat, quia menſtruus ſanguis ceſſat in fœminis poſt conceptionem fœtus, necnon etiam maiori ex parte edito fœtu, quandiu lac manat: atqui ſanguis, præſertim humanus, animatur: ergo & lac. Verùm probabilius eſt, lac eſſe ſpecie diuerſum à ſanguine, vt perſpicuè docent Valleſius lib. 1. controuerſiar. cap. 22. & Vega lib. 6. aliique Medici communiter. Quæ autem ab authoritate, & ratione in contrarium adducta ſunt, conuincunt quidem, lac ex ſanguine menſtruo fieri, non verò eiuſdem cum eo ſpeciei eſſe, vt intuenti conſtabit, & ex nuper in ſimili dictis perſpicuum eſt.

CAPVT III.

An partes animatæ ſubſtantialiter diſsimiles ſint?

Aſſerendum primò eſt, in belluis partes animatas heterogeneas, ac ſubſtantialiter diſſimiles eſſe, & oculos, aureſque v.g. non eadem ſpecie forma, ſed diuerſa conſtare; ſi forte formæ, quibus conſtat, ſunt diuiſibiles in partes integrales, inuicemque diſtinctæ. Ita P. Suarez diſp. 15. Metahpyſ. ſect. 19. Pererius 6. Phyſicor. Compton. diſp. 4 anim. ſect. 1. Hurtado diſp. 2. de anima ſect. 9. Venetus, Niphus; & alij non pauci: quanquam vt verum fatear, hi omnes (excepto Hurtado) inter partes corporis humani, & partes reliquorum animalium, quod ad præſens attinet, minimè diſtinguant, neque etiam loquantur, vt nos ex hypotheſi, ſed abſolutè. Aſſertio probatur: quia ex eo colligimus equum, & leonem differre ſpecie, quia ab intrinſeco, & inamiſſibiliter diuerſas diſpoſitiones, ac diuerſa organa, & accidentia ſortiuntur; at etiam oculus equinus, & auris equina ab intrinſeco, & inamiſſibiliter diuerſas diſpoſitiones, & diuerſa organa, & accidentia ſortiuntur: ergo, &c. Maior perſpicua eſt, quia ſeorſim ab ea proprietatum intrinſeca exigentia, & inamiſſibili poſſeſſione, quod diſtinctionis ſpecificæ inter equum, & leonem fundamentum ſupereſt; aut quo argumento, qui eam neget, impugnari poterit? Minor etiam perſpicua eſt: ſiquidem oculus equinus retenta propria eſſentia nunquam, & nuſquam deprehenſus eſt, alias diſpoſitiones præter viſuales, & oculatas habuiſſe, aut eas cum diſpoſitionibus aurium, aut narium commutaſſe: eas ergo inamiſſibiliter poſſidet: vnde etiam conſequitur, eas ab intrinſeco, ac vi propriæ exigentiæ habere: aliàs cur eas aliquando amittere non poſſet? 23.

Huic argumento communiter reſponderi ſolet 24.
oculum equinum inamiſſibiliter habere diſpoſitiones ad viſum neceſſarias, eaſque etiam ab intrinſeco, ideſt, ob innatam earum exigentiam habere. Cæterùm eam exigentiam non eſſe determinatam, ſed indeterminatam, & vagam; qua videlicet ſubſtantia oculi equini non diſpoſitiones viſuales præ aliis, ſed vel illas, vel alias quaſcunque equinas poſtulat: vnde non eſſe, cur vi illarum ab aure equina ſpecie differat, cum hæc etiam eaſdem diſpoſitiones eadem indeterminatione poſtulet: at equus diſpoſitiones equi proprias, & leo etiam leoninas diſpoſitiones determinatè poſtulant: vnde, &c. Ratio verò diſcriminis vtrinque eſt, quia cum oculus equinus, & auris equina ſint partes equini compoſiti, datur totum, quod diſpoſitiones oculi, & diſpoſitiones auris proprias determinatè exigat: vnde non eſt, cur ſingulæ partes vllas diſpoſitiones determinatè poſtulent, ſed potius totam ſui curam relinquant toti, in quo componuntur: at leo, & equus non ſunt partes vllius compoſiti.

Verùm hæc ſolutio abſque negotio confutari 25.
poteſt. Primò quia adhuc ſupereſt ſoluenda difficultas illa, cur ſuppoſita indiſtinctione ſpecifica partium eiuſdem totius, adhuc leo, & equus ſpecie diſtinguantur: quemadmodum enim dicitur, oculum equinum, auremque equinam ſpecie non differre, diſpoſitioneſque diuerſas, quas determinatè

terminatè possident, determinatè non postulare; eo, quod sint partes eiusdem totius, quod eas dispositiones determinate postulare possit; ita similiter defendi poterit, equum, & leonem non differre specie, nec diuersas dispositiones, quas determinatè possident, determinate postulare; eo quod sint partes subiectiuæ eiusdem totius potestatiui; siue, quod perinde est, individua eiusdem speciei, cui incumbat, eas dispositiones determinate postulare; aut, si mauis, eo quod sint partes actuales, tametsi per accidens eiusdem vniuersi, quod eas dispositiones sibi determinate, & suis partibus indeterminatè postulet. Qui hoc propugnet, quo argumento impugnari poterit? præsertim, cum sicut individua propagationem speciei, eiusque bonum postulant; ita etiam species determinatam exigentiam dispositionum individualium modo præfato sortiri possit: & sicut partes vniuersi bonum commune, & vniuersale appetunt; ita etiam appetitus vniuersi ad bonum suarum partium, ac dispositiones per eas repartitas descendere posse videatur. Vlterius ea solutio confutatur: siquidem materia prima equi habet peculiares affectiones, nimirum quantitatem, si fortè ab ea distinguitur, vbicationem, durationem, aliasque similes: forma etiam equi habet alias affectiones sibi peculiares, videlicet tales, ac tales sentiendi, vegetandi, ac progrediendi gradus: at materia equina determinate postulat suas affectiones; forma etiam equina suas, quantumlibet ambæ sint partes eiusdem totius, penes quod talium affectionum exigentia esse posset.

26. Assero secundò: partes continuæ, siue integrales hominis inter se specie non distinguuntur. Ita Hurtadus vbi suprà sect. 9. Arriag. d. 1. de an. s. 6. Quiedo cont. 1. p. 7. n. 6. Fonseca, & ex antiquis Scotus, Alensis, Gregorius, Gabriel, Durandus, Marsilius, Caietan, & alij, quos referunt, & sequuntur Conimbricenses 1. de generat. cap. 4. q. 22. art. 3. Assertio suadetur: quia si partes integrales hominis substantialiter dissimiles sunt, ac specie diuersæ, ciusmodi dissimilitudo, ac diuersitas; aut prouenit ex eo, quod caput humanum, & cor humanum habeant formas substantiales specie diuersas; aut ex eo, quod habeant vniones substantiales specie diuersas: at neutrum dici potest: ergo, &c. Quod prius dici nequeat, probatum manet lib. 2. tract. 6 cap. 2. & 3. vbi pluralitatem formarum substantialium in homine vniuersim reiecimus: & quod attinet ad pluralitatem animarum, quas nonnulli Nominales in hominem inuehunt, expressè improbatum manet in 8. Synodo Generali can. 11. ibi: *apparet quosdam in tantum impietatis venisse, vt homines duas animas habere dogmatizent: tales igitur impietatis inuentores, & similes sapientes, cum vetus, & nouum testamentum, omnesque Ecclesiæ Patres vnam animam rationalem hominem habere asseuerent, sancta, & vniuersalis synodus anathematizat.*

27. Quod autem posterius, & inter aduersarios præsertim Neothericos communius dici nequeat, paulò operosius probandum est. Atque in primis vnio capitis v. g. & vnio cordis ita comparatæ sunt, vt extrema vtriusque speciei indistincta sint, quod ad materiam vtraque affectam attinet; numero verò indistincta, quod ad animam rationalem vtraque affectam spectat: cur igitur ipsæ vniones naturam extremorum sequi, ac specie indistinctæ, & homogeneæ esse nequeant? Non inficior, inter eadem extrema modos impares, specieque diuersos interiici posse, & solere; vt vel in quantitate cernere est, quam Deus modo generat, modò creat, si hæ actiones modales sint. Cæterùm in præsenti diuersarum vnionum inter non diuersa extrema, quæ vtilitas, nedum necessitas esse potest? Præterea: si vnio capitis esset diuersa specie ab vnione cordis, diuersaque ab ea dispositiones exigeret, non posset eiusmodi vnio non esse forma substantialis; ac proinde in materia capitis duæ formæ substantiales simpliciter tales congestæ, & cumulatæ essent, contrà quam euenire posse sæpius à nobis statutum est. Suppositâ ergo falsitate consequentis, quam etiam plerique aduersarij supponunt, sequela probatur: quia vt ait Aristoteles 7. Metaphysicorum text. 49 & cum eo reliqui Philosophi: *forma, siue actus est, qui distinguit*: at caput humanum, & cor humanum specie distinguuntur, ac substantialiter dissimilia sunt per solam vnionem vtriusque: ergo vnio vtriusque est vera forma substantialis. Deinde iuxta Aristotelem 1. Physicor. cap. 7. t. 69 aliosque Philosophos forma est, quæ constituit hoc aliquid: at vnio capitis humani constituit caput humanum, prout est hoc aliquid, siue quid distinctum specie à quouis alio corporis membro.

28. Vlterius vnio capitis est prima, & præcipua radix earum proprietatum, ac dispositionum, per quas caput à corde, & rel quis membris specie differt: igitur est forma substantialis capitis. Antecedens perspicuum est: siquidem materia prima, & anima rationalis non est prima, & præcipua radix determinatè postulans eas operationes, ac dispositiones in ordine ad quas caput humanum à corde humano differt: alias cor etiam eadem operationes, ac dispositiones haberet, vtpote quod eadem materia, & anima rationali potitur: ergo sola vnio capitis est eiusmodi radix. Consequentia etiam perspicua est: siquidem ideo anima rationalis est forma substantialis hominis, quia est prima, & præcipua radix earum operationum, ac dispositionum, in ordine ad quas homo differt à leone, & omni alio animali, quod homo non est: ergo si vnio capitis, &c. Rursus ad hominē: ideo nonnulli aduersariorum censent, vbicationem v. g. esse modum, & non rem absolutam: quia si vniretur per vnionem à se distinctam, prout admodū oportet, ea vnio etiam esset vbicatio rei, vtpote quæ rem ad determinatum loci spatium essentialiter alligaret, illudque præ quouis alio postularet: at etiam vnio illa capitis ad determinatas operationes, ac dispositiones alligat, easque, & non alias cordi consentaneas natura sua postulat: ergo ipsissima forma substantialis censenda est. Tandem si qua ratione in hac sententia, quam impugnamus, vnio capitis eius forma substantialis dici non deberet, maximè quia esset modus, vel quia aliam formam substantialem, nimirum animam rationalem præsupponeret: at neutrum horum satisfacit: non primū, quia possibiles sunt proculdubio plures formæ substantiales, quę modales, nō absolutæ sunt: cur enim quod de facto præstatur per formā equi, & per eius vnionem præstari nequeat in alia rerum serie per vnam indiuisibilem entitatē vtrique æquiualentem? igitur quod vnio capitis modus sit non obstat, quominus vera forma substantialis sit. Secundum etiam dici non potest, quia tametsi vnio capitis præsupponat aliam formam substantialem, videlicet animam rationalem,

tionalem, non tamen informantem, aut munus formæ substantialis exercentem : cur igitur vnio substantialis pro posteriori adueniens informare, & munus formæ substantialis exercere nequeat: imo quamuis ea vnio animam rationalem actu informantem supponeret, aduersariis explicandum superest, cur quemadmodum vna cognitio aliam cognitionem actu denominantem supponit, & tamen pro posteriori ipsa denominat; cur inquam, in præsenti &c.

29. Porrò autem, ne quis existimet argumenta nuper proposita in nos retorqueri posse, explicandum accuratè nobis est, cur in quauis sententia modus vnionis forma substantialis non sit: siquidè siue partes integrales hominis sint homogeneæ, siue heterogeneæ, vnio humana est forma, siue actus, cum materia, subiectúmve non sit, & est etiam substantia: ergo est forma substantialis. Verum in primis hæc instantia sexcentas instantias patitur : entitas namque aquæ est potentia quædam productiua gratiæ, & est etiam naturalis : ergo est potentia naturalis & non obedientialis. Deinde distinctio virtualis est distinctio, & est realis, siue existens à parte rei : ergo est distinctio realis. Rursus creatio Angeli est actio, & est accidens iuxta non paucos : ergo est actio accidentalis, & non substantialis. Præterea actus intellectus comparatiuus duorum obiectorum realiter indistinctorum, generis nimirum, & specierum, est relatio eorundem, cum omnis comparatio relatio sit, & est quid reale : ergo est relatio realis, & non solius rationis. Tandem subsistentia materiæ, iuxta aduersarios, est forma quædam incompleta, cum iuxta eos non sit totum ipsum, eiusve subiectum, siue materies, & est etiam substantia : ergo est forma substantialis compositi : quemadmodum ergo eæ, & similes consequentiæ nullæ, & illegitimæ sunt; ita similiter illegitima, & nulla est ea consequentia, qua ex eo quod vnio humana actus, siue forma quædam, necnon substantia sit; eam esse formam substantialem deducitur.

30. Quocirca dicendum est, formam substantialem communiter talem nuncupari à Philosophis, non eam, quæ forma, & substantia est, sed eam, quæ forma est; & cuius munus est vt quod, & primario diuersificare substantiam aliquam completam, quam constituit ab omni alia sub eodem genere proximo contenta : haud aliter ac actio substantialis communiter nuncupatur ea, non quæ actio est, & etiam substantia, sed quæ actio est, & cuius munus est substantiam producere : cum ergo vnio humana in nostra sententia, tametsi forma sit, id tamen muneris sibi non vendicet, vt hominem ab alio quouis animali diuersificet vt quod, & primario, sed duntaxat vt quo, & secundario, ac per modum causalitatis formæ; certè forma substantialis esse, dicique non meretur. Hac autem solutione vti nequeunt aduersarij: siquidem iuxta eos materia prima capitis, & anima rationalis nullo modo, & nedum primario, ac vt quod efficit caput humanum differre à corde: sola ergo vnio capitis est, quæ id efficit.

***

CAPVT IV.

Argumenta contraria soluuntur.

PArtes organicas belluarum substantialiter dissimiles non esse tenent fermè omnes, quos suprà pro assert. 2. retulimus : vnde arguunt primò : res diuersæ speciei inter se continuari nequeunt : sed partes organicæ belluarum inter se continuantur : ergo substantialiter dissimiles esse nequeunt : idque esto formis integraliter diuisibilibus, ac distinctis constent. Minor perspicua est. Maior probatur : tum quia aliàs res spirituales, & materiales quatuor elementa sibi contigua, equus, & leo verbi gratia naturaliter continuari possent, quæ absurda, & commentitia sunt : tum quia vnio essentialis nequit esse inter extrema eiusdem speciei, cum actus, & potentia semper specie differant : ergo è contrario vnio integralis, & continuatiua nequit esse inter extrema diuersæ speciei : sic, quia vnio essentialis interiicitur extrema loco penetrata, vnio continuatiua interiicitur extrema loco distincta: sic etiam, quia vnio essentialis interiicitur extrema essentialiter incompleta, vnio continuatiua interiicitur extrema essentialiter completa, videlicet duas aquas; sic demum, quia pereunte vnione essentiali aquæ v.g. perit aqua; econtrario pereunte vnione continuatiua vnius aquæ cum alia neutra perit, sed vtraque conseruatur : ambæ ergo vniones oppositas conditiones sortiuntur. 31.

Cæterùm res diuersæ speciei continuari posse probant, tum ea, quæ adduximus cap præcedenti, cum nostram sententiam confirmaremus; tum etiam vnio graduum intensionis, quæ continuatiuæ valdè affinis est, & iuxta plures aduersarios extrema dissimilia interiicitur : tum demum punctum, linea, superficies, & corpus, quæ omnes dimensiones in ratione quantitatis specie distinguuntur, & tamen inuicem continuantur. Ad primum exemplum in contrarium adductum respondeo, illud vniuersim verum non esse : sicut enim punctum indiuisibile, & linea diuisibilis continuatur, cur res spiritualis, & res materialis, quamuis hæc diuisibilis, illa verò indiuisibilis sit, inuicem tamen continuari nequeant, saltem in alia rerum serie ? Deinde eo exemplo tantum conuincitur, aliquas res diuersæ speciei, non verò omnes continuitatis incapaces esse. Ad secundum exemplum respondeo : non ideo quatuor elementa naturaliter continuari nequeunt, quia sunt diuersæ speciei, sed quia inuicem pugnant, & colluctantur; cum tamen naturalis continuitas, & integralis vnio pacis, & amicitiæ non verò inimicitiæ, & luctæ signum sit, vt vel ex ipso vnionis, & continuitatis vocabulo constat. Ad tertium respondeo: non ideo equus, & leo naturaliter continuari nequeunt, quia sunt diuersæ speciei, & non eiusdem: siquidem si quid ea ratio valeret, duo equi naturaliter vniri, ac continuari possent, cum non diuersæ, sed eiusdem speciei sint : ideo ergo non possunt vniri continuatiuè leo, & equus, quia integraliter completi sunt : cum igitur partes organicæ equi integraliter incompletæ sint, mirum non est, quod continuari possint. 32.

Hanc vltimam responsionem alij aliique Recentiores multis impugnant, multisque propugnant: 33.

propugnant : partes enim equi esse incompletas inquiunt, nihil aliud est, quàm eas continuari, siue in vnum totum integrale coalescere posse : ergo, vbi eas continuari posse, eo quod incompletæ sint, asseritur, idem per re ipsa idem, & solis nominibus diuersum asseritur Verùm in primis breuiter dici potest, partes illas esse incompletas, easque continuari posse, tametsi sit idem re ipsa, ratione tamen nostra distingui, cum prius sit ratione nostra rem aliquam in se incompletam esse, quam per vnionem cum alia cõpleri posse ; ideo que hoc secundum accidat, quia illud prius verum est : at hæc distinctio rationis satis superque est, ne idem per idem vitiose explicetur, vt in homine per animal rationale explicato conspicuum est. Deinde verius est, non esse idem re ipsa, partes equi, aliasve quascunque res incompletas esse, & naturaliter continuari posse ; cum caput humanum, & collum equinum verbi gratia partes incompletæ sint, naturaliter continuari nequeant. Ad postremum exemplum respondeo, vnionem essentialem in aliquibus quidem, non tamen in omnibus oppositas conditiones sortiri: alias, cum altera sit modus, & interdum substantia, altera nunquam modus, nunquamve substantia esse posset.

34. Arguunt secundò : vna, eadémque anima rationalis est simul intellectiua, sensitiua, vegetatiua, & loco motiua : at non obstante hac operationum, & accidentium diuersitate anima rationalis diuersæ speciei à semetipsa non est : ergo, quamuis partes organicæ belluarum diuersas operationes, ac diuersa accidentia ab intrinseco, & per se sortiantur, non propterea diuersæ speciei esse censeri debent. Respondeo : diuersitas operationum, & accidentium, tametsi propriè, & per se conueniat ; non propterea distinctionem, ac proinde nec dissimilitudinem cum distinctione coniunctam semper arguit, vt exemplum nuper propositum conuincit : cæterum suppositа distinctione adæquata duarum rerum in iis dissimilitudinem, & diuersitatem arguit, vt argumentum initio cap. præcedentis propositum suadet, & quod in præsenti opponitur, non dissuadet : ex quo fit, partes belluarum, suppositа in eis distinctione formarum non posse non esse substantialiter dissimiles.

35. Arguunt tertiò : materia cœlestis ab intrinseco & inamissibiliter formam cœlestem possidet, & tamen eam determinatè non exigit, sed vel eam, vel formam sublunarem ; cum probabile sit, eam esse eiusdem speciei cum materia sublunari : igitur, tametsi caput equinum ab intrinseco, & inamissibiliter peculiares operationes, ac dispositiones possideat ; non propterea eas determinatè postulabit, sicut ad diuersitatem specificam ab aliis partibus oportet. Ad hoc argumentum, missis aliorum responsionibus, quas in præsenti impugnare non vacat, breuiter respondeo : cum forma cœlestis, vt aduersarij supponunt, incorruptibilis sit, eius propria, per se, & inamissibilis possessio in ipsiusmet determinatam exigentiam refundi potest, quin necesse sit, vt materia cœlestis eam formam determinatè exigat, sed potius vt ab illa determinate exigatur. Hæc autem ratio non militat in accidentibus partium dissimilarium corporis animati, quæ proculdubio corruptibilia sunt.

36. Partes organicas etiam hominis substantialiter dissimiles esse tenent, plerique eorum, quos suprà pro ass. 1. retulimus: Vnde arguunt hûc in modum: caput humanum, & cor humanum diuersas operationes, ac dispositiones ab intrinseco, & inamissibiliter sibi vendicant: igitur substãtialiter dissimilia, ac specie diuersa sunt. Verùm respondeo : vt diuersitas dispositionum substantialem dissimilitudinem, ac diuersitatem specificam arguat, cadere debet super res distinctas, vt proximè insinuatum est : cum igitur caput humanum, & cor humanum quoad omnes vtriusque partes, partim numero, partim specie indistincta sint, diuersitas operationum, ac dispositionum nullam in vtroque membro substantialem dissimilitudinem, ac diuersitatem specificam arguere poterit. Hic animaduertendum ad extremum huius capitis est, partes belluarum, tametsi ex suppositione superius posita dici debeant substantialiter dissimiles, tamen absolutè loquendo esse substantialiter similes, & homogeneas : ratio est, quia omnes informantur vna atque indiuisibili forma substantiali, non verò integraliter multiplici, & diuidua, vt constabit in Metaphysica : vnde quæ argumenta suadent, partes hominis vna, eadémque forma substantiali animatas eo ipso esse substantialiter similes, eadem suadent, atque persuadent similitudinem substantialem inter partes belluarum.

TRACTATVS III.

De Vita nutritiua.

CAPVT PRIMVM.

Nutritionem, propriè vitalem esse verius est.

1. CVM significatio vocum arbitraria sit, & ex imponentium libito dependeat, quoties ea in quæstionem adducitur, sicuti in præsenti, authoritatis potissimum momenta spectanda sunt : iis autem spectatis vsque adeò certum est, nutritionem propriè vitalem appellandam esse, vt absque magna nouitatis, ac temeritatis etiam inuidia negari nequeat. Suadetur ergo primo Scriptura, nam epistola 1. ad Corint. c. 5. habetur ; *quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur*, & Ioan. 12. cap. *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit.* & Psalmo. 77. *occidit in grandinem vineas eorum.* Deinde suadetur ex Patribus : nam in primis Augustinus libro 8. de ciuit. Dei cap. 6. inquit ibi : *siue omnem vitam, vel quæ nutrit, & continet, qualis est in arboribus ; vel quæ & hæc habet, & sentit, qualis est in pecoribus, &c.* Dionysius etiam cap. 6. de diuinis nominib. inquit, ibi : *ipsi enim nihil est contrarium ; ex ipsa enim viuificantur, & circumflorent, & animalia omnia, & plantæ ; & siue intellectualem dicas, siue rationalem, siue sensibilem, & augmentatiuam, siue qualemcunque vitam, aut vitæ principium, aut vitæ substantiam, ex ipsa viuunt, & viuificantur, quæ est super omnem vitam, & in ipsa secundum causam*

causam vniformiter præextiterunt. Gregorius Magnus homil. 31. in Euangelia, inquit, ibi: *ex fœtore ergo ad fructum reuiuiscit arbor.* Demum, vt aliorum Patrum censu supersedeam, Claudianus Mamertus lib. 1. de statu animæ cap. 21. inquit, ibi: *gratias ergo etsi non quantas debet, vel quantas potest, creatori suo totus homo referat, qui illi ineffabili largitate essentiam cum lapidibus, vitam seminalem, cum herbis, & arboribus, vitam sensualem, eandemque animalem cum pecudibus, vitam rationalem cum Angelis dedit.*

2. Præterea suadetur authoritate philosophica: siquidem Aristoteles non solum testimoniis supra tract. 1. cap. 2. adductis nutritionem vitalem esse profitetur, verumetiam luculentissimè 2. de anima cap. 4. in hæc verba: *fit etiam per animam & alteratio & accretio; sensus enim alteratio quædam esse videtur, sentitque nihil, quod non habet animam: eadem est de accretione, decrementoue ratio: nihil enim incrementa naturaliter, decrementaue suscipit, quod non nutriatur: & nihil prorsus nutritur, quod vitæ particeps non sit.* Aristotelem Thomistæ, Scotistæ, Nominales ac nostræ scholæ Doctores, omnesque Peripatetici sequuntur. Tandem id ipsum ratione suaderur: quia vt tra. 1 cap. 2. & 3. explicatum manet, nutritio plantarum, & animalium habet aliquid speciale, quod nulli ali augmento conuenit, omnique alio longe artificiosior, & perfectior est: cur igitur vitæ nomine, præ quouis alio augmento, insigniri non potuerit,

CAPVT II.

Fit satis argumentis contrariis.

3. ENimuero antiquissimi Stoici nutritionem inter vitæ finctiones minimè censent, plantasque, quantumlibet nutriantur, viuere inficiantur: horum sententiam è tenebris, quibus tot sæculis sepulta fuit, in lucem reuocarunt aliqui Recentiores, quorum hæc sunt fundamenta. Si plantæ propriè viuerent, haud secus ac animalia, & spiritualia propriè viuunt, daretur vtique ratio communis vniuoca vitæ, quæ vtrorumque vitam complecteretur: at eiusmodi ratio communis vniuoca nulla datur, vt superius tract. 1. ostensum est. Secundò: quia cœli, qui non viuunt, sunt causæ generatrices plantarum, vt vel ex eo constat, quod si desuper regantur, & cœlorum aspectus, influxusque ab iis arceantur, statim arescent, & interibunt: haud secus ac calor in absentia ignis perire solet: quemadmodum ergo ignis causa caloris, sic cœli plantarum causæ censeri debent: Arguunt tertiò authoritate sacræ Scripturæ, quæ sola cognoscitiua viuentium nomine complectitur: siquidem missis aliis testimoniis, 1 Genes. dicitur: *ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, & vniuersis, quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum.* Vnde sic argumentari licet: herba in prima mundi molitione data est à Deo in escam omni viuenti, siue cunctis, in quibus erat anima viuens: at non data est in escam, cibum ve plantis, vt manifestum est. Quartò & vltimo arguunt authoritate Patrum: nam Augustinus lib. de spiritu, & anima cap. 9 ait ibi: *sicut etiam virgulta, & herbas sine anima moueri, & incrementum habere videmus,* & lib. 6. de Genesi ad litteram cap. 16. ibi: *nam & nobis nisi inesset etiam ille motus, neque crescerent nostra corpora, neque vngues, capillosque producerent; sed si hoc solum esset in nobis, sine sensu, motuque illo spontaneo non diceretur homo factus in animam viuam.* Damascenus lib. 2. fidei orthodoxæ cap. 6. *nullus, inquit, cœlos ac sydera animata esse existimet, anima quippe, ac sensu carent:* quasi animam, ac sensum, & carentiam vnius, ac carentiam alterius perinde esse censeat. Chrisostomus homil. 6. in cap. 1. Geneseos ibi: *vide* inquit, *quomodo & terra iterum duplicem nobis affert fructum, & mandato Domini comministratur: tum quidem seminum edebat germina; nunc autem animata, alia quadrupedia, & reptilia pecora, & feras.* Quibus verbis semina, quæ vegetantur ab animalibus tanquam inanima ab animatis secernit.

Verum hæc argumenta non vrgent. Ad primum 4.
hoc lib. 10 tract. 1. cap. 1. satisfactum est. Ad secundum suprà lib. 4. tract. 7. de causa efficienti creata, cum de concursu accidentium in substantiam ageremus. Ad tertium, & quartum argumentum responderi potest iis Scripturæ, ac Patrum testimoniis. animam plantis luculenter negari, non propterea tamen vitam iis negari: anima quippe, & vita synonimæ non sunt, vt vulgo existimatur, sed diuersum quid significant: illa videlicet solam facultatem cognoscitiuam, hæc vero facultatem, seu cognoscitiuam, seu etiam nutritiuam, aut loco motiuam. Hæc autem ratio discriminis facilè suaderi potest: tum quia quorsum diceretur in principio Generis, aliqua à Deo facta, vel facienda esse in animam viuentem, nisi anima, & vita aliquid distinctum significarent: tum quia anima est abstractum huius concreti animal: at animal non viuens vtcunque, sed viuens sensibile significat, vt omnes fatentur: anima ergo vitam non qualecunque, sed sensibilem significat: tum demum quia id expressè docet præter alios Patres, quos referre non vacat, Mamertus vbi supra cap. 21. *quæro abs te, herbas, & arbusta vtrumne neges viuere, an forsan dicas, his ipsis viuentibus, vt viuant, animas inesse: sed animaata si essent, motu proprio non carerent; quia sunt quæ mouentur motu non proprio; sentirent etiam vlnus inflictum: sed hæc talibus non inesse; vel de ossium sectione, & capillorum, atque vnguium præcisione cognoscimus, quæ sine vllo sensu doloris abscindimus: est ergo etiam ibi vita, vbi non est anima.* Hactenus ille: quanquam autem Philosophi vitam, animamque confundant, vt ex allegatis Aristotelis aliorumque testimoniis liquet: cæterum satis est, Scripturas, & Patres aliter plerumque loqui, vt eorum testimoniis satisfiat. Quod si mauis, dicito, vitam bifariam sumi posse, proprie nimirum, & propriissime: vt in simili de scientia in Dialectica lib. 2. tract. 3. cap. 2. ex communi Authorum vsu philosophati sumus: vitam autem propriissime, non vero proprie, sumptam apud Patres, & Scripturas plantis denegari.

CAPVT III.

Quædam notatu digna de Vita nutritiua.

5. NOtandum primò de nutrittione est, eam esse continuam,& non discretam,aut motulis interruptam:id quod supra ex professo ostendi li. 6. tract. 3. secundò falsam esse sententiam Philoponi apud Zimar. 1.de Anim.tex.89. fol. 94. col. 1. lit. A. existimantis solam nutritionem esse vitalem.Inde namque fieret, nec animam rationalem in statu separationis, nec Angelum , nec Deum proprie viuere , at quod viuant,& quidem valde perfectè,adeo est euidens, vt nihil supra. Tertiò vitam nutritiuam à sensitiua separabilem esse in plantis:hasque,quod perinde est,nutriri,haud tamen sentire,vel appetere.Contrarium docuerunt olim Manichæi apud August. 1. de eorum morib. cap. 17.quos superiore sæculo sequuti sunt Cardan.li.1.de subtilit inir,& Erasm. Roterodamus, vt refert Scaliger.1. de Plantis.

6. Quod tamen fallantur , absurdeque , ac sanè plantaliter sentiant,manifestissimum est Primò à priori:quia corpora plantarum valde crassa,dura, atque terrestria sunt : ad sentiendum ergo sunt prorsus inepta:quis enim non videat,ad sensum requiri mollitudinem aliquam , & subtilitatem; & sicut quo magis crescit vtraque,eo melius, ac viuidius sentitur, ita absque vtriusque temperie aliqua nullo modo sentiri?Secundò à posteriori; quia nulla in iis sentiendi organa experimur,nulla doloris signa ab iis,quantumuis lædantur, ferroque rumpantur, aut etiam in frustra concidantur,ex biberi,cernimus. Nisi verò adeo stulteseat aliquis,vt putet non fabulam , sed veram historiam esse,quod de Phaetontis sororibus in populos conuersis,& tamen dolentibus, atque etiamnum flentibus canit Ouidius 2. Metamorphors. ibi.

7. [Quid faciat mater,nisi quo trahit impetus illã,
Huc eat,atque illuc,&,dum licet,oscula iũgat?
Non satis est:truncis auellere corpora tentat,
Et teneros manibus ramos abrumpit : at inde
Sanguineæ manant,tanquam & vulnere,guttæ.
Parce precor mater,quęcũque est saucia,clamat:
Parce precor:nostrũ laceratur in arbore corpus
Iamque vale:cortex in verba nouissima venit,
Inde fluũt lachrimæ,stillata quæ sole rigescũt
De ramis electra nouis , quæ lucidus amnis
Excipit,& nuribus mittit gestanda latinis.]

Tertiò confutatur eadem sententia , aut potius amentia authoritate Patrum. Atque in primis ei apertissime refragatur Augustinus in lib.de quantit.anim.cap. 33.vbi eam vocat *impietatem rusticam , & errorem sacrilegum,magis ligneam opinionem,quam sint ipsæ arbores, quibus patrocinium præbet.* Nec non sermon. 27. de verb Apost. ibi: *nobis viuere cum arboribus , & frutetis commune est:nam vitis viuit , cum viret;arescit , cum moritur:sed vita ista non habet sensum.* Et lib. de vera relig.cap.55.ibi;*non sit nobis cultus illius vitæ,qua dicuntur arbores viuere , quoniam nullus sensus in illa est.* Accedunt Bernardus sermon.81. in cantic. parum ab init.ibi:*sunt namque viuentia , & horum genera duo,quæ sentiunt,& quæ non sentiunt. Porro insensibilibus sensibilia præferuntur , &c.* Et paulo inferius:*est pecorum, est & arborum vita,sensu altera vigens , altera carens.* Beda lib. 4. de element.Philosophiæ, ibi : *Iterum cum omnis creatura corporea , vel spiritus sit, conueniens fuit vt homo ex corpore , & spiritu constaret , & cum vtroque aliquam affinitatem haberet : huic enim cum corporibus vita carentibus commune existere, cum herbis & arboribus viuere,cum brutis animalibus sentire , cum spiritibus discernere.* Gregor. Nyssenus disput de anim & resurrect.ibi : *Atque eorum , quæ viuunt, alia quidem in sensu viuunt , alia verò eius expertia sunt.Rursus sensu præditorum alia quidem ratione prædita,alia vero rationis expertia sunt. Quoniam ergo sensu prædita vita absque materia consistere non possit , nisi vi sentiendi ei inhæresat : hac de causa homo postremo loco conditus esse traditur,vt omnem vitalem speciẽ, & eam,quæ in geminibus,& eam,quæ in brutis animaduertitur , in se se complexus sit.* Nam *ali quidem,& augescere,atque crescere,ex vita plantarum & stirpium habet:licet enim tale quiddam etiam in illis videre,quippe cum & attrahatur nutrimentum per radices , & per fructus simul ac folia excernatur , & reiiciatur:quod autem sensu gubernatur,à brutis & ratione carentibus habet.* Ac denique Claudian. Mamert. tum vbi supra ad finem capitis præcedentis,tum etiam in epistola ad Sidon. Apollinar:*Tria tamen sunt genera:hoc est,corpus,quod viuit,& non sentit:corpus,quod viuit, & sentit : corpus , quod nec viuit,nec sentit, sed hoc genus corporis , quod nec viuit,nec sentit quatuor elementa esse puto : terrã,aquã,aërem & ignem quæ principalia sunt,& simplicia:ex quibus omnia,quæ comptacta sunt, corpora:id est animalium viuentia, & sentientia, Arborum,fructicum,& herbarum viuentia,sed non sentientia,&c.* Nec vero solum Ecclesiæ Patres :sed etiam communiter Philosophi cum Aristotele li. 1.de Plant.& lib. 5. de Generat. animal.cap. 1. sensum plantis negant : eius tamen & reliquorum verba breuitatis studio prætermitto.

8. Tandem quartò , quæ aduersarij adferunt in erroris sui confirmationem , friuola sunt, ac nullius momenti. Obiiciunt autem primò , mollius excipi à planta primum securis ictum, quam secundum:non alia de causa,nisi quia planta,ex quo sentit primum,refugit secundum , seque contrahit,& munit cõtra alteram securis impactionem. Secundò opponunt,plantis inesse amores,& odia: nisi enim insint , quorsum cucumer v. g. ab olea vicina se se auertit,contra verò ad aquam , si prope sit sponte sua totum se demittit. Aut cur alioqui palmæ fœminæ in palmas mares pronæ feruntur,atque ad eas se se incuruant,cum interim quercus , & olea iuxta se satæ flectantur in contraria?Multa alia id genus apud Mizaldum catalago septemplicidæ sympat.ac Matthiolũ præfat. in Dioscor : Tertiò opponunt , Æschnomenem (quam non distingui ab ea,quam nunc vocamus herbam viuam , putat Clusius in notis ad lib. 3. Christophori Acosta de aromat.exot.cap.55.) folia sua contrahere & abscondere,si quis eam velit apprehendere : vt de ea refertur in generali historia plantarum lib. 18.cap. 143. nec non similis naturæ & conditionis esse aglaophitim arborem , teste Diodoro apud Photium cod. 223.aliamque arborem pudicam ob id dici solitam,teste Scaligero exercit. 181.n.28. quin etiam ad Memphim

phim aliam enasci arborem, quæ tangente homine langueſcit, & aret, manum verò retrahente, reuireſcit, vt ſcribit Theophraſt. lib. 4 hiſtor. animal. cap. 3. quæ omnia videntur ſenſum ſaltem obſcurum, & imperfectum in plantis arguere.

9. Ad primum tamen dicendum eſt, priorem ſecuris ictum mollius, ac facilius deſcendere, magiſque, efficacem eſſe, quam ſequentes, non quod eius ſenſus, ac dolor plantam reddat cautiorem, earn ve contra damnum imminens acuat, ac veluti accendat, ſed quod plantæ partes exteriores magis teneræ ſint, minuſque reſiſtant, interiores vero è contrario ſint magis duræ, nec ita penetrabiles, aut peruiæ, quamuis ambæ ex æquo ſenſu omni deſtituantur. Ad ſecundum dicendum eſt, plantas illas, quarum ibi mentio fit, vi ſolius ſympathiæ, & antipathiæ, ſiue, quod eodem redit appetitus innati, fugæ vel deſiderij, poſſe ſe loco tenus mouere, ac remouere ab aliis: haud ſecus ac lapis abſque appetitu vllo elicito per innatum ſolum fertur ad centrum ſuum, & à loco ſupero, quanta poteſt celeritate, fugit, ſe ſeque deuoluit. Et quidem, ſi talium plantarum vulgarium affectus non eſſent metaphorici, & innati, ſed eliciti, & cum vero ſenſu, & cognitione coniuncti, cur aliquando non poſſint deponi aut certè temperari? vt recte diſputat Scaliger exercit. 138. haud ſecus, ac belluæ affuefactione mitеſcunt, & ferocitatem, alioſque affectus, aut omnino, aut magna ex parte deponunt. Ad tertium reſponderi poteſt, & non improbabiliter, ſicut ad ſecundum. Probabilius tamen fortaſſis eſt, quod aiunt Nemeſ. lib. de hom. cap. 1. & noſter Raynaud. in diſciplin. morali, diſt. 3. q. 1. art. 2 num. 17. Æſchynominem, & alias plantas, quæ in tertio illo argumento obiiciuntur, quamuis appellari ſoleant plantæ, ob earum ſpeciem quandam, & ſimilitudinem, re tamen vera non eſſe plantas, ſed plantanimalia ſiue propria animalia, & licet ad plantarum naturam quodam modo accedentia, quibuſuis tamen plantis excellentiora.

10. Quartò denique animaduertendum eſt de vita nutritiua, eam ita ſeparari à ſenſu in plantis, vt cum eo coniungatur in belluis. Contrarium docent aliqui apud P. Suarez lib. 1. de Anim. c. 5. num. 3. Quorum tamen ſententiam merito pronuntiat Eximius Doctor *intolerabilem, & grande paradoxum.* Atque à principio quod aduerſetur ſacræ paginæ conſtat ex eo Tobiæ cap. 11. *tunc præcurrit canis, qui ſimul fuerat in via: & quaſi nuncius aduenieus blandimento ſua caudæ gaudebat*, nec non ex illo Iſaiæ cap. 1. *cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui.* Ruſſus Eccleſiæ Patres, vt ex multis eorum teſtimoniis ſuperius allegatis patet, belluis ſenſum paſſim attribuunt. Præterea, vt experientia teſtatur, ſunt in illis organa ſenſuum externorum: cum ergo natura nihil fruſtra agat, neceſſum eſt vt exterius ſentiant. Ac profecto ita eas ſentire etiam perfectius interdum, quam nos, eſt manifeſtiſſimum: inde vulgaris ille verſiculus:

Nos aper auditu, lynx viſu, ſimia guſtu,
Vultur odoratu, præcellit aranea tactu.

1. Quod item in iis reperiatur ſenſus internus, aperte conſtat & per anatomiam, ſiue inciſionem; & à poſteriori: nam, vt recte Seneca epiſt. 124. *mutum animal ſenſu comprehendit præſentia: præteritorum reminiſcitur, cum id incidit, quo ſenſus admonetur: tamquam equus reminiſcitur viæ, cum ad initium viæ admotus eſt.*

TRACT. IV. & VLT.

De vita ſenſitiua.

CAPVT PRIMVM.

De ſenſu viſuo.

SENSVS exterior viſus haudquaquam eſt potentia aliqua realiter diſtincta ab anima, & materia animata, & in oculis ſedem, ac domicilium habens, ſed potius ab ipſa oculorum penitiori ſaltem ſubſtantia, eorumque materia, & forma omnino indiſtinguitur: vnde vbi conſtiterit de ſyntaxi, & fabrica oculorum, quid ſit etiam ſenſus viſualis, conſtans, ac manifeſtum erit. Totum corpus oculi ſex muſculis, tunicis ſex, tribus humoribus, duobus neruis, venulis, & arteriis innumeris, duabus carunculis, ac totidem glandulis, & copioſo, ac abundanti adipe conſtituitur: quæ omnia hic ſigillatim attingere, & quod eorum ſit proprium viſus ſenſiterium definire operæ pretium erit. Muſculi ſuapte natura inſtituti ſunt, vt oculi quamcunque in partem mira volubilitate, & agilitate verſent: quatuor ſunt recti, eo quod oculum vel ſurſum, vel deorſum, vel ad dextram, vel ad ſiniſtram recto tramite conuertant, duo vero obliqui obliquo, & quaſi ſinuato volumine oculum ſuperius, aut inferius circumferunt: in ſolis belluis, quas in terram natura depronauit, ſeptimus eſt muſculus neruum opticum circundans, oculumque firmans, ne deorſum exorbiteт.

Tunicæ oculorum inſtituræ ſunt potiſſimum ad humores oculi, ne diffluant, continendos: prima omnium ſitu appellatur coniunctiua, ſiue adnata, eo quod oculum vicinis partibus cohærere faciat: appellatur candida, aut etiam album oculi, eoquod extrinſecus candida, & calloſa ſit: corona etiam dicitur, eo quod non totum oculum, ſed pupillæ quaſi hemiſphærium, ſicut funda lapidem contineat. Secunda tunica cornea appellatur, eo quod pelluciditate ſua, qua lumen, & ſpecies ad cryſtaloidem tranſeit, nec non duritie ſua, qua eiuſdem humoris propugnaculum eſt, & extrinſecus irruentibus iniuriis obſiſtit; his inquam, duabus conditionibus cornu prætenue affabre politum, ac deraſum referat: totum oculum circundat: nullis venulis, neruis, aut arteriolis obſtabratur, ſed potius abſque earum miniſterio ab vuea ſibi proxima alimenta mutuatur. Tertia tunica vuea appellatur, eoquod vuæ folliculum auulſæ pedunculo referat: totum oculum ambit, niſi quod antrorſum peruia eſt rotundo: ac ſatis anguſto foramine, quod pupillam, nigrum oculi, feneſtram oculi nuncupant: hæc inter omnes tunicas ſola variis picturata coloribus eſt, à quibus oculi modo cæſij, modo nigri, modo fului, alioue colore deliburi dicuntur. Quarta tunica dicitur aranea, eo quod aranearum telas tenuitate ſua æmuletur: humorem cryſtallinum immediate inuoluit,

inuoluit,& ob id tenuis,ac pellucida est,ne visionem in eo humore eliciendam opacitate sua impediat. Quinta tunica vocatur reticularis à retis similitudine:nascitur à medulari nerui optici substantia dilatata, & per eam species rerum visarum ad cerebrum,tanquam ad iudicem deferunt. Postrema tunica ab humore;quem continet, vitrea nuncupatur.

3. Humor oculorum triplex est,quorum anterior vocatur albugineus, siue aqueus,eo quod tenuitate, ac pelluciditate aquam oui candidam referat:posterior vero ob crassitiem, & consistentiam vitro fuso similis,vitreus appellatur:qui verò inter vtrumque medius est, & interiore sui parte vitreo humori immersus est,exteriori vero parte ei extat,ac supernatat,& albugineo annectitur,modo humor crystallinus,& glacialis,modo vero cẽtrum oculi,anima oculi,specillum interius,viuus adamas, gemma liquabilis appellatur: ad hunc humorem si prohibeatur appulsus interni luminis,& spirituum visualium,vt in gutta serena cõtingit;aut etiam appulsus externi luminis,ac radiorum solis, aut syderum,vt in gutta caliginosa visu venit,illico quasi extincta lucerna omnis videndi actio perit.

4. Nerui oculorum in duo paria diuiduntur:quorum alterum visioni, alterum motui inseruit:nerui optici,siue meatus visorij, per quos spiritus animales ad crystalloidem admittuntur, in suo exortu separati sunt:deinde in medio fermè progressu coëunt, non per contactum simplicem, nec per intersectionem,sed per medullæ cõfusionem:ita vt alterum ab altero nulla arte discernere queas:mox separantur,& per caluariæ foramen ad oculorum media partito itinere feruntur.Nerui oculorum motrices in suo exortu continui sũt, & vnicum funem constituunt;vt videlicet moto altero oculorum alter eadem ratione moueatur,& altero depresso,vel eleuato, aut etiam obliquato, alter etiam deprimatur,eleuetur,aut obliquetur: finis autem huius cõsensionis,est,quia secluſa illa obiectum simplex:nunquam non duplex appareret,& præstantissimus sensus perpetuum pateretur errorem:siquidem vt obiectum vnicum, & simplex tale appareat,opus est,vt conorum visoriorum axes super eodem plano locati sint: ita vero locati nequeunt,quin oculi,in quos acuminantur tales coni, in eadem linea sint paremque altitudinem,aut depressionem sortiantur: hac ratione qui digito applicato alterum oculorum sursum mouet,& super alterũ eleuat, res omnes geminatas conspiciet.

5. Venæ,atque arteriæ oculorum magnam ad eos copiam spirituum vitalium, & naturalium traiiciunt: carunculæ in internis angulis oculorum sitæ,quæ est earum durities,& glandosa caro,prohibent,ne lacrymæ,aliæue sordes,quæ palpebrarum contractione introrsum aguntur, oculos lædant, aut in genas rimis factis profluant:glandulæ vero in externis oculorum angulis sitæ humorem, è cerebro defluentem excipiunt, eoque irrigant oculos, illosque ad motum aptiores efficiunt:lachrymas etiam effundunt,ab earumque salsedine, & acrimonia oculos tuentur.Multus etiam adeps oculos humectat,ne videlicet continuis motibus æstuent, atque arescant;& ne etiam vi ambientis frigoris rigeant,& contrahantur.

6. Illud autem in præsenti breuiter explicãdum superest, inter omnes partes hactenus explicatas qualis sit ea, inqua tanquam in organo, & sensiterio proprio visio eliciatur. Mihi placet eorum sentẽtia,qui visionem fieri in humore crystallino arbitrantur.Primò,quia humor crystallinus, qui per foramen pupillæ conspicitur, ab eo pupilla vocatur, aut certè, quod ad institutum perinde est, ab eo humore prædictum foramen pupilla appellatur:at visio in pupilla fit:ergo in crystalloide:neq; enim in foramine aliquo, aut cauitate quatenus tali, cum sit quid negatiuum,effici potest.Maior, & minor est Aristotelis 1. de histor. animal. cap. 9. ibi:*humor oculi interior,quo videmus,pupilla est;quod eam ambit, nigrum dicitur; quod postremo nigrum circundat,candidum, siue albugo.*Secundò suadetur:quia visio fit in nobiliore oculi parte,tanquam in proprio organo,& sensiterio,vt manifestum videtur:at pupilla, siue crystallois est nobilior totius oculi pars: tum quia medium,& præcipuum locum inter reliquas obtinet:tum quia id perspicue insinuare videtur sacra pagina Psalmo.16.*custodi me,vt pupillam oculi.*Tertiò suadetur: quia humor crystallinus aliis magis splendens, perspicuus, ac diaphanus est: deinde solus inter omnes coloris expers est, ne videlicet alienos colores percipere incapax esset: haud aliter ac per vitrum viride aliis coloribus delibuta prout talia non apparent:deinde à tergo humorẽ opacum,ac nigricantem plumbi instar haber; cuius munere videlicet species visiuæ in crystalloide reflectantur:at hæ omnes conditiones visionem fieri in humore crystallino, eoque medio,apertè indicant.

7. Quod autem Auicena,Ciruelus,Vitellius, Albertus Magnus,& alij docent,visionẽ nõ fieri in oculis,sed in ea nerui optici parte, qua gemini eius rami cõfundũtur,absque negotio refelli potest:tũ quia in aliquibus nerui optici non coëunt cum tamen visu polleant,vt scribit Vesalius li.4. de fabrica corporis humani cap. 4. in quodam squelero expertum fuisse:tum etiã, quia experimur altero oculorum clauso,per alterum acutius nos videre: at huius nulla alia ratio excogitari potest,nisi quia spiritus animales, qui duobus oculis apertis ad duplicem potentiam visiuam in vtroque residuam diuisi tenderent, altero oculorum clauso ad vnicam tantum potentiam visiuam vnius oculi propriam confluunt,ibique commissa,& quasi vnita virtute fortius,& efficacius operantur.Quod autem docet Toletus lib.2.de anima quæst.17.visionem fieri in tunica aranea, siue speculari,ex dictis impugnatũ manet;& vlterius refelli potest:quia si qua ratione tunica illa esset organum,& sensiterium visus, maximè quia nullus humor, ac proinde nec crystallinus sentire potest,vt constat experimẽto sanguinis,qui nullius vulneris ictu dolorem sentit:at hæc ratio, cui innititur Toletus, nullius momenti est; cum non omnis sensio dolorifera sit, & ex primæua institutione solam alicuius obiecti corpoream perceptionem significet.

CAPVT II.

De obiecto,ac modo sentiendi visus.

8. OBiectum proprium visus, experientia teste, color est:color autem nihil aliud est, quam lux corporibus offusa, nec nõ varia, ac multiplex ipsorum

ipsorum corporum temperies,ac principalium qualitatum commixtio:ita Aristoteles in l.de sensu,& sensibili c. 3. vbi definit,colorem esse *extremitatem perspicui in terminato corpore*:at corpus terminatum quid aliud est,quam corpus non diaphanum, sed opacum, demsumque, in quod visio terminetur, & vltra quod commeare non possit;extremitas vero perspicui, siue quod perinde est,perspicuitas extremi,quid aliud est, quam lux in superficie eius corporis existens;cum lux cum perspicuitate,& extremitas cum superficie coincidant: ergo omnibus verbis inuicem interse oblatis iuxta Aristotelem nihil aliud est,quam lux in superficie corporis opaci,ac vmbratici existens. Aristotelem sequuntur B.Thomas 2 de anim.lect.14. ibi:*color nihil aliud est,quam lux quædam quodam modo obscurata ex admitione corporis opaci.* Auicena,Auenpatius, Alpharabius,Albertus Magnus,Alexander Themistius, Thienensis,Ægidius, Caietanus,Iauellus,& Socinas 10.Metaphys.q.2.& quod caput est,id ipsũ insinuare viderur Ecclesia in quodam hymno,ibi:*rebusque iam color redit,vultu nitentis syderis.*

9. Hanc ergo sententiã multiplicis authoritatis præsidio fultam vnica ratione efficaciter suadeo:namque cum iris v.g.*mille trahit varios aduerso sole colores*, & modò instar mali citrini liuet,modo luxuriantis graminis æmula reuirescit,ac modo violis omnibus formosius purpurascit,eiusmodi colores ab irradiatione luminis in nube caua, & opaca refracti minime distinguuntur:id ipsum ergo dequibuscumque aliis coloribus dicendum est. Consequentia perspicua est: vbi enim aliqui colores à luce corporibus vmbrosis illusa non distinguantur,reliqui etiã ab ea indistincti erunt;cum omnium par sit ratio,nec nisi sensu refragante inter colores veros,& apparentes, fluxosque & permanentes ab aliquibus distinguatur. Antecedens verò manifestum est:siquidem si sol ex aduerso nubẽ non feriat,aliumque situm,aut posituram respectu illius obtineat,eandem nubem cernemus, nulla tamen, aut certè non eadem varietate,ac numerositate colorum picturatam,nullo arcu sinuatam, ac nulla iride obliquatam:dubitari ergo nequit,colores illos cœlestis arcus nõ in qualitatibus aliquibus,quę nubi permanenter inhæreant, sicuti communius existimatur,
10. sed in luminis ex aduerso repercursu consistere.

Quod ad modum sentiendi visus attinet,Philosophi omnes Aristotele antiquiores, ac præsertim eius Magister Plato existimarunt,visionem fieri emissis ab oculo radiis,& igniculis,qui obiectum vsque pertingant,eiusque imagine, ac specie hausta ad oculũ recurant, quasi nuntij rerum earum in quas inciderint. Ita etiam sentiunt cum Euclide in l.de perspectiua,& Ptolemæo in catoptrico plerique Astrologi, & perspectiui:ita etiamGalenus in libris de vsu partium,& cum eo non pauci Medicorũ:ita demum quod caput Aristoteles ipse l.2 de cœlo,& alibi non semel, & ex eius discipulis Aphrodisæus.Hæc sentẽtia nobis etiã magis placet:& probatur primò authoritate non solum eorum,quos nuper allegauimus, verũ etiam Ecclesiæ Patrum,quorum plerique (ne dicam omnes) ita sentiunt, præsertim vero Basilius Homil. 11. in exam.Chrysostomus tom.1.Homil,2.de verbis Isaiæ: *Vidi Dominum.* August.l.6.musicæ,nec non lib.4. de Genesi ad liter.cap.346.omnium verò clarissimc, & elegantissime Diuus; Mamertus lib.1.de statu animæ cap.7.videndus.

11. Secundò suadetur ratione:quia vt in l.9. de cœlo expositum, quæ orbicularia,ac sphærica sunt,plana tamen nobis apparent,si procul aspiciantur;quæque in se maxima sunt, procul etiã visa,longe tamen minora,quam in se sint,nobis repræsentantur: quæ duo in sole,& luna quotidie cernuntur,quorum globi, cũ maximi sint,cumque tumore, & conuexitate prædita sint,exigui tamen,& plani nobis videntur:at horum, ac similium nulla alia ratio esse potest, nisi quia pro obiecti maxima distãtia, visusque nostri tenuitate nõ possumus eiaculari radios, qui totum illud pertingant,eiusque totius speciem referant:vnde totum illud à nobis non videtur:quo fit,vt sphærica, ac conuexa eiusmodi nobis non appareant, eo quod tumor ille partium planitiei contrarius radiorum ictum subterfugiat, & obiectum ingentis magnitudinis minimum tamẽ nobis videatur, eo quod pleræque eius partes radiis visoriis minime feriantur.Aduersarij autem nullam harum rationum reddere possunt, cum enim partes omnes obiecti ex æquo distent,aut nullæ,aut certe omnes speciem sui emittent,prout oportet ad hoc,vt repræsententur. Tertiò suadetur: quia vt acutius videamus, oculos coangustamus:at nõ alia de causa, nisi vt radij visuales ab oculis egredientes magis vniantur,& fortiori scatebra erumpant. Quod vero dicunt aduersarij, id euenire, ne ab externo lumine spiritus interni dissipentur, friuolum prorsus est:quia cum lumen exterum valde remissum, ac tenue est,adhuc oculos coangustamus, vt perspicatius videamus: at tunc nullum dissipandorum spirituum periculum est.Deinde quantun ea coactione,ac constrictione pupillæ impeditur dissipatio spirituum internorum,tantundem etiam iuxta aduersariorum sententiam impeditur exceptio specierum externarum, quæ dilatata pupilla maior esset:igitur non est,cur ea coactio pupillæ visionem acuat, & perspicaciorem reddat.

12. Porro autem, vt nonnulla contra hanc sententiam argumenta præcaueantur, animaduertendum est primò,supposita infinitate partium continui minutissimos radios numero propè infinitos ab exigua oculi pupilla egredi posse.Secundò animaduertendum est, eiusmodi radios à ventis dissipari,& in diuersas partes impelli non posse,eo quod,subtilissimi cum sint, absque vlla resistentia per aëris poros summa celeritate, ac nobis imperceptibili,vniusque momenti æmula penetrent.Tertiò animaduertendum est,huiusmodi radios ab oculis emissos ad eosdem regredi:tum reflexo impetu, non secus ac pila palmaria à pariete ad manum repellitur:tum etiam,quia quemadmodum cœlum ab vna linea egreditur,& ad eam naturali pondere regreditur; & aqua maris insitis etiam sibi momentis à mare exit, & ad mari reuertitur;ita similiter in præsenti,&c. Animaduertendum quartò est, huiusmodi spiritus nonnulla corpora,aliàs densa, qualia sunt vitrum,& crystallus, facile pẽetrare posse;alia vero,cuiusmodi sunt ligna,& lapides, permeare non posse: haud aliter ac fulmen illæsam vaginã penetrat, ensem verò penetrationi resistentem liquat,& aliqua, non omnia corpora traiicit, quæ est eius peculiaris natura, & conditio. Animaduertendum tandem est, radios visuales non solos, sed speciebus onustos ad potentiam redire.

CAPVT III. & vlt.

De reliquis sensibus externis,& internis.

AVditus in auribus præcipue consistit,in quarum 13.
medio inter complures meatus inclusa est membrana,quam alij tympanum,alij miringam appellant: intra membranam hanc continetur aër quidam,quem alij

alij vernaculum, alij mobilem, alij aliis nominibus nuncupant: huiusmodi aër est proprium organum auditus, vt fere communior sententia, & perspicue constat: tum ex eius situ, quem inter cæteras omnes aurium partes medium ac magis nobilem obtinet; qua ratione suprà pupillam visus organum statuimus: tum etiam ex eo, quod tradit Galenus l. 8. de vsu partium c. 6. ibi: *alteratur non à quouis sensibili omne sensorium, sed splendidum quidem, ac lucidum à coloribus, aëreum à sonoribus, vaporosum ab odoribus; & vt in summa dicam, simile simili notum est, ac familiare.* Obiectum auditus est sonus, qui definitur ab Arist. l. 2. de anima text. 85. *motio eius, quod eo motu moueri potest, quo mouentur ea, quæ resiliunt à corporibus lauibus, cum quispiam percutit.* Quo circa ad sonum tria requiruntur, nimirum duo corpora, quæ se collidant; & aliud, quod ex amborum collisione resiliat. Hinc fit, falso eos opinari, qui sonum arbitrantur esse qualitatem à motu omnino distinctam: tum quia contradicunt Aristoteli: tum quia sicut motus corporum se se collidentium successiuus est; ita similiter sonus experientia teste successionem importat: tum etiam quia sicut corpora sonora aërem mouent, non rectà, ac versus longum, sed orbiculariter; haud aliter ac lapis in aquam decidens varios, & inæquales in ea circulos describit: ita etiam sonus non recta, sed circum circa effunditur. Vox ab Aristotele, & reliquis Philosophis communiter ita definitur; *sonus animalis factus ab aëre à pulmone per respirationem, ad gutturusque emisso cum intētione aliquid significandi*: loquutio, siue sermo est vox solius hominis propria, quæ syllabis, dictionibus, aliisque terminis modulatur, ac dearticulatur: echo autem est sonus, motusque reflexus; sicut cum lapis in puteum decidit, & circuli vsque ad parietem descripti ordine inuerso regrediuntur. Porro autem quamuis triplex, aut quadruplex sit sonus in motu à nobis constitutus sit, ab eo tamen inadæquate distinguitur; & vlterius temperiem primarum qualitatum corporibus sonoris propriam, ac peculiarem importat: tum quia plura corpora inuicem mouentur, & colliduntur, quin sonitum edant, vt in corporibus cœlestibus, nec nō iuxta aliquos in elemento aquæ conspicere est: tum etiam quia motus, & sonus diuersas habent proprietates; alterque velox, aut tardus: alter vero acutus, aut grauis appellatur.

9.

14. Olfactus neque in ventriculis anterioribus cerebri, vt Galenus censuit, neque in ossiculis mamillaribus narium, vt Vesalius arbitratus est, neque in neruis per cartilagines narium ductis, vt Magnesius maluit, sed in interiori naso, velut organo proprio consistit; vt cum Aristotele Philosophi communius docent, & experientia ipsa testari videtur. Obiectum olfactus est odor: odor autem non est qualitas, vt Peripatetici docent, sed vapor quidam substantialis excellenter calidus, ac siccus, vt Philosophi omnes Aristotele antiquiores malunt; & duplici experientia præter alias breuiter ostendi potest. Primò namque experimur flores, dum redolent, marcescere, & poma corrugari: signum igitur est, non sine propriæ substantiæ dispendio, & alicuius vaporis emissione eiusmodi corpora redolere. Deinde experimur, corpora aliqua non nisi cum calefiunt, odorem spirare: igitur simul cum odore vaporem aliquem spirant. Organum proprium gustus est lingua quoad interiores eius partes molli quodam neruo tentas, vt cum Aristotele Philosophi communius docent: organum vero tactus non est cor, neque peculiaris aliquis neruus, vt alij aliique arbitrari sunt, sed caro, & cutis, quam late per vniuersum corpus distenduntur. Obiectum gustus est sapor, quem non qualitatem aliquam esse arbitramur, sed humorem quendam substantialem, quos cibis natura ingenerauit; & quo expresso non nunquam insipidi, insulsique remanent. Obiectum tactus sunt quatuor primæ qualitates, nec non aliquæ secundariæ ex iis oriundæ, cuiusmodi sunt molities, ac durities, ratitas, ac densitas, si hæ qualitates censeantur. Porro autem gustus, & tactus non sentiunt qualitates suis organis inhærentes: tum quia aliàs semper sentirent: tum etiam à pari, quia visus & auditus non nisi sonos, & colores externos percipiūt. Hinc communiter, & non improbabiliter deduci consueuit, obiecta gustus, & tactus mediis speciebus harum facultatum actus efficere: siquidem eiusmodi obiecta potentias suas immutare debent, vt ab iis percipi possint: at non physice, cum iis non inhæreant: ergo intentionaliter, & mediis speciebus.

15. Præter sensus externos internum aliquem dari liquido constat ex belluis, quæ cum dormiunt ac sensus externos sopitos habent, somniantur tamen, & aliquid interius sentiunt: rursus eædem iter aliquod sibi quondā noxium repetere nolunt: igitur quia obiecta aliqua absentia, & sensibus externis imperceptibilia per arcanam aliquam, ac superiorē facultatem percipiunt. Sensus hic internus, quatenus percipit obiecta omnia sensuum externorum, appellatur sensus communis: quatenus vero sola absentia, qualiacunque sint, percipit, appellatur phantasia: quatenus vero eademmet componit, atque inuicem comparat, imaginatiua: deinde quatenus obiecta aliqua prout sibi consentanea, aut dissentanea apprehendit, dicitur æstimatiua: rursus æstimatiua, prout aliquanto perfectior est, & in homine reperitur, cogitatiua dici solet: memoria est circa præterita: reminiscentia est rerum præteritarum in particulari, & non sine quodam discursu, & in dagine.

16. Quod autem ad radicem sentiendi attinet, tametsi eam in corde Aristoteles collocauit, longe tamen probabilius est, quod Galenus, & B. Thomas, & cum vtroque Medici, & Theologi communius docent, eam in cerebro residere: tum quia spiritus animales à solo cerebro in omnes sensus dispensantur, vt ex anatome neruorum, quibus feruntur, perspicue constat: tum etiam, quia, cum læditur sensus interior, aut plantasia, non cordi, sed capiti medicamenta applicantur: igitur eiusmodi sensus interior exteriorum omnium in genere causæ finalis præcipua radix non in corde, sed in cerebro residet. Tandem, quod ad appetitum sensitiuum attinet, quanquam partem concupiscibilem in hepate, & irascibilem in corde nonnulli collocarint; cæterùm communius, & probabilius est, vtramque in corde sedem habere; quippe quod non solum, cum irascimur, æstuat, verum etiam experientia teste, quibusuis aliis affectibus tangitur, & commouetur.

INDEX

INDEX RERVM,

Quæ in hoc ſecundo Tomo continentur.

Prior numerus Paginam notat: Poſterior eſt marginalis.

A

Accidens.

ACCIDENTIA aliqua corporis naturalis deſtructi, atque corrupti, an maneant in genito. 250.15.

Actio.

An actio vt ſic diſtinguatur ab agente, paſſo, & termino. 215.1.& ſeqq.

An actio terminum naturâ anteuertat. 215.4.& ſeqq.

An actio ſuaptè natura ſucceſſiua ſit. 217.12.& ſeqq.

Quid ſit ſubiectum actionis 235.& ſeqq.

An, aut quatenus actio generatiua à paſſione diſtinguatur. 236.9.& ſeqq.

An actio generatiua, ſiue eductiua formæ ſubſtantialis ab eius vnione diſtinguatur. 238.15.& ſeqq.

Actus.

De intenſione actuum intellectus, & voluntatis abſque additione graduum. 166.44.& ſeqq.

Aer.

Colores qui in aëre apparent, profecto in ipſomet aëre addenſato, ſpiſſiſque halitibus, & vaporibus luce illuſis, atque penetratis conſiſtunt. 324.41

Æternitas.

Æternitas eſt duratio vtrimque infinita, omnique principio, & fine carens. 289.4

An creatura aliqua permanens, ſiue corporea, ſiue corporis expers eſſe poſſit à parte ante æterna, ſiue infinita quoad durationem. 311.1.& ſeqq.

Æuum.

Æuum eſt duratio inter æternitatem, & tempus media: ac partim finita, & partim infinita; quæque vel incipit, vel aliquando deſinit. 290.5

Agens.

ſiue agentia contraria æqualia ſint, ſeu inæqualia, reactionis capacia ſunt. 268.60

Antiperiſtaſis.

Vide, *Intenſio.*

Appetere, Appetitus.

An detur in rebus appetitus innatus? & quid, ac quotuplex ſit. 22.1.& ſeqq.

Materia prima appetit innatè formas ſubſtantiales: idque tum indeterminatè & conditionatè, tum etiam abſolutè & determinatè. 24.10.& ſeqq.

Materia prima appetit formas ſubſtantiales appetitu deſiderij, gaudij, & amoris ſtricti. 26.24.& ſeqq.

An materia appetat innatè formas ſubſtantiales corruptas. 37.& ſeqq.

Aqua.

Quatenus aqua ſuapte natura grauis à mari, quod terra inferius eſt, aſcendere poſſit in altiſſimos montes, vbi tot fontes ſcaturiunt, & tam multa flumina erumpunt. 333.10

Augmentatio.

Augmentationis quidditas; à diminutione, & cæteris motibus diſcrimen; & an fiat tota ſimul, vel potius ſucceſſiuè, & continuè? 270.1.& ſeqq.

Augmentatio eſt motus à minori ad maiorem ſubſtantiam. 270.1

Augmentatio trifariam euenire poteſt: 270.3

In augmentatione hominis anima rationalis extenditur ad maiorem locum, quàm antea occupabat. 271.10

Augmentatio fit ſucceſſiuè, & continuè: 274.4

C

Callicrates.

CAllicrates nauim, quam auicula pennis integebat, muſcam alis quadrigam cum agitatore tegentem, & ſexcenta id genus opuſcula minutiſſima fabricauit. 327.57

Carentia.

Carentia rei datur à parte rei independenter ab omni operatione intellectus; 296.33

Cauſa.

Probabile eſt, cauſas creatas, ac de facto exiſtentes referri tranſcendentaliter ad ſuos effectus. 267.92.& ſeqq.

Quatenus exiſtentia ad cauſandum neceſſaria ſit? 168.& ſeqq.

Quæ ſit eſſentia cauſæ in communi. 140.1.& ſeqq.

An eſſentia cauſæ conueniat propriè, & vniuocè cauſæ remotæ? 141.5 & ſeqq.

An eſſentia cauſæ, propriè atque vniuocè competat conditioni ſine quâ non? 142.8.& ſeqq.

De correlatiuo cauſæ in communi. 143.1.& ſeqq.

Relationem causæ increatæ ad suos effectus non esse essentialem, seu transcendentalem. 149.22. & seqq.
Relationem causæ etiam creatæ ad suos effectus essentialem, seu transcendentalem non esse probabile est. 165.83. & seqq.
An causa totalis respectu effectus eiusdem vna tantum esse debeat. 176. & seqq.
Qua virtute causa efficiens operetur immediatè? 180.1. & seqq.
An causa efficiens creata non solùm naturaliter, verùm etiam obedientialiter per se ipsam actiua sit? 185.23. & seqq.
An causa prima cum secundis immediatè concurrat? 190.1. & seqq.
An causa prima, & secunda eadem actione concurrant? 191.4. & seqq.
An causa prima cum secunda ad actum peccati physicè concurrat? 192.8. & seqq.
An causa prima secundas ad operandum physicè prædeterminet. 195.23. & seqq.
Quid sint causa materialis, & formalis, ac an dentur in rebus, & qua proprietate. 198.1. & seqq.
De causalitate causæ materialis, & formalis. 200.1. & seqq.
Quid, & quotuplex sit causa finalis. 202.1. & seqq.

Causalitas.

Vide, *Causa.*

Cœlum.

An cœli sint compositi. 337.1. & seqq.
An cœli à quatuor elementis formaliter, aut virtualiter sumptis specie differant. 338.4. & seqq.
An, aut quatenus cœli inter se specie differant. 340.12. & seqq.
An cœli solidi, vel potius liquidi, ac fluidi sint. 343.15. & seqq.
An cœlum suaptè natura sit corruptibile. 341.19. & seqq.
Cœlorum numerus & ordo. 346.1. & seqq.
Cœlorum figura, & magnitudo. 348.10. & seqq.
Cœlorum motus quam habeat causam efficientem. 349.14. & seqq.
Motus contrarij an eidem cœlo possint conuenire. 351.21. & seqq.
Cœlorum lumen, & influxus in hæc inferiora. 353.28. & seqq.

Compositio.

Quid sit compositio continua, & an totum continuum ex ea resultans sit vnum per se. 81.2. & seqq.

Correctio.

Ignearum concretionum materia est exhalatio valde calida, & valde sicca. 324.43

Conseruatio.

Quid sit conseruatio, & quatenus à prima creatione distinguatur. 239.1. & seqq.

Continuum.

Creatura continua successiua, qualis est cœlorum motus diuinitus æterna, siue infinita à parte ante esse potest. 314.12

Conuersio.

Conuersio est transitus vnius rei in aliam. 273.1
Omnis conuersio debet esse coniuncta cum pugna circa aliquod tertium positiuum, & reale. 274.1
Conuersio, alia est accidentalis, alia substantialis. 274.3
Conuersio non solùm est compositi in compositum, verum etiam propriè, & rigorosè loquendo vnius formæ in aliam. 274.4
In omni conuersione vnius rei in aliam opus est, vt aliquid de nouo esse desinat, aliudque de nouo producatur. ibid. 5
An quæuis res creata in quamuis aliam conuerti possit. 278.22
Corpus, & sanguis Christi corruptis speciebus consecratis conuerti possunt, & solent in carnem comedentis, in chilum, phlegma, aliaque viliora. 179.26
Conuersio Eucharistica panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi cum productione noua corporis, & sanguinis Christi coniuncta non est. 279.27

Corpus.

Quid sit natura essentialiter componens, ac denominans corpus naturale. 74.1. & seqq.
Quid sit substantia corporis naturalis, partiumque illud essentialiter componentium. 76.16. & seqq ibid.
Corpus naturale nullis indiuisibilibus continuatiuis, aut terminatiuis constat. 91.1. & seqq.
An possibile sit corpus naturale, quod continue compositum non sit. ibid.
Corpus naturale de facto existens partes continuas actu distinctas sortitur. 87.1. & seqq.
Corpus naturale indiuisibilibus saltem velut partibus quibusdam constat. 93.12. & seqq.
Tempus corporis naturalis, & cuiusuis alterius entis ex instantibus omnino indiuisibilibus, sed tamen non solis constare verius est. 132.1. & seqq.
Tempus corporis naturalis, alteriusve vllius rei ne etiam ex solis instantibus physicè indiuisibilibus, sed virtualiter diuisibilibus, & inflatis, extensiue constare verius est. 134.9. & seqq.
Tempus corporis naturalis, & cuiusuis vlterius rei constare ex partibus sine fine diuiduis probabilius est. 136.18. & seqq.
De vacuo corporis naturalis. 287.34. & seqq.
Quid, & quotulex sit tempus, seu quando corporis naturalis, & cuiusuis alterius rei. 288.1. & seqq.
Multitudinem creaturarum, siue corporearum, siue incorporearum etiam cathegorematicè infinitam à Deo produci posse probabilius est. 307.25. & seqq.
An corpus aliquod simpliciter infinitè extendi possit quoad locum, & tamen duobus terminis claudi. 306.1. & seqq.
Magnitudinem corpoream infinitè simpliciter extensam quoad locum non repugnare verius est. 308.11. & seqq.
An creatura aliqua permanens, siue corporea, siue corporis expers esse possit à parte ante æterna, siue infinita quoad durationem. 311.1. & seqq.
Quæ corporis partes animentur, siue viuificentur. 363.1. & seqq.

Creare, Creatio.

Creatio corporis naturalis, & cuiusuis alterius rei in quo sita sit. 221.1. & seqq.
Quæ agentia creare possint. 225.30. & seqq.
Quæ res creentur. 231.60. & seqq.

Destructio.

Vide, *Forma.*

D

Deus.

DEus qua volitione omnipotentiam suam ad concurrendum cum causis secundis applicet. 193.14.& seqq.
Deus obiectum creatum modo inefficaciter; modo remissè, modo intensè amat. 266.46
Potest Deus producere materiam minorem, & minorem in infinitum. 327.55

Distans.

An, aut quatenus causa in distans operari possit. 172.1.& seqq.

Distinctio.

Quid existimandum de distinctione reali totius Mathematici, siue integralis à suis partibus. 72.136.& seqq.

Duratio.

Duratio alia est realis, alia imaginaria. 289.1
Duratio in tempus, æuum, & æternitatem dissecari sole 289.3

E

Elementum

AN Elementa vt à mixtis distincta dentur, & quis eorum numerus & ordo. 317.1. & seqq.
Elementa, quoad eorum substantiales formas mixtis inesse tenent communiter Medici. 317.8
Quatenus elementa mixtis insint. 318.8.& seqq.
Quatenus elementa in mixtis ad temperiem redigantur. 319.11.& seqq.
An elementa in sola mixta immediatè conuertantur. 320.15.& seqq.
An elementa mixtave Symbolica facilius in se conuertantur. ibid.19.& seqq.
Qua inæqualitate elementa, & mixta quatuor primas qualitates sortiantur. 321.22.& seqq.
Quatenus elementa, & mixta grauitent, & leuitent. ibid.25.& seqq.
An vapor, & exhalatio inter elementa, vel potius inter mixta numerari debeant 323.32.& seqq.
Quatenus elementa, & mixta maximum & minimum naturale sibi præscribant 327.49.& seqq.
Elementorum figu . 329.57.& seqq.
Elementorum situs. 330.61.& seqq.
An cœli à quatuor elementis formaliter, aut virtualiter sumptis specie differant. 338.4.& seq.

Ens.

An materia prima, de facto existens, sit imperfectior omni ente, non solum substantiali, sed etiam accidentali, existenti,& possibili. 34.17. & seqq.

Exemplar.

Vide, *Finis, forma.*
Quid, & quotuplex sit exemplar. 209.1.& seqq.
Exemplar, siue causa exemplaris in quo consistat. 110.4. & seqq.
An causa exemplaris vera causa sit, & ad quam ex quatuor generibus causarum reuocanda est. 213.17

Existentia.

Quatenus existentia ad causandum necessaria sit. 168.1.& seqq.

F

Finis.

FInis, an moueat secundum esse reale, vel potius secundum esse intentionale; & an causa finalis sit propriè,& strictè causa. 203.10
Quos effectus finis sibi vendicet. 204.11.& seqq.
Quam causalitatem finis sibi vendicet. 205.14.& seqq.
Quæ agentia propter finem operentur. 207.21. & seqq.

Forma.

An materia prima per existentiam formæ existat. 9.16.& seqq.
An materia dependeat à priori à forma substantiali. 17.1.& seqq.
An materia saltem à posteriori à forma substantiali dependeat. 17.6.& seqq.
An dependentia materiæ à forma, alteriusque cum altera connexio, superius statuta, sit summa. 21.26.& seqq.
An materia prima sit imperfectior omni forma substantiali. 31.10.& seqq.
An,& quid sit forma substantialis. 39.1.& seqq.
In eadem materia prima plures formæ substantiales naturaliter componi nequeunt: at possunt supernaturaliter. 40.7.& seqq.
An destructione formæ substantialis constituentis corpus naturale, aut cuiusuis alterius prior esse debeat generatio formæ oppositæ. 246.1. & seqq.

G

Gradus.

GRadus intensionis, an homogenei sint. 260. 10.& seqq.
An gradus intensionis heterogenei sint. 263.25. & seqq.
Quid de æqualitate graduum sentiendum sit. 264.30.& seqq.
Quid de inæqualitate graduum sentiendum sit. 264.36.& seqq.
Gradus intensionis inæqualis perfectionis esse possunt, satisque verisimile est, quod de facto etiam eam inæqualitatem sortiantur. ibid.
Vide, *Intensio.*

I

Ignis.

IGnis se se augmentans non insinuat formam suam substantialem simul, & semel in aliquam determinatam partem materiæ, quæ accrescat. 270.6
Multitudo creaturarum quarumlibet syncathegorematicè infinitam à Deo produci potest. 300.2
Quid sit ignis, qui nauigantibus modo duplex, modo triplex apparet. 324.44
Ignem elementarem esse summè calidum, & siccum prope summũ, experientia constat. 334.16

Infinitum.

Inter species creaturarum syncathegorematicè infinitas à Deo producibiles assignari non posse supremam,& perfectissimam verius est. 300.5. & seqq.

Infinitum infinito tempore successiuè pertransiri potest: 314.14

Influxus.

Vide, *Res.*

An aliqua res à causa secunda à se distincta per verum,& directum influxum conseruari postulet. 242.15.& seqq.

An quæuis res à causa prima per immediatum, directumque influxum conseruari postulet. 243.22.& seqq.

Cœlorum lumen , & influxus in hæc inferiora. 353.28.& seqq.

Intensio.

Vide, Gradus.

Intensio fieri potest per gradus dissimiles, seu heterogeneos. 263.25

Intensio fieri potest per gradus æquales in perfectione,ac verisimillimum est , ita etiam de facto fieri. 264.30

Qualitates intentionales , cuiusmodi sunt actus intellectus,& voluntatis absque additione graduum intenduntur , & absque eorundem detractione remittuntur. 266.44

De intensione per actionem reflexam. 267.49. & seqq.

Intensio diuidi solet,in eam,quæ fit per antiperistasim,& in eam,quæ seorsim ab illa exercetur. 268.55.

De intensione per reactionem. 268. 59. & seqq.

De intentione quatenus resistentiæ obnoxia. 269. 63.& seqq.

Resistentia qualitatibus intensi à se inuicem fieri solita duplex est, positiua nimirum ac negatiua. 269.63

Iris.

Nullum in aëre spectrum apparet spectabilius Iride. 324.

L

Locus.

LOcus , & vbi an distinguantur inter se , & à substantia corporis naturalis , alteriusve rei locatæ. 280.1.& seqq.

Spatium loci est id,quod per motum localem conficitur. 280.2

Quotuplex sit locus corporis naturalis, & cuiusuis alterius rei. 282.11.& seqq.

Locus alius est realis,alius imaginarius. 262.11

Locus realis extrinsecus est superficies corporis ambientis. 283.16

Locus realis intrinsecus est vbi intrinsecum cuiusque rei. 283.17

An idem corpus naturale , aliaue res possit diuinitus esse simul in duplici loco adæquato circumscriptiuè. 284.19.& seqq.

An corpus aliquod simpliciter infinitè extendi possit quoad locum,& tamen duobus terminis claudi. 306.1.& seqq.

Magnitudinem corpoream infinitè simpliciter extensam quoad locum non repugnare verius est. 308.11.& seqq.

M

Materia.

MAteria prima an in rebus existat. 7. 1. & seqq.

Materiam primam in rebus existere vlterius probaiu. 8.12.& seqq.

An materia prima per existentiam formæ existat. 9.16.& seqq.

An materia dependeat à priori à forma substantiali. 17.1.& seqq.

An materia saltem à posteriori à forma substantiali dependeat. 17.6.& seqq.

An dependentia materiæ à forma , alteriusque cum altera connexio,superius statuta, sit summa. 21.26.& seqq.

Materia prima appetit innatè formas substantiales: idque tum indeterminatè & determinatè. 24.10.& seqq.

Materia prima appetit formas substantiales appetitu innato desiderij,gaudij , & amoris stricti. 26.24.& seqq.

An materia appetat innatè formas substantiales corruptas. 28.37.& seqq.

An materia prima,de facto existens, sit imperfectior omni alia materia, & substantia possibili. 15.31.1.& seqq.

An materia prima , de facto existens,sit imperfectior omni ente , non solùm substantiali , sed etiam accidentali,existenti, & possibili. 34.17. & seqq.

Materiam omnem sublunarem esse vnius speciei, posse tamen esse specifice diuersam, verius est. 35.1.& seqq.

Materiam sublunarem esse vnius speciei cum materia cœlesti probabile est. 36.9.& seqq.

In eadem materia prima plures formæ substantiales naturaliter componi nequeunt : at possunt supernaturaliter. 40.7.& seqq.

Meteora.

Vide, *Elementa.*

Quatenus vapor , & exhalatio in meteora commutentur. 324.37.& seqq.

Mixta.

Vide, *Elementa.*

Possibile est mixtum aliquod in quo grauitas , & leuitas ad pondus æquales sint. 318.14

Motus.

Cœlorum motus quam habeat causam efficientem. 349.14.& seqq.

Motus contrarij an eidem cœlo possint conuenire. 351.21.& seqq.

N

Nutritio.

NVtritionem propriè vitalem esse verius est. 371.1.& seqq.

Quædam notatu digna de vita nutritiua. 372.5. & seqq.

P

Pars.

PArtes animatæ an substanialiter dissimiles sint. 368.23.& seqq.

Prioritas.

An prioritas naturæ eiusdem respectu sui possibilis sit. 170.1.& seqq.

An mediata prioritas naturæ eiusdem respectu sui possibilis sit. 171.5.& seqq.

Quatenus prioritas temporis,& naturæ distinguatur. 171.9.& seqq.

Q

Qualitas.

QValitates aliquæ, an additione gradus ad gradum intendantur. 259.1. & seqq.

Quando.

Vide, *Duratio, Tempus.*

Quantitas.

Quantitas successiua simpliciter infinita duobus terminis claudi non potest, nec primum, & vltimum sortiri. 307.3

R

Reactio.

Vide, *Intensio.*

Relatio.

RElationem causæ increatæ ad suos effectus non esse essentialem, seu transcendentalem. 149.22. & seqq.
Relationem causæ etiam creatæ ad suos effectus essentialem, seu transcendentalem non esse probabile est. 165.83. & seqq.
Probabile etiam est, causas creatas, ac de facto existentes referri transcendentaliter ad suos affectus. 167.92. & seqq.

Res.

An possit aliqua res seipsam per verum, & directum influxum conseruare. 241.10. & seqq.
An aliqua res à causa secunda à se distincta per verum, & directum influxum conseruari postulet. 241.15. & seqq.

Resistentia.

Vide, *Intensio.*

S

Sensus.

SEnsibus externis, & internis. 376. 13. & seqq.

Species.

Inter species creaturarum syncathegorematicè infinitas à Deo produdibiles assignari non posse supremam, & perfectissimam verius est. 300. 5. & seqq.

T

Temperamentum.

TEmperamentum æquale ad pondus nonnullis mixtis debitum, possibile est in qualitatibus alteratiuis. 318.12
Complura sunt mixta, in quibus naturaliter repugnat temperamentum quatuor primarum qualitatum æquale ad pondus. 318.13

Tempus.

Tempus corporis naturalis, & cuiusuis alterius entis ex instantibus omnino indiuisibilibus, sed tamen nō solis constare verius est. 132.1. & seq.
Tempus corporis naturalis, alteriusve vllius rei ne etiam ex solis instantibus physicè indiuisibilibus, sed virtualiter diuisibilibus inflatis, extensiuè constare verius est. 134.9. & seqq.
Tempus corporis naturalis, & cuiusuis alterius rei constare ex partibus sine fine diuiduis probabilius est. 136.18. & seqq.
An res ab omni tempore, ac duratione simpliciter absolui possit. 296.32. & seqq.

Terra.

Terra rotunda & sphærica est. 328.57

Totum.

Totum substantiale, & per se resultans ex partibus essentialibus corporis naturalis ab iis realiter adæquatè distingui, verius est. 52. 1. & seqq.
An non solum totum substantiale, & per se creati ordinis, sed etiam ordinis diuini distinguatur realiter adæquatè à suis partibus. 64. 85. & seqq.
Fit satis obiectionibus aduersus indistinctionem realem totius substantialis, & per se diuini ordinis à suis partibus. 65. 86. & seqq.
An totum accidentale distinguatur realiter adaquatè à suis partibus. 68. 103. & seqq.

V

Vacuum.

VAcuum est locus omnis corporis expers, naturaliter tamen aptus illo repleri. 287.34

Vapor.

An vapor, & exhalatio inter elementa, vel potius inter mixta numerari debeant. 323.32. & seqq.
Quatenus vapor, & exhalatio in meteora commutentur. 324.37. & seqq.

Vbi.

Vbi prædicamentale nihil aliud est, quàm locus cuiusque rei, & è conuerso. 280.1.

Ventus.

Causa, qua cientur venti triplex est. 324.40.

Visus.

De obiecto, ac modo sentiendi visus. 375. 8. & seqq.

Vita.

Quid sit vita. 355.11. & seqq.
Vita per eius partes explicatur. 357.7. & seqq.
Quædam notatu digna de vita nutritiua, 373. 5. & seqq.

Vnio.

Quid sit vnio physica in communi. 43. 1. & seqq.
De nonnullis attributis vnionis physicæ: deque aliis eius definiendæ modis. 44.5. & seqq.
An vnio physica ab extremis realiter distinguatur. 46.17. & seqq.
An vnio nectens partes essentiales corporis naturalis sit vna simplexque, vel potius multiplex. 47.27. & seqq.

FINIS.

Lyncei
tom II

Th
937a